





IN

GRÆCAS ET ROMANAS

GRÆVII ET GRONOVII

ANTIQUITATES

NOVA

SUPPLEMENTA.

TOMUS IV.

UTRIUSQUE
THESAURI
ANTIQUITATUM
ROMANARUM
GRÆCARUMQUE
NOVA
SUPPLEMENTA
CONGESTA
AB
JOANNE POLENO.
VOLUMEN QUARTUM.



Jo. Baptã. Tiepolo In. — Petrus Monaco Sculp.

VENETIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
JOANNES POLENUS.



Entum est ad Supplementorum nostrorum Volumen quartum. De meo in Supplementis hisce concinnandis instituto, cura, ac diligentia quidquid indicandum fuerat, satis in superioribus Præfationibus expositum est. De hoc autem ipso Volumine sic est habendum; deberi ipsum magis aliorum operæ, quam meæ. Ab doctissimo enim diligentissimoque Sigeberto Havercampio (cujus, etiam alias, mentionem fecimus debita cum laude) Jacobi Sponii Opera missa ad nos sunt, quæ magnam hujus Voluminis partem conficiunt: ab eodemque cum investigatus fuit Codex calamo exaratus, idemque ineditus, Dissertationum Gisberti Cuperi & Ottonis Sperlingii, quæ præcipuam aliam nostri Voluminis implent partem; tum inventus, impetratusque est a Viro Clarissimo Joanne Grammio, cujus Museum ornabat. Fortunæ etiam nonnihil debemus, quod illæ ipsæ archetypæ æreæ Tabulæ, quibus usus fuerat Sponius, tamdiu atque ita servatæ sint, nihil ut ceperint detrimenti: quod per laudatum Havercampium emi pro hac nostra editione potuerint: quod denique pretiosus ille Dissertationum Codex tamdiu latuerit, ut nunc demum posset in hisce nostris Supplementis vulgari.

II. Quod vero ad naturam attinet hujus Voluminis; si ingens rerum varietas spectetur, quæ passim occurrit, sive in Cuperi & Sperlingii *Dissertationibus*, *mutuisque Epistolis*, ad Græcas Romanasque Antiquitates pertinentibus, sive in *Curiosis* Sponii *Quæstionibus*, sive in ejusdem *Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis* (hæ enim majores, ut indicavimus, præcipuæque ejusdem Voluminis sunt partes) Collectio quasi quædam appellari potest Miscellaneorum, & hoc potissimum nomine aliis adjungi.

III. Utcumque appelletur, illud sane ex iis, quæ dicta sunt, perspicue apparet, fieri non posse, ut partium congesti exhibitique Operis certæ quædam & distinctæ prius ideæ, ut fere in Præfationibus solet, proponantur. Quælibet enim ipsius pars ex tot aliis minoribus constat, ut accurata expositio rerum, quæ hoc Volumine continentur, Indicem potius quendam, quam speciosam earundem rerum imaginem, formare possit.

IV. Itaque nihil aliud relinquitur, nisi ut de singulis Operibus aliquid in universum attingamus, & summa quædam capita indicemus. Primo autem loco sese offerunt Cuperi atque Sperlingii Dissertationes: ac de Cupero quidem deque ejus eximia eruditione cum in Præfatione dixerim ad Volumen Secundum, Art. II. hic, antequam ad rem ipsam accedo, de altero Dissertationum Aucto-

re, itidem eruditiſſimo, Ottone Sperlingio, nonnulla perſequi atque conſcribere præſtat.

V. Otto Sperlingius, qui dicetur ſenior, in hoc Patavino Gymnaſio Medicinæ Doctor creatus, anno 1627. tractu temporis inter Hamburgenſes Senatores conſcriptus, cum varia edidiſſet Opera, atque diu Hafniæ Regium Medicum, ac rei Herbariæ Profeſſorem egiſſet, in eadem illa urbe vitam cum morte commutavit, anno 1681. vixit autem annos LXXIX. Hujuſce filius fuit noſter Otto Sperlingius, quem Ottonem juniorem appellare lubet. Juriſprudentiam, melioreſque litteras coluit, ac inter Juriſconſultos adſcitus, Hiſtoriam deinde & Eloquentiam Hafnienſi in Gymnaſio docuit magna cum laude. Plures emiſit Libros in vulgus, egregia eruditione ornatos. De pleriſque eorum mentio fit in iis, quas exhibemus in Volumine hoc quarto, Epiſtolis: commemorantur enim *de Veſtitu Danorum Diſſertatio*, 76. B. 79. C. *Tractatus de Ambactis*, & *de origine Veterum Gallorum a Dite, hoc eſt, Germanis*, 79. C. 80. F. *Diſſertatio de Baptiſmo Ethnicorum*, 79. C. 81. F. 86. B. *Syntagma de nummo argenteo Conſtantini Magni* IV. *Drachmarum cum dimidia*, 83. C. 85. C. D. *Diſſertationes duæ*, altera *de Nummis Cavis & Bracteatis*, altera *de Nummo Svecico æreo*, 79. C. 162. C *Boreæ laudes*; & *Commentarius de ſummo regio nomine & titulo Septentrionalibus uſitato KONING, & ejus apud Danos origine*, 210. E. *Diſſertatiuncula quædam de Feſto IVVL Septentrionalium antiquorum & modernorum*, 262. E. *Diatriba de Crepidis*, 78. B. 79. C. Liquet autem ex iiſdem Epiſtolis, 73. A. 82. A. 86. E. Sperlingium curam edendæ *Diſſertationis ſuæ de Nummis non cuſis* Gisberto Cupero commiſiſſe: hæc vero prodiit Amſtelædami, an. 1700. ex Franciſci Halmæ typographia; inſcriptaque eſt eidem Gisberto Cupero. Ad ultimam ſenectutem pervenit Sperlingius noſter, non tamen proſpera uſus eſt valetudine; quamobrem Cupero ſcribens, *Senectam*, ait, *ipſam eſſe morbum expertus ſum, & experior*. Hafniæ, octuagenario major, e vivis exceſſit, an. 1715. V. Kal. Jun. Hiſce vero paucis de Viri illius egregii vita quaſi curſim indicatis, ad Opus ipſum tranſeo; quod (ut innui jam paullo ſupra) nunc primum æneis typis, me curante, deſcriptum eſt.

VI. Ceperat conſilium hoc clariſſimus Jo. Laur. Moshemius; ſed (neſcio quo fato) exequi minime potuit. Scripſerat etiam eum ad finem Proœmium, in quo aperte profitebatur, *voluptatem, quam litterarum amœnarum Studioſi ex Epiſtolis illis eſſent percepturi, omnem eſſe referendam humanitati & induſtriæ Jo. Grammii, Viri longe doctiſſimi, ſuæque Patriæ ornamenti*. Paullo vero infra, ut ſimplex veritatis ratio ferebat, ſubdit hæc: *De argumentis harum Epiſtolarum, earumque utilitate & præſtantia non erit, cur verba faciam. Auctores etenim eo inter Eruditos numero ſunt locoque, ut vel ſola eorum nomina optimæ commendationis inſtar ſint. Id unum monebo, eos de rebus haud vulgaribus aut protritis ea proferre, quæ decet homines, qui in litteris ætatem conſumpſerunt*. Tum id, quod ego quoque, dum eas Diſſertationes ad dias auras revoco, proferre totidem verbis omnino deberem, verba ſubjicit: *Tantum igitur theſaurum quis æquo ferat animo neglectum jacere, nec*

in lucem protrahi? Demum suum claudit Procemium nota temporis, ita; *Dabam in Academia Julia, Idib. Januar.* MDCCXXV. Ad Codicis marginem paucas quasdam & concisas adscribere annotationes idem Moshemius orsus erat, sed sexta in Epistola filum obrupit. Facile autem suspicaberis, illum jam admoventem operi manum, annotationes ab perspicua eruditaque Collectione illa minime requiri animadvertisse.

VII. Ut earum potiores attingam; primum referam, ad verba illa (pag. 5. C.) *Ut Lehmannus Chronicon Spirense*, subjici hæc: *Magnæ molis opus hoc, quod insigni pretio Hamburgenses redimere voluisse ferunt; nunc in Potentissimi Danorum Regis Bibliothecam una cum multis aliis, quæ nondum edita reliquit indefesso ingenio vir, illatum est. Haud dubitare tamen licet, quin multa peregrina, id quod ipse non diffitetur Sperlingius, rebus Hamburgensibus, consilio non magnopere laudando, admixta sint.* Post verba *ad Tutores* (pag. 6. A.) adnotavit: *Gudii, eruditissimi viri, Bibliothecam Hamburgi sub hasta esse venditam, codices autem præcipuos, manu exaratos, Augustissimi Bransuicensium Ducis Bibliothecam auxisse, notum est. Qui hic memoratur Gudii filius, nunc Cimbricis adscriptus equitibus, in Holsatia sibi vivit; & quam a parente accepit nihil non sciendi cupiditatem assidua diligentia, laudabili exemplo, alit.* Ad verba (pag. 8. D.) *& quoniam de Inscriptionibus sermo*, sic scribit: *Hæc communis hodie est eorum, qui in Antiquitatibus Septentrionalibus operam & industriam posuerunt, sententia. Et memini, virum celeberrimum Æn. Masnæum, cujus incomparabilis est cum omnis Historiæ, tum Borealis peritia, & mira sagacitas, Prof. Histor. Hafniensem, quum mihi Hafniæ consuetudine ejus uti liceret, hanc opinionem mihi tam luculentis demonstrare rationibus, ut prorsus consentirem.* Ubi Sperlingius (pag. 8. F.) scripsit, *Contexui libellum de Fœminis eruditis*, Moshemius notat: *Plures additæ sint postea, nullum dubium est. Nec diffitentur tamen viri doctissimi, alioquin amici, esse quasdam in his mulieribus, quibus vix inter eruditas locus concedi queat; nisi forte omnis mulier, quæ tenui avena rusticum carmen lusit, erudita vocanda sit.* Scripserat Sperlingius (pag. 10. D.) *Gronovii Patris vita edita non est*, hic noster animadvertit: *Nuper admodum Joh. Fed. Gronovii vita Hamburgi lingua Germanica ab erudito quodam viro conscripta prodiit 1723. in 8. Pleniorem vitæ ejus Historiam in Cimbria litterata dabit vir eruditæ Historiæ cognitione nulli secundus Jo. Molneeus.* Ei loco (pag. 10. F.) ubi nominatur *Rudbeckius*, subjiciuntur hæc: *monuisse sufficiat, Sperlingium nostrum A. MDCCIX. epistola, d. IX. Aprilis ad Celeb. Majum Prof. Kilon. perscripta, adhuc ei significasse, se de vera scriptione Gothica antiqua opus elaborandum sumsisse, jactantiæ Svecorum oppositum, qua adhuc toti terrarum orbi glaucoma non unum offuderint. Sine dubio par hic labor fuit Adversariorum ejus Antiquit. Septentrional. magni operis, quod ultimis vitæ annis suscepit, & ad XVII. Volumina in forma quarta perduxit. Latet illud nunc, una cum aliis, in Bibliotheca Regia Hafniensi.* Vitæ Alberti Crantzii mentionem injecerat (pag. 12. F.) Sperlingius; noster vero eum locum ita illustravit: *Reliquit hanc Crantzii vitam prorsus perfectam & absolutam Sperlingius. Quam quidem ab illustri Reitzero acceptam virum magno ingenio, & litteris exornandis natum And...*

Hojerum, Regis Daniæ ab Hiſtoria ſcribenda & Epiſtolis, publici juris facturum eſſe, haud ita pridem ex amicis didici. Ceterum nuper Hamb. 1722. in 8. vita Crantzii prodiit lingua Germanica diligenter, auctore neſcio quo, conſcripta. Neque tamen ea deſiderium Sperlingiani laboris extinguet. Molitur & ejuſdem viri vitam Jo. Mollerus in Cimbria litterata: qui & accurate de eo Introd. ad Hiſtor. Cherſon. Cimbr. commentatus eſt. Atque hæc, deſignata ex primis illis quaſi adumbratis annotationum lineamentis, ea ſunt, quæ exiſtimavimus, ad rem noſtram poſſe transferri. Sed jam propius ad Opus ipſum pergere præſtat.

VIII. Nonnulla in hoc de Runicis Inſcriptionibus reperies: multa vero de celebri illa quæſtione, num ſcilicet Marcus Julius Philippus Auguſtus inter Chriſti fideles jure ſit meritoque numerandus. Non quæritur, an Chriſtianis faverit Philippus, ſanctiſſimumque Servatorem noſtrum in honore habuerit: quemadmodum prius Alexander Severus Chriſtum dicitur coluiſſe ethnica tamen (ſi fari ita licet) pietate; cum in Larario ſuo Chriſti imaginem inter Deorum Heroumque ſimulacra repoſuerit, ibique rem divinam matutinis horis factitaverit: ſed quæritur, an Philippus vere, pie, ſancteque Chriſtianam coluerit religionem, ad quam uxoris ſuæ Marciæ Otaciliæ Severæ ſuaſu, una cum filio, converſus fuerit. Res eſt in partem utramque a multis agitata; nemo tamen recte (ut opinor) negabit, poſſe argumenta, quæ familiari quadam ratione inter ſe communicabant eruditiſſimi duo illi viri, Cuperus & Sperlingius, ei controverſiæ illuſtrandæ haud exiguum lumen afferre. Id velim diligenter animadverti; tum vero animadverſionem eandem plane referri ad res illas, ex quibus Sperlingii *de Nummis non cuſis tam Veterum, quam Recentiorum* coaluit jam edita & ante commemorata *Diſſertatio*. Undequadraginta Capitibus hæc conſtat, in quibus agitur de nummorum cuſorum Auctoribus, de nummorum non cuſorum origine, de pluribus nummorum generibus, ac præſertim de Hebræorum nummis (notare vero hic convenit, Cel. P. Stephanum Souciet in Opere ſuo, cui titulum fecit; *Recueil de Diſſertations Critiques*, edito Pariſiis 1715. pag. 14. & 15. nonnulla de hebraicis nummis protuliſſe, quæ adverſari Sperlingii ſententiæ videantur: porro ex Auctoris utriuſque animadverſionibus doctrina illa reddita eſt illuſtrior) præterea vero de nummorum contemtu, de metallifodinis, deque nummis non cuſis Recentiorum copioſe eruditeque diſputatur. At, inquiet fortaſſe aliquis, lautitiæ illæ, novitatis gratia jam exutæ, porro nequeunt pretium idem obtinere in Epiſtolis hiſce nunc demum in lucem protractis. Huic autem ego non negaverim, multa de rerum illarum genere exſtare hiſce in Epiſtolis: tamen animadvertam, exſtare præterea nonnulla etiam alia; atque inſuper, ſæpe eſſe perutile perque jucundum noviſſe, quid principio de eruditis rebus cogitaverint viri docti. Eadem fluminum atque fontium aqua eſt: quis tamen rerum naturalium ſtudioſus, ſi aquæ fluminis proprietates noverit, inde etiam fontium ſcaturigines æque perſpectas habere non concupiſcet?

IX. De

IX. De Nummis autem quam elegantia, Dii boni! quam multa enitent, tum univerſe, tum ſigillatim: ac quamvis de re nummaria plurimi viri eximia ornati doctrina tot volumina conſcripſerint, ut bibliothecam veluti quandam conficere queant: tam longe tamen lateque res illa protenditur, tantos habet uſus, tantamque præſtantiam, ut ad eam pertinentia nova quædam ſemper poſſint afferri; proindeque allata a celeberrimis noſtris Duumviris cara & accepta ſint prorſus habenda..

X. Item laude ſua digna ſunt, quæ de Donatis & Honoratis Imperatorum, quæ de Imperatorum Candidatis, quæ de Græcorum & Judæorum Commerciis, quæ de variarum Gentium ſcribendi ratione, & quæ alia hiſce affinia Auctores noſtri litteris mandavere. At vero ſunt inter cetera ſedulo commemoranda quæ de Romanorum Vexillis & Signis militaribus, ac etiam de militaribus Velis ſcripſerunt Duumviri illi copioſe quidem atque erudite. Pauci enim inveniuntur de re militari Scriptores, qui in ea parte eruditionis, ad militaria ſigna ſpectantis, evolvenda ſint verſati: & pauci illi breviter (ne dicam perfunctorie) quamvis non deſint bene multa veterum Auctorum loca, in quibus & Vexilla & Signa commemorantur. Noſtri autem in explicandis Vexillorum ac Signorum originibus, figuris, materie, & mutationibus variis apud varias gentes, habita etiam temporum variorum ratione, illuſtrem induſtriam poſuerunt. Ratus itaque ſum, ei quoque eruditionis parti hiſce Diſſertationibus ſive Epiſtolis conſuli poſſe.

XI. Poſt haſce, ſubjeci duas Nicolai Calliachii Diſſertationes, quæ item lucernam olent. De eruditiſſimo eo viro, deque ejus Diſſertationum ratione atque elegantia, nonnulla, quæ cognoſci mea intererat, in Art. XXXII. Præfationis ad horum Supplementorum tertium Volumen, ita (pro modulo meo) ſunt expoſita, ut ſatis eſſe videantur. Quamobrem illarum primam ſtatim attingam, eum in finem exaratam, ut eruditio in obſcura ſuperſtitione, qua Deum Oſiridem coluit antiquitas, meliore in lumine collocaretur. Itaque quis fuerit Oſiris, & an, ac quatenus ab aliis Ethnicorum numinibus diſcerneretur illud numen, ſtudioſe noſter inquirit. Variiſque intertextis explicationibus fabularum Ægyptiorum Veterum rem totam exornat.

XII. Quod vero ad alteram attinet: agitur in hac de Eleuſinis Sacris, eorundemque Myſteriis; quæ Sacra cum nulla alia re magis, quam ſilentio ſolemnia redderentur, de ejuſdem taciturnitatis cauſſis Calliachius ediſſerit; tum vero de variis gradibus in Myſteriorum participatione obſervandis; deque ipſa, quod caput erat, Myſteriorum ratione. Scribit autem noſter (pag. 321. C.) Proſerpinam raptam fuiſſe *non procul Hennæis mœnibus ad Pergum Lacum, cum ex pratulis flores legeret*. Atque ita etiam Eruditi alii. Sed animadvertere præſtat Strabonis locum (in Lib. VI. Edit. an. 1707. pag. 393. Interprete Guilielmo Xilandro) quem ſubjeci: *Coſentiam ſequitur Hipponium, a Locris conditum: quod Brutiis ademtum, Romani Vibonem Valentiam nuncupaverunt. Et quia cir-*

mavit, eamque magna nominis celebritate ibidem exercuit. Vitam posuit X. Kal. Mart. ann. 1684. Tali igitur tantoque viro ortus Jacobus lucem aspexit an. 1647. qui litteris & scientiis excultus, eos brevi progressus fecit, ut Medicinæ lauream summa cum laude in Academia Montis Pessulani adeptus fuerit. Inde Argentoratum se contulit, ubi biennium transegit apud Joannem Henricum Boeclerum, virum apprime doctum, cui sedulam dedit operam toto eo tempore, quo est ea in urbe commoratus. Carolum etiam Patinum coluit antiquitatis peritissimum, quocum arctissimo amicitiæ vinculo copulatus, in idem antiquitatis studium enixe incubuit, cui sese mirifice addixit. An. 1669. cum degeret Lugduni, eum civitatis illius Medici in suum Collegium adsciverunt. Non multo autem post contigit, ut eruditissimus Joannes Vaillantius Christianissimi Galliarum Regis Antiquarius illac transiret, Italiam petiturus ad numismata, & alia Antiquitatis monumenta perquirenda. Viri fama, studiorum similitudo, discendi ardor Jacobum impulere ut illi se comitem adjungeret. Dalmatiam deinde, Græciam, Orientis partes an. 1675. & 1676. peragravit; varias insuper Gallici Regni perlustravit Provincias; quorum etiam itinerum universam rationem typis edidit, publicique juris fecit. Quoniam vero ab incunabulis imbutus fuerat dogmatis illis, quæ profitentur ii, quos *Reformatos* appellant, Galliam reliquit an. 1685. mense Septemb. (paullo ante quam Nannetense Edictum abrogaretur) eo consilio, ut Tigurum, urbem sitam in Helvetiorum regione, se reciperet; parenti enim suo jus civitatis concesserant Tigurini Cives. Sed morte præreptus in ipso itinere (in urbe *Vevay* Bernensis ditionis ad Lemanum Lacum) quod statuerat perficere non potuit. Obiit autem VIII. Kal. Januar. an. 1686. Academici nostri Patavini, quibus *Recuperatorum* nomen est, suo illum cœtui adscripserant. Nemausi quoque Academia Regiis auspiciis an. 1682. instituta inter suos allegerat. De illustri hoc viro, & de variis ejus Operibus, plura scripsere qui Basileæ novam curarunt Moreriani Lexici editionem.

XVIII. Quos ille magnis laboribus, multaque melioris eruditionis cultura fructus collegerat, eos in penu nostrum transtulimus; nimirum ejus *Quæstiones Rei Antiquariæ*, & *Miscellanea Eruditæ Antiquitatis*. Namque illa cum hisce, tum similium monumentorum ratione, tum universali quadam philologicarum explicationum convenientia, ita sunt inter se apta & quasi connexa, ut nullo modo sejungenda esse videantur. Quamobrem, bene recteque fecisse celeberrimum Havercampium, qui (ut supra commemoratum est) ad nos misit gemina illa Sponii Opera, inter raros Libros hoc tempore fere numeranda, plane censebunt, opinor, rerum hujusmodi æqui æstimatores. *Quæstiones* certe a *Miscellaneis* separari non debebant: *Miscellanea* porro qui poterant a nobis præteriri? Si enim ex Thesauris olim congestis & designatis rationem, qua novi congerantur Thesauri, ducere præstat (ut hercle præstat) in Thesauros *Miscellanea* Sponii, cum arrha data jam fuerit, inferre prorsus oportebat; ut quodammodo ita con-

tractus

tractus obligatio ſolveretur. Prolatæ namque fuerunt ab Jacobo Gronovio, in ſuo *Græcarum Antiquitatum* Volumine ſeptimo, in publicum emiſſo Lugduni Batavorum an. 1699. (pag. 233.) *Jacobi Sponii Ignotorum atque obſcurorum quorundam Deorum Aræ, notis illuſtratæ*; quod Opuſculum Sponius ipſe ediderat an. 1676. Verum inter *Miſcellanea* ſua (Sect. III. pag. noſtra 789.) *Eruditæ Antiquitatis*, quæ prodiere Lugduni an. 1685. Sponius iterum edidit illud Opuſculum: ſed multo auctius; cum in Editione prima Inſcriptiones XLIII. in hac altera (inter *Miſcellanea*) Editione Inſcriptiones CIII. numerentur; quin etiam in Editione hac & emendatius eſt illud Opuſculum, & pluribus obſervationibus eruditis ubique ornatius.

XIX. Itaque perſpicuum ſane fit, Gronovium inferentem ſuos in Theſauros Opuſculum illud, ei etiam generi ſtudiorum album calculum adjeciſſe: at, ſi Gronovio conveniens viſum eſt, rem ſuam ditare, atque uti Opuſculo illo, quod *Miſcellaneorum* particula eſt, cur nos *Miſcellaneis* integris, eam quoque particulam ampliorem comptioremque continentibus non uteremur? cur prætermittere ea debuiſſemus? Quod ſi, nihilominus, quis totam collectionem non probet; is, quæſo, reputet Theſauros non uni parari. Nunc jam argumento rei totius expoſito, de ipſis Sponii Operibus in Volumen hoc noſtrum relatis dicere, ut poſtulat inſtituta ratio, pergamus oportet.

XX. Ordiemur igitur ab *Rei Antiquariæ ſelectis Quæſtionibus*, quæ tributæ ſunt in Diſſertationes numero plures, nempe in triginta: atque ideo neque cuncta earum ſumma capita hic attingere poſſumus. Qui Præfationes ad Libros ſcribunt, id plerumque curant, ut eorundem contractam quandam veluti imaginem, quaſi in anteceſſum, Lectorum oculis ſubjiciant: at pro ratione Operis hujus neque primas lineas apte duceremus. Sufficiet indicaviſſe, Sponium eruditionis ſuæ magnum apparatum exprompſiſſe in modo propoſitis Diſſertationibus; ac de antiquis numiſmatis, inſcriptionibus, cælatis marmoribus, inſtrumentis variis, aliiſque monumentis, plurimis in locis exactam doctrinam, diligenteſque explicationes attuliſſe.

XXI. Quamvis autem multa exacte ſcripſerit & diligenter, nonnulla tamen notare poſſem, quæ vel operarum incuria, vel aliquo languore ſtudii ab Auctore impenſi, eas in Diſſertationes irrepſiſſe videntur. Cauſſa exempli, Plinium ille teſtem adhibet, nominatque *un certain* (Edit. Gallicæ pag. 114. cui reſpondet verſionis noſtræ pag. 433. E. *Aurelius*; cum ſcribi debuiſſet *Arellius*: ſunt enim Plinii in *Nat. Hiſt.* Lib. XXXV. Cap. 10. verba hæc: *Fuit & Arellius Romæ celeber* (pictor) *paullo ante Divum Auguſtum, niſi flagitio inſigni corrupiſſet artem &c.* Alibi (Edit. Gallicæ pag. 196. cui reſpondet verſionis noſtræ pag. 475. B.) ait idem Sponius; *la peinture du Temple de la Santé ---- ſi elle n'euſt eſte envelopée dans l'incendie du Temple de Claude.* Sed non de Templo Claudii, verum de tempore Claudii, ſive de Claudii principatu, Plinius locutus eſt. En Plinii locum ex ejus *Nat. Hiſt.* Lib. XXXV. Cap. 4.

Apud Romanos quoque honos mature huic arti (Picturæ) *contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, princepsque ejus cognominis ipse, ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ CCCCL. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta.* Ubi (Edit. Gallicæ pag. 313. nostræ pag. 533. C.) Jacobus noster de consulatu P. Licinii Crassi agit, ponit, ceu ex Orosio descriptum, Annum DCLXXII. At ab Orosio (cujus locus exstat in ejus Lib. x. Cap. 10.) Crassi consulatus perspicue refertur in *Annum ab Urbe condita DCXXII.* ut erat referendus. Injicit Sponius mentionem (Edit. Gallicæ pag. 420. & 428. nostræ, pag. 581. D. & 583. F.) Asclepiadis Medici, aitque; *Ciceron parle du Medecin Asclepiade comme d'un homme bien fait, & eloquent, & son intime amy.* Et verum quidem est, Ciceronem (Lib. I. *de Oratore*, Art. 14.) scripsisse, *Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus.* Sed animadvertere Sponius debuisset, eo loci Ciceronem induxisse Crassum de Oratoris arte loquentem; quamobrem plane esse intelligendum, non Ciceronis, sed Crassi Asclepiadem fuisse medicum atque amicum. Nonnulla hisce addere facile possem; & alia etiam profecto plura, quæ a viris doctis atque eruditis observata deprehendi.

XXII. Neque vero notarum ac animadversionum materies in hisce tantum *Dissertationibus* inventa est; verum etiam in *Miscellaneis*, ad quæ gradum facio. Et plures quidem viri peritia eruditionis antiquæ præstantes, (ubi tulit occasio) errores ab rerum quarundam novitate seu obscuritate Sponio *Miscellanea* conscribenti allatos, emendationibus aptis depulere. Raphael tamen Fabrettus (cujus labores indicari sane debent, ut Lectoribus utiles esse queant) in suis *Inscriptionibus Antiquis*, longe ceteros, animadversionum pondere & utilitatis ubertate, superavit. Locis plus quam quinquaginta medicam ille attulit manum; plures enim depravatas in Sponiano Opere Inscriptiones correxit, de quibusdam Diis meliora protulit, de nummis, de officiis antiquorum, de veteribus ædificiis, deque aliis ad illustrandam antiquitatem facientibus, nonnulla, ratione magis quidem emendata, restituit, ac promulgavit.

XXIII. Nollem tamen, quempiam propter hæc putare, se *magnas inter* Sponianas *opes inopem* esse. Nollem ex copia tanta paucis rejectis, reliqua plane innumera, veluti contagione corrupta, non attingi. Quis enim homo de plurimis, iisdemque haud perspicuis, rebus, ad eruditionem pertinentibus, scripsit, & nuspiam aliquid humani passus est? At contra, Sponii industria commendanda profecto est, cum ille in consepultis reliquiis priscorum operum perquirendis strenue adeo insudaverit, cum descripserit solerter, atque ita quasi restituerit, tot vetera monumenta fere deperdita, cum nulli pepercerit studio ut de bonis litteris bene mereretur. Porro Operum Sponii solida utilitas cognosci facile poterit vel ex eo uno, quod eorum loca, rebus suis apta, adhibuerint sedulo quicumque docti viri, post edita Opera illa, sunt in veterum monumentorum illustratione versati.

XXIV. Sed hæc mittam, viroſque imitatus ſapientes, attendam tritum ſermone proverbium; &, cum *vino vendibili non opus ſit hedera ſuſpenſa*, pluribus non neceſſariis probationibus minime utar in Operum Sponii manifeſta utilitate demonſtranda. Potius ea, quæ *Miſcellaneis* continentur, brevi aliqua ratione recenſendo percurram. Sunt illa in Sectiones diviſa, quæ decadem conficiunt. Quarum ex Prima petendæ utique ſunt variæ explicationes cujuſdam inſignis Græcæ Inſcriptionis, Sacrificiorum Fratrum Arvalium, Nuptiarum Cupidinis & Pſyches. Atque in eadem etiam agitur de Hermis, de Hermathenis, de Harpocrate, de Cymbalis, de Crotalis, ac de inſtrumentis quibuſdam aliis antiquis, demum de Diis Manibus. In Secunda vero perſpicue exhibentur, ſciteque enarrantur plura, quæ præſertim ad Gentilium numina referuntur.

XXV. De Tertia Sectione jam ſupra mentionem injecimus. Hic tamen præſtabit animadvertere, in eadem (pag. 821.) ad Numerum XXXII. qui inſcribitur *Clatræ*, delineatam, atque in æs inciſam, exhiberi *Tabulam æream*, quæ *Romæ apud Falerios* exſtabat: *ſubjecta* huic *Inſcriptio lingua antiqua* (ut Sponius ait) *Hetruſca ſcripta eſt, ut ex ſimilibus, quæ apud Gruterum exſtant, intelligitur; ſed qui eam interpretari poterit erit mihi magnus Apollo*. At poſt Sponium egregia multa de Inſcriptione illa ſcriptis prodidere viri doctiſſimi eruditiſſimique, primum Scipio Marchio Maffejus, tum vero Aloyſius Bourgetius, Marcelluſque Franciarinius; qui jure meritoque ſanxere, neminem in veteribus monumentis explicandis perſpicaciorem habendum eſſe, aut acutiorem Marchione Scipione Maffejo; is autem ad interpretationem Inſcriptionis illius a Sponio editæ aggreſſus fuerat, in eximio Opere ſuo, cui titulum fecit: *Degli Itali Primitivi Ragionamento* (Art. XVII.) Ubi obſervat, exhibitum ab Sponio monumentum fuiſſe deſcriptum ex Schedis Angeli Celotii, *qui omnium primus* (verba ſunt viri ſummi Noriſii Cardinalis, in *Epiſt. Conſ.* pag. 92.) *ſuperiori ſæculo erudita victoris gentium P. R. cimelia collegit*. Tum autem laudatus Maffejus reputat Inſcriptionem illam latina perantiqua lingua ſcriptam, atque deinde colligi poſſe, *Lerpirium Santirpium Duumvirum ex Formia* urbe fuiſſe, quam Lacedæmones ædificaſſe teſtatur Strabo; ex eorum autem regione in Italiam tranſmigraviſſe Pelaſgos, narrat Servius; *ac fortaſſe* (pergit idem Scipio) *Fufes* ille, *aut ſi mavis Judex fieri curavit, poſuitque illud monumentum ex voto Diis, in ea ærea Tabula, cælatis;* aliaque addit ſcitu quidem digniſſima. Sed quominus rem hanc pluribus perſequar, obſtat brevitas, cui ſtudere jam cogor.

XXVI. Quarta in Sectione, quæ *Illuſtrium Virorum Capita Monumentaque*, inſcribitur, refert (pag. 927.) Sponius noſter numiſma, quo *honoratum* fuiſſe *Sex. Julium Frontinum*, ait; pluraque deinceps (pag. 929.) de numiſmate eodem erudite magis, quam vere, ſubjecit. Ejuſdem vero figuram etiam in meis *Prolegomenis ad Frontini Commentarium de Aquæductibus Urbis Romæ* a me editum (an. 1722.) repræſentavi: atque in *Prolegomenis* iiſdem operam de-

di (pag. 14. §. 38. 39. 40.) ut de eo quædam ad rem plane facientia in medio ponerem. Ac inter cetera, ut evincerem, Frontino eum nummum tribui minime posse, firmum attuli argumentum; quod hic repetere ad illustrationem, aut (si mavis) ad emendationem commemorati Sponiani loci, non piget: *Jacobus*, scripseram, *Facciolatus, vir doctissimus, & de præclaris omnibus artibus, ac latina lingua, optime meritus, cum de hac re sermonem haberemus, animadvertit, Adrianum primum ex Rom. Imperatoribus barbam alere cœpisse; cujus deinde exemplum Principes ceteri, & tractu temporis privati quoque secuti sunt. Quamobrem Frontinus noster, qui circa medium Trajani principatum vita excessit, is non videtur esse posse, cujus caput barbatum exhibetur.* Demum articulum illum meum peregeram verbis hisce: *nolui prætermittere, quin illud caput (cujuscumque sit) descriptioni vitæ Frontini præfigerem.*

XXVII. Sed ut magis magisque propositus ille a Sponio nummus illustretur, nonnulla adjicere debeo, ab doctissimo Francisco Oudendorpio mandata litteris; qui ejusdem *Frontini Librorum quattuor Stratagematicon* egregiam editionem (an. 1731.) tum variorum tum suis annotationibus ornatam, curavit. Ad ejus Præfationis extremum leguntur hæc: *Finem hic facerem, Lector, nisi paucis verbis admonendus esses de nummo, per Doctiss. Polenum in Prolegom. §. 38. e Sponii Miscellaneis depicto: unde nos eum in Tabellam, tituli ornatricem, transsumsimus, simulque addi curavimus justissimum veræ nummi ænei formæ ectypum, ex compluribus, quos benigne nobis suggessit Clariss. Sig. Haverkampus, accurate delineatum. Scilicet diu inter se contenderunt viri docti, ipsiusne Frontini caput illic cernatur, an vero Jovis aliusve Dei. Sed quum Hadriani demum tempore barbam rursus alere cœperint Romani, caput autem hoc bene barbatum adpareat* (& hoc quidem illud est, quod in meis Prolegomenis, quæ etiam Cl. Oudendorpius una cum sua Frontiniana Editione iterum edidit, diligenter fuerat animadversum) *non video quo pacto nostri Frontini, qui sub Trajano jam decessit, caput dici quiverit: ut recte observarunt nonnulli: Jovis caput esse verius opinabantur Gallandius, qui primus, quod sciam, nummum produxit, & Ill. G. Cuperus in Monumentis Antiq. pag. 175. Quamquam posterior ibi non diffiteatur, alteri opinioni facere casum, ut vocant, Nominativum. Quippe Gallandius, & ex eo Sponius, aliique exhibuerunt, quasi in nummo legeretur* ΦΡΟΝΤΕΙΝΟϹ. *Atqui secure testari possum, me clare illic deprehendisse casum Dativum* ΦΡΟΝΤΕΙΝΩ. *Qua idcirco observatione totam litem dissolutam, & Jovis, vel, quod malim, quia nullo Jovis insigni agnoscendum est, Herculis apud Smyrnæos culti caput esse, facile jam concedent nummariæ rei periti.*

XXVIII. Sed ut ad Sponii nostri industrios atque frugiferos labores revertar, indicabo, Quintam ejus Operis Sectionem Geographicis rebus esse dicatam. Officia varia Antiquorum & Artes, nec non res ad Milites, remque Militarem pertinentes, Sexta & Septima continentur. Octava instruitur Inscriptionibus Cæsarum, & Imperatorum, quibus perpolitæ subjiciuntur explicationes. Neque dissimili ratione illustrantur postremæ Sectiones, Nona & Decima; quarum illa referuntur varia ad rem Funerariam, Amu-

leta,

leta, Bullas, Corollaria, Pondera, Toreumata, Teſſeras, ſpectantia; hæc vero inſigni Græcorum marmorum ſupellectile exornatur. Ut paucis omnia concludam, vel ex hoc uno Opere intelligi facile poteſt, quam late pateant veterum monumentorum uſus atque præſtantia.

XXIX. Nunc autem, poſtquam ad extremum Sponiani Operis ventum jam eſt; liceat ad ejus frontem regredi, quaſi tamen perfunctorie. Ei eſt ornamento repræſentatio antiquæ cujuſdam Picturæ in æs inciſa, quam hoc loco ſubjeci.

Pictura antiqua prope Amphitheatrum Romæ reperta, ex I. P. Bellorii vestigiis veteris Romæ.



Lictores aliiq. ministri et milites præcedunt triumphantem Romam, quam coronat à tergo victoria

Sponius enim eam mutuatus fuerat ab Jo. Petri Bellorii *Veſtigiis Veteris Romæ*, qui eadem primam ſui Operis paginam decoraverat: ſed Grævius, qui Fragmenta illa in Volumine ſuo quarto (pag. 1955.) deſcripſit, prætermiſerat. Itaque eam hic duplici cauſſa reſtitui.

XXX. Demum ſupereſt, ut quandam dubitationem, quæ menti meæ cœpit obverſari, tollam atque expellam. Memineram, me decimo octavo in Articulo ſcripſiſſe, *Quæſtiones* & *Miſcellanea* ita eſſe inter ſe apta atque connexa, ut viderentur nullo modo eſſe ſejungenda. At deinceps memoria repetens loca quædam tum illis, tum hiſce comprehenſa, veritus ſum, ne quis, propter ea, quæ quodammodo ex *Quæſtionibus* in *Miſcellanea* ſunt derivata, reputaret, res eaſdem quaſi bis exhibitas, & Opera illa non connexa modo eſſe, verum etiam eſſe nimis congruentia; atque ideo *Quæſtiones* uſu carere. Sed ſiquis loca illa, quæ videntur geminata, ſedulo conferet, facile deprehendet, ea ſibi invicem lucem afferre, nec altera ab alteris ſeparari fide bona potuiſſe. Nolo id pluribus oſtendere, ne ſine cauſſa longior ſim. Vale.

Patavii. Nonis Juliis. CIↃ IↃ CCXXXVIIII.

SERIES SCRIPTORUM

Qui Quarto Volumine Novorum Supplementorum utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque continentur.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolato: *Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova Supplementa Tom. IV.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, & buoni Costumi, concedemo Licenza a Gio: Battista Pasquali Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. primo Agosto 1739.

(Z. Pietro Pasqualigo Reff.

(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Reff.

(Daniel Bragadin Kav. Proc. Reff.

Agostino Gadaldini Secretario.

DISSERTATIONES, SIVE EPISTOLÆ MUTUÆ.

I.

Viro Nobilissimo, & Amplissimo

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.



Erecundari soleo, quoties ad magnos & doctos viros mihi scribendum est, quod ingenium tenue in impari commercio facile ruborem contrahat.

Neque hanc verecundiam deposui penitus, cum ad Te Vir Nobiliss. has exarandas sumsi; licet enim toties mea tibi placere significaveris, meumque fuisset tantam benevolentiam tuam exosculari, & signum aliquod grati animi ad te mittere, haud tamen ausus fui ipsi humanitati me credere, nisi Legati vestri hic residentis Dn. Cuystii monita & incitamenta me persuasissent. In eum igitur omnis culpa recidet, si quid peccatum est. Novi enim & publicas & privatas curas te distrahere, quibus dandum erat, ne otio tuo in his meis legendis abuterer. Quæsivisti tamen, Vir Nobilissime, quod solent viri eruditi, quid nunc agam, & quid scribam, & quid moliar. Magnum scias me suscepisse negotium, & jam a pluribus annis Chronicon Civitatis hujus Hamburgensis congessisse, cujus tomum 15. nunc præ manibus habeo, vernacula lingua scriptum, ut intelligant posteri quid scripserim, nec ad interpretes confugere opus habeant. Ut Lehmannus Chronicon Spirense tractavit, eadem ratione & ego hoc Hamburgense; sæpius ad antiquitatem recurrere oportet, ut exinde mores hujus populi eruas & doceas: & ecce, dum in vestitum Senatus Hamburgensis incidi, doceo quid sint Paldones vel Faldones, rugatæ vestes, balthea, & quomodo quidque qua ætate ad Hamburgenses pervenerit; Roccum sed baltheum præprimis, antiquissima fuisse nomina Celtarum, hoc est Germanorum, a quibus ista vox civitate Romana donata cum usu cingendi ad eos pervenerit. Nam prius Romanos cincturam Græcam a collo dextro ad latus sinistrum adhibuisse, illi cingulo pharetras, & gladios affixos hæsisse, & gladium quidem ad dextrum latus; at cum balthea Celtarum vidissent, & exinde machæras pependisse catenis ferreis, nimis quam placuit Romanis, gladiosque ex eo tempore ad sinistrum alligarunt latus, quod hujus balthei usus & gladii longe promtior & facilior esset; quam ἐπ' ὤμῳ, ut Homerus ait, evaginandum gestare. Et sic de cœteris. Ubi de consulibus Hamburgensium locus scribendi se præbet, Antonius Pagi nonnunquam notatur, & quid veri subsit, quid minus, haud puto extra orbitam esse, ut indicem. In his sum cum otio frui licet. De Marquardo Gudio scire quoque aves quid evenerit ejus post obitum instructissimæ Bibliothecæ; transiit ad filium, heredem impuberem, & ad Tutores. Erat Gudius mihi dum viveret amicissimus, dum Hamburgi substitit, etiam familiaris, sed in tanta ubertate ingenii, Bibliothecæ, & fortunarum, tenacissimus, & attentissimus, quæ scabies etiam ingenium contigit: nam citius e pumice aquam elicere dabatur, quam ab ipso scriptum aliquod; nihil unquam edidit, quod sciam, nisi dissertatiunculam de Clinicis veteris Ecclesiæ quam nec absolvit satis. Membranis maximi pretii auxit MSSta sua per legatum Serenissimi Principis Furstenbergii Episcopi Paterbornensis & Monasteriensis, ad quem legatus iverat jussu Regis Daniæ Augusti nostri. Multum ex Manuscriptis ipsius fructum, & gaudium tuli, dum Hamburgi viveret, sed nihil me magis recreavit, quam bibliothecam ipsius Aldinam perlustrare. Aldus enim cum plurimos Scriptores recuderit, illæque editiones cœteris correctiores omnibus præstent, peculiarem horum Scriptorum Bibliothecam adornaverat; quod in Hetruria didicerat, Medicæam imitatus bibliothecam, in qua Aldinæ editiones locum peculiarem sortitæ sunt. Catalogum vix sperare licet, cum sub Tutoribus versetur, & maximum laborem requirat. Ignosces igitur oro, quod molestiam hanc Epistolæ indoctæ legendæ tibi obtrudam, eo tamen animo hoc factum credas, ut sim

Nobilissime Vir

Tibi Addictissimus.

Hamburgi a. d. XVIII. Februar. An. Ær. Chr. CIↃ IↃ C XC.

II.

Amplissimo & præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Recte ad me curavit D. Cuystius litteras tuas, Vir amplissime, atque ego ex earum lectione singularem voluptatem cepi; id quod etiam faciebat clarissimus Grævius, cum quo me febricitantem invisente easdem communicavi die solis proximo.

Nunquam autem abuteris otio meo; acceptissimæque semper venient mihi tuæ epistolæ. Nam licet multis iisque gravissimis rebus sim occupatus, partem tamen temporis Reipublicæ litterariæ subinde do; & virorum doctorum, quorum magna pars es, litteræ fessum sæpe animum meum recreant & refocillant.

Egregia procul dubio erunt, quæ de Paldoni-

bus vel Faldonibus, de cinctura Græca & Celtica, deque Coss. Hamburgensibus monebis in ejusdem emporii Chronicis. Cum autem illa, id quod certe nequaquam improbo, lingua conscribantur Germanica, vide, quæso, & perpende, num famæ tuæ consulturus non sis summopere, si Antiquitates Romanas vel Græcas, quas in tam ingenti opere illustrabis, Latine in varias dissertationes digestas edas. Nihil certe peribit operi primario; nec Chronica Urbis Hamburgensis inde aliquod damnum sentient; sed qui linguam tibi vernaculam ignorant, cognoscent clarius vetustos ritus, & magis magisque admirabuntur eruditionem tuam.

Gudium juvenis admodum hoc in oppido, & in Foro Adriani habitantem cognovi; vidique apud ipsum multos manu exaratos libros, inscriptiones ἀνεκδότους, notas in Phædrum, & alia quæ recondita servabat præclara. Sed erat & tunc tenax valde, immortuusque est tantis thesauris, quo certe nomine eum non laudatum iri aliquando vel Æsopii apologi, quos a Phædro politis versibus alligatos illustravit, docere virum debuissent.

Præter dissertationem de Clinicis Ecclesiæ Veteris sub Bosii nomine publicatam, edidit Lutetiæ Parisiorum an. 1661. Hippolytum de Anti-Christo Græce, qua de editione quid sentiat emunctæ naris vir Faber Tanaquillus, patet ex ejus epistolis.

A Nicolao Bono JCto Veneto nuper litteras accepi, in quibus ille mihi occasione politissimi libelli tui varia Furiæ Tranquillinæ numismata recenset; quæ quidem raritatis eximiæ sunt, sed tamen tuo illi, mea ex sententia, nequaquam conferenda. Utinam, utinam similis notæ κειμήλια edere & docte adeo illustrare velles! multum revera eo nomine debebit tibi Antiquitas; quæ nunc tota Europa, habent enim artes & studia fata sua, caput veluti exerit: ego certe nomen meum inter debitores eos profiteor; quippe qui rebus vetustis delecter admodum, iisque occupationes meas distinguam.

Expecto Constantinopoli & Smyrna rarioris notæ nummos; estque mihi haud pœnitenda ineditarum omnis generis antiquitatum sylloge, & inter eas variæ inscriptiones, quæ nos res præclarissimas, sive historiam, sive ævi veteris ritus spectes, docent. Omne hoc, quicquid est digero & illustro, quantum per negotia licet; & unam alteramque inscriptionem videbis insertam notis meis in Lactantium de Mortibus Persequutorum; qui aureus libellus Trajectinorum cum maxime præla exercet.

Vale, Vir præstantissime

Hagæ-Com. XVIII. Martii 1690.

III.

Vir Nobilissime, & Amplissime

GISBERTI CUPERE

S. Pl.

EXosculatus fui litteras tuas gratissimas, quas nomine Tuo Dn. Cuystius mihi obtulit. Illud me angit quod citius respondere non licuerit. Abripiunt invitum me varia, interim tempus labitur; opto, ne moram illam sentias, neque gratas eo minus fuisse tuas aut futuras æstimes, compensaturus ubi potero.

Quod vero mones de edendis quibusdam, & sine damno Chronici mei hæc lucem adspicere posse, recte quidem sentis, cum eo fine hæc assuantur, ut in promptu habeam si quid differendum sit; quis tamen hæc otia faciet? Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς exspectare necesse est: sunt præterea Typographi nostri averso in tales conatus animo, lucro nimis inhiant, quod ex vilibus & obviis parari norunt, non ex meis, quæ sordent; nec diffiteor, tenuitatis mihi meæ conscius. Plura sunt, quæ me absterrent, doctissimorum inprimis hodie Virorum in scribendo solertia, quorum otio frui satius esse duco, quam fama mea, cujus dispendium facile scribendo contrahitur. Impense nimis me amas, si mea credis aliquid esse, aut cum eruditis tuis aliorumve scriptis stare posse; nunquam ingenium ad primas, & tam opimas laudes comparatum habui. De Inscriptionibus & antiquitatibus Romanis & Græcis, quas colligis & digeris, mentionem injecisti; venustum opus; cujus desiderio jam multos affligere potes, vide ne etiam eneces; fac potius cito prodeant, hæc quippe juvant & beant etiam: quotquot eruditionem amant tibi devinctos, me quam maxime, habebis. Ego dum lapides eorumque inscriptiones examinare contigit Hamburgenses, quando cœperint lapides Christianorum in his oris, monstravi, & vix ante seculum decimum quartum reperiri ullos; qua ratione ante hoc tempus Christiani memoriam sui conservarint adjunxi, quomodo Epitaphia quæ suspenduntur ad eam, quam hodie ostendunt, luxuriam pervenerint, quid olim fuerint, vel non fuerint, & quam ficta multa nobis obtruserint docti indoctique. Nec præterii gentilium Saxonum lapides & ustrinas, cum adhuc hodie supersint, sed sine inscriptionibus; Riesenbetten nobis dicuntur, prægrandibus cincta lapidibus monumenta: unde quoque inquisivi in monumenta Danica & borealia cœtera, quæ Runicis litteris inscripta supersunt, ultimamque vetustatem hactenus toti orbi jactarunt: docui ad unum omnia Christianorum temporibus esse inscripta, nec ætatem majorem illis adscribi posse, quam post Saxonis Grammatici tempora, qui Anno 1204. aut 1207. obiit. Signa hujus rei mihi sunt certissima, quæ fallere nequeunt, sed παράδοξον hoc est ipsis Borealibus, qui vix sine camarina hæc audiunt. Et quoniam de Inscriptionibus sermo est, cuperem scire, an inscriptiones Romanas aut Græcas observaveris, in quibus litteræ ipsæ exstantes fuerint & ἀνάγλυφοι, prout hodie in lapidibus nostris solent exsculpi. Quot quot ego vidi antiquos & Ethnicos litteras habuerunt ἐγγλύφους; omnes Runicæ ἔγγλυφοι sunt; quas etiam stanno vel orichalco implere postera docuit ætas. Quin & illud doceri peterem, num in Hollandia vestra uliginosæ effodiantur urnæ, num tales lecti aut tumuli lapidibus stipati illic quoque inveniantur, prout apud nos frequentes sunt. In Ultrajectino agro memini, cum juvenis studiorum causa illic viverem, me tumulos observasse, sed fugitivo saltem oculo. Smetius quoque produxit urnas, Ubbo Emmius de Frisicis tumulis testatur, & congerie lapidum. Hollandicos nusquam lego, nec animadverti, dum in Batavis egi, ejusmodi σήματα: tuum oraculum exspecto. Contexui libellum de fœminis eruditis, & quæ scriptis claræ fuerunt, inter quas quoque Belgicæ comparent, Apollonia a Veen, la Comtesse d'Aranda, Anna Binsia, Antonett. Bourignon, Ursula Cantera, Maria Jersey Gornacensis, Anna Hooghewants, Morelli filiæ, Anna & Thessela Roemeriæ, & M. Sohurmannia, Maria Tesselschade, Anna Utenhofia: cum tibi plures suggerere vacat, rem mihi gratam facies.

Egregie mihi placuit nummus tuus; quem olim explicasti in observationibus l. 1. p. m. 102. Tuum dico, quod nemo Te felicius illum explicatum dederit, nec puto Tibicinum φορβείας ullo exemplo clarius illustrari potuisse. Sed paginam alteram istius nummi vellem addidisses, ut an Græce quid inscriptum habuerit, cognoscere possem; nam Schotti notæ mihi desiderantur & si integrum nummum Schottus attulisset; credo te quoque integrum producere voluisse; quare si faciem alteram nummi nosti, vel ejus iconem aliunde nancisci potes, noli omittere; est enim nummus iste peculiaris antiquitatis, & ex rarioribus Græcis. Nescis etiam, quid gaudii in præcordiis meis excitaveris, dum Constantinopoli & Smyrna nummos Tibi allatos iri significasti. Utinam incideris in probos, non in venaliciarios istos mangones, qui desideria nostra tot artibus circumvenire solent.

Jucundum quoque fuit de Dn. Grævio ex te cognoscere; novem nunc anni sunt, cum ipsum Ultrajecti in ædibus ipsius conveni ex Gallia redux cum Dominis Buchwaldiis, quorum studiis tunc præeram. Non dubito, quin suis in Ciceronem notis absolutis & editis ad elegantias alias pergat, qui omnium in eruditione elegantiarum parens est: at male me habuit Tibi febricitanti quod illæ meæ occurrerint; ut vero hæ Te videant cum valetudine in gratiam rediisse voveo; & si Dn. Grævius adhuc Tecum versatur, sine salute dicta & officiis meis oblatis ne ipsum dimittas: quod & cum ad ipsum scribes, ut facias peto. Si posset Gronovii patris vitæ compendium aliquod impetrari, quando natus, qua fortuna usus, quamdiu Daventriæ, Lugduni Bat. docuerit, quæ ejus scripta, quo matrimonio usus fuerit, & quando & quomodo vita exierit, magnam inibis a me gratiam. Præceptor olim meus in Academia Lugd. Bat. fuit, cujus manes veneror, sed vel maxime locus honoratior ipsi debetur in Chronicis meis, quod Hamburgi natus inter illustres hujus civitatis viros recenseri mereatur. Ne oneri hoc sit quod peto. Vale. Dabam Hamb. ad d. XXVIII. Martii Juliani Anno Ær. Christ. CIↃ IↃ C XC.

IV.

Amplissimo Eruditissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS

Occupatione mea factum est, quo minus ante hunc diem litteris tuis humanissimis atque doctissimis respondere potuerim. Larvam te detracturum Inscriptionibus Runicis, & probaturum eas tantæ vetustatis non esse, quantam ipsis Septentrio tribuit, cum voluptate intelligam olim. Sed tamen multos eosque eruditionis spectatæ Viros habebis adversarios, & in primis Rudbeckium, cujus secundus Atlanticorum tomus commodum prodiit in lucem. Nec ingratum tibi fore confido, etsi ipse ἄμυσος, & borealium antiquitatum ignarus licet sim, quæstionem ponam. Si Inscriptiones Runicæ non sunt vetustiores Christianorum temporibus, imo posteriores Saxone Grammatico, sequi videtur, ante illa tempora in Septentrione rerum gestarum memoriam Saxis non fuisse inscriptam, & gentiles illum morem Christianis acceptum referre debere; quin & Christi doctrina Salutaris diu ante Saxonem eos in tractus illata est; adeo ut excedere debeant Grammatici illius ætatem. Sed hæc tu observasti & conciliasti proculdubio.

Inscriptiones nullas nisi ἐγγλύφως observavi, nec puto contraria exempla in omni antiquitate Romana vel Græca inveniri.

In Hollandia, quod equidem sciam, non effodiuntur urnæ; in locis tamen, quæ Romani præsidio tenuerunt, quorum e numero est *Forum Hadriani*, hodie *Voorburg*, & *Prætorium Agrippinæ* h. Roomburg, nummi atque aliæ antiquitates reperiuntur; & ne dubitandum quidem est, quin Romani his etiam in regionibus cadaverum reliquias urnis condiderint; & vasculum vitreum in Hadriani foro inventum, atque antiquitatibus Batavicis insertum a P. Scriverio, verosimile est illi usui inservisse.

Tumulorum ex lapidibus congestis, & in cameram dispositis nulla hic exstant vestigia; sed quidem in Drenthia, quæ Regio Frisiæ & Groningano agro vicina est. Ipse eos vidi & arbitror de iisdem loqui Ubbonem Emmium; neque enim in Frisia ejusmodi monumenta observavi unquam; incolæ, *Hune-bedden*, q. d. lectos Hunnorum, vocant, deque iis agit Johannes Picartius in annalibus, quos patria lingua composuit, Drenthiæ; qui tamen caute & cum judicio legendus est.

Fœminas eruditas in Belgica hac nostra nullas memini floruisse, præter eas, quarum memoriam te conservaturum significas, & ego quidem de nonnullis earum nihil inaudieram unquam; adeo ut & hic verum illud verbum fiat: οὐκ ἐςὶ προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι.

Ectypum, quem pag. 105. observationum explicavi, Schotto debeo; sed ille non ex nummo est petitus; verum caput est Sigillioli ænei operis antiqui, quod olim penes Duum-Virum Augustanum, M. Velserum fuit; uti non modo patet ex Schotti notis, verum etiam ex Salmasio Tom. 2. Plin. Exerc. p. 833. qui etiam tibicinem, vel Marsyam repræsentari existimat. Quemadmodum tunc temporis ignorabam, virum magnum hoc occupasse; ita nescio, qui mihi in mentem venerit, figuram hanc ex nummo desumptam esse; sed juvenis admodum eram, & donandum hoc sphalma cum aliis est illi ætati.

Gronovii patris vita edita non est, quod equidem sciam; sed operam do, ut nanciscar nonnulla, quæ tibi satisfacere queant; si mihi cum filio tam præclari viri familiaritas intercederet, nihil forte desiderares.

Isis tua elegans valde est; utinam Ludolphus Inscriptionem nobis explicare posset! eum non desinam hortari, & quicquid miserit tecum continuo communicabo. Vale plurimum. Hagæ-Com. a. d. IV. Non. Jun. CIↃ IↃ C LXXXX.

V.

Viro Nobilissimo & Amplissimo Dn.

GISB. CUPERO

S. Pl.

Gratissimæ fuerunt Tuæ, quas ad d. IV. Non. Junii ad me dedisti. Haud equidem fas esse puto Te cum ὀψικάρποις, & serotinis meis semper conflictari, sed ita comparatos habui hos menses, ut meus esse nequaquam potuerim, aut amicorum, quorum quia omnia sunt communia, Tu quoque moras has, illarumque partem ferre cogeris, me licet invito.

Non autem est, quod in Runica literatura doctissimum timeam Rudbeckium; nihil ille quidem, quod sciam, neque in primo, neque in secundo At-

lanticæ suæ tomo produxit, quod Runicam Scripturam vetustiorem ætate Christianorum evincere solide queat; atque ut deditus est suæ gentis honori, quod laudo, ita quod ab incunabulis ipsis populi antiquissimi, artem scribendi ipsis elimatam fuisse, cum multis scribat & sentiat, haud statim approbare potero, cum sciam verissimum esse, quod Ælianus alicubi scripsit, populos boreales turpissimum usque duxisse per scripta & scripturam proficere; illis multum & diu placuit τὸ μυθικὸν, & fabulis delectati sunt, quæ sane vocabula nihil fictum origine sua significarunt, non magis quam confabulari aut sermocinari, sed scholæ ejusmodi, in quibus res gestæ majorum confabulando repetebantur, ediscebantur & tradebantur posteris, a patre liberis, a magistro discipulis, non unquam scribebantur. Quam discendi methodum cum carmina & cantilenæ nimis quam juverint, hinc est quod vetustissima secula in carminibus omnem eruditionem posuerint. Horatius & Persius quando dixerunt, *fabula fies*; & alibi: *Heu me! per urbem fabula quanta fui*, non significat, ficta de ipso evulgari; sed ipsius facta in ore omnium versari, & judiciis omnium exponi. Atque sic intelligimus quid fuerint secula μυθικά, non quæ figmenta commentitia consensu quodam & studio sectabantur, sed ubi veritatis amantissimi homines traditionibus non vero scriptis res præclare gestas memoriæ prodiderunt, ita ut *van Mond tot Mond* sermonibus elaboratissimis irent. Hanc quoque ob causam Comœdiæ fabulæ dictæ sunt, haud quod multa fingat scena, ut pote quod de se vitium nemo facile jactat, vel prædicari finit, sed quod invicem sermones edant, & strenue confabulentur illic homines. Itali sane, in hodiernum usque diem, linguam, sermonem, omnesque fabulandi & fandi artes proprie *fabulam* & *fabellam* vocant, teste libello: *Le Origini della volgar Toscana Favella per Celso*, & lexicis Italicis. Tacitus quoque cum suo seculo de Germanorum carminibus non tacuerit, quæ cani & recitari, dum in Germania substitit, non semel percepit, sed & explicari sibi de Manno, de Tuiscone, de Hertha aliisque voluit; monuit nihilominus ea carmina nequaquam ipsis scripta, aut scripto exhibita fuisse, quia secreta literarum, quotquot sunt Germani, tunc penitus ignorabant. Igitur Suiones quoque, quos Germanis annumeravit; aut si soli Suiones scriptis & literis clari fuissent, quid non putas Tacitum de hac solertia scribere voluisse? Qui Tacitum secuti sunt scriptores, eadem de populis his borealibus diu narrarunt, & quomodo ad scribendum non accesserint, quam se dignam nequaquam arbitrati sunt artem, sed ad ignavos & stupidos pertinere credebant his immorari, aut ab his auxilium petere. Nimirum haud illi recte satis consideraruot voces nostras emissas in alterius ore protinus immutari, & varias formas in Protei morem induere, adeoque eundo crescere, ut si ad primum redirent autorem, ipse jam suam nequaquam agnosceret Historiam; sed mera commenta, figmenta, nugas & gerras subnatas fuisse videret & miraretur; vix enim quod per tot ora hominum volitat aliud quid relinquit; ita ut nihil mihi nunc mirum sit, ejusmodi traditiones, fabulas, & μύθους post longam ætatem totque mutationes inter figmenta locum ac nomen sumsisse. Nullo igitur argumento nititur aut Rudbeckius, aut alii, in scriptura Runica borealium, quam quod Gotthi in Thracia, quibus Ulphilas Episcopus præfuit, istam literaturam suam domo secum adsportarint, id quod tamen sine teste credi sibi volunt, & mihi plane fidem non faciunt. At prolixum nimis erit his confutandis nunc insudare, ne Epistolii modum excedam, & humanitati tuæ tædium objiciam. Nec scripta borealium, quæ laudantur, ejus sunt ætatis, sed si mihi offerantur examinanda, oculisque solum subjiciantur, næ ego faciam, ut fateantur ipsi, nullum eorum octingentos annos excedere, hoc est, in scripta redacta esse, postquam Christianæ religionis asseclæ facti sunt, omnesque illos scriptores Christianos fuisse. Religio Christiana in causa fuit, cur veterem morem, sine scriptura docere, tandem abolere coacti fuerint; haud enim conveniebat de rebus divinis, ubi nec apicem mutare fas est, ἐν λέσχῃ sedere & traditionibus indulgere, sed ex verbo Dei scripto quidquid discendum erat, petere debebant, & quæ retinenda erant, scriptis tradere, ne sensus perverteretur, & in fabulas irent sacro-sancta mysteria. Quod de Saxone Grammatico tradidi, ipsius ætate nullos lapides sepulchrales inscriptos extitisse, nondum me pœnitet scripsisse. Neque enim omisisset Grammaticus unum vel alterum proferre, si sua ætate reperisset, qui reliquorum monumentorum nulla præteriit; nam & Thylensium præ primis, in Annalibus conficiendis & conscribendis industriam deprædicat, & carmina Danorum veterum, ubi potuit, recensuit, & rupis Haraldinæ inscriptæ meminit, cujus literas adhuc sua ætate prominuisse scripsit, licet legi amplius non potuerint. Sed observandum, hunc locum & hanc rupem inscriptam incolis Runemoe dictam esse, quasi Virginem Runicam, quod sola Runis inscripta esset de rebus gestis loquens, non de obitu regis alicujus. Eadem ratione lapides alios in Finlandia commemorat in victoriæ signum positos & literis ornatos, non cujusquam diem emortualem consignantes: ita ut verum sit, ante ipsius ætatem scripsisse, sculpsisse quam plures; at sepulchris etiam ejusmodi inscriptiones in lapidibus additas fuisse, plane nescivit, ideoque de illis ex Saxone testimonium nullum superest, quod illas unquam viderit: vidisset autem, legisset, utique & commemorasset, prout rem notatu dignissimam in propatulo positam, & tot seculis usitatam Vir inter Danos in Selandia natus, educatus, & in omni literatura usque ad elegantiam doctissimus & versatissimus, si tale quid observasset: quibus rationibus facile me persuadere posse puto, Saxonis ætate inscriptiones nullas sepulchrales extitisse, sed post eum demum enatas fuisse, id quod ad quæstionem tuam solvendam, quam movisti, edisserere debui, ut, si quis porro scrupulus hæret, illum eximam, tibique satis faciam.

Interea nihil verius unquam afferre potuisti, quam huic sententiæ meæ plurimos, etiam optimæ eruditionis Viros, adversaturos; nam sicut nova est, nec hactenus cuiquam in mentem venit, ita fronte prima stomachabundi & nauseantes vix dicta mea digerent, & lapides mihi loquentur, nec rationes admittent in re hactenus nulli unquam in dubium vocata. Ast ubi detepuit impetus, & æquo Marte, hoc est rationibus non barbaris aut semidoctis, pugnare incipient, jam & ego illos, & illi me audient, scio. Antiquitate judice in antiquis certabimus, non ut vincam, sed ut defendam: si quis autem mihi obducat, qui heri nudiusque tertius scripserunt, & somnia sua nobis narrarunt, ac cum illis insanire me volunt, illos suo relinquam opus est ingenio.

Mitto effigiem Alberti Crantzii, quam vitæ ipsius præmitto, ubi illam edere continget, sicut paravi. Atque sic valere te jubeo athletice & pancratice, meque habebis semper

Tibi addictissimum.

Hamb. ad d. IV. Julii
A. ær. Chr. CIƆ IƆ C XC.

A VI.

Amplissimo præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

SUmmam accepi voluptatem ex litteris, quas ad me Julio mense proximo dedisti, iisque citius respondissem, nisi rerum privatarum cura me
B per ipsas x. hebdomadas detinuisset in Gelris & Transisalanis, Multum autem imo plurimum me tibi debere confiteor; quod amice atque erudite adeo ultimæ meæ epistolæ responderis; & magnum inde desiderium me tenet cognoscendi ea quæ de litteris Runicis publicabis olim; multumque τὸ ἀκριβὲς judicii & βαθύτης ingenii tui detrahet proculdubio de earum antiquitate, si non fabulosa plane, attamen nimia. Et facile equidem largior, scripta Borealium non ejus esse ætatis, quam illis tribuunt eruditi; dumque Islandorum Eddam per curro, vix aliud credere possum, quam librum il-
C lum compositum esse magnam partem ex Græcorum fabulis, & ab homine forte Christiano, qui Hygini aliorumque Mythologorum curas diligenter evolverat; eumque miscuisse illis, quæ apud Boreales veluti παλαιοπαράδοτα de Heroibus Septentrionis narrabantur vel cantabantur; quod unicum annalium genus iis in regionibus fuisse Tacito auctore asseverare tecum audeo.

Quæ de lapidibus Sepulchralibus Saxonis Grammatici tempore nondum extantibus commentaris, valde mihi arrident, & quanquam occupatione mea fiat, quo minus diligentius eam in rem inquirere possim, tamen facile assentior tibi, vir Am
D pliss. ut pote, qui Borealium antiquitatum, omnisque eruditionis promus condus sis. Crantzii vultum cum singulari voluptate inspexi; & mecum sæpe puto, quæ vir tam doctus & diligens non præstitisset, si felicioribus sæculis fuisset natus? Accipe vitam Joh. Frid. Gronovii, quam ille ipse catalogo Professorum Daventriensium inscripsit. Lugduni postea Batavorum vel edidit, vel recognovit, Livium 3. Volum. 1665. Observationum lib. III. 1662. De Centesimis & Usuris, Mantissamque pecuniæ Veteris 1661. De Centesimis Usuris & Fœnere unciario, 1664. post mortem filii publicarunt orationem de lege Regia; Livium recognitum, cui
E editioni Jacob. Gronovius notas suas adjecit patrisque vel auxit, vel delevit, vel mutavit subinde. A. Gellium cum notis & emendat. in libros 9. priores a. 1687. jamque in eo dicuntur esse, ut publicaturi sint propediem auctum valde, librum de Sesteriis, vel pecunia veterum. Iisdem tuam nobis explicaturam spero Jobum Ludolfum; & feret a me propediem ectypum pulcherrimi amuleti, quod olim in aula Imp. Turcarum servatum Constantinopoli ad me missum fuit; habebitque vir præstantis eruditionis, in quo sese exercere queat. Est orbis ex chalybe, ut videtur, prægrandis, ab una parte Zodiaci signis in circulum dispositis insignis: ab alte-
F ra parte serpentes bini, scorpio, & aliud animal, characteres diversi, nec non Arabicæ, vel Hebraicæ vel aliæ voces visuntur. Et quanquam haud absque ratione existimem, fuisse illud pro orientalium anili superstitione animalibus venenatis arcendis factum; tamen credo neminem melius Ludolfo ænigmata hæc explicaturum; & summopere cognoscere desidero, quæ mysteria tam elegans amuletum, cui nullum simile Julius Richeltus vel Gaffarellus exhibent, complectatur. Vale plurimum Vir amplissime. Hagæ-Com. a. d. IV. Non. Novemb. CIↃ D C LXXXX.

VII.

Viro Nobilissimo & Amplissimo

GISBERTO CUPERO

S. D.

O. SPERLINGIUS.

POst tot menses ad Te nunc redeo, Vir summe; sed quomodo ausim ἄνευ προοιμίου; causam dicere debeo tanti silentii, & orator fieri, ut exorem ne succenseas, aut in sequiorem partem interpreteris tantam moram, qua in commerciis litterariis nullum crimen magis est capitale. Jussus sum a mense Augusto anni jam elapsi Augustissimi Regis aulam sequi, itinera quædam subire, negotiis demandatis superesse; nihil dicam amplius; nosti cœtera, quam hæc tarde & lente procedant, etiamsi simus occupatissimi: Nondum dimitti possum ad meos & mea. Obtulere mihi Juris & Historiæ Professionem in Regia Academia Illustribus & Nobilissimis Adolescentibus erigenda, prout olim Tubingæ, nuper vero Volfferbyti in Ducatu Brunsvicensi introductam legisti forte, quibus Sorana nostra non cedebat, dum Meursius & Pontanus aliique elegantes Viri illic docebant. Ego adhuc deliberandum sumsi, quod mutari multa sciam in his, quæ Aulæ consiliis agitantur. Interim quod Rex Clementissimus etiam nummos rariores in deliciis habeat, magnumque illorum thesaurum congesserit, demandata est mihi provincia, nummos Regum Daniæ describendi, triumphales illos, Natalitios, Votivos, festivos & funebres, qui rebus gestis sunt cumulatissimi. Vidisti la France Metallique, la Hollande Metallique; & Papas ex nummis suis, quibus nuper accessit Louys le Grand per Dn. de Menestrier, ex nummis & inscriptionibus. In his nunc sum; nisi publica Regem præpedient, & moræ aliæ nascentur, in me mora non erit. Occurrerunt mihi dum has gazas perlustro, nummi quidam aureis literis plane Runicis inscripti, ad Ducati fere pondus omnes, quorum meminerunt D. Thomas Bartholinus Senior in Actis Medicis, & filius ejus Tho. Bartholinus junior in Antiquitatibus Danicis, quem Virum nuper amisimus immatura morte, non sine rei litterariæ damno: erat enim antiquitatum studiosissimus, & Historiæ. Ejus Bibliotheca libris elegantissimis referta vendetur hic publice ad d XV. Junii. st. v. Si Catalogum desideras mittetur, modo commoda detur occasio. Sunt hic vestri legati, Dn. de Amerongen & Dn. de Goes: si per illos hoc curari vis, jube. Servabo Tibi exemplar. In his nummis litteræ Runicæ, licet figura sit eadem, non consentiunt cum nostris, ut legi aut intelligi possint; unde alibi cusos statuo, quamvis hactenus omnes in Dania procusos arbitrati sint, & inter amuleta posuerint, quod reperiantur plerumque cum ansulis, quibus appendi possint. Ego sententiam aliam foveo, & a Gothis in Hispania quondam prodiisse sentio, siquidem nummos, quorum Augustinus protulit aliquos & nescivit Gothicos esse, quoad literas & Runas similes omnino deprehendo. Habent hi nummi aurei hoc peculiare, quod una parte solum cusi, altera cavi sint, id quod in nummis argenteis & æreolis quamplurimis Constantinopolitanis, Germanicisque dudum observavi; nescio num Belgæ vestri aliquando talibus usi sint: In Germania a secu-

lo xiv. obtinuerunt, & denarios solidos his nummulis cavis subdiviserunt, & Vierlinge vocarunt Hamburgi, quot quatuor tales cavi solidum denarium efficerent, quamvis Henrici Leonis nummum argenteum, cavum eadem ratione, viderim; & exstat apud Meybomium in Irmensula, aut alio quodam ejus opere: nam non recte memini. In auro cavos ejus ponderis & molis nondum videram; unde mihi cum doctis quibusdam in Hispania commercium esse vellem, ut de talibus disquirere, ac rectius erudiri possem. Accidit vero incommode, quod Regi nostro Clementissimo nunc in Hispania Ministri nulli sint; quare si per Te & Vestros commendari possem Antiquariis Hispanicis, rem gratissimam faceres. Quin & in Anglia nummus est regius, aureus, maximi ponderis, quindecim librarum, ut Cambdenus refert in Remaines p. m. 183. quem in summis Festis Rex Angliæ solet offerre, eumque semper redimit 20 Coronatis, ut alii narrant. Ejus nummi peculiarem aliquam notitiam, ut mihi procurare posses, quam vellem! desidero sane nosse, quid inscriptum sit huic nummo, & quomodo? quodnam verum ejus pondus? nam dubito, num Cambdenus non libras sterlingorum xv. in auro dicere voluerit, qua ratione quinque uncias non posset excedere pondere, aut pretium 76. Imperialium. Nunc ad literas tuas a. d. iv. Non. Novembr. anno præterito scriptas venio. Horresco, mea tanto tempore in ære tuo esse, mirum, nisi me ut malum nomen expunxisti. Haud me sane pœnitet ejus, quam de Runis Danicis teneo, sententiæ; quo magis inspicio, eo magis illa veritas se prodit: reperio, quod mireris, hic aliquos, qui mecum sentiunt. Junior ille Bartholinus, dum vixit, æger etiam decumbens, hoc se dudum sensisse professus est, sed non ausum esse publicis scriptis hoc adstruere, unde antiquitatem illarum ad Othinum & Christi ac Pompeii tempora in Antiquitatibus suis retulit. De Autore Eddæ Islandorum noli dubitare, quin Christianus fuerit; præfatio ejus hoc te docebit. Errarunt omnino, qui Snorronem Sturlæ autorem ejus fuisse crediderunt, Seculo xiii. sub Valdemaro II. Rege viventem: est enim ætas ejus autoris longe posterior. Vixit sane autor illius partis, quæ Edda dicitur, & secundæ partis, quæ Scalda vocatur, sed nondum editæ, Seculo xiv. sub Valdemaro IV. quem alicubi in MS. suo Dominum suum vocat. Hoc ego hic didici, postquam MS. ipsum Eddæ & Scaldæ inspexi, & aliquibus sententiam meam approbavi. Citat præterea Snorronem multoties, ita ut Autor Eddæ vel Scaldæ non possit esse Snorro. Recte quoque odoratus es, Autorem ex Græcorum Fabulis initia suarum Fabularum tenuisse; nam a Trojanis telam orditur hanc, quod Snorro non fecit, sed a Pompejo & Othino Historiam suam & Chronicon Norvegicum auspicatus est. Ut eo magis videas, Snorronem haud esse autorem hujus scripti. Gronovium de sestertiis vel pecunia veterum in literis tuis conjungis; in vita ejus, quam submisisti, & ob quod magnas grates debeo, disjunguntur: De sestertiis Daventriæ editi, de pecunia veterum libri 4. Amstelodami: mone me, num idem liber sit, vel diversi. Est mihi editio Amstelodamensis de sestertiis l. 4. 1656. in 8. ubi additi sunt Vol. Mæcianus de Asse, Balbus de Asse, & Paschasii Grosippi tabulæ nummariæ. Daventianam editionem de sestertiis non vidi. Inscripsit forte de sestertiis vel pecunia veterum secundam editionem Amstelodamensem; nunc enim absum a Bibliotheca mea, ut inspicere nequeam. Orbis tui & amuleti descriptio valde grata mihi fuit; nummum appellare noluisti; quamvis sit mihi nummus Græcus antiquus æreus cum signis in circuitu Zodiaci, & quadriga Phaethontis excusi in medio, cum capite Herculis barbati ab altera parte. Meminit Guilielm. Choul de relig. Rom. p. m. 199. & appingit inscriptionem ΑΔΥΝΑΤΑ ΖΗΤΩΝ, quam in meo reperire non potui: alias in Trajani, Antonini Pii, Alexandri Severi, Juliæ Mæsæ & Valeriani nummis reperies zodiacos excusos. Dum ex chalybe prægrandem Orbem hunc scribis, fusilis esse debet; nam vix ferrum, multo minus chalybs, ea magnitudine, cuneum recipit; sæpius id tentarunt Monetarii, sed nemo feliciter præstitit. Egregius ille artifex R. Faltz nummum ferreum Regi Sueciæ Carolo XI. nuper A. 1685. duorum uncialium magnitudine expressit; sed longe abest a saturo illo & consummato nitore reliquorum metallorum. Quare ego orbem hunc tuum ex variis metallis mixtum judicarem, ferri colorem præferentem, cujus generis mihi quoque nummus est plusquam uncialis, ex omni metallo conflatus: aurum enim, argentum, æs, ferrum, plumbum, stannum, continet, literis Hebraicis utrinque conscriptus, & Planetarum figuris vulgaribus, quem Cabalisticum soleo nominare, aut Talismanicum, sub certis signis cœli cusum ad averruncanda mala, & procuranda prospera. Vidi alias apud Serenissimum quondam Principem Homburgensem Hassiacum Hamburgi nummum argenteum, dimidii thaleri magnitudine, cui nihil nisi musca vulgaris insculpta, & characteres pauci ignoti. Narrabat Serenissimus ille, eo nummo se muscas omnes conclavibus & tabernis cerevisiariis fugare posse. Vix finire possum, adeo desiderium me tenet confabulandi, quia diu cessarunt meæ tecum λέσχαι. Vale autem, & vive felicissime, quod vovet,

Vir Summe Tuus ex animo totus. Hafniæ a. d. xxx. Maii CIↃIↃCXCI. Salut. Dn. Grævio & omnibus bonis & doctis.

Curari possunt literæ tuæ per tabellarios solitos Hamburgenses; aut, si mavis, per vestros hic legatos & Residentes.

VIII.

Amplissimo & Præstantissimo Doctissimoque Viro

D. OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS

Antequam epistolæ, quam ad me xxx. Maii die misisti, respondeam, video mihi me aram & precatorem parare debere, quod tam tarde officio illo defungar. Possem equidem præfari negotia, quæ me habent, habueruntque valde occupatum; sed placet mihi mirifice Alexandri Platonici apud Ant. Philosophum dictum, non scribere aut dicere χωρὶς ἀνάγκης aliquem debere, ὅτι ἄσχολός εἰμι, cum revera putidum sit mittere, quam sis occupatus. Quid igitur? rogavi amplæ apud Anglos dignitatis virum, uti me edocere velit, quæ te scire velle significas de nummo xv. librarum; responsum dum expecto, tempus labitur, & quamvis illud nondum acceperim, tamen

tamen recte me facturum existimavi, si nihilominus elegantissimæ mihique acceptissimæ epistolæ tuæ aliquid reponerem.

Optime certe Serenifs. Daniæ Rex consulit Musis, & plurimum Majestati suæ debent quæ generosa in ortus semina exsurgunt suos, si tibi Juris & Historiæ professionem mandat; tibique ex animo novam illam & amplam dignitatem gratulor. Pulchrum erit eorundem Regum Historiam cognoscere posse ex nummis digestam; sunt enim illi certissimi testes temporum, clarissima lux veritatis, & rerum gestarum monumenta æterna; & quæ ea occasione de nummis, quibus litteræ Runicæ inscriptæ sunt, de Edda, Scalda, Runis Danicis, & Snorrone observasti, valde in me accendunt desiderium legendi ea, quæ te publicaturum promittis opera.

Nunquam apud Belgas observavi nummos ab una parte solum signatos, & ab altera cavos; & si in Hispania inveniretur aliquis, cujus opera uti possem ad inquirendum, num idem ibi mos obtinuerit, nullus certe deessem tibi. Nostri homines non capiuntur his deliciis, eosque, qui veterum rerum curiosi vivunt, putant cum ratione insanire. Quid quæris? ea nostri sæculi infelicitas est, ut vix aliquis in antiqua monumenta inquirat, & omne quod studio eleganti tempus impenditur, existimant perire, atque adeo ejus amore illectos oleum & operam bona fide perdere. Regium in Anglia nummum, cujus Cambdenus meminit, existimo xv. librarum sterlingorum fuisse; immanis enim ponderis foret, si xv. libras ponderales penderet, nec pretium xx. Coronatorum ullo illi responderet modo; id quod tamen ejusmodi in ritibus & ceremoniis semper fere observatum fuit.

Gronovius Daventriæ edidit librum de sestertiis; eundem an. 1656. Amstelodami vulgavit auctiorem hoc titulo, De sestertiis, seu Subsecivorum pecuniæ veteris Græcæ & Romanæ &c. & nunc illum publicavit auctiorem iterum in 4. ut loquuntur, filius, qui Historiam Lugduni Bat. profitetur.

En tibi magnitudinem orbis mei; quem recte fusilem esse credis. A Choulio editum p. 196. nummum vix credo esse genuinum; nam vultus ille Herculis crassus & obesus, ut ut in aliis bonæ notæ monumentis inveniatur, etiam cernitur in ficto numismate p. 261. Thes. Palatini; deinde non soliti fuerunt Græci sententiis nummos suos exornare. Sic ejusdem farinæ sunt, quibus nonnullorum Græcorum Imperatorum vultus inditi sunt cum variis argute dictis apud Bosium in notis ad Nepotem Cornelium: nec alio loco habentur eruditis illi Annibalis, Julii, Augusti, & Agrippæ, in quibus scribitur, ACCIPITE, VENI, VIDI, VICI. FESTINA LENTE. HIC OMNIPOTENS. Posterioribus tamen R. imperii temporibus hic mos in usu esse cœpit; nam Morellius tab. 9. Speciminis, Maximiani nummum edidit, cujus in aversa area legitur; GAUDETE ROMANI: & notum est Constantini illud divinum symbolum, HOC SIGNO VICTOR ERIS, & quod in nummis Constantii & Decentii apud Choulium p. 187. legitur, SALUS DD. NN. AUGG. LUCET: præterea non video, quid Phaetontis Historia cum Hercule habeat commune, id quod certe sufficit ad convincendum nummum illum νοθείας, quem vellem equidem ipsum inspicere, uti clare cognoscere possem, num figura jacens facem accensam, an vero clavam teneat. Duodecim cœteroquin signa recte observas cerni in Trajani, Antonini Pii, Al. Severi, Juliæ Mæsæ, & Valeriani nummis, quibus adde alium elegantem Sardibus percussum, a Sponio editum T. 3. Itiner. & gemmam, quæ exstat pag. 3. Thes. Palatini. Orbis meus proculdubio purum putum amuletum est, & quam valde in ejusmodi rebus Orientales sibi placeant, notum est satis superque, & docet, uti non ignoras, præter alios, Reicheltus.

Catalogum bibliothecæ Th. Bartholini videre equidem cupio; eum rogo in manus tradas D. Goesii, qui ad Serenifs. Daniæ Regem orator missus est ab Ordinibus Generalibus; cujus etiam fidei hanc epistolam commisi. Vale plurimum, vir præstantissime.

Hagæ-Com. a. d. III. Cal. Nov.

IX.

Viro Nobilissimo, & Amplissimo

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

TUas recte ad d. III. Cal. Novembr. scriptas mihi traditas esse, hæ docebunt. Grates habeo magnas, quod inquirere volueris de nummo Anglicano. Ego quin etiam uni aut alteri ex Anglis hic morantibus hoc negotium commisi, sed quoad pondus istius nummi, aut inscriptionem, aut ætatem οὐδὲ Δίωνος γρῦ respondeнт.

Sunt homines tanquam alium in orbem delati, quando de hujusmodi rebus quærimus, unde sæpius hæc ipsis repetenda sunt, & inculcanda ad nauseam: videbo tandem, quid tuus ex Anglia Amicus super hoc nummo responsurus sit. De pondere igitur, an fuerit xv. librarum auri puri, an vero xv. libras sterlingorum in auro confecerit, quod nummum 35. Ducatorum Hungaricorum, aut septuaginta uncialium in argento reddet, dubitare nobis licebit, donec certi quid afferetur: inprimis cum aliam historiam nobis annales servaverint, de aureo nummo, qui xv. libras centies fere excedere debuit, quem ex eadem Anglia dotis loco attulit in Daniam Philippa, filia Henrici, Comitis Herfordiæ & Essexiæ, circa Annum 1406. cum Erico Pomerano Regi Daniæ nova nupta traderetur. Unicum enim denarium aureum dotem fuisse scribunt: adeo ut in magnitudine & pondere nummorum Anglis palma relinquenda sit his duobus exemplis. Sed his missis, ad nummum illum Herculis cum Zodiaco & Phaetonte pauca adhuc reponam, quoniam suspecti postulas illum Choulii, propter sententiosa addita; & quidem recto hoc facis, cum nihil verius sit, quam ejusmodi ænigmata philosophica sequioris sæculi additamenta in nummis censeri debere, & fucum suum tales nummos prodere, aut ex antiquis adumbratos, additis quibusdam nugis, aut plane fictos. De nummo meo Herculeo, qui cum Chouliano sane convenit, usque ad illa ΑΔΥΝΑΤΑ ΖΗΤΩΝ quæ meus non habet, asserere licebit, me notas nullas spurias in meo deprehendere, adeo, si quid

ego judico, mihi genuina videntur omnia, & Græcæ antiquitatis plena, æs valde rubrum, facies egregia antiquæ manus, populo cinctum caput, & quæ ſunt reliqua; nihil deeſt antiquitati, niſi ærugo illa viridis, quam ex multis cauſis abeſſe poſſe ſentio, ut nihil propterea decedat vetuſtati. Utinam hic locorum illum tenerem nummum, lubentiſſime Tibi, Vir Nobiliſſime, inſpiciendum mitterem, & accuratiſſimo tuo judicio ſubmitterem, ut Te decernente ſtaret aut caderet ejus probitas. Nam ſæpe nos ipſos fallimus, aliis rectius videntibus. Quod vero Herculem & Zodiacum ac Phaetontis hiſtoriam conjungi miraris, ut quæ nihil commune habeant, hocque etiam inter ſigna τῆς κιβδήλυ χειρὸς commemores, non quidem mihi nunc ſuccurrit Bibliotheca mea deſtituto hæc explicare; ſed, credo, tot diſſentientia in pleriſque nummis congeſta reperies, quorum ratio vix reddi poterit ob varios olim caſus in civitatibus nummos nobis dantibus occurrentes, ad quos reſpiciunt, adeo ut exinde labem aliquam nummis affricare ſi velimus, non ſatis hoc procedat. Choulianum igitur nummum ex vero fictum eſſe ſentio, fingentemque ut explicaret nummi argumentum, ſuum ἀδύνατα ζητῶν addidiſſe, ſicque ſuo ſe prodit indicio ſorex, quod χθὲς ἢ πρώην rarum iſtum nummum novum fecerit, & ſcena paulo mutata fabulam non amplius antiquam, ſed ſuam luſerit. Orbis tui magnitudinem mittere te ſcribis, ſed revera non miſiſti, oblitus, ni fallor, includere, dum ad litteras claudendas redis, quod ſolet accidere. Maximiani nummum cum GAUDETE ROMANI, adduxit etiam Lovys Savot inter rariores. At Choulio in nummis ſuis elucidandis minime credo. Unde nec illam Inſcriptionem admitto SALUS DD. NN. LUCET, ſed mancam in fine Inſcriptionem exiſtimo in nummo Choulii male lectam, & intellectam; pro LUCET enim ſcribi debebat AUG. ST addique CAES. quod aut non vidit, aut omiſit bonus Choulius: ita enim in cœteris Conſtantii & Decentii nummis legitur addituique inferius adhuc PATA, aut aliud quid, ut videre licet apud Triſtanum, & Car. du Freſne. Catalogum Bibliothecæ Tho. Bartholini Dn. Goelio tradidi ut ſubmittat.

Jam vero quod Tu quereris in tanta luce hominum doctorum, qui vos circumſiſtunt, circumdant, & ſtipant, a quibus nos elegantias omnes & venuſtates reſtitutas vidimus, ubi tot præla fervent, tot Typographi ſudant; quid nobis faciendum, quos tenebræ velut Cimmeriæ occupant? Illud quod mihi elaborandum dederunt opus, nunc me monente primum ſentiunt procedere non poſſe, cum deſint & cælatores & cuneatores, aut monetarii idonei, qui rem regibus dignam digne queant producere; ſi ad typographos deveniendum eſt, eadem miſeria. Vides igitur, quænam impedimenta me morentur, quamdiu vero colluctari debeam, an mihi pereundum ſit Scylla vel Charybdi, nondum ſcio: exſpectandum eſt gnaviter & patientiſſime. In illo tamen gaudio finiam, nuncians Viti Beringii, Summi Viri, Danicam Hiſtoriam jam ſub prælo eſſe. Niſi nimis lentuli ſunt, proxima æſtate abſolvi poterit. Vale.

Dabam Hafniæ a. d. XIV. Novemb. An. Ær. Chriſt. CIϽIϽCXCI.

X.

Ampliſſimo & Præſtantiſſimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

ΑΔΥΝΑΤΑ ΖΗΤΩΝ cum nummo tuo inditum non ſit, haud levis inde naſcitur ſuſpicio, illum genuinum, alterum vero a Choulio editum ſuppoſititium eſſe. Verbum illud proculdubio ab iis ſcriptum in nummo eſt, qui hiſtoriam Phaetontis explicare voluerunt; & ſpero te, qua es eruditione & perſpicacia, edocturum, quam ob cauſam Phaetontis magna auſa & Herculis προτομὴ ſimul in numiſmate illo repræſententur, ſimul ac libris tuis redditus fueris. Ecce tibi orbis mei ex vario metallo, uti argento, chalybe & ære, conflati magnitudinem, quam ultimis meis litteris includere neglexi. Catalogum bibliothecæ Thomæ Bartholini recepi, & variis eum libris refertum eſſe conſpexi non abſque voluptate, quos editos in Septentrione eſſe ignorabam.

Fieri poteſt, ut SALUS DD. NN. LUCET corruptum ſit, & recte judicas Choulio tuto fidem non adhiberi. Sed tamen Carolus du Freſne in Diſſertat. *De inferioris ævi numiſmatibus* num. 24. non modo eandem inſcriptionem ut genuinam agnoſcit, verum etiam profert gemmam ex S. Genovefæ Dactyliotheca, in qua legitur: SALU. DOMI. NOST. AUG. LUC. id eſt, Chaluceo interprete, *Salus Domini noſtri Auguſti lucet*; uti & aliam Alexandri Severi, in qua ſcribitur, SAL. D. N. ALEX. FIL. LUCET. Quin & obſervante eodem, apud Choulium, Conſtantii & Decentii nummus inſcribitur: SAL. DD. NN. AUGG. LUCET, quæ certe exempla docere videntur, recte in alio nummo legi, SAL. DD. NN. LUCET. Obſervandum autem in gemma Alexandri Severi omiſſam eſſe vocem MA. Vidi enim ſimilem plane nuper Amſtelædami; in circuitu legebatur SAL. DO. N. ALEX. FIL. MA. LUCET, in medio cernebatur monogramma ſacrum, hunc ad modum factum ☧ inter A & ω. Nam μητρόθεν Imperator hic nominari ſolebat, Alexander Mamææ, uti ſatis ſuperque ex Lampridio patet. Hæc autem gemma ſi adſcribi debet temporibus Alexandri, evidens utique ſignum eſt, perſuaſum habuiſſe Chriſtianos, eum ab illorum religione non fuiſſe alienum. Sed cum monogramma Chriſti non fuerit in uſu ante Conſtantini tempora, quantum equidem ex monumentis Chriſtianorum conſtat, veriſimile admodum eſt, illam poſterioribus temporibus adſcribi debere; unde tamen etiam ſequitur, tunc credidiſſe Chriſtianos, Alexandrum vel fuiſſe Chriſtianum, vel Chriſtianis faviſſe, quod ultimum certe patet ex cap. 29. 43. & 49. vitæ ejus ab Ælio Lampridio conſcriptæ.

Doleo, tot impedimenta morari hiſtoriam Sereniſſimorum Daniæ Regum ex nummis illuſtrandam; at ſi illi nitide depicti forent, credo Typographos veſtros facile Amſtelædami inventuros cælatores.

Ex Anglia nondum reſponſum accepi, & videntur ibi ejuſmodi elegantiæ flocci fieri,

vel gravioribus distringi negotiis viri; ad quos ea super re scripsi. Et cum inaudita narres de nummo aureo, qui xv. libras fere centies excessit, expectandum equidem tecum existimo, antequam certi quid de altero statui possit. Wagenseilius me certiorem fecit, incidisse quædam in manus suas, quibus docere licebit rem ignotam de magisteriali cantu, & quam illi, qui illi arti nomen dedere, sedulo celant, nec sinunt emanare in vulgus; visum sibi ad hoc esse, majus momentum inesse huic sectæ poetarum, quam hactenus deprehensum, & conferre ad aliqua ex iis confutanda, quæ Rudbeckius proterve, & probrose Germanis objecit. Ex oriente mihi nuntiatur, Anglos quosdam lustrasse Palmyræ ruinas; invenisse eos ibi quadringentas columnas marmoreas vel porphyreticas, aliquot templa integra, plurima monumenta, & magnum Inscriptionum Græcarum & Romanarum numerum. Amicorum, qui in urbe Aleppo vivunt, opera tam pretiosas antiquitatis reliquias delineatas nanciscar propediem. Vale plurimum, vir præstantissime, & me amare perge.

Davent. 9. Martii 1692.

XI.

Viro Nobilissimo & Amplissimo

GISBERTO CUPERO

S. D.

OTTO SPERLINGIUS

ULtimæ Tuæ de formula SAL. D. N. AUG. LUCET in nummis & gemmis me docuerunt certiora longe, quam Choulius: quo nomine gratias Tibi debeo non exiguas. Sed nondum quid formulæ sit SALUS LUCET, satis comprehendo. Est aliquanto obscurior, nec sine causa tamen in nummis expressa. Si quid lucis amplius huic LUCET afferre poteris, rem facies mihi gratissimam. Quod de Alexandri Severi gemma scribis tuis oculis Te vidisse, rarissimum est, & opinionem veterum de Christianismo Alexandri mire confirmat, si alicujus ætatis hanc gemmam esse judicas. Quapropter edoceri cuperem, cujus generis gemma sit, quæ hanc inscriptionem continet, cujus formæ, & magnitudinis, an ἔγγλυφος vel ἀνάγλυφος. Ex forma sane ⱷ tali non maximam ætatem præsagio, sed nec nuperam admodum. Nam Alexandri ætate sculptam non esse recte judicas. Simile quid de Alexandro Severi & Mamææ filio observavi quondam apud Georgium Chanlerum, qui numismata Imperatorum vitis a se conscriptis addidit: ubi ejus Imperatoris nummum produxit hac crucis figura ✕ insignitum, soleoque talem crucem Gothicam appellare, quod plane ejusdem figuræ reperiatur in nummis Gothicis, quæ ipsis peculiaris esse videtur, nec alibi facile observatur. Ad Christianismum ejus, aut favorem & indulgentiam, qua prosecutus esse dicitur Christianos, etiam illa cruce respici non dubito; licet sint, qui Philippum Arabem primum inter Imperatores Christianum fuisse velint. Quod suggeris consilium de depingendis nitide nummis nostris, ut alibi cælum accipiant, jamdudum nostris proposui, & fuerunt, qui faciles erant, fuerunt vero etiam, qui vana quadam gloria ducti patriæ honorem diminui, si alibi cælarentur vel imprimerentur, crediderunt; pauciores licet illi, momentum tamen non minimum attulerunt suffragiis plurium subruendis. Expectandum esse video, & moram ferendam. Interim abjicere calamum non possum; est mihi semper quod enotem & scribam, modo concedatur otium a publicis. Cum Wagenseilio respondes, expiscare quæso, num per magisterialem cantum intelligat illos, qui in Germania Meister Sanger appellantur, Argentorati, Augustæ Vindelicorum, &, ni fallor, etiam Norimbergæ; & num sententiam illam mecum foveat, ex veterum carminibus, & paganorum moribus in cantando observatis, has reliquias ad nos exstare, nam cum Christianorum religione introducta carmina passim cessarunt, aut in Christianam formam hi ritus transfusi sunt; unde illa collegia canentium in dictis locis permanserunt in hunc usque diem. Dum Argentorati vivebam, sæpius illa collegia visitavi, eorumque libros & privilegia inspexi. Annotavi etiam de his quædam, & si qua in re Dn. Wagenseilio commentanti de his faculam allucere possumus, nihil non ego quidem faciam lubens. Rudbeckius nunc ubique vapulat in Germania. Legisti, ni fallor, Tentzelii Gothani animadversiones ante binos annos in dialogis ejus menstruis procusas, ubi totum ejus librum examini subjicit: sed haud mihi videtur vidisse, quod debuerat. Nuperus scriptor Johannes Mollerus, Flensburgensis, in Isagoge sua ad Historiam Chersonesi Cimbricæ, acerrime in ipsum invehitur, quod Suecis omnia tribuat, aliis nihil relinquat; sed in quibus erraverit, haud solide commonstrat. Quidquid sit, homo est, tractari debuit humanius. Si Wagenseilius ipsum impetet, opto ut placide semet opponat, & quod potest, docte. Major erit victoria, si non est truculentia, si sine convitiis & aculeis paretur: & puto doctos hoc decere. Ultimum caput Epistolæ Tuæ de Inscriptionibus magno numero repertis Palmyræ jucundissima nunciavit. Expectabo tecum illa gaudia, quibus in re litteraria majora nequeunt dari. Utinam bene mereri de nobis velint, qui isthic loci nunc degunt aut peregrinantur docti, ut nihil scribant, nisi quod vident, recte legant ac dijudicent omnia, quantum rudera permittunt, & ætas tot ruinis obruta. Vale Vir Nobilissime, & num quid edideris nuper, aut editioni pares, fac sciam: amore cultuque Tui nominis nemini secundus ero.

Dabam Hafniæ a. d. v. April. Ann. Ær. Chr. CIϽIϽCXCII.

XII.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

TAndem epistolæ, quam ante 12. mens. ad me dedisti, respondeo; & rogo vehementem in modum, ne hanc ἀναβολὴν attribuas negligentiæ; sed potius

variis huc illuc excursionibus & occupationi meæ: neque enim unquam animum inducam negligere virum, cujus summa apud me summo loco est eruditio.

Quæ Wagenseilius de Magisteriali cantu ad me misit, ea ecce tibi; spero placitura, & tua illiusque opera, ac diligentia materiam hanc plane illustratum iri. Fuerunt olim etiam apud Belgas Collegia hominum, quos appellabant Rhetoricos, vel Rhetorikers, manentque eorum vestigia in nonnullis Hollandiæ Brabantiæque pagis. Hi de pretio inter se carminibus ὁμοιοπτώτοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις certabant; præconis virtutes erant, vitia hominesque iis deditos acerbiter satis carpebant; sed cum libertas in nimiam licentiam excideret, probique juxta ac mali perstringerentur, inhibita eorum licentia. Legi quæ Rudbeckio opponit Tentzelius, & dubito valde num ille argumenta haud proletaria refellere possit. Joh. Mollerii Isagoge ad nos nondum adlata est, & recte sentis ab omni acerbitate & scurrilitate abstinendum esse in refutandis aliorum hallucinationibus. Homines sumus, & quisque suos patimur manes. Rudbeckius mihi sane videtur Herculeo labore septentrionem vel potius totum fere orbem aggressus esse, ut omnium rerum palmam Sueciæ tribuat; fruatur ingenio suo, & licet sententiam illam existimem a ratione plane esse alienam, tamen valet apud me viri diligentia & opera, quam confert in res obscuras eximiam, & quam dat argumento, quod exornandum & excolendum sibi sumpsit. Multa mihi de religione Philippi Arabis notata sunt; sed tantum mihi temporis non superest, ut in ordinem digesta ad te mittere possim; ita tamen mihi ipse placeo, ut persuasum habeam, ea tibi non displicitura, teque existimaturum mecum, eum Christianum fuisse; licet id negent praeclaræ eruditionis viri.

Recte me judicare significas, gemmam, de qua inter nos actum est, ætate Alexandri signatam non esse; & addis, simile quid de Alexandri Severi de Mamæa filio te observasse quondam apud Georgium Chanlerum, qui numismata Imperatorum vitis a se conscriptis addidit, ubi nummum ejus Imperatoris produxit, hac crucis figura insignitum X solere te talem crucem Gothicam appellare, quod non reperiatur nisi in nummis Gothicis, & ipsis peculiarem esse videri, nec alibi facile reperiri; tandem ad Christianismum ejus, aut favorem & indulgentiam, qua Christianos prosequutus esse dicitur, etiam illa cruce respici te non dubitare.

Chanlerum Belgice versum & Amstelædami a. 1617. typis descriptum inspexi; sed in nummis M. Aurelii Alexandri Severi, filii Mamææ, male Chanlerus eam uxorem Severi facit, nullam similem figuram invenio; neque etiam apud Jacobum Stradam a Rosbach, qui eosdem nummos publicavit; neque Mezzobarba ullam ejus mentionem facit. Edoce me, quæso, num talis nummus reperiatur in Chanleri editione Germanica; quod si ita sese res habet, discutiendum sedulo, an non ille vel male descriptus, vel suppposititius sit. Vale plurimum.

Hagæ-Com. 12. Maii 1693.

Excerptum ex Epistola Wagenseilii ad G. Cuperum.

NUnc cui magis obstrictus sim, tibine Domine, qui me meritorum, eruditionis, ac muneris amplitudine Sperlingio commendare sustinuisti, an huic, qui illico libens volens tam faventem se præstitit, ut etiam consilium & opem ad ea quæ emolior offerat, vehementer animi pendeo. Ago tamen utrisque gratias ingentes, agamque dum vivo. De reliquo, per Magisteriales cantus, Phonascos intelligo omnino eos, quos superiores Germani Meister Sanger appellamus; & quorum Scholæ tum in iis, quarum tute mentionem fecisti, Urbibus, tum Ulmæ quoque & Memmingæ & fortasse alibi utcunque florent. Quondam per Germaniam universam secta dispersa erat; nunc autem ars, ut cum Comico loquar, Musica redacta est ad paucos; nempe postquam, ceu suspicor, illis in Civitatibus, quæ Romana Sacra colunt, Sacræ Scripturæ lectione plebeii (quales sunt qui Cœtum componunt) homines fuere prohibiti: At vero ex veteri in Dei verbo descripta Historia, Cantionum debebant esse præcipuum Argumentum. De primordiis instituti sic existimo. Fuit quondam, ceu ex Diodoro, Strabone, Ammiano Marcellino, aliisque constat, apud Germanos æque ac Gallos & Britannos, Religionis erga Deos & sacrorum Antistitum genus triplex, Druidæ, Vates, Bardi. Primi Sacrificia curabant, medii prædicebant futura; ultimis id propositum erat, ut Numinum Heroumque laudes carminibus celebrarent. Cum deinde pulsis mendaciis, Christiana introduceretur in gentem nostram veritas, & necesse esset extinguere profanos ritus, ibi tum aliquæ ceremoniæ, quia toto genere malæ erant, e radicibus evellebantur; aliquæ, quæ suapte natura honestati & sanctimoniæ non repugnabant, emendabantur, & convertebantur in melius. Hac ergo ratione Evangelii præcones id operam dabant, ut Druidæ & vates, quorum munus juxta cum Christiana religione consistere nullo modo poterat, funditus e medio tollerentur, & nec volam sui aut vestigium relinquerent. Neque aliam ob causam Druidarum plenum quondam venerationis Nomen nobis nunc faunos, veneficos, strigos & lamias significat. De Bardis secus se res habebat; hi enim tolerari poterant, modo antiquis superstitiosis carminibus nuncium mitterent, & Hymnos Christo vero Deo, Sanctisque Martyribus imposterum dicerent; hoc igitur facere jussi sunt. Gessere morem ac libenter, horumque secta, uti similia alia, ætatem tulit, & ad nos usque, nunquam interrupta successione, Magisteriali, quem vocant, cantu fuit conservata. Cujus sententiæ fundamentum præcipuum & robur in illo colloco, quod Phonasci nostri etiam nunc cantiones suas proprio vocabulo *Bar* appellant, ceu genuinis testimoniis ostendam adversus illos, quibus visum *Bar* tonum potius cantilenæ alicujus notare, quam cantilenam ipsam: utro autem sensu vox accipiatur, originatio explicari non potest, nisi eo quis confugiat, quo ego me recepi. Quia ex solis Opificibus Bardorum nostratium collegia constant; ideo occulunt ii homines, uti artium suarum mechanicarum, ita hujus quoque Poeticæ constitutiones, ritus, & scita omnia, nec fuit, qui ista exploravit. Successit tamen mihi negotium, & nisi fallor, habeo Instituta hæc plene planeque cognita, quia nec precibus peperci, nec pretio. Nu-

perus Catalogus recens editorum librorum Francofurtensis indicium fecit, prodiisse Lemgoviæ Ernesti Casimiri Wasserbach J. C. de Bardis ac Barditu, sive antiquis carminibus ac cantilenis veterum Germanorum, Dissertationem curiosam, cui junctus sit de S. Annone Coloniensi Archiepiscopo vetustissimus omnium German. Rhytmus & monumentum. Sed ista nondum ad nos pervenerunt, & conficit me prope desiderium illorum potiundi. Non ausim eo audaciæ progredi, ut illustrem Sperlingium de suppetiis mihi benigne ferendis interpellem; augebit autem beneficium, si orari se non patiatur, necessitatemque mihi imponet tanto magis illud celebrandi. Hæc de rudibus nostris Phonascis, quibus addere volebam quæ de Cingarorum origine mihi venere in mentem, omni sine dubio placitura, si tibi flori Virorum ea probentur.

XIII.

Viro Nobilissimo, & Amplissimo

GISB. CUPERO

S. P. D.

O. SPERLING.

Quas XII. Maii exarasti, recte perlatæ sunt; & quod mei memoriam non deponas, habeo quod imputem. Est enim beneficium hoc Tuum, etiam in immerentem. Oro jam ut pergas, in me amando; nam eruditionis causa non est, quod ad me accedas, quam in me nullam agnosco, inter tot eruditissimos homines, qui seculum nostrum illustrant.

Quæ de Rhetoriquers in Belgio monuisti pergrata fuerunt, & quæ ex literis Doctissimi Dn. Wagenseilii ad me misisti, sunt inprimis ad mentem & palatum meum, ut pote qui ad veram originem illas cantus antiqui reliquias refert, & optime in Druidas, Vates ac Bardos officia illorum hominum distinxit, quod & apud Orientales & Persas obtinuisse pridem Curtius, pauxillo discrimine, monuit, dum Magos, Vates, Artifices & Chaldæos hos homines vocavit l. 5. c. 1. p. m. 112. Locennianæ Edit. & quidem Magos patrio carmine celebres, quod interpretor, spectantes ad sacra hymnos canentes; Vates vocat, non illos qui futura prædicunt, sed Poetas, qui laudes Regum ac Heroum canere soliti sunt; Artifices vero, qui instrumentis musicis & fidibus hæc adjuvabant; Chaldæos tandem, qui secundum siderum motus & statas temporum vices, quas ostendebant, etiam futura prædicere didicerant. In omnibus fere gentibus hi mores maxime viguerunt, quamdiu μυθικὰ ipsis fuerunt secula, erant enim tunc voces & cantus eruditionis ac scriptionis loco. Neque enim illa tempora μυθικὰ dicta sunt, quod nihil nisi Fabulas tractarent; absit; sed quod tunc scriptis nihil comprehenderent, omnia sermonibus & carminibus: ut aliquando Tibi me scripsisse memini, quæ nunc non repeto. Vellem utique Dn. Wagenseilius, cujus propensum in me studium, Te commendante, omni cultu, amore & obsequio rependam, indicasset viam & homines, quorum auxilio adiri posset; nescio enim, num semper Altorfii degat, & quomodo curari debeant literæ. Noribergam quidem recta via se dat cum Tabellariis Hamburgensibus, sed quomodo ulterius ad Dn. Wagenseilium perferri debeant, ambigo. Si amicum aut Mercatorem Hamburgi habet, mittat suas ad me, curabit ille satis, ut Hafniam asportentur, quo tot tabellarii singulis hebdomadibus commeant. Nam per Te, Amplissime Domine, hæc nunciari, ambagibus maximis hoc fit, & oneri futurus essem, quod nec velim, nec opus esse video.

De Bardis & Barditu libellum Ern. Casim. Wasserbach & ego frustra quæro, quin adhuc ineditum suspicor. Solent enim Bibliopolæ Catalogis illis inserere edenda, quasi edita, ea causa, ut expiscentur, an valde venalis futurus sit ille liber. Illa enim lucri aura adspirante, accingunt se primum editioni, quod etiam mihi ipsi accidisse memini. Hinc est, quod urgere debeamus Dn. Wagenseilium, ut non intermittat ob hæc operam cœptam, quod timeo, sed quamprimum lucem, quam meretur, videre sinat. Doctissima enim sunt illius Viri, quæcunque legi aut vidi.

De Rudbeckio quæ scribis adeo modesta sunt & vera, ut nihil supra, & omnino Te digna. Novimus omnes quo tendat, & quæ Grotius in prolegomenis ad Gothica tentavit, ille majoribus ausis condere voluit: quod magnis exciderit, quid mirum? non major est Phaetonte, Solis ipsius filio. Invenit affeclam virum, alias doctissimum, Dn. Joh. Dan. Majorem, Professorem Kiloniensem, qui Mollerum in quodam suo libello, prodromo maximi operis *Das bevolckerte Cimbrien* dicti, inclementer habuit, quod Rudbeckium perstrinxerit. Ille rursus vindicias & vindictam meditatur. Fuit hic nobiscum, nuper admodum, idem Dn. Major, & cum plures Rudbeckio contra dicentes expertus esset, parum abfuit, quin furorem & rabiem & diras in illos evomeret, qui minimo verbo Virum tangerent. Ego illæsus ab ipso discessi, quod moderatius sentirem, nec omnia probando, nec carpendo. Nunc in Sueciam abiit, ubi cum Rudbeckio hæret. Sed Rudbeckii patriæ studium etiam aliquos nostratium pridem contagio quodam invasit, qui eo delirii processerunt, ut Pontum nobis Euxinum in Jutia collocent, ibique Ovidium exulasse statuant, quibus si contradicere quis ausit, in rixas & iras solvuntur, ut ab Amicis percepi.

Haud ita comparata sunt Rudbeckii scripta, ut cum quoquam in arenam descendere velit; strenue tacuit hactenus.

Chanleri eandem editionem, quam in Tuis significasti, olim inspexi, & ex eadem illam crucem in Alexandri Severi nummis enotavi, & his oculis meis vidi, nisi quod facile errare potuerim in Imperatore Tibi designando; reperies itaque, si paulum pervolutare volueris figuras: nam mihi nunc Bibliotheca mea non est ad manum. Brevi tamen huc perductam habebo, siquidem Regiæ Maj. sic placuit, ut hic lares figam, inque eum finem me Professionem Juris & Historiæ Danicæ in Academia sua nova suscipere voluit, præter priores honores consiliarii. Statio quidem est commoda, sed non parum mihi laboris in transferendis meis & relinquendis necessitudinibus impendet. Parendum est tamen precibus & votis Magni Regis, quia sunt imperia.

Utinam tantum otii Tibi, Vir Amplissime, a publicis superesset, ut elaboratissima illa Tua de Philippo Arabe Christiano in lucem proferre posses. Ex animo est, quod credam Tibi, nihil Te frustra sentire aut scribere, ita cœtera Tua bonæ fidei sunt, ut ex illo ungue facile Te cognoscere liceat. Quibus vale atque iterum salve. Dab. Hafniæ ad d. XXVII. Maii. CIↃ IↃ XCIII.

XIV.

Viro Nobilissimo & Amplissimo

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

O. SPERLINGIUS.

ULtimas meas ad d. 27. Maii datas non dubito esse perlatas,quoniam eas tradidi illustri Dn. de Goes legato Ordinum Extraordinario,qui ea s se curaturum promisit. Ab illo tempore sub examen vocavi Schedas meas de cruce illa Gothica, quam in Alexandri Severi nummis reperisse me scripsi, apud Chanlerum: & erraffe me video, qui Chanlerum autorem Tibi designavi, cum Franc. Angeloni debuissem. Nam in ejus Historia Augusta Italice scripta & edita Romæ 1641. fol. occurrit p. 282. fig.4. Nummus ille Alexandri Severi, cui crux illa inscripta hac forma quæ non nisi in nummis Gothicis occurrit, Hispanorum aut Normannorum, pro quibus elucidandis aliquid scripsi, & Magnatibus nostri regni, qui petierunt, tradidi. Poteris eorum aliquos apud Bartholinum Juniorem in Antiquitatibus Danicis inspicere pag. 461. fig. 3. & 4. & ejusdem κόμματος sunt cum orbibus illis in Scania repertis Anno 1674. quos Schefferus peculiari scripto explicandos sumsit, nisi quod in plerisque nostris etiam literæ Runicæ adsint. Omnes, quos ego quidem hactenus vidi, aurei sunt, & auri melioris, cavi, ac tenues, Ducati hungarici magnitudine, circulo circumdati, ansula plerisque addita. Quid ego sentiam, & quantum dissentiam a reliquis, qui explicare conati sunt, dies docebit, cum illud opus prodibit, si prodibit: nam hic ventis scribimus, & aquis, aut scombris & cucullis. Mollero negotium facessunt in aula Suecica, ob Rudbeckium perstrictum, & apud Augustissimum Nostrum vindictam solicitarunt, sed egregie se defendit: ita ut adquiescere nunc eos sperem. Dn. Major oleum huic igni affudit, postquam illuc venit: ita ex scintilla sæpius incendia, vix restinguenda. Ego autem has ad Te, ut errorem meum indicarem. Vale feliciter atque iterum salve. Sum Tuus, & Tibi

Addictissimus.

Hafn. a. d. XXII. Julii
Ann. CIƆ IƆC XCIII.

XV.

Viro Nobilissimo

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

ITa est, vir illustris, apud Angelonum invenitur Alex. Severi nummus, cui crux Gothica indita est. Mediobarbus similem nobis edidit, sed nullam figuræ illius facit mentionem, unde videor affirmare tecum posse, eandem postea nummorum Alex. Severi nonnullis adjectam fuisse a Christianis, utque censes, Gothis; quorum in nummis apud Barthol. in Antiq. Dan. similes plane cruces occurrunt.

Quæ de Philippi Arabis Christianismo notavi,mitterem haud gravate, nisi negotia publica facerent, quominus ea digerere possem;alio tempore conabor petitioni tuæ satisfacere. Ad Wagenseilium misi, quæ mecum ad virum tam insignem spectantia communicasti; nullus dubito, quin nuntius ille ipsi acceptissimus futurus sit; est enim φιλόμουσος, si quis alius, & viros illustres atque eruditos singulari reverentia & amore prosequitur. Misit nuper ad me defensionem Infundibuli & Hydraspidis sui, adjecitque illi argumentum dissertationis, qua docere conatur, Judæos nunquam Christiano sanguine mysteria peregisse. Ex iis quæ currente calamo congessit, mihi videtur hæc opinio calumnia mera esse; quinimo vix unquam fabulæ fidem adhibere potui.

Credo Antiquit. Palmyrenas salvas mihi esse; navis enim, cui fuerunt impositæ, Messanam ante 7. vel plures hebdomadas appulsa est; inde Liburnum petet; & qui ibi consulatum, ut vocant, Ordinum jussu gerit, itinere terrestri easdem ad me mittet, quia mare infestum Galli tenent. Spero eas alicujus pretii fore, & ita ingens accessurum augmentum Antiquitatibus, quibus nunc subinde manus, sed tardas & lentas valde, admoveo.

Jacobi Tollii Itinerarium editur Trajecti ad Rhenum,complectiturque illud multos Græcos libellos, Inscriptiones, vasa, gemmas, nummos & alia vetustatis præclara monumenta, quæ nunquam antea publicata fuerunt. Vale plurimum.Hagæ-Com. a. d. 11. Cal. Nov. 1693.

XVI.

Viro Nobilissimo, & Amplissimo

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

O. SPERLING.

HAud mihi contigit abs Te quidquam videre toto hoc anno; ita ut ambigam, num priores meæ perlatæ sint. Sunt vobis sane tempora difficillima, quæ curas gravissimas desiderant; haud ita tamen, ut literas quoque seponere necesse sit. A Dn. Wagenseilio literæ sub finem anni prioris scriptæ, nunc primum redditæ sunt. Tuum beneficium hac in re agnosco, qui pararius fuisti. Protrusi, quod adjungitur scriptum meum, in lucem, quibusdam ita volentibus, & imperantibus. Quid tuæ meditentur Musæ, quos calamos nunc inflent, fac sciam: me autem nihil magis mirari subit, quam, cum hic doctorum seges sit opima satis, cur tam exigua messis colligatur. Paucissimi ad scribendum, ut publico prosint, sua sponte feruntur; hinc in re literaria nihil habeo, quod nunciem elegantiarum. Vobiscum aliter vivunt homines, quo magis ingeminantur bella, eo magis fervent præla: sed & multa parit otiosa hæc libertas, & paucissima ad veram eruditionem collimant. Dn. Joh. Daniel Major, Vir eruditus, sed nimis πολυπράγμων sub initium Augusti, anno præterito Stockholmiæ ictero, quem ex iracundia contraxerat, decessit; miros illic eventus expertus fuit, contra spem, qui nec post funera cessarunt persequi. Nam Kilonium quod deferri debebat corpus ad uxorem & liberos, navi commissum, una cum navi

mersum inter undas sepultum jacet. Vale, & cum poteris, scribe; amo enim tua, qui sum

Tibi, Vir Nob. & Ampliss.
Addictissimus.

Hasniæ ad d. XVI. Junii
An. Ær. Chr. CIϽ IϽ C XCIV.

XVII.

Amplissimo & Celeberrimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Redditæ mihi nuper sunt literæ, quas a. d. XVI. Cal. Jun. ad me dedisti; alteris quas scripsisti 22. Julii anni proxime elapsi die, respondi a. d. II. Cal. Nov. quod si post illud tempus, exceptis ultimis, alias ad me dedisti, id quod significas haud obscure, illæ proculdubio interceptæ sunt. Cæterum gaudeo gratum tibi esse, quod qualicunque opera mea factum sit, ut commercium litterarum instituere potueris cum præstantiss. Wagenseilio, egoque illo nomine Reipubl. literariæ gratulor, quia proculdubio multa nos operis illis ἀμοιβαίοις edocturi estis, quæ cæteroquin perpetuis tenebris involuta jacerent.

Danielem Majorem ultimum vale humanis rebus dixisse doleo; erat vir eruditus & sedulus, uti perspicio ex epistola de Nummis Græce inscriptis, ex Roma in nummis Augustalibus Germanizante, & ex nummis Rehdigerianis. Nonnulla alia edidit, & promisit; sed illa ad nos non adlata sunt; & num hæc publici sint facta juris, juxta cum ignarissimis scio. Dissertationem tuam de linguæ Danicæ gloria, singulari cum voluptate perlegi, & doctior longe ab ea discessi; miratus inprimis sum historiam, quam nobis narras p. 79. & inde constare puto, maximam tunc temporis in Septentrione Serenissimi Danorum Regis fuisse auctoritatem & potentiam. Videtur etiam Daniæ nomen latere in sinu Codano, memorato Melæ 3. 3. sed apud eundem pro Codanonia Vossius ex optimis libris rescribit Scandinovia, quam in rem ut diligentius inquiras, digna sane res est. Accipe nunc, id quod te scire equidem velle significas, quid meæ meditentur Musæ, & quos calamos inflent. Haga-Comitis relicta, amplissimo & luculentissimo apud Transisalanos muneri publico admotus, Daventriæ, cujus urbis simul consul sum, sedem fixi. Nova hæc dignitas, ut fieri amat, novos labores post se trahit; nam cum unus VI. virorum sim, qui res provinciæ illius curare debent (Gedeputeerde van de Heeren Staaten van Overyssel vocant) facili opera perspicere poteris, me negotiis quasi circumvallatum esse. Id quod tamen vacui mihi temporis superest, impendo Antiquitatibus meis, quæ quotidie fere novis iisque pulcherrimis accessionibus augentur. Nam nuper accepi Itinerarium Palmyrenum ἀνέκδοτον, inscriptionibus elegantissimis refertum; adhoc urbis vetustæ admodum, quippe quæ Salomone conditore gloriatur, depictas ruinas, & nummos rarissimos in Syria maximam partem percussos.

Sed quando hæc omnia in ordinem redigi, notis illustrari, & edi possint, equidem affirmare nullus possum; quia Respub. nostra me fere totum sibi vindicat, & paucas horulas residuas relinquit. Tu jam, Vir illustris, in præclaro loco positus, & illi muneri admotus es, ut spes mihi fiat, te publicaturum tandem ea, quæ inservient Antiquitatibus, & patriæ historiæ illustrandis, de quibus olim mecum egisti; & certe ea est eruditionis tuæ exspectatio, ut premere non debeas diutius, quæ publico sunt profutura; quin etiam atque etiam & rogo & obtestor, ne imitari velis eorum negligentiam, qui, licet eruditi sint, animum tamen a scribendo alienum habent: nam id si facere inciperes, quot res præclaræ nobis non laterent, quæ cæteroquin ex instructissimo penu tuo posses depromere!

Quod si ordinum Transisalaniæ Conventus Juridicus & alia publica negotia me non impedirent, ferres a me quid sentiam de Philippi Imp. religione: sed nunc occupatione varia distringor, & in aliud tempus rejicere hallucinationes meas vel conjecturas cogor. Vale plurimum. Daventriæ 25. Novemb. 1694.

XVIII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Quas Daventriæ ad d. 25. Novemb. dedisti, optime perlatæ sunt. Invenerunt me inter febres reptantem & decumbentem: Æsculapio cuidam in via, ni fallor, occurrerunt, ita post illas lectas convalescere cœpi. Et sane gratissimæ fuerunt non uno nomine, tum quod honoribus auctior factus sis, ut ex animo gratulari possim, quod facio; tum vero maxime, quod inter tot elegantias antiquæ eruditionis tempus teras, quæ nos aliquando beatos facere possunt, si superstites erimus. Ea me scire de Te, magna me voluptate perfundunt, quid futurum credis, si aliquando, me vidente & vivente, legi poterunt? Nam publicæ Tuæ occupationes me terrent, ut verum fatear, spemque imminuunt, ut an tot laboribus par futurus sis, anxie mecum disquiram, horasque Tuas solicitis magis computem digitis, quam ipse Tu, ita vehementer cupio quæ Tua sunt videre. Ingenium tibi est promtum, animus indefessus, qui laboribus non facile cedit; hæc mihi sunt solatia, illisque spem foveo. A Dn. Wagenseilio nihil post primas illas vidi, unde meas & illa quæ misi deperdita & intercepta metuo. Curavi recta Norimbergam Hamburgo perferri, sed an tradita sint, nihil rescisco; est penes ipsum culpæ aliquid, qui nullum certum hominem Norimbergæ mihi nominavit ex amicis suis, cui consignare possem: hoc sane doleo, ejusmodi literatorum negotia plerumque negligi, & scombris ac cucullis destinari. Auro Tuas redimere vellem, quas a. d. II. Cal. Nov. Anni præteriti scripsisse Te significas: nunquam mihi traditæ fuerunt, quod certissimum est, & pariter infelicissimum. Præter illas XVI. Julii anni elapsi & XVI. Junii nullas ad Te memini me dedisse, quas non dolerem alicubi sepultas jacere, quia tanti non sunt, modo Tuas in commercium, & vitam, & manus meas revocare possem. Commentariolum meum de Danica lingua Tibi placuisse gaudeo: utinam verum diceres, Te doctiorem ab ejus lectione discessisse, quem nec doctiorem fieri posse, tot tua scripta loquuntur. Nihil enim in antiquitate te latet, quæ multo plura, & elegantiora suppeditat,

quam ut nostri orbis ἐκτρώματα comparanda veniant. Cœpi his diebus de nummis non signatis, inter populos multos receptis, aliquid meditari, sed nolo σχέδιον illud propalare, prius quam Tuam hac de re sententiam mihi perscripseris. Sunt omnium antiquissimi, & signatos ætate longe vincere puto. Danielis Majoris multo plura sunt opuscula, sed cœpta pleraque, nulla ad finem perducta; prout nec illa sunt, de quibus memorasti; nam ut igneum erat ipsius ingenium, ita flammam sæpius exstingui, & in cineres subsidere contigit. Ultimum erat de populis Cimbriæ, Germanice scriptum, & inscriptum Das BEVOLCKERTE CIMBRIEN, cujus prodromum præla viderunt. Rudbeckium secutus est in omnibus, sed & nævos ejus omnes amavit, ita ut nullum præterierit, si non alios superaddidit. Quod de Scandinovia mones, jam ante videram, sed quia sinum Codanum Mela sine controversia habet expressum, non mihi videbatur antiqua lectio de Codanonia rejici debere. Nam Scandia & Scandinavia etiam ulterius se extendit, quam ad solam Codanoniam aut Codanonias insulas: ita ut tametsi Scandinoviam possimus recipere, quia terras omnes septentrionales veteribus ignotas comprehendit, haud tamen tutum sit Scandinaviam Melæ tribuere, cujus alias non meminit. Plinius enim primus fuit inter latinos scriptores, qui & Scandinaviam & Scandiam adduxit illis oris, sed ita ut nec sinus Codani oblivisfcatur & Baltiæ insulæ l. 4. Hæc pro tutanda sententia de Codanonia dicta sunto; quia enim de sinu Codano constat, a Danis illum nomen sortitum esse, in insulis, ubi Dani habitarunt, Codanoniam esse debere, neminem non concedere debere puto. Suecos quosdam hoc scriptum meum nimis urere intellexi, aut hunc & alium locum præterea. Illi enim Taciti ætate & testimonio de Suionibus se tutos valde hactenus crediderunt; hoc igitur illos male habet, quod antiquiorem Melam obduxerim de Codanis & Danis. Ego veritati nihil in Suionum gratiam detrahere potui, cum non invideam eorum gloriæ, modo aliorum præ se non contemnant & fugilent. His vale, virorum optime, & salve. Dab. Hafniæ a. d. XXVII. Novemb. MDCXCIV.

Præstantissimo Celeberrimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS

Uti inter febres reptas, ita etiam ego per aliquot menses non satis firma usus sum valetudine, quanquam intermittente morbo munia subinde obire, atque adeo absentibus amicis operam dare potuerim. Si litteræ meæ in itinere inciderunt in Asclepium, tuarum certe comes fuit Hygiæa, vel Telesphorus, vel Apollo aliusve deus ἰατρὸς; ita iis legendis, credas velim, recreatus & refocillatus sum. Provinciam, quam cum maxime gero, multum absolvendis opusculis meis obstare, recte existimas; spero tamen, simul in integrum ero restitutus, æstate proxima me multum in iis profligaturum, atque adeo absoluturum antiquitates ἀνεκδότους.

A Wagenseilio ætatem etiam nullas litteras accepi, & cum diligentissimus fuerit in respondendo, vereor valde, ne quid humani acciderit viro optimo & eruditissimo.

Ecce tibi literarum exemplum, quas ad d. Cal A Nov. ad te dedi: sed non sunt tanti, ut auro eas redimas, & hic certe est, ubi agnoscam humanitatem & benevolentiam erga me tuam singularem.

Commentariolus tuus de lingua Danica me revera doctiorem dimisit, & facile credo illum urere Suecos, cum plurimum faciat ad extollendam Danicæ gentis gloriam & vetustatem.

Quæ de nummis non signatis mittis, me exhilararunt mirum in modum; atque argumentum illud novum dignum est eruditione & industria tua. Ejusmodi tamen nummos exstare vix puto, & ante Romam conditam Janus in ære expressit hinc navem ad servandam memoriam adventus Saturni in B Italiam, inde vero vultum suum, si fides habenda Macrobio. Neque enim ignoro, Plinium 33. 3. scribere, Servium regem primum æs signasse, atque Romanos usos ære rudi, id quod tamen idem 18. 3. videtur referre ad notam impressam nummis: *Servius Rex ovium boumque effigie primus æs signavit;* ubi nollem Harduinus annotasset, eundem Plinium lib. 34. c. 1. tradere a Numa ante Servium æs fuisse signatum: *Docuimus*, ait, *quamdiu Pop. R. ære tantum signato usus sit. Sed & alia vetustas æqualem urbi auctoritatem ejus declarat a Rege Numa collegio tertio ærariorum instituto.* Neque enim hæc verba nos docent, Numam æs signasse, sed tan- C tum æris usum Romæ ejus tempore, antequam signaretur a Servio, fuisse; idque patere ex collegio *ærariorum*, quales sunt artifices, qui vasa & alia opera ex ære faciebant, non autem, qui ex ære flato monetas, sigillariaque exprimebant, operaque ejusmodi proponebant, *Flaturarii* etiam, ut videtur, in vetustis inscriptionibus appellati, uti alibi commentatur idem Jesuita. Potuerunt quidem *ærarii* facere sigillariola & icunculas, sed nunquam credam eos signasse monetam. Plutarchus in Numa, inter varia collegia ab eo instituta, etiam *ærarios* recenset, eosque χαλκέας vo- D cat, nec puto ullum exemplum posse adferri, unde pateat, auctores græcos vel latinos illis vocibus denotasse unquam monetarios, vel fabros ærarios signasse monetam: & certe si *ærarius* ita cum Harduino exponi debet, jam *argentarius* & *aurarius* argenteos & aureos nummos percusserint necesse est. Non igitur Plinius tradit Numam æs primum Romæ signasse, quanquam Isidori ea sit sententia lib. 16. cap. 17. Orig. imo ante Isidorum idem memoriæ mandaverit Suet. Tranquillus, si fides habenda Suidæ in voce Ἀσσάρια, qui videntur fuisse decepti falsa vocis *nummi* etymologia. Nec quicquam præterea cum *ærariis*, nempe fabris, commune ha- E bent *Flaturarii*, qui in monetis erant: nam uti earum præfecti dicebantur *Triumviri auro argento ære* FLANDO *feriundo*, ita iis inserviebant *Flaturarii*, quemadmodum patet ex l. 5. Cod. Theod. de falsa moneta, ubi vide Gothofr. quem vel perfunctorie inspexit, vel non intellexit, id quod tamen a viro præclari ingenii abesse multum puto, Harduinus; inde in Inf. 4. DCXXXVIII. apud Grut. M. Ulpius dicitur fuisse FLATURARIUS AURI ET ARGENTI MONETARIUS. Illi quoque, qui fundebant metalla, & inde icunculas aliave opera faciebant, veniebant eodem nomine; in Inf. 6. pag. ejusdem mentio fit C. Junii Thala- F tionis *Flaturarii* SIGILLARIARII, inque altera ibidem obvia, C. Setlii Onesimi FLATURARII DE VIA SACRA. Sed inde tamen nequaquam constat, *Flaturarios* eosdem cum *ærariis* fuisse, neque etiam *Flaturarios* ex ære tantum fecisse sigillariola (nam de moneta signanda somnium est.) Sic in Inf. 6. epist. 56. Reinesii memoratur P. CLAVDIVS. P. F. IVSTVS. MANCIPS OFICINARVM. AERARIARVM QVINQVAE. ITEM. FLATVRAE. ARGENTARIAE, & in lapide alio

alio apud eumdem class. xr. 89. occurrit T. Flavius FABER FLATURARIUS SIGILLARIARIUS, qui viro eruditissimo exponitur χαλκεὺς ἀνδριαντοποιὸς signorum statuarumve ex ære fabricator, quamquam non videam, quominus idem ex auro vel argento etiam icunculas facere potuerit, nisi statuamus, id quod certe suadet *flatura argentaria*, alios ex ære, alio ex auro, alios ex argento vel ex utraque materia eosdem fudisse eas & fecisse. Neque tamen negaverim, hos *Flaturarios* vendidisse, præter sigilla, etiam res alias, & forte nummos raros veteresque. Nam ex Sueton. Claud. cap. 16. constat ad Sigillaria (vicum Urbis, qui a vendendis sigillis proculdubio habebat nomen) *argenteum essedum* venale fuisse, & Scævola titul. Dig. de leg. 3. mentionem facit *lancium emptarum de Sigillaribus*, & certe Ludovicus Savotus cap. 8. part. 1. Differtat. suæ arbitratur eo in loco vendita etiam fuisse numismata, quamquam putem eundem errare, cum scribit vicum *Sigillaria* appellari, *à cause des petites images, ou medailles, nommées sigilla*; neque enim credo umquam veteribus numismata eo nomine venisse; sed cum *numismata aurea vel argentea vetera* fuerint, *quibus pro gemmis usi sunt olim*, uti patet ex l. 25. D. de usufr. nihil equidem prohibere videtur, quominus statuamus, ejusmodi merces in Sigillaribus a Flaturariis fuisse venditas. Et vide tandem, an non ÆRARII ex ære malleorum ope fecerint lagenas, patinas, aliaque utensilia, FLATURARII vero imagunculas & alia opera ex ære fuso, quomodo hodie apud nos illi vocantur *Koperslaegers*, hi vero, *geel gieters*.

Sed quo delapsus sum? ignosce, quæso, digressioni tam inopportunæ; ipse nescio qui factum sit, ut illi tantum temporis impenderim. Cæterum nova illa materia tua habebit forte *difficultates* suas; sed nihil est desperandum, te duce & auspice, cupioque equidem vehementem in modum χέδιον illud videre. Varias autem gentes ante signatos nummos usos esse *massis æris rudis* certa forma & magnitudine, inde cum nota, quæ pondus indicaret, signatis, & verubus taleisve ferreis, docet pulchre Salmasius c. 11. de Usuris, quod argumentum tu proculdubio pluribus illustrabis.

Rudbechius insudat tertio Atlanticorum tomo, maximamque ejus partem confecit, sed cum fatis concesserit Nordenhielmus, qui ex Suecis Latina faciebat, videtur tam cito non esse publicandus; præ se fert cæteroquin Rudbechius, majorem, quam ex prioribus, voluptatem inde capturos veteris ævi rituumque studiosos.

Nosti quæ olim Goropius Becanus & alii expiscari conati sint ex linguarum Hebraicæ & Belgicæ convenientia, & nuper Franequeræ Franciscus Fori Otrokocsi Hungarus ex Græca, Hebræa, aliisque orientalibus linguis probare annisus est, Hungarorum majores per Græciam, Asiamque fuisse olim dispersos.

Sed tandem nunc accipe, quid mihi videatur de Philippi Arabis Christianismo. Magna ea de re inter eruditos quæstio est, & stant pro utraque sententia viri magni, quos fere recenset Joh. And. Bos. c. 3. de Pont. Max R. Impp. atque ipse judicat rem omnem confictam, & verisimilem esse eorum conjecturam, qui a Scriptoribus Græcis duos Philippos, hunc Augustum, & illum Præfectum Augustalem Ægypti, Eugeniæ martyris patrem, confusos esse censent, atque huic tribuenda, quæ de Imperatore Eusebius, & ceteri prodiderunt; quomodo olim Cedrenus, atque apud Zonaram alii eodem errore Imperatorem Eugeniæ patrem fuisse scripserunt. Quæstionem hanc etiam tractarunt Christian. Kortholdus, & Ciampinus, ille quidem a. 1662. edita Rostochii dissertatione historica de Christianismo Philippi Arabis & Alexandri Mamææ, hic vero nuper a. 1691. Romæ publicata Sacro-historica disquisitione de duobus emblematibus, quæ in cimelio Cardinalis Carpinei asservantur, in quorum altero præcipue disceptatur, an duo Philippi Impp. fuerint Christiani; sed quæ illorum sit sententia ignoro plane, cum Kortholdum nancisci nullo modo possim, & Ciampinus nondum Roma ad me sit missus, id quod tamen spero futurum propediem. Præterea Spanhemii fratres, Fridericus quidem in Introductione T. I. p. 276. Ezechiel p. 653. suarum differt. ante eos David Clericus Quæst. sacr. 29. Christianismum Philipporum damnant plane & rejiciunt; nuperque etiam Petrus Factidius p. 118. notarum, quas eruditas Parisiis a. 1689. vulgavit in sermonem Gallice habitum die festo Polycarpi, eandem sententiam propugnavit, id quod etiam fecit Gulielmus Cave in libro ex Anglica in Belgicam linguam verso quem inscripsit, *Primum Christianismum*.

At contra Wetstenius præfat. quam præfixit Origenis dialogo contra Marcionitas, Stephan. le Moyne in prol. var. sacr. Huetius in Origenianis, Tillemontius part. 2. Tom. 3. Histor. R. Impp. & præcipue Gallus, cui nomen De la Faye, in Helvetia Theologiæ professor, existimant Philippum fuisse *Christianum*, atque hic id multis argumentis probare conatus est in dissertatione, cui titulus, *Entretiens historiques sur le Christianisme de l' Empereur Philippe, dans lesquels on prouve & on établit ce Christianisme*.

Sub judice igitur lis manet, & certe mihi equidem difficile admodum videtur statuere, quæ sententia verior sit; ethnicorum scriptorum & inprimis Zosimi silentium, qui Christianismum Philippo proculdubio exprobrassent, indicium haud parvum est, fictam historiam esse, at contra Eusebii & Origenis loca contrarium plane suadent.

Et mihi quidem videtur Eusebius certo affirmare lib. 6. c. 37. Philippum fuisse Christianum, & illius verba κατέχει λόγος, vertenda esse, *Invaluit fama Philippum, cum esset Christianus, in postrema paschæ vigilia*; adeo ut non in dubium vocetur Philippi religio, sed historia illa (si modo κατέχει λόγος aliquam dubitationem involvit) recteque factis Eusebii Græca verba versa sint in editione Valesii, *Hunc, ut pote Christianum, fama est*: præterea idem lib. IV. Vitæ Constant. narrat eum solum ex omnibus retro Impp. διαφανῶς *aperte* fuisse Christianum, quæ loquendi formula nihil aliud nos docere potest, quam alios ante Constant. Impp. ad instar Nicodemi, in operto Christianam religionem fuisse amplexos, & inde proculdubio factum, quod Patres scripserint plerique, neminem Imperatorum ante Constantinum Christianum fuisse. Quinimo Dionysius apud eundem 7. 10. scribit nullum superiorum Principum vel Impp. ne illos quidem, οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι, *qui palam Christiani fuisse dicuntur*, tanta benevolentia, ac Valerianus initio faciebat, Christianos amplexum fuisse, per quos nihil vetat cum Valesio intelligere Philippum & Alexandrum Severum, licet conetur elevare hoc testimonium, tanquam dicat solum, eos dictos & existimatos Christianos, non autem revera fuisse. Sed tamen magnum hoc est testimonium, Dionysii tempore creditum fuisse, ante Valerianum nonnullos Imperatores Romanos Christo nomen dedisse: fuit is Alexandrinus, præfectus scholæ Catecheseon, claruit sæculo tertio medio ipsis temporibus Philippi, qui regnare cœpit anno Christi 244. mortuusque est anno Gallieni XII. Cum autem Alexandriæ viveret, nec cognoscere ad amussim posset, quæ Romæ & in

Occidente agerentur, neque etiam conspiceret Impp. qui dicebantur esse Christiani, abolere gentilium templa, maluit ita exprimere, quæ ipsi nuntiabantur, quam tamquam experta sibi affirmare. Mihi nihilominus videtur hinc argumentum posse peti satis validum, Philippum a Christianis Christianum fuisse habitum, sive palam, sive, uti puto, tecte illam religionem profiteretur; atque uti ejusmodi res augentur narrando, factum esse a veritate non est alienum, nonnullos Christianorum dixisse, eum etiam palam fuisse Christianum. Quid quod Origenis etiam extitisse epistolam ad Philippum Imper. atque ad conjugem ipsius Severam, testetur Eusebius 6.36?

Scio eruditos sentire, hanc suppostitiam esse, vel errasse Eusebium, sed tamen a vero mihi non videtur alienum, illud Origenem fecisse, cum etiam Hippolytus, quo iste familiariter usus est, scripserit προτρεπτικὸν, uti ex laterculo operum ipsius patet. ΠΡΟΣ ΣΕΒΗΡΑΝ ΑΥ. *Ad Severam Augustam*, quemadmodum scribendum censet Steph. le Moyne pro ΣΕΒΗΡΕΙΝΑΝ, qui etiam docet, hanc esse Martiam Otaciliam Severam, Philippi conjugem, id quod non improbatur Gulielmo Cave in Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum: qui tamen adjicit, epistolam hanc non male etiam referri posse ad Alexandri Severi uxorem, aut ex ejus familia aliquam, si durius videatur eo usque protrahere ætatem Hippolyti. Nollem tamen Stephanum le Moyne scribere p. 1106. Philippum etiam misisse literas ad Fabianum Urbis Romæ Episcopum. Neque enim video quo aliàs tendant verba, quæ sup-
„ ponam. Unde tandem opinio Philippum ipsum
„ revera Christianum fuisse. Quod certe a ratione &
„ vero non mihi videtur alienum. De eo sic Euseb.
„ loco proxime laudato (lib. 6. c. 36.) Scripsit ad
„ Fabianum Episcopum Romanum, & ad pluri-
„ mos *Ecclesiarum Antistites, de sua fide orthodo-*
„ *xa* &c. Quod certe Eusebio non excidisset, nisi
„ res ista clara fuisset, ut nullo jure negari pos-
„ set. Alia suadebant Philippi invidiosa memoria
„ ob cædem Gordianorum, alia Constantini M.
„ decus & fama, cui Eusebius impense favebat,
„ & cui libens gloriam primi ad Christum conversi
„ Imper. tribuisset, nisi necessitate victus palmam
„ Philippo decernere debuisset. Hæc certe & quæ sequuntur alia verba satis mihi equidem superque docere videntur, Stephanum credidisse, Eusebium hic loqui de Philippo Imp. cum tamen vel prima fronte appareat Historiæ Ecclesiasticæ conditorem enarrare epistolas, quas Origenes scripsit, interque eas unam ad Fabianum, in qua probabat se orthodoxum esse; & notum utique est, Origenem male vivum etiam audivisse, & propterea sese apud Romanum Episcopum expurgasse. Philippus igitur, si quid video, Christianus fuit, iisque favit mirifice, quod equidem proculdubio non fecisset, si gentilium superstitionibus adhuc fuisset immersus. Hinc βασιλείαν ejus δὴ μενεςέραν Christianis scribit fuisse Dionysius apud Euseb. 6. 41. at contra, quod in primis notandum, Zosimus in Christianos iniquus carpere eum non dubitat, nam scribit 1. 21. milites, qui tendebant in Mysia & Pannonia, Imperatorem novum constituisse eligere, nempe Decium, ὃς καὶ τῶν Κοινῶν ἂν ἐπιμεληθείη κρεῖσσον, *qui rem publicam melius regeret*, Deciumq; πολιτικῇ τῇ ἀρετῇ καὶ πολεμικῇ πείρᾳ Philippum superasse. Præterea non video, cur ab Eusebio Decius dici possit Christianos persecutus esse propter odium in Philippum, nisi constiterit, vel certe gentiles etiam persuasum habuerint, eum Christianorum sacris fuisse addictum; atque inde puto repelli posse Scheringamum, qui pag. 87. Orig. gentis Anglor. scribit Philippum omnium pri-

A mum ex R. Impp. fuisse Christianum, sed non adhæsisse fidei Christianæ, & proinde honorem illum merito deferri Constantino. Nam si ejurasset Philippus Christiana sacra, & ad gentilium aniles superstitiones fuisset reversus, jam utique propter odium in ipsum non posset dici Decius vexasse Christianos; quin mihi propius vero videtur, Philippum, si eo usque vesaniæ venisset, persequuturum fuisse Christianos, ut ita ostenderet se Christo D. N. nuntium remisisse.

Gulielmus Cave p. 90. edit. Belgicæ *Primi Christianismi*, arbitratur Christianismum Philippi plane refelli ab Origene pag. 425. contra Celsum,
B ubi diserte negat, Christianos unquam dixisse, omnes religionem eorum amplexuros, si Cæsares, id est, Philippus & filius ejus, Christiani forent, id quod ipsis objiciebat Celsus. Verum mihi videtur haud firmum satis hinc argumentum peti, quia Origenes non negat Philippos fuisse Christianos, sed invidiam tantum a suis amovet, quos illud nunquam dixisse contendit, & si maxime talia dixerunt, ut Celsus affirmabat, Christiani, patet hinc utique, Cæsares tacite eorum sacra adprobasse, sed Origenem illud tanquam calumniam rejicere, quia ejusmodi dicta ipsis Impp. nocere potuissent, rebus nondum satis bene constitutis, un-
C de etiam factum puto, ut illi publice Christo nomen dare non fuerint ausi.

Ezechiel Spanhemius pag. 653. Differtat. e nummis eruere argumenta conatur ad rejiciendum & explodendum plane Philipporum Christianismum. Verum dii eorum in nummis obvii non satis mihi firmæ probationes sunt; nam in Constantini etiam filiorumque illius nummis ficta numina sunt obvia; deinde signati illi proculdubio sunt a monetariis gentilibus, qui vel ignorabant Philippum Christianum esse, vel qui, licet id perspectum haberent, veterem morem sequebantur, præcipue
D cum temporum ratio non pateretur, ut Impp. ejusmodi res prohiberent; at contra illa ipsa suadebat, ut permitterent nummos ita signari, id quod etiam sub Constantini imperio factum esse utique palam est: si quis autem inde vellet inferre, eum Christianum non fuisse, opera certe & oleo abuteretur. Wetstenius Philippum fuisse Christianum per nummos Apameorum probare conatur, inque iis extare putat non modo historiam diluvii Noachici, verum etiam Patriarchæ Noæ ipsissimum nomen; Stephanus le Moyne, licet etiam existimet Philippum Christo nomen dedisse, Noæ tamen nomen ex nummis aufert, & nomina ipsis inscripta
E ita jungit, ΑΠΑΜΕΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, ita ut illæ urbes testentur sese agere concordes, quomodo in alio numismate obvium est ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΓΝΗΤΩΝ, quod tamen etiam in mentem venit Falconerio pag. 172. Verum, ut ut statuam, Stephanum τὸν μακαρίτην recte judicare, tamen alius ejusdem populi nummus majores difficultates habet, quia in eo, præter vocem ΝΩΕ, legitur, uti ea verba jungenda existimo, ΕΠΙ ΜΑΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ, qui titulus similiter plane occurrit in alio pag. 226. Hinc puto in binis illis saltem vel litteras ΝΩΕ numerales esse, vel forte respicere una cum arca &c.
F ad diluvium Noachi. Apamea Phrygiæ dicta fuit κίβωτος, ubi ex nummis & Plin. lib. 5. H. Nat. patet, potueruntq; incolæ sive gentiles, sive Christiani, voluisse propter similitudinem nominis conservare historiam diluvii Noachici, quia κιβωτῷ, λάρνακι vel arca vectus fuit. Nec obstat ipsum nomen, nam Patribus & Judæis Græce scribentibus, uti Justino Mart. Apol. 1. Philoni lib. de præmiis & pœnis, Noachus etiam *Noe* appellatur, deinde auctor Orac. Sibyllin. qui satis antiquus est, canit arcam in Phrygiæ mon-

te prope Marsyam amnem constitisse, illumq; montem dictum esse *Ararat*, quod licet falsum sit, quia illius nominis mons in Armenia est, tamen inde constat, tunc ejusmodi opinionem invaluisse, cui tamen ipsum nomen Κιβωτὸς potuit originem dedisse, atque ita arcam Noachi vocant Chrysostom. & Theoph. Antioch. lib. 3. ad Autolycum, ubi arcæ Noachicæ reliquias suo tempore extitisse ἐν τοῖς Ἀραβικοῖς ὄρεσι, Bochartus reponit *Armeniis*, idque probat Falconer. p. 203. sed tuum erit judicare, an non potius minima mutatione scribendum sit, Ἀραβικοῖς, quanquam suam veteres Arabiam late extendisse, & eo nomine etiam comprehendisse Mesopotamiæ partem. Et quia in eo sum, patere, ut addam in nummo ejusdem populi Apamensis legi, ΑΠΑΜΕΩΝ ΚΙΒΩΤΟΣ ΜΑΡΣΥΑΣ. Harduinus p. 59. arbitratur ΚΙΒΩΤΟΣ ΑΠΑΜΕΩΝ dici, uti *Lutetia Parisiorum*, aliique aliter sentiunt, ut patet ex iis, quæ annotavit Falconerius; sed ego tibi expendendum trado, an non unus ex fluviis qui urbem illam adluebant, etiam Κιβωτὸς dictus sit, uti certe ΜΑΡϹΥΑϹ fluvii nomen est, & non insolitum, in his monumentis legere duorum fluviorum nomina; plures autem ad urbem eam fluvios fuisse & quidem Marsyam, Obrimam & Orgam, ex Plinio patet, fierique potuit, ut unus ex posterioribus binis, vel alius itidem Κιβωτὸς sit appellatus. Præterea in aliis ejusdem gentis nummis arcæ inscriptum est ΝΗΤΩΝ, non autem ΝΩΕ. & si nummi reliqua inscriptio ita digeritur, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΝ ΑΡΤΕΜΑ ΑΠΑΜΕΩΝ, jam certe arcæ inscripta vox nullo modo posset referri ad Magnesios. Apud Harduin certe p. 59. in nummo scribitur, ΕΠΙ ΑΡΤΕΜΑ Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΚΟΙΝΟΝ, *sub Artema tertium prætore*, & idem pag. 599. testatur, sese in nummo Severi, qui asservatur in cimelio regio, vidisse Deucalionem & Pyrrham, nec non ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΝ ΑΡΤΕΜΑ Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ. ΝΕΩΚ. cum cœteroquin ex sententia Stephani le Moyne ita hæc forent digerenda, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘ. ΑΡΤΕΜ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΝΕΩΚ. quod utique num amplectendum sit, pateret satis, si mihi daretur inspicere ipsos nummos, quos vir diligentiæ & eruditionis spectatæ Harduinus manibus tractavit.

Verum, uti revertar ad Philipporum Christianismum, sunt bina apud Origenem loca, quæ rem totam conficiunt, & clarissime docent, eos Impp. optimo jure palamq; Christianam religionem fuisse professos: nam dial. extremo contra Marcionitas p. 160 ita loquitur: οἷς ἀσεβεῖς πειθόμενοι συναγελάζον) βασιλεῖς καὶ πάντες ἄρχοντες. *quibus pie persuasi Impp. aggregantur & omnes præfecti*, & p. 30. ejusdem dialogi, Origenes introducit Megethium Marcionitam objicientem, Christianos alterius Dei esse, & a Deo creationis alienos, quia crebris jactabantur persecutionibus, & odio habebantur, illudque inde patere, quia legitur in S. S. *Cor regis in manu Dei*, & proinde Deum illum creationis eos persequi, eo quod in manu sua corda regum habeat: quibus hæc respondet Adamant. *Si quidem has argutias antegressis temporibus confinxisses, utcunq; rationem habuissent, habuissent tamen & facilem solutionem. Ego autem arbitror te istud argumentum inepte adduxisse, & ad tempus parum accommodate. Nunc vero cum* βασιλεὺς θεοσεβὴς *existat, quid? aisne alterum quempiam Deum superiorum Regum ante hunc corda tenuisse & persecutorem fuisse, alterum autem Deum hujus cor moderari? melius enim & contra quam illi reges, hic pius imperat, quæ enim dissiparunt illi, restaurat iste, quos oderunt illi, diligit iste, quæ illi fana & idola in honore habuerunt, hæc iste subvertit*. Certe nihil tam claris verbis opponi potest, & Philippus proculdubio fuit Christianus, si Origenes hujus dialogi, uti eruditi existimant, auctor est, quia illius ætate floruit, nec attigit tempora Constantini, adeo ut nulli alii Impp. qui ante hunc regnarunt, quam Philippo verba illa conveniant. Petrus Factidius p. 118. libelli laudati, Philippi Christianismum rejiciens plane, Origenem loqui putat de Regibus Edessæ & Osdroenes, idemque etiam facit Wetstenius p. 12. & 13. præfat. si concedere posset Philippum non fuisse Christianum, & allegat præterea *Principes Christianos* ex Origene, *Helenam*, Agarenorum Reginam, ex Adone Viennensi, vel *Lucium* Britanniæ Regem ex aliis, id quod certe nollem factum. Nam *Principes Christiani* illi non sunt Reges, vel qui regebant populos, uti hodie sunt, Duces & Comites, sed præfecti, & primores civitatum; & Adoni nec non scriptoribus, qui Lucium Britannum nobis tradunt, haud magna fides adhiberi potest. Quin ego sic statuo, per βασιλεῖς nullos alios intelligi posse, quam Impp. Romanos Philippum, & ejus filium, iisque addendam conjugem & matrem, Otaciliam Severam, Alexandri Severi sororem vel filiam, uti conjecturatur Stephan. le Moyne, ad quam Origenes litteras scripsit, teste Eusebio, quasque sua ætate superstites etiamnum fuisse narrat Hieronymus; & notum est, Græcos per βασιλεῖς; Latinos per *Reges* tam Imperatorem quam Augustam, & tam Reginas, quam Reges intellexisse. Ad hæc nullum mihi dubium, quin Græci Patres, sub Imperio R. viventes per βασιλέα absolute positum, & non addito regionis nomine, cujus rex erat, vel cum etiam ex narratione non patet, de alio quoquam rege agi, semper intellexerint Imp. R. nec probare possum sententiam Harduini, qui βασιλέα obvium in epistola 1. Petri 2. 4. refert ad Polemonem Regem Ponti lib. *de Nummis Herodiadum*. Neq; enim tanta ejusmodi regulorum auctoritas, uti eorum mentionem faceret Apostolus, nec unquam ille probabit, auctores, qui R. Impp. vocant βασιλέας, suppositios esse, vel Polemonem imperasse Ponto, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, ad quarum regionum incolas scribit B. Petrus. Si quid igitur Origeni credendum, optimo jure Philippus fuit Christianus, quippe qui ναοὺς τε καὶ εἴδωλα everterit; sed, ut verum fatear, mihi hoc factum tam præclarum & magnum adeo videtur, ut persuasissimum habeam, Christianos illius temporis illud fuisse celebraturos, & gentiles culpaturos, si tam aperte religionem veram professus esset Philippus. Quid? an de illo tacuisset Zosimus, qui tam iniquus est in Constantinum Magnum? an Dionysius Alexandrinus, qui Philippi & Decii temporibus floruit, apud Eusebium, tam pulchrum facinus non memorasset, tribuissetque tantum Philippo βασιλείαν Christianis ἀμενεστέραν?

Mihi certe illa mira, imo mirificissima videntur, & facile crederem, auctorem dialogi vixisse sub Constantino, & *Origenis* nomen illi esse præpositum, quia unus colloquutorum vocatur *Adamantius*. Atque uti hodie eruditi hæreticos priorum temporum refutant, ita & aliquis sub Constantino impugnare potuit Marcionitas, quorum tunc temporis forte fuerunt superstites reliquiæ. Et priore quidem loco βασιλέας memorat auctor dialogi, complectens eo nomine Constantinum Aug. filiosque Cæsares, & altera βασιλέα θεοσεβῆ, id est, Constantinum solum, quia illius edictis gentilium templa demoliebantur. Quicquid sit, illud affirmare audeo, Philippum publice Christo nomen dedisse, si dialogi hujus auctor Origenes, uti multis probare conatur Wetstenius; nec mihi ullum majus illius rei indicium erit, quam gentilium templa & idola subversa.

Monui Stephanum le Moyne, virum doctissimum, statuere, Philippum fuisse Christianum, &

Hippolytum ſcripſiſſe *προτρεπτικὸν* ad uxorem ejus Severam; ſed idem negat, Juliam Severam ſive Domnam, Septimii Severi uxorem & Caracallæ matrem, fuiſſe Chriſtianam vel cum Chriſtianis habuiſſe commercium (id quod affirmant præclaræ viri eruditionis) quia Severus eos tanto odio proſequebatur, ut illo imperante in Ægypto, Africa, Italia & Gallia ſint horendam cladem experti. Sed virum eruditum videtur refellere Tertull. c. 4. ad Scap. *Ipſe etiam Severus pater Antonini Chriſtianorum memor fuit, nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Eubodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem & Antoninus optime noverat lacte Chriſtiano educatus; ſed & clariſſimas fœminas, & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum etiam teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.* Locus hic mihi inprimis notandus videtur, & propterea veniam, uti ſpero, dabis, ſi illius explicationi paululum inhæream. Caracalla igitur dicitur *lacte Chriſtiano nutritus* fuiſſe, quæ verba nihil mihi aliud ſignificant, quam matrem Severam, vel nutricem ejus fuiſſe Chriſtianam. Certe Auguſtarum nonnullas liberos ſuos lacte ſuo aluiſſe patet ex nummo Fl. Theodoræ ſecundæ Conſtantii Chlori uxoris, qui repræſentat nobis Auguſtam puerulo mammam dantem, quiq; inſcribitur PIETAS ROMANA; deinde Domna multum dicitur fuiſſe converſata cum Sophiſtis vel Philoſophis, indeq; emendante Salmaſio, dicta Philoſtrato eſt *ἡ φιλόσοφος*, & inter eos Sophiſtas vel Philoſophos Chriſtiani doctores eſſe potuerunt, quorum ſcilicet religio etiam *Philoſophia* appellabatur, quique ad inſtar Philoſophorum pallio amiciebantur. Quod ſi autem aliquis *nutricem* præferre malit, crediderim facile eam fuiſſe *Eubodiam*, filiam forte vel ſororem *Eubod.*, qui Caracallæ fuit *τροφεὺς*, teſte Dione pag. 861 & 870 apud quam videre & cognoſcere familiariter potuit Proculum ejus procuratorem. Et ſi maxime Caracalla a nutrice Chriſtiana fuit educatus, nec mater Auguſta ipſum infantem aluit, inde tamen haud leve argumentum peti, niſi plane fallor, poteſt, Juliam Severam Chriſtianis faviſſe, vel Chriſtianam fuiſſe. Neque enim mihi fiet veriſimile, eam credituram fuiſſe infantem, Principem Juventutis, diverſa ſacra colenti nutrici, ſi nullum cum Chriſtianis habuiſſet commercium. Severus Septimius ipſe Chriſtianis favit; ſed cauſa mutati animi mihi videntur Judæi fuiſſe, & tamen poſtea iterum amplexus eſt priores. Judæos igitur rebellantes vicit, & Caracallæ eo nomine decretus eſt Judaicus triumphus, Spartian. cap. 16. & Euſeb. a. 198. narrat *Judaicum & Samariticum bellum motum* eſſe, inde a. Chriſti 199. profectus eſt ad bellum Parthicum, quo confecto Antiochia petens Alexandriam leges in Judæos & Chriſtianos tulit. Idem Spart. cap. 16. *poſt hæc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit, in itinere Palæſtinis plurima jura fundavit, Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit, idem etiam de Chriſtianis ſanxit.* Innoxii quidem a rebellione Judaica Chriſtiani, ſed quia Judæorum etiam numero gentilibus comprehendebantur, atque ex iis orti erant, pari etiam odio habebantur, eademque illos clades involvit. Cæpta perſecutio eſt anno Severi 10. nam *Euſeb. lib.* 5. *cap.* 25. de anno nono loquens, illius non meminit, ſed l. 6 cap. 2. ſcribit Severo annum imperii decimum agente, eam maxime flagraſſe, & cap. 7. narrat, Judam quendam commentatum eſſe de LXX. Danielis hebdomadibus, & calculum ſuum perduxiſſe ad annum Severi 10. quo nimirum perſecutio incœperat, uti etiam patet ex Euſebii Chron. & Chron. Alexandrino, unde etiam multi exiſtimabant, tunc temporis imminere Antichriſti tempora. Severus tamen poſtea animum in melius mutavit, & inde *ἐμφατικῶς* loquitur Tertull. *Ipſe quoque Severus*, qui nempe tam acerbiter Chriſtianos fuerat perſecutus, *memor fuit Chriſtianorum*, calamitatibus eos exemit, benevolentia complexus eſt, & a perſecutione deſtitit, edoctus procul dubio nihil illos cum Judæis habere commune, neque ab eorum rebellantium partibus ſtetiſſe, atque etiam memor ſe a Chriſtiano Proculo fuiſſe ſanatum. Neque tamen gentiles ceſſabant vexare Chriſtianos, unde iis reſtitit poſtea Severus, cum ſcilicet Chriſtianos ad pœnas vel ad beſtias more ipſis uſitato depoſcerent, cumque toto imperio mala hæc ſimul tolli non poſſent, incenſique furore gentiles atque adeo proconſules & præfecti, licet animus Imperatoris mutatus foret, punire Chriſtianos variis in locis pergerent; inde puto, Euſebium narrare perſecutionem maxime flagraſſe anno x. qui primus erat, quoque Imperator ipſe etiam infeſto erat in Chriſtianos animo: qui licet poſtea meliora ſentiret, & illos favore ſuo amplecteretur, tamen, uti monui, gentiles in provinciis non plane deſtiterunt a perſecutione, ſed tunc non tam acerbiter ſævitum eſt, quia Severus animum mutaverat.

Hæc ſunt, vir præſtantiſſime, quæ tecum communicare viſum fuit, teque etiam atque etiam rogo, ut haſce conjecturas (neque enim *κυρίας δόξας* mitto) æqui bonique facias, mihique, quod commodo fiat, ſignifices, quæ & quot earum illuſtrandæ magis, atque adeo corrigendæ ſint. Sed cum jamjam finire vellem, ecce novas mihi ſuppeditabant Tertulliani verba. Nam 1. inde diſco, Severum Septimium ægrotaſſe, & a Chriſtiano Proculo fuiſſe ſanatum oleo; qua de ſanandi ratione egerunt multis ſatis Antiquit. Eccleſiaſtic. ſtudioſi. 2. rem illam nullibi memorari ab iis, qui vitam hujus Imp. litteris mandarunt, & propterea locum iſtum valde eſſe notabilem. 3. Si per, *qui eum per oleum curaverat*, Severus intelligendus non eſt, relinqui examinandum, an non reponi debeat *eam*, nempe *Eubodiam*, nutricem forte Caracallæ, quæ ægrotantem Imp. admonere potuit, ſeſe a Proculo fuiſſe ſanatum, vel denique *Eubodi* (qui Caracallæ *τροφεὺς* fuit) *procuratorem, qui eum*, nempe *Eubodum*, ſanaverat, quique eam ob cauſam Severo Proculum commendare potuit. Sed hæc quidem ſomnia ſunt mera, & ego patientia tua abutor. Vale plurimum, Davent. IV. Martii 1695.

Magliabequii ad Oligerum Jacobeum litteras, quas ex Italia accepi, rogo curare velis.

XX.

Ampliſſimo & Excellentiſſimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Eruditiſſimæ Tuæ a. d. 4. Mart. ſcriptæ recte mihi ſunt traditæ. Quod ſerius reſpondeam, morbus pertinax, qui me hactenus lecto affixum detinuit, ſonticam cauſam dicet. Frigoris enim vehementia illum, prout Medici teſtantur, attraxit, meque proſtravit penitus, ut his menſibus inter febres & hypochondriaca mala reptare coactus ſim. Paululum reſpiro, & quantum debeam, ad prolixam & profundam eruditionem

illam Tuam, quam ultima Epiſtola tam benevole, tam liberaliter & candide mecum communicaſti, paucis his, licet febricitante etiam calamo natis, & jejunis, ut reſponderem ulterius minime ſuperſedere volui. Primus es ſane, cui hoc literarum officium poſt aliquot menſes impendere licuit.

De Philippo Arabe quæ tam erudite commentatus es, adeo mihi placuerunt, ut decies deciesque relegerim, nec puto quemquam poſthac contradicturum, quin ita ſolide probatum dederis, Philippum Chriſtianis faviſſe, ut parum abfuerit, quin ipſe Chriſtianus fuiſſe dici queat. Profeſſus ſe non fuit Chriſtianum, baptiſmi Sacris non fuit ablutus vel tinctus, cœtera animum docent ipſi in Deum Chriſtianorum, illorumque mores & ritus fuiſſe propenſum, ut Tiberium, ut alios, Chriſtum in larario ſibi colendum poſuiſſe, Chriſtianos defendiſſe, in aula toleraſſe, conatibus eorum numquam obſtitiſſe, nullis perſecutionibus contemſiſſe; hæc adeo manifeſta feciſti, ut nihil opponi queat, nec ultra ſententiam tuam progredi velle videre mihi videor, quoniam Chriſtianum fuiſſe Philippum exinde non ſequitur, qui noſti ſatis, aliud eſſe Chriſtianis favere, aliud Chriſtianum eſſe. Alia longe ſunt κριτήρια, quæ Chriſtianum diſtinguunt, profeſſio, baptiſmus, perſeverantia in fide vera, quæ Philippo non tam defuiſſe probaſti, quam ad illum apicem eum non perveniſſe, quo poterat adſcendere, ſi diutius vixiſſet, ſi tempora permiſiſſent, idolis adhuc nimium dedita. Præparato erat ad hæc animo, ſed in rem ipſam nec ipſe ſe, nec alios deducere potuit, prout Conſtantinus M. qui multo pluribus exemplis profeſſus eſt non ſolum favorem, ſed & Chriſtianum ſe vivere, & mori velle, licet clinicus baptiſmum acceperit. Hæc mea ſententia eſt de Philippis, nec dubito, quin tua ſit: nam Chriſtianos dici poſſe Philippos in illis, quos propoſuiſti, conatibus ſubſiſtentes haud plane velim contendere. Origenes εὐσεβεῖς & θεοσεβεῖς vocat hos Imperatores; quod potuit ob animum plane pium, quo ferebantur in Chriſtianos: at palam eos profeſſos eſſe religionem Chriſtianam, hoc nullibi dicit, nec factum eſſe puto. Fana quidem & Idola deſtruere, haud eſt actus ſua natura demonſtrans Chriſtianiſmum, cum multis ex cauſis fana olim demoliti ſint ipſi Gentiles, minime Chriſtianis propitii. Niſi igitur probetur, in gratiam Chriſtianorum Philippos fana deſtruxiſſe, clauſiſſe, in Chriſtiana commutaſſe, haud facile Origenem aliter interpretari licet eo loco, quam exaggerantem pietatem Philippi contra adverſarium Megethium, cui Philippi Imperatoris opponit pietatem, Deo uni & vero Chriſtianorum adhærentem, qui non ſit alius a Deo creationis, ideo eum Chriſtianos diligere, ideo fana & Idola deſtructa jacere, ut ſenſit Origenes, non probans tamen Philippos, ſolam pietatem Chriſtianam reſpicientes, aut Chriſtianos dilexiſſe, aut fana Gentilium evertiſſe. Multæ ſane politicæ cauſæ ſubeſſe poterant, cur Philippi & Proceres eorum favorem Chriſtianis præſtare, cum ſuis commodis conjunctum eſſe maxime crederent & viderent; quæ ſtudium in Chriſtianos quidem ſummum provocant, at fidem veram vel fidei profeſſionem publicam non ſtatim faciunt aut probant. Sed eo delabi nos haud eſt neceſſe, Origeni fides omnino eſt habenda, Philippos ſtuduiſſe veræ fidei Chriſtianæ, idque, quantum licuit Imperatores, teſtatum fuiſſe: licet profiteri ſe Chriſtianos, vel baptiſmum ſuſcipere, dum vixerint, præpediti ſatis fuerint. Recte quoque urges Euſebii teſtimonia illis temporibus poſt Origenem proxima, qui Conſtantino

A laudem hanc Chriſtianiſmi primi non paſſus eſſet eripi, niſi compertum habuiſſet, Philippos paſſim Chriſtianos exiſtimatos eſſe: unde Chriſtianos etiam fuiſſe non timet afferere. Quidquid contra hæc moverunt nuperi Scriptores, talia ſunt, quæ veterum fidem labefactare minime poterunt, adeo ut illi maxime corrigendi videantur, qui plane fictam eſſe hiſtoriam perſuadere conati ſunt. Chriſtiani Kortholti diſputationem hac de re, ſi nanciſci potero vel Kilonii, vel Roſtochii, ad te protinus curabo: haud enim erit magnæ molis, modo certum hominem Amſtelodami nomines mihi, qui tua tranſmittere poſſit. Quæ de *Noe* ex Apa-
B meenſium nummis multi propter κιβωτὸν in iis excuſum conjecturare cœperunt, doleo eos ita lapſos. Nihil enim adeo in nummis Græcis frequens eſt, quam ultimas ſyllabas inverſo more ſcribi & ſubſcribi, ex. gr. ΑΠΑΜ--ΕΩΝ ita invertitur in ſubſcripta linea, ΑΠΑΜ--ΝΩΕ, monetque continuandam lectionem ſubtus diviſam cum circumſcriptione, ubi iſta deſiit, ac ſi eadem rotunditate comprehenderetur; lectionem Αγαρικοῖς pro Αραβικοῖς omnino præferendam judico. De κιβωτῷ fluvio non ſine ratione ſtatuis, cum jungatur Marſyas fluvius ſatis notus. Sed malim ἐπέχειν,
C donec nummus ipſe offeratur inſpiciendus, cum in his excudendis non ſatis attente verſari ſoleant docti Viri aut Sculptores. Κιβωτὸς ſane navigium in nummo proſtat, nec fruſtra eſſe puto, cur illud navigii genus præferant iſti populi, quamvis a Noachi diluvio veram cauſam haud eſſe petendam videre mihi videar.

Quæ de ærariis & flaturariis attuliſti, egregia ſunt & docta, nec quidquam diſſentio, & fateri neceſſe eſt, initio diſtinctos omnino fuiſſe ærarios a flaturariis; quamvis hos ætas poſterior magis confuderit, ut ſolet fieri, opificiis flaturæ tam ærariis, quam flaturariis, communibus factis, ita
D tamen, ut flaturæ æris ad alia metalla ſe non extenderint. Hinc flaturarii ſigilliarii ſe diſtinxerunt a flaturariis monetariis, qui in ſolis monetis flandis occupabantur, ut iſti in ſolis ſigillis, a quibus ærarii artifices omnino ſeparantur; licet conflare æs quoque debuerint, priuſquam malleo ducere deinceps vaſa potuerint, ut hodienum ſolent; eo enim ærariorum artes maxime ſpectare recte judicas, & ſic a flaturariis, monetariis, vel ſigillariis diſtingui debuerunt, cum ærarii in æreis ſolum vaſis fingendis toti eſſent, ideoque ærarii rectius appellari potuerint, quam flaturarii, qui ex
E omnibus metallis & ſigilla & monetas conflantes iſta deinceps cælis artificioſiſſime expoliebant, has ſub cuneo monetali ſudare, & effigies recipere docebant, quas vellent. Hæc cauſa eſt, cur ærarii non dicti ſint flaturarii, ſi quidem ſola ærarii vox flaturam æris quoque comprehendebat, & flaturarii plura metalla, æs, aurum, argentum, &c. ad certos uſus ſigillorum vel nummorum tractabant, non æra ſola, aliaque ratione quam ærarii. Ideoque aurarii aut argentarii eo ſenſu, ut ærarii, dici nequiverunt, ſed flaturarii auri & argenti, vel fabri flaturæ argentariæ, ut habet inſcriptio apud Reineſium, quam produxiſti, ubi
F recte, MANCEPS OFFICINARUM AERARIARUM QUINQUE: non flaturæ ærariæ dicitur, & additur, ITEM FLATURÆ ARGENTARIÆ, quæ flatura ad ſigilla nummoſque ſpectat.

Nunc ad meam diſſertatiunculam de nummis non ſignatis devenio: quam per morbos nondum elimare potui. Difficultates ſuas illam habituram ominaris: non video tamen niſi illam, quod ſignatos ſolos ut nummos agnoſcere velint, non ſignatos maſſas ſolummodo vocare cupiant, quam-

vis loco nummorum ubique fuisse negare non possint, &c, quod miraberis, in tota gente Judaica usque ad Christum, nec siclos nec Gerah signatos, sed pondere solo expensos ad libram doceo, firmis, ut mihi quidem videtur, argumentis: unde nec monetas, nec monetarios ullos in tota Sacra Scriptura reperire datur. Illum sane morem antiquum & primævum, multi etiamnum populi observant, quibus partim signati nulli sunt nummi, partim una cum signatis etiam non signatis uti pergunt. Hæc totius dissertationis summa mihi est, ut doceam, rem nummariam privatam diu fuisse, solo pondere, & argenti vel auri examine, inter ementes & vendentes constitisse: fraudibus vero accedentibus, lites plurimas exortas, quæ tandem publicum nomen interposuerunt Regum & Principum, totam rem monetariam ad se trahentium, quorum autoritate deinceps nummus valeret, ne quisquam Regis, aut Principis nomine signatos amplius refutare posset, nec perpetuis illis litibus privatorum commercia turbarentur. Hac ratione Judæos, hac itidem Græcos & Romanos rem nummariam exercuisse constabit, donec ad nummos signatos Græci primi, deinde Romani devenerunt, quibus scorteos, figlinos, & ligneos æsque rude nummos fuisse illorum paupertinæ principio res, & tota testatur antiquitas: ita ut recte moneas, haud a Numa, sed a Servio, primos nummos signatos Romanorum repeti debere, Judæos aut Orientis populos nummis cusis, aut signatis ante Græcos usos fuisse nusquam reperies, puto: quæ causa est, quod toties in Sacra Scriptura Græcorum drachmæ, quas *Adarcon* & *Darconim* ex Græca radice appellarunt, tam in V. quam N. Test. allegentur, quibus Romanorum denarii accesserunt, illorum rebus in Oriente etiam auctis & provectis. Tu si quid in antiquitate dissentire ab hac mea sententia reperies, lubens audiam, & me moneas velim, nam haud ita sententiam foveo, ut erudiri nolim, aut repugnare melius sentientibus velim. Quo enim res magis sunt novæ, eo cautius statuendum autumo; quæ causa est, quod cum doctis primum hanc rem disquirendam sumserim, an hæc sententia nova illorum suffragiis stare possit, vel cadere, vel juvari. Primus mihi Cæsar hanc opinionem suggessit, lib. v. B. Gall. qui Britannos adhuc suo tempore sic mercatos esse scribit. *Utuntur minimo ære, aut laminis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo.* Variis quidem lectionibus hic locus corruptus est; omnes tamen hanc mentem exprimunt, Britannis nummos nullos id temporis signatos fuisse. De doctissimi Wagenseilii sententia, priusquam finiam, hoc addam; nimis eum favisse Judæis hac in re sentio, quod nunquam Christiano sanguine mysteria peregerint illi sceleratissimi. Testantur historiæ non semel hoc factum, & quamvis non deprehendantur toties, inter ludibria tamen ipsis sæpissime Christianum sanguinem profusum esse, quoties occasionem nancisci potuerunt tegendi tam horrenda consilia & insidias Christianis structas, nullum dubium est. Et sanguinis hujus notas in corpore gestare quin gloriosum censuerint, non ego quidem refragabor. Molitus est defensionem contra Tentzelium, quam, puto, mihi misit, cum Infundibulo suo, sed nunc eam non invenio. Vale. Dabam Hafniæ ad d. x. Junii MDCXCV.

XXI.

Amplissimo nec non Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

VIX ad te accedere audeo, quia eruditissimis & humanissimis litteris nunc demum respondeo, licet eas mense Junio anni proximi acceperim, atque interea temporis non absque singulari animi mei voluptate perlegerim sæpius. Aram igitur & precatorem mihi paro, humanitatem atque benevolentiam erga me tuam, atque insuper persuasissimum habeas rogo, me nulla negligentia peccasse, sed negotiis variisque in diversas agri Transisalani partes, & Hagam-Comitis, quo bis me conferre debui, excursionibus factum esse, quod officio meo, id quod cæteroquin religiosissime colere soleo, in hunc usque diem defuerim.

Gaudeo igitur, ut ad eruditam epistolam veniam, tibi, vir illustris, non displicuisse, quæ de Philipporum Christianismo, de ærariis & flaturariis, aliisque rebus notaveram. Postea ad me missæ Roma sunt Joh. Ciampini binæ disquisitiones de duobus emblematibus, in quarum altera docere conatur Philippos fuisse Christianos. Utitur argumentis, quibus alii usi sunt, & deinde Actis S. Pontii Martyris, publicatis a Baluzio T. 2. Miscellan. quæ si genuina & illius temporis sunt, certe firmum argumentum inde peti potest pro illorum Impp. Christianismo. Magnus autem sententiæ suæ fundus est, emblema, vel orbis vitreus, in quo cernitur vir inter duas stellas capite nudo, unam manum extendens, & altera librum apertum tenens, vestitus ad eum fere modum, qui subinde in Roma Bosii subterranea occurrit, addita inscriptione, A. SECULARE BENEDICTE PIE Z. id est, Ciampino interprete, *Anno sæculare Benedicte pie Zeses*, putatque vir eruditionis præstantis, Fideles Philipporum tempore Romæ viventes, gnaros, quod Impp. jam secreto Christianam religionem professi fuerant, ob maximam lætitiam, quam ex hujusmodi conversione accepere, Redemptori D. N. J. C. de singulari hoc beneficio debitas grates rependere debuisse, in cujus rei argumentum ac tesseram, in orbiculo vitreo scripserunt, A. SEC &c. scilicet Jesus dignatus es naviculæ Ecclesiæ pacis portum demonstrare: littera enim Z. initialis est nominis ZESES, uti ex tribus orbiculis vitreis ab Aringhio l. 4. c. 37. publicatis, colligit, atque ita ZESES idem putat esse quod *Jesus*. Sed, ut verum fatear, mihi hic orbis vitreus non tam antiquus videtur esse, ut ad ea tempora referri possit; deinde nondum mihi satis constat, an ars vitrum pingendi tunc nota fuerit. Plinium enim, quem nonnulli id adseverare contendunt lib. 36. cap. 26. aliter explicat Schefferus in pereleganti libello, *De arte pingendi*; quanquam non diffitear memorari imagines deauratas orbiculis itidem inditas vitreis in *R. Subterr.* & Tertull. c. 7. de pudic. ita loqui: *procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis PERLUCEBIT interpretatio pecudis illius, utrum ne Christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet*: & c. 10. *patrocinabitur pastor, quem in CALICE DEPINGIS.* Neque enim τῷ perlucebit usus fuisset Tertull. si calices non fuissent ex vitro; præterea *Zeses* mihi

non eſt *Jeſus*, verum *vivas*, ita ut votum ſit vitro inditum pro homine, cui nomen Benedicto fuit, ſenſuſque ſit, Benedicte pie vivas anno ſæculare, quicunque demum is annus fuerit, quomodo etiam in vitro lib. 1. Romæ ſubter. PIE. ZESES exponitur VIVES vel VIVAS. Quin & ego exiſtimo in aliis orbibus, qui ibidem eduntur, vitreis, nequaquam ea voce *Jeſum* denotari, & in ſecundo quidem CUM TUIS PIE ZESES, votum eſſe pro viro, cujus ibi cernitur effigies, uti ſcilicet, *cum ſuis pie vivat*, atque ita in tertio ibidem memorato LUCIFER ZESES non eſt *Jeſus Chriſtus*, ſed viri & mulieris, conjugum nempe, vultus repræſentantur, quibus altera figura inter ipſos media Chriſtum referens (additur enim divinum illud nomen) coronas imponit, & ita votum concipitur: LUCIFER VIVAS CUM TUIS FELICITER ZESES SIRTCA, quæ ultima vox mihi nomen mulieris eſt, ſupra cujus caput illud cernitur. Et hæc quidem ὡς ἐν παρόδῳ.

Jam venio ad diſſertationem tuam *De nummis non ſignatis*, cujus ego certe ſummo deſiderio teneor, quia ex ſp.cimine, quod ad me mittis, perſpicio, multa haud protrita te nos docturum. In tuam igitur ſententiam plane pedibus eo, exiſtimoque tarde admodum Judæos uſos fuiſſe pecunia a ſe ipſis ſignata, & non modo ante captivitatem ſiclos ἀσήμους, & pondere æſtimatos fuiſſe, verum Aſmonæorum tempore illud fuiſſe primum mutatum, cum Antiochus Demetrii filius 1. Macc. 15. legatur permiſiſſe Simoni Ethnarchæ ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σοῦ, & Michael Lequien ex ordine Prædicatorum in libro, quem Gallice inſcripſit: *L'Antiquité des temps detruite*, exiſtimat, his in nummis cerni characteras ſimiles Samaritanis, ſive litteras Græcas inverſas diverſaſque a litteris quadratis, quibus utebantur Judæi, in deſcribendis Bibliis. Quinimo Conringius in Paradoxis de nummis Hebræorum notat, etiam ad libertatem uſque per Haſmonæos reductam a captivitate Babylonica fas non fuiſſe Judæis nummos ſignare, quippe qui omni illo tempore duram paſſi fuerint ſervitutem a Chaldæis priſcis & Macedonibus, qualibus ſubditis nummos cudendi facultas ubivis terrarum hactenus denegari ſolet, omneſque nummos, qui humana imagine a Judæis ſignati putantur eſſe, ſpurios & a falſaria manu eſſe confictos.

Num autem Judæi, aut Orientis populi nummis ab alio populo ſignatis ante Græcos uſi ſint, ulterioris mihi indaginis videtur eſſe. Illos quidem id tunc primum feciſſe, Vir præſtantiſſime, ſtatuis, cauſamque inde petis cur toties in S. Scriptura Græcorum δραχμαὶ, quas *Adarcon* & *Darconim* ex Græca radice appellarunt, tam in veteri, quam novo teſtamento allegentur, illiſque acceſſiſſe Στατῆρας & Romanorum denarios. Et quanquam magni apud me ponderis tua ſit ſententia, atque adeo ignarus plane ſim linguæ Hebrææ, tamen facere non poſſum, id quod cum venia tua fiat, quin mittam, mihi videri potius illas voces deſcendere a Darico, qui a Dario Rege, Hyſtaſpis filio, nomen habuit, cujuſque pretium erat xx. drachmarum, ſive, ut nos hodie loquimur, *van trointigh ſchillingen*. Et mihi equidem ne dubitandum quidem videtur, Judæos poſt captivitatem uſos fuiſſe nummis perſicis, & evidens arbitror eſſe, Perſarum Reges nummos ſignaſſe, quorum ex numero cum fuerint *Darici*, haud utique mirum eorum fieri mentionem 1. Chron. 29. 7. Eſr. 8. 27. & 2. 69. iiſque in locis eos vocari *Adarconi* vel *Darconim*, exiſtimo. Neque enim tunc temporis Græcorum res notæ erant in Oriente, vel ſaltem in Judæa, & proinde eorum nummis uti, vel voces illas inde deducere non poterant, id quod vehementem in modum rogo, ut examinare diligentius velis.

Sed quod pene omiſeram, exiſtimo Philippos revera Chriſtianos fuiſſe, ſi vera ſunt, quæ narrat Origenes, Impp. nempe non modo fuiſſe εὐσεβεῖς & θεοσεβεῖς, verum etiam templa & idola deſtruxiſſe; præcipue cum nequaquam videam, quod majus validiuſve indicium ſive argumentum in medium adferri poſſit. Fateor gentiles nonnunquam fana fuiſſe demolitos, ſed ejuſmodi deorum ritus noxii erant Reipubl. & rejiciebantur propterea decreto Senatus. Sed cum Megethius objiciat Adamantio, Chriſtianos jactari crebris perſecutionibus, & ideo eſſe alterius Dei, atque a Deo creationis alienos, reſpondeatque Adamantius, ſuo tempore Imp. eſſe θεοσεβῆ, illum reſtaurare, quæ alii dejecerant, illum diligere, quos alii oderant, illum ſubvertere fana & idola, quæ alii coluerant, ego certe, pace quod fiat tua, nullum aliud inde argumentum elicere poſſum, quam Imp. qui Origenis tempore imperio R. præfuit, fuiſſe Chriſtianum, vel Dialogum contra Marcionitas eſſe poſterioris auctoris. Neque enim, qua ſum oſcitantia, mihi fiet unquam veriſimile, Imperatorem potuiſſe deſtruere gentilium templa & idola (generaliter enim loquitur auctor dialogi) quin ſimul ſuperſtitioni illi nuntium remiſerit bona fide, cumque nemo gentilium rem ipſis tam duram & inviſam memoriæ mandaverit, vel de ea conqueſtus ſit, id quod proculdubio factum fuiſſet, uti vel ex Symmachi querelis patet, neque etiam Euſebius, aliive auctores Chriſtiani illud a Philippis factum eſſe narraverint, crediderim facile, hunc dialogum alterius auctoris quam Origenis eſſe. Adde, quod rebus turbatis, & propter breve Philipporum imperium florentibus gentilium rebus, nequaquam videatur veroſimile, eos auſuros fuiſſe aperto quaſi Marte aggredi inveteratam religionem.

Sed & Judæorum moneta mihi iterum aurem vellit, exiſtimoque illam pondere tantum æſtimatam fuiſſe, quia non modo nullarum officinarum monetæ, ut pulchre obſervas, mentio fit in Scriptura; verum etiam, quia nulla pœna ſtatuitur in falſos monetarios, cum graves decernantur in illos, qui injuſtis ponderibus & ulnis utantur. Atque inde etiam argumentum capere ſoleo, nec in Ægypto, nec in vicinis Judææ regionibus nummos fuiſſe ſignatos, quia morem illum imitata proculdubio fuiſſet gens lucri valde appetens. Nec mihi quis memoret vetitas in Decalogo imaginum effictiones, nam ante legem latam Judæi in Ægypto vixerunt, & non neceſſe erat nummos hominum vel animalium vultibus ſignare, id quod & Arabas facere non ignoras: quin & animalia ære vel alia materia expreſſa, ſi modo non colerentur, non fuiſſe prohibita, ſatis puto patere ex leonibus & æneis bubus Salomonis; quanquam Joſephus 18. 4. putet erraſſe, vel peccaſſe Regum ſapientiſſimum. Sed nimis diu patientia tua abutor, Vale quapropter, & hæc æqui bonique conſule.

Daventr. 25. Feb. ſt. Jul. 1696.

P. S. Cum autem orbiculi illi vitrei inventi ſint in cimiteriis, tibi conſiderandum relinquo, an non votum ZESES vel *Vivas* referri poſſit ad vitam futuram.

XXII.

Excellentissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

TUAS tandem accepi XXV. Februar. scriptas, quod gaudeo: erant enim ut eruditissimæ, sic mihi desideratissimæ, qui diu nihil abs te videram aut legeram. Novi ego' occupationes tibi publicas esse & prægnantes, ideoque dudum excusatum te habui: nec opus est ad me ambagibus ullis, cum non nesciam eo te semper genio & ingenio vivere, ut, quoties vacat, amicis te tuis subducere nolis.

Pergis autem de Philippo Christiano eruditissime disserere, sed nisi tu firmioribus argumentis usus esses, quam doctissimus Ciampinus ex Actis S. Pontii Martyris, & ex globo vitreo pro lubitu ac arbitrio suo explicato, non possem ego Philippos Christianos pronunciare. Neque enim quid antiqui de Philippis crediderint, hic quæritur, sed quid Philippi revera fuerint. Animo Christianos fuisse, nemo te excellentius probavit, & si tanti est, palmam me judice feres. Nihil defuit, nisi, quod professi non sint, vel quod occasio commoda defuerit, vel quod differre fatius esse multa suaserint, donec mors supervenit omnia mutans & solvens. Recte tu quidem & erudite orbes illos Aringhii explicare conatus es, orbemque Ciampini in dubium vocas, ejusque interpretationem, quam nemini facile probabit, quantum ego quidem video, ut de Philippis aliquid exsculpi possit; nam quacunque illum orbem verto, de Philippis plane tacet: ita ut licet salvam tam docti Viri sententiam vellem, nequaquam liceat, ita plane ἀλλοτρίως se habent in isto orbe omnia. Relinquenda sunt igitur ista doctioribus, qui me rectius judicare norunt: nec his epistolam implere nunc quidem ex usu fuerit, cum multa dicenda essent, quæ doctissimi Viri sententiam convellere possent, si his immorari juberes. Sed, ut dixi, nolo.

De nummis non signatis apud Judæos potius est tecum confabulari. Et magnum mihi semper fuit, tuo judicio frui, Virorum Eruditissime, qui usque ad Asmonæos meam sententiam probas, & amplecteris, quod mihi sufficere posset, nisi docere valerem, etiam toto Christi tempore in terris, Judæos proprios nummos cusos non habuisse. Quamvis enim verum sit, Antiochum Demetrii ipsis κόμμα ἴδιον obtulisse & permisisse, haud tamen inde sequitur, illos eo privilegio statim usos, ut tu quidem argumentari videris. Aliud enim est permittere, aliud in usum permissa deducere, quod a Judæis factum nusquam leges. Ipsius Christi tempore nihil nisi δραχμὰς, σατῆρας, δηναρίους & obolos ac quadrantes reperies, inter procusa, quibus populus usus est, quæ sunt externa & peregrina nomina, sicut etiam λεπτὰ, & si quæ sunt alia. At in Sanctuario talia non admittebantur, unde Judæ quæ ἀρχιερεῖς tradebant, & expendebant, κέρματα fuerunt, & ideo ἀργύρια diserte Evangelistis dicuntur omnibus, non alio nomine, quia ἄσημα fuerunt, & more Judaico depromta: Hanc ob causam Collybistæ in templo mensas exercebant, ut denarios permutarent, & ἀργύρια ἄσημα redderent, quæ sacerdotibus offerre possent, qui ad illos cum donis suis accedere cuperent, quæ luculenter me docere posse confido,

A si dissertatio mea de his prodibit unquam. Ea igitur sententia mea est, non discessisse Judæos a veteri more, quamdiu Christus in terris obambulavit, nec ullos nummos cusos proprios produxisse, usos autem esse peregrinis cusis una cum suis non signatis. Conringii sententiam jam enotaveram, imo explicatissimam dedi in dissertatione mea. Sed quod de Michaele Lequien monuisti, fateor extare non tantum Hebraicis, sed & Samaritanis literis nummos aliquot, quos pro genuinis nobis obtrudunt, cum spurii sint & ficti, ut optime observat Conringius, & nummi isti satis per se docent, quos ad examen hinc inde vocavi

B ex Vassero, & Hottingero, aliisque. Sed quod mihi objicis de Græcorum drachmis, quos primos artem nummos signandi reperisse censeo, ipsisque Orientalibus monstrasse, non miror te dissentire, cum sint quam plurimi, qui hactenus Orientalibus illud inventum tribuunt. At cum ultima antiquitas omnis hoc Græcis transcripserit, illamque mecum facere videam, non facile discedendum mihi putavi. Videamus Pollucem, qui autores monetandi primos comprehendit p. m. 437. Φήδων πρῶτος ὁ Αργεῖος ἔγραψε νόμισμα εἴτε δημωτικῇ ἢ κυβαια συνοικισας, εἴτε Αθηναίοις Εριχθονιος καὶ

C Λυκίοις, εἴτε Λυδοῖ κατά φησι Ξενοφάνης, εἴτε Νάξιοι κατὰ τὴν Αγλωσθένης δόξαν. Quod Lycios & Lydos autores faciat, non intelligi potest; nisi de Græcis, postquam illos coloniis suis occuparunt; ita ut Græcos solos, quos præmisit, nummis cudendis primam adhibuisse manum appareat. Addam Lucani testimonium l. 6. v. 402.

Primus Thessalicæ Rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

D Haud plura nunc adducam, ne oneri sint; sed ita consentiunt omnes, ut monetam primam nemo Græcis abjudicet. Ab illis igitur Orientales etiam nummi cudendi artes didicerunt. His positis, superest altera quæstio, an Judæi prius Græcorum nummis signatis usi sint, quam Persarum & Orientalium? & judico Græcorum nummos signatos δραχμιαίως ad ipsos ideo prius pervenisse, tam quod primi autores sint nummorum signatorum, quam quod Græcum δραχμῆς nomen in Sacris Scripturis expressum reperiatur. Illis, Vir excellentissime, litem moves non exigui momenti, dum nomina ista *Darchonim*, *Adarchonim*

E & *Darchemonim* a Daricis potius dictos esse tibi persuades, quam a δραχμαῖς; & quoniam flagitas, ut illa diligentius expendere velim, feci quod desideras. Dariorum nomen Judæis haud ignotum fuisse video, *Dan.* 5. *v. ult.* occurrit *Darjavesch Madai* h. e. Darius Medus: deinde Esr. 4. v. 5. *Darjavesch Melech Paras* h. e. Darius Rex Persiæ: eaque flexione Darii semper in Hebræis codicibus exprimuntur. Ex *Darjavesch* autem non *Darchonim* aut *Darchemonim*, quæ in S. Scriptura memorantur, flecti posse video, sed aut *Darjaveschonim*, aut contractius *Darjaschonim*, vel

F *Darschonim* prodire debebant, quæ cum non reperiantur, ex Græca δραχμῇ *Darchonim* & *Darchemonim* fluxisse, mecum fateberis, scio: est enim *d* vel *ch* litera plane χριτικὴ in hac voce, quæ Græcorum X respondet, in voce δραχμῆς, pro ut litera ש vel *Sch* esset, si a *Darjavesch* derivata veniret. Jam vero quod non *Drachonim* vel *Drachemonim* apud Hebræos sit, ex genio linguæ Hebraicæ profluit, quæ numquam in initio vocabulorum consonantes plures conjungit, sine vocali interveniente, hinc *Darchonim* & *Darchemo-*

chemonim flectere debuerunt. His accedit, quod A longe ante Darios omnes Medos aut Persicos vox ista *Darchonim* in sacro textu reperiatur, sub Davidis Regis imperio 1. Chron. 30.v.7. ubi quamvis opponi posset, autorem Chronicorum per πρόληψιν ista voce usum esse, qui ad tempus captivitatis solutæ opus suum contexuit, quando Darii satis noti esse cœperant; haud tamen huic objectioni adquiescere licet, dum illum autorem ex probæ fidei monumentis antiquioribus de Davide, ubi vocem illam *Adarchonim* reperit, eam retinuisse & inseruisse dicendum omnino veniat. Sicque voculas illas ex Græco δραχμὴ flexas esse & B inter Hebræos receptas, nunc quidem constare dixerim. Juvat me præterea Jobus Ludolphus, qui in Commentario suo Æthiopico p. m. 568. Arabicum & Æthiopicum *Derbem* ex eadem radice δραχμῆς descendere significavit, cum δραχμιαῖοι nummi Hungarici, aliique drachmales aurei ista voce soleant illis exprimi. Non succurrit mihi me legisse, *Darchonim* & *Darchemonim* S. Scripturæ Δαρεικὰς explicatos esse; facies igitur rem gratissimam, si autores illos ut mihi nomines, qui sic statuerunt, impetrare potero. Cæterum quod plures in Oriente populos Judæis vicinos diu nummis ἀσήμοις rem gessisse colligis, hoc ita verum C est, ut etiam hodie non pauci supersint, qui veteri more Κέρματα nuda pro nummis retinent, de quibus in dissertatione mea prolixius monui.

Et hæc quidem ad te scribo, in cujus sinum rationes studiorum meorum deponere volupe mihi est; nihil enim jucundius accidere potest, quam inter eruditos & judicio subacto præditos, quid sentias, promere. Sunt quidem & hic nobiscum profundissimæ eruditionis Viri, quorum commerciis etiam vehementer gaudeo, sed nescio, quid ἑλκυστικὸ habeant exteri, quod cum illis potius consuescere nobis gratulemur. Unum hic deest, quod quamvis ingenia non desint, desint tamen D Typographi, qui a Catechismis & abecedariis opellis abstrahi se non patiuntur; quæ causa est, quod Adamum Bremensem notis meis perpetuis illustratum Typographis Amstelodamensibus semel nunc iterumque edendum obtulerim, sed ut videtur, nullo successu. Nam & illi procrastinantur, & moras nectunt, nec quid velint, aut minus, aperiunt. Sunt mihi opuscula quædam alia, quæ Typographos expectant: sed cum nullos reperiam, premere satius est. Unde & de dissertatione mea nummaria non video quid statui possit, quamprimum spes quædam affulget, erit illa inter primas, E quas editioni tradam. Tu vero vale feliciter, & me, quod facis, amare perge, qui numquam non ero cultu & obsequio tibi, quo debeo, addictissimus.

Dab. Hafniæ a. d. XVIII. April. anno ær. Chr. MDCXCVI.

XXIII.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO F

S. D.

GISB. CUPERUS.

QUid nunc aliud mihi faciundum est, quam ut aram & precatorem parem? quamvis enim plerumque sim occupatior, & variis negotiis districtus, & ita excusare queam diuturnum meum silentium, tamen, vel me ipso judice,

A aliter factum oportuit. Habes igitur confitentem reum, & si is esses, qui prolixas excusationes admitteres, facerem id certe; sed cum singulari erga me sis benevolentia, atque adeo temporis tibi parum reliquum sit, recte me facturum existimavi, si ad epistolam tuam, quam plus semel summa cum voluptate legi, statim me converterem.

Est igitur illa certe eruditissima, & facile tecum credo, id quod antea etiam testatus sum, Judæos nummis non signatis usos esse. Stephanus tamen Morinus, qui mihi officia sua deferebat eo ipso tempore, quo litteras tuas accipiebam, multis docere conatur, contrarium jam obtinuisse ipsius A-B brahami tempore in epistola, quam ad me, perlecta tua eo de argumento, misit; nosti virum procul dubio, vidistique ejus exercitationes de lingua primæva, quarum c. 9. & quidem p. 271. eadem fere tradit.

Statuo autem tecum & cum aliis eruditis, collybistas in templo sedisse ad permutandos nummos, ne scil. sacrario inferrentur illi, qui signati erant vultibus Rom. Impp. vel Regum, vel deorum gentilium, a qua re veluti a sacrilegio abhorrebant Judæi. Sed tamen, ut verum fatear, inde nequaquam sequitur, gentis illius nummos fuisse C ἀσήμους quia signatos ex. gr. thuribulo, virga Aaronis, quos eruditi ut genuinos amplectuntur, mutare cum aliis potuerunt, nec vox ἀργύρεια quicquam juvare videtur posse novam opinionem, quia Græci ἄργυρον & χρυσὸν usurparunt de auro rudi, ἀργύρειον vero χρύσιον & χάλκιον de argento, auro & ære signato, uti Pollucem sequutus notat Salmas. p. 924. de Usuris & p. 547. de Fœnore Trapez. atque ita ἀργύρειον usurpatur Suidæ: Δηνάριον εἶδος ἀργυρίου, *Denarius genus nummi argentei*, quod etiam apud alios obvium est; licet illa opinio redarguatur loco Matth. 10. 9. ubi Christus vetat discipulos zonis condere, χρυσὸν; ἄργυρον, χαλκὸν, D i.e. *aureos*, *argenteos*, *æreos nummos*: deinde κέρμα significat *æreum nummulum*, licet in Evangelio ex eruditorum sententia de argento usurpetur; & illi ærei nummi signati esse potuerunt; certe mihi videtur ex illis vocibus non nisi leve argumentum ad probandum id, quod agimus, duci posse.

Sed cum apud Judæos non fuerint monetarii, illorum saltem non fiat mentio in S. Litteris, a quibus tandem laminæ illæ, vel pecunia non signata ad pondus sicli Sanctuarii fuit facta? an hoc concessum fuit unicuique privato, qui auro & argento dives erat, uti tempore fere Abrahami obtinuisse arbitratur Clericus p. 157. in Genesim? an argentariis fabris, vel aliis certis personis id fuit concessum? & an non illæ laminæ fuerunt notatæ pondere, quemadmodum & hodie apud Chinenses & alios Orientis populos in usu est? quæ omnia ut diligenter examinare velis, digna enim sunt in quæ ingenii tui nervos intendas, vehementem in modum rogo. Et huc apprime facit, Legatos Batavos ad Chinensium Imp. notare p. 481. legat. primæ, eo in regno demi forcipula a taleis tantum argentum, quantum quis impendere velit, æneam tamen monetam ibi esse ab antiquis temporibus signatam nomine Imperatoris & nota ponderis.

Græcos sibi vindicasse inventores omnium fere rerum certum est; sed mihi difficulter persuadebitur, apud eos pecuniam primo fuisse signatam, cum antea floruerint in Oriente populi, quibus id adscribere mallem. Persas utique id fecisse ex vocibus *Darchonim* & *Adarcon* puto patere; quas a Dario Rege, Hystaspis filio, vel nummo ipsius vultu signato, Darico descendere etiam nunc mihi valde est verisimile. Negari non potest, Judæos antea cum iis, quam cum Græcis habuisse commercia,

deque navigationibus Judæorum, excepta Salomonis Ophiritica, alteriuſque Regis Jhoſaphat Tharſum, vix quicquam legitur; ſed Aſſyriis, Perſis, aliiſque Orientis populis viciniores, eos facile terra adire, eorum nummis ad exercenda commercia uti debuerunt, proindeque iiſdem nominibus proculdubio illos appellarunt. Hebrææ linguæ ignarus ſum plane, adeo ut derivationibus tuis nihil opponere queam: dabo tamen tibi, vir doctiſſime idemque excellentiſſime, viros eadem mecum ſentientes plane, quorum eruditionem non dubito quin plurimi facias. Ecce igitur Eduardus Brerevood. cap. 3. de ponder. & pretiis veter. nummorum notat, duo alia aurearum monetarum nomina in Vet. Teſtamento eſſe *Adarcon*, & *Drachmon*, illud Eſræ 8. 27. & 1 Chron. 29. 7. hoc Eſræ 2. 69. & Nehem. 7. 70. 71. 72. occurrere, illaque deſcendere a *Daricu*, quia Darii imagine erant ſignatæ, & ita ex genio Hebrææ linguæ debuiſſe formari dicet, quemadmodum ex Excerptis perſpicies (A).

Quin etiam Anton. Binæus, Theologiæ hac in urbe profeſſor, cujus credo te vidiſſe libros de Natali Chriſti, de Morte ejuſdem Domini Deique noſtri, & de Calceis Hebræorum, me monuit, ſi puncta, quæ noſti quinto primum a Chriſto nato ſæculo fuiſſe inventa, auferantur, non aliud quam *Darius* inde fieri poſſe, uti ex ejus epiſtolio, cujus exemplum mitto (B) perſpicies. Imo eadem etiam ſentit Jobus Ludolfus p. 66. notarum ſuarum in Hiſtor. Æthiop. quem conſulere poteris; fateor eundem virum doctiſſimum mihique amiciſſimum p. 568. tradere Arabicum *Derhem*, quod Æthiopes pro ducato aureo, vulgo Hungarico, accipiunt, a drachma, uti videtur, derivatum eſſe; ſed illud facile fieri potuit, quia & aliæ Græcorum voces ab Arabibus, utpote qui Græcos libros in ſuam verterunt magno numero linguam, adoptatæ ſunt; verum illud longe ſecus ſeſe habet cum Judæis, & quidem ipſius Eſræ tempore, quippe cum quibus non multum habebant commercii Græci, cum contra illud frequens fuerit cum Chaldæis, Perſis, aliiſque iſtius tractus populis, a quibus proinde eos deſumpſiſſe nomen illius nummi, vix mihi dubium videtur. Quin & Eduardus Bernardus, Anglus, uti noſti, eruditiſſimus, libro de Mens. & Ponder. Antiquis p. 115. notat, ſtateres χρυσοὺς vel χρυσοὺς abſolute, vel Perſarum aureos ſive Daricos, valuiſſe 10. drachmas argenteas, eoſdem nuncupari Αδαρκονιμ voce traducta a Græco (nempe *Daricus*) & Talmudicis illos ipſos dici *Darconat* & ludendo *Darbanot*, p. 120. ſtaterem aureum & δίδραχμον valere 36. coratia, δαρεικὸν aut *Daricona* forma Syrorum, & p. 171. aureos Daricos, aureos Philippi & Alexandri M. & aliorum Macedonum pondus binarum drachmarum Atticarum argenti, item δαρκονὼϑ & ἀδαρκονὶμ denarios aureos veterum Judæorum.

Quod autem in alia ad me epiſtola miſiſti, Cæſarem, ubi de Britannis agit, tibi occaſionem dediſſe inquirendi in nummos non ſignatos, recte ſeſe habet; ſed neſcio an obſervaveris Lloydium in nova Britanniæ Cambdeni editione ex nummis ea in inſula repertis affirmare, Britannos ante adventum Romanorum habuiſſe artem cudendi tam aureos, quam argenteos nummos, uti patet ex Actis Erudit. Lipſien. a. 1696. p. 193. & puto te recte facturum, ſi librum illum conſulas, antequam diſſertatio tua in lucem prodeat quam ſi ad me tranſmittere velis, curabo una cum Binæo, ut nitidis typis deſcribatur. Cenſent & idem nonnulli apud Cambdenum p. 168. edit. Janſſonianæ, ſed ipſe Cambdenus vix credit Britannos ante Romanorum adventum pecuniam ſignaſſe; quamquam Cæſarem lib. 5. c. 12. B. Gal. ſcribere addat, uſos eos eſſe *nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis*: quæ verba in epiſtola tua leguntur hoc modo, *utuntur minimo ære, aut laminis ferreis*; cum in ed. *Jungermanni* ſcribatur, *utuntur aut æreo, aut taleis ferreis*; in ultima vero, quæ commodum prodit in lucem, Grævii cum notis Dionyſ. Voſſci, *aut nummo æreo, aut annulis*; & in variis Codd. mss. *aut ære, aut nummo aureo*, vel, *nummo æreo*; & interpres Græcus vertat, χαλκέῳ δὲ νομίσματι ἢ σιδηροῖς δακτυλίοις, adeo ut ille locus amplius ſit examinandus.

Gaudeo tibi etiam improbari Orbis vitrei explicationem eruditiſſimi Ciampini; certe alibi ille mentem occupatam habuit, cum nec vola, nec veſtigium Chriſtianiſmi Philipporum in illo inveniatur. Montanarius bibliothecæ Ambroſianæ præfectus, antea incognitus mihi plane, me conſuluit ſuper variis carminum S. Paulini ineditorum locis, quæ ego ex ſacris abſtruſioribus gentilium interpretari conatus fui; ſi reliqua ejuſdem generis ſunt, plurimum certe illi debebit reſpub. litteraria, ſi editionem illorum maturare velit. Ex Oriente varios nummos accepi, & inter eos unum Arſacis elegantiſſimum & ἀνέκδοτον, quem publicare conſtitui. Vale plurimum 25. Nov. ſt. Jul 1696. Daventriæ.

(A)

EDUARDUS BREREWOOD

De ponderibus & pretiis veterum nummorum cap. III.

DUO alia aurearum monetarum nomina in Veteri Teſtamento ſunt אדרכנין & דרקמון Adarcon & Drachmon: illud Eſræ 8.27. & 1. Chron. 29. 7. hoc Eſræ 2. 69. & Nehem. 7. 70. 71. 72. uterque nummus Hebræis externus fuit (ut nomina ipſa ſatis indicant, quorum neutrum eſt Hebrææ originis) & Perſicus, ut videtur: uterque etiam ejuſdem ponderis, cum utrumque Græci Interpretes δραχμὴν convertant, quod tamen, ut dixi, cum reſpectu ad pondera Alexandrina, aut Hebræa, intelligendum eſt, quæ Atticorum ponderum ejuſdem appellationis dupla ſunt. Drakmon autem nomen ponderis videtur eſſe. Adarcon autem (ſi conjectura mea non fallit) nomen Principis innuit, & Daricum Perſarum Aureum notat. Nam & Darius Hyſtaſpis filius tunc regnavit, cum hi nummi aurei Eſræ tempore oblati dicantur in templi ſtructuram, & ab illo *Dario* procuſos fuiſſe aureos optimos, (*a*) Herodotus memoriæ prodidit, qui vel eam ob cauſam *Darici* dicebantur, vel teſtante (*b*) Plutarcho, quod in altera parte *Darii* imagine ſignarentur. Licet autem nomen Adarcon ſemel ante legatur, in rerum vetuſtiorum hiſtoria, ſcilicet 1.Chron.29 7. tamen cum *Eſra* ejus etiam libri author extiterit, potuit quidem ille rei veteri recentius nomen externum imponere, quod ſcilicet nummum ejuſdem plane ponderis deſignaret. Eo autem magis mihi videtur nomen *Adarcon Daricon* notare, quod prima littera א ablata *Daricum* fere ſonat (*c*) א autem in dictionis initio, ſæpe præter radicem eſt Chaldæis, vel ſervit loco ה a-

(a) *Herodot. in Melpomene.*

(b) *Plutarch. in Artaxerſe. Vide Abulenſ. in præfat. lib. Chron. quæſt. 5.*

(c) *Vide Guidon. Fabric. in Gramm. Chald. & Angel. Caninium in inſtit. ling. Syriac.*

apud Hebræos, vel etiam præpositionis vicem obtinet, *juxta, secundum*, vel tale quid denotantis. Unde in loco Chronicorum, principes tot *Adarconim* obtulisse, innuere videtur, tot dedisse aureos, qui essent pondere Daricorum.

(B.)

GISBERTO CUPERO

Viro per-illustri

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS.

OLim in Hebræorum Republica in usu fuisse vel auream, vel argenteam monetam signatam, gratulor mihi virum eruditissimum Ottonem Sperlingium se demonstraturum promittere dissertatione singulari. Nihil enim mihi accidere optatius potest, cum eadem in sententia ipse fuerim jamdudum. Si qui signati fuerunt in ea Republica nummi, aliorum gentium fuerunt. Talis אדרכון *Adarcon* & דרקמון *Drakmon*, quorum mentio Esræ II. 69. VIII. 27. Nehem. VII. 70. 71. 72. & Chron. XXIX. 7. De his non improbabilis mihi videtur Edovardi Brerewoodii conjectura, דרקמון *Drakmon* nomen ponderis esse אדרכון *Adarcon* autem nomen principis innuere, & Daricum Persarum aureum notare. Id mirum videri potest quam maxime, si quis ad Darii nomen, quod hodie cum suis vocalibus דָּרְיָוֶשׁ *Darjavesch* scribitur, attendit. Hinc enim nummi illi *Darjaveschim* dicendi forent, non *Adarconim*; sed hic cogitandum, considerandas solum hujus nominis literas esse, non vocales. Hasce enim uti adjectas esse a Judæorum magistris, circa sextum a Nato Christo sæculum, invicte, uti mihi videtur, post doctissimos Ludovici Capelli, & aliorum labores, vir clarissimus Stephanus Morinus ostendit, ita constat eas esse sæpe positas inepte, in nominibus propriis imprimis. Quod vel unicum nomen יָוָן *Javan* docet. Quis enim credit, id sic punctatum recte esse, & non legendum potius, ut sonant literæ, cum ejus posteri, a Græcis Ἴωνες & a Latinis Jones dicti, illud conservaverint constanter? Idem dicendum de nomine Darii est; vocalia puncta illi addita perperam sunt. Quis enim sibi persuadeat, olim illud scriptum דָּרְיָוֶשׁ *Darjavesch* esse, & non lectum potius, ut sonant literæ דריוש Darius? cum apud omnes, tum Græcos scriptores, quam Latinos, id nomen semper legitur Darius? ita necesse haud quaquam est, ut nummi illi *Darjaveschim* dicantur, non Adarconim. A Darii nomine enim in Hebræorum lingua, æque dici possunt Adarconim, & Darici. Hæc habui, vir perillustris, quæ hac ipsa vespera, tuis excitatus literis, potui commentari. Vale meum & Musarum decus.

XXIV.

Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

QUas 25. Novembris anni elapsi dederas, recte perlatas esse nunc indico. Multum ex iis & gaudii & fructus ad me redundavit, tum quod valere te & mei meminisse sic intelligerem, quod vehementer cupiebam; tum quod eruditione tam præclara essent refertæ & conditæ, ut nihil illis longo tempore accidisse mihi suavius ego fateri cogar, teque credere velim. Nescis sane, quantum me recreet tam auctoritas tua in sententia mea comprobanda, quam quod Clariss. Binæum etiam accedere ex literis ad te ejus perceperim. Quod Stephanum Morinum aliosque plures dissentientes habiturus sim, haud ego quidem miror, quippe qui nummos nullos admittunt, nisi publica cusos nota; prout hodie eos vident & tractant.

Haud quidem hactenus legi doctissimi illius Viri exercitationes, nec quibus argumentis subnixus prodeat, tuo tamen indicio inspiciam ejus commentatiunculas, & si quid in literis ad te suis novi addidit forte, haud negligas suppeditare; audio enim lubentissime quidquid contra afferatur, ut exinde quantum veritatis vel minus in meis sit edoceri queam. Certum autem habeo, ante nummos cusos passim antiquos æris, argenti, & auri usum haud nescivisse, sed per massas, laminas, & lamellas solo pondere in venditionibus & emtionibus distinxisse, & mercaturam commodiorem effecisse, quod cum non satis attenderint docti Viri, sed ad nummos publica moneta cusos, nummorum omnium originem primam referant, hinc est, quod omnem rem nummariam eo trahant. At mihi facile tota antiquitas suffragium feret, fuisse tempora, quibus nummi publice cusi nulli fuerint, sed laminis & lamellis jam dictis solo pondere appensis commercium instituerint. Et cum non inveniam ante Græcos quemquam monetæ cudendæ mores introduxisse, Persas, Lydos, totamque Asiam ab iis didicisse, ut & alias nationes pronum erit affirmare, sive Phidon is fuerit, ut Pollux & alii credunt, sive Ithonus, ut apud Lucanum legi. Nam quod siclos cum thuribulo & virga Aaronis mihi objicis, ut genuinos in Republ. Hebræorum, eos ego nullos agnosco, sed & Judæorum & Christianorum technis illos χθὲς καὶ πρώην natos judico, quod lucri bonus odor etiam ex hac re homines afflare cœperit. Nullum hactenus genuinum mihi quidem videre licuit, ita ut nec inscriptio *Sekel Jisrael* & *Jeruschalajim Hakkadosch* sine suspicione unquam apud me fuerit, nec illud scriptionis genus in literis suis, earumque figura, mihi se probet, cum longe aliter in manuscriptis Hebræorum libris exstent depictæ, quam in his nummis, quæ plane ductus illos ostendunt, quos libri impressi observant, ita ut post Typographiam illos nummos omnes prodiisse mihi quidem videatur credi debere. Nullum deinde pondus inesse putas, quod vocem ἀργύρια ob-

servaverim, de solis Hebræorum nummis in Sacro Codice usurpari, siquidem nummi cusi eodem vocabulo sæpius efferantur: quod ego quidem fateor verum esse, cum non nesciam ἄργυρον, ἀργύρειον, ἀργύρια, ἀργυρᾶς, χρυσὸν, χρυσᾶς, κέρμα, νομίσματα κόπτων, eisque similia, hodie, mediisque ab hinc seculis, de nummis cusis, & legi & intelligi; sed eo respexi, ex antiquitate ipsa constare, has voces, ante nummos cusos, de non cusis aut publice signatis dictas fuisse, & postquam nummi cusi fuerunt, eas cusis adhæsisse; nummi quippe cusi neque ἀργύρειον, neque κέρμα vel simile quid proprie quoad formam sunt, sed aliunde hæc nomina tenent, scilicet a nummis non cusis, qui ante cusos obtinuerunt, ad cusos translata: ideo cum observassem Hebræorum nummos distincte in sacris ἀργύρεια vocari, non δραχμὰς, non στατῆρας, non δυναρίας, non siclos, illud frustra factum minime credidi, sed eam causam veram subesse, quod cusi minime essent, at more antiquo ἀργυρᾶς & ἀργύρεια pondere suo constantia sine fabrica, aut signo, aut modulo publico; & quamvis Pollux vocem ἀργύρεια Græcæ puritatis non esse scripserit, ut nec *argenta* apud Latinos, eam tamen ætatem in nummis ἀργυρίων vocem adoptasse videmus, utpote qui puritatem Atheniensium non tam accurate attenderint, sed ex usu seculi sui locuti sint. Hoc igitur in sacris ἀργύρεια concedes esse, quod olim fuerunt, cum nondum nummi cuderentur; tunc enim istæ lamellæ, ista κέρματα argentea, vere ἀργύρεια fuerunt, & uno verbo ἀργύρεια, ut illinc argumentum non invalidum duci posse ad nummos publice non signatos ostendendos manifestum fiat. Erat igitur res omnis nummaria quondam privatorum, & singulorum, non publica, ut recte Clericus, & tu colligis ac judicas; adeo ut nec libripendes pro nummis publicos habuerit, sed quilibet sua libra instructus venerit, pro nummis talibus recipiendis vel expendendis, quibus si notæ quædam insculptæ fuerunt, pro pondere significando, publice sane non fuerunt incusæ. Quæ de Chinensibus mones, etiam mihi notata in diss. mea reperies, ex Tavernier & aliis: quin & mihi moneta ænea Chinensis est perforata, quæ signata & cusa est literis Chinensium; at non impedit hoc, quin veteres eorum populorum mores & primos in re nummaria ex his etiam discere liceat; & si nuperiores cudendi monetam publicam tandem accesserunt, nihil miramur, quia privatum in non signandis nummis commercium, ut antiquius, magis sequantur, quam publicum. Et fere universus Orbis Eous ita vivit adhuc, ut tam signatis, quam non signatis nummis pariter utantur, quod nos docent itineraria variorum.

De *Adarconim* & *Darkemonim* insistis adhuc tu & doctissimus tecum Bynæus, qui Brerevoodum & Edw. Bernhardum, Anglos, sequimini, licet ille politus omnino Vir dubius valde hoc agat, & suspenso pede *Adarcon* solum ad Principem Darium referat, non vero *Darkemon*. Jam cum *Darkemon* ponderis esse nomen fateatur Brerevoodus & δραχμὴν significare, nulla causa est, cur *Adarcon* ad Principem aliquem Darium trahat, cum ejusdem radicis sint & originis hæ voces, & oportune clarissimus Bynæus monuerit, illud א præfixum esse prostheticum & Chaldaicum, ut Arabum *Al. Darcon* autem quod in voce super est, contracte ex *Darkemon*, ne vox nimis excresceret, prodiit, quales κράσεις in Chaldaicis non semel observamus: vides igitur, nec Brerevoodi testimonium pro Daricis satis concludere, sed ad drachmas per illum etiam nos ablegari, ut nemo non videat, *Darkemon* & *Darcon* ex eodem fonte manasse, voces non diversas esse, quod Brerevoodus voluit. At quod tu a Persis nummorum cusorum originem accersas, Politissime Vir, non vero a Græcis, haud video, qua veterum autoritate, vel quibus rationibus inductus, illam sententiam stabilire possis; certum enim est, Orientis populos sero tandem ingressos esse illam cudendi viam, & ita quidem, ut plerique veterem non plane deseruerint. Nec Δαρεικοὶ primi fuerunt, sed ante illos χρυσεῖες στατῆρας Græci Scriptores memorarunt, adeo ut multi eorum propterea ad Lydios primos nummos cusos referant, ut Pollux ostendit. Quidquid vero a Græcia versus Occidentem terrarum panditur, omnes eorum exemplo in nummis cusis sibi placuerunt, licet plurimi veterum illam lamellarum & ὀβελῶν consuetudinem prius non ignoraverint. Quid de ligneis, figlinis, scorteis Romanorum nummis mihi dices? num illos olim cusos existimabis, aut potius arbitrio commercantium relinques? sic, puto, facies. Non igitur ab aliis, quam a Græcis cusi nummi publica autoritate fluxerunt, quos ea in re imitati sunt cœteri per totum Orbem, serius alii, sed & maturius nonnulli. Nec punctatio Excellentiss. Dn. Bynæi mentem mihi mutare potuit; neque enim credendum est facile, aliter Hebræos ante punctationem nomina pronunciasse, quam postea, imo punctationem ideo superadditam, ut de vera pronunciatione constaret. Et quis illos magistros nescivisse credat, quomodo pronunciandum esset, eamque ob causam tot punctis illud declarasse? Pro Græcis hoc facit, qui sine punctis Hebræa legentes, forte *Darius* inde fabricarunt. Atque eo respexit, ni fallor, Dn. Bynæus; at *Darkemon* Græcis non fuit in usu, sed ex Græco Hebræi sumserunt, & exteris, ita ut propter literam μ, quæ in hac voce est κειτικωνιίμ, non possit nisi a δραχμῆ originem inter Hebræos repetere. Haud igitur *Darius*, sed *Darjavesch* Hebræi pronunciarunt, & quamvis *Darius* pronunciassent, (quæ terminatio tamen non est Hebræa,) nunquam tamen exinde *Darkemon* aut *Adarcon* flecti potuisset, ut nec ex *Darjavesch*. Aliud itidem argumentum affers, non facile potuisse Judæos a Græcis vocabula petere, quod parum commercii gentibus istis intercesserit. Alia est sententia Eusebii, qui toto libro προπαρασκευῆς ostendit, quid non solum Græci ex scriptis Hebræorum hauserint, sed & quænam illis commercia fuerint alia fere perpetua. Nec te remittam ad Cadmum Phœnicium, ejusque in Græciam descensum: sed cupio cogites trajectum inter Græciam & Judæam perfacilem esse, in mari tot insulis constrato, ut una fere terra continens per illas videantur Asia & Græcia.

Leoydii Cambdenum hactenus haud potui nancisci ut inspicerem, neque enim in bibliopoliis hic prostat, aut in amicorum bibliothecis. Nolo non lectum vel inauditum damnare, sed non mihi persuadeo, ante Romanorum adventum eum Britannos nummis cusis rem gessisse probaturum, idque ex nummis ea in insula repertis; infelices enim hactenus fuerunt Angli in nummis veterum & suis etiam explicandis, quod etiam Suecis & Scheffero in suo de tribus Coronis scripto contigit. Trahunt enim nummos ad illam ætatem, ad quam minime pertinent. Cæsaris locum in vetustis impressis & inscriptis, prout ad te scripsi, reperi, non ignarus etiam aliter legi, ex quibus hanc ut commodissimam præfero, illisque temporibus maxime convenientem lectionem.

Haud Te ulterius, Elegantissime Vir, distinebo meis his, quæ sub manu mihi nata sunt: & in Diss. ea leges spero prolixius: accipio enim conditionem,

quam benevole mihi offers, & describendam illam correcte tradam, ut proximo vere cum primis navibus ad vos trajicere possit, modo certum hominem Amstelodami mihi nomines, ad quem ea secure mitti possint, ut in manus tuas perveniant, & ulterius statuas. Tibi sane, Vir Amplissime, & Dn. Bynæo, hoc quidquid est lubentissime committo, & quod mei causa curas vestras augere velitis, gratias habeo terque quaterque maximas, licet inamœnius & rustice hoc a me fiat. Tibi vero, Eruditionis omnis Pater, Princeps & Mæcenas, peculiares debeo gratias, quod me literis tuis doctissimis non solum recreare pergas, sed & doctiorem me semper discedere finas; & nunc nummum tuum Arsacemq; redivivum avidissimis votis exspecto, quamvis non videam, quomodo Tibi a negotiis publicis nunc ingruentibus tantum otii superesse possit, quantum illa desiderant. Excell. Dn. Bynæo salutem & officia meo nomine impertiaris quæso; tu vero novum hunc annum & plures ut felicissime transigas & pancratice valeas opto. Sum ex animo,

Vir Nobilissime & Amplissime, Tuus semperque addictissimus.

Dabam Hafniæ a. d. XVI. Januar. A. MDCXCVII.

XXV.

OTTONI SPERLINGIO

Viro Præstantissimo

GISB. CUPERUS.

Ultimas, easque doctissimas litteras tuas communicavi cum Bynæo, virque eruditionis haud vulgaris ad me misit, quid de illis sentiat, & te vehementem rogat in modum, ut ea examinare, & perpendere diligenter velis, id quod etiam atque etiam peto (A). Morinus pleraque ea, quæ Exercitationibus suis inseruit, epistola complexus est, addidit tamen nonnulla; inde recte nec tibi ingratum me facturum existimavi, si illius nec non responsi mei ad te exempla cognoscendi & emendandi causa transmitterem (B). Auctorem signandæ monetæ apud Græcos incertum valde esse, vel inde patet, quod alii utile illud inventum tribuant Ithono Deucalionis filio, uti Lucanus canit, alii vero Phidoni, Carani Macedonum primi Regis fratri, alii Demo sive Ceæ sive Cumææ, alii Erichthonio, alii Lydis, alii vero Naxiis, teste Jul. Polluce lib. 8. prout verba emendanda censet Salmas. pag. 423. de Usuris. Et certe ad Ithonum referri non posse originem signandæ monetæ, vel inde patet, quod Homerus & Hesiodus nullam mentionem faciant auri, argenti, aut æris signati, cum tamen Ithonus longe poetis illis sit vetustior, si quid veri illi narrationi inest; & cum Phidon circa tempora Homeri vixerit, ut nonnulli existimant, inde concludit idem Salmas. p. 369. aut recentem fuisse illius ætate inventionem, aut necdum ab omnibus receptam, aut nondum plane proditam. Et cum antiquis temporibus Græci non tam fuerint politi, ac postea facti sunt, putabam ante eos Asiæ populos, puta Assyrios vel Babylonios, quorum res magnæ erant, signatis nummis uti, & nomina, quibus eos designabant, ad vicinam gentem Judæos transire potuisse; id quod tamen ex vetusto aliquo auctore probare non queo:

A uti etiam existimo, nullum inventum iri, qui tradat, artem illam a Græcis ad Asiaticos, & ex Europa in Asiam pervenisse. Quin & Harpocration, & qui eum sequi solet, Suidas, tradunt *Daricos* non a Dario Hystaspis filio, verum a Dario vetustiore nomen habere, qui erit Darius Medus memoratus in S.S. & Herodotus tantum scribit, Darium Hystaspis auro purissimo in cudenda moneta aurea usum esse; unde sequeretur *Daricos* vetustiores esse stateribus, qui a Crœso nomen habent. Quin imo ὁ πάνυ Salmasius p. 423. 431. 432. & 434. de Usuris, prorsus habet persuasum, quicquid dicant Græci de nummo argenteo & æreo a Phido-
B ne primum prodito, a Phœnicia in Græciam invectum esse usum nummi, multa Græcos recepisse mensurarum nomina a Persis & Syris, imo & Ægyptiis, ut λαπίθην, ἀρτάβην, μάριν, κύπρον & alia, quod adtribuere Phidoni volentibus ratio non deerit, in nummis, quos signasse primus dicitur, idem potuisse fieri, nominaque eorum ab Oriente arcessere, ut minæ, drachmæ, oboli; & valde sibi verisimile videri Lydos invenisse monetam, atque inde ex Asia in Græciam inventionem esse traductam; Æginetas, ut pote mercaturæ & navigationi deditos, in Phœniciam sæpe ivisse,
C nummos inde argenteos vice mercium aliarum frequenter reportasse, motosque exemplo ad nummos etiam cudendos processisse eo tempore, quo Argivi insulam eam tenuere, sub Phidone Heraclida; quæ ut a viro summo profecta, ita certe digna sunt, ut diligentius examines.

De Græcorum & Judæorum commerciis nondum mihi omnia tam liquida sunt; invenio quidem apud Eusebium Græcos auctores multa a Judæis hausisse, nonnullosque eos adiisse, sed ora maritima a Phœnicibus erat occupata, negotiantesque commercia exercere cum Tyriis, Sidoniis, aliisque Phœniciæ oppidis poterant. Nec quicquam
D huc facere puto Cadmi adventum in Græciam, cum ille patria profugus fuerit, tuncque tam rudes fuerint Græci, ut ne litteras quidem haberent. Lacedæmonii, fateor, sese in Macchabæorum libris *fratres Judæorum* vocant, & addunt se esse ex genere Abraham, sed hoc factum est, cum Oriens esset in potestate Macedonum, & Græci, vel Syro-Macedones in Syria jam habitarent magno numero. Unde autem affinitas Judæorum & Lacedæmoniorum originem traxerit, docet Huetius pag. 96. præp. Evang. Steph. Morinus Diss. 1. & Bochartus pag. 499. & 864. Geogr. Sacræ, hujusque vestigiis insistens puto, Jolaum in Peloponnesiacis laudatis
E Scholiastæ Nicandri scripsisse, Judæos nomen habere ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐστρατευκότος, illumque confundere *Udæum Spartum* cum *Judæo Spartone*, & ex *Udæo* illo fecisse *Judæum*. Inter eos, qui ex serpentis dentibus provenisse finguntur, memoratur *Udæus*, οὐδαῖος Ovid. l. 5. Met. Hyg. f. 78. Paus. lib. 9. Apoll. in Biblioth. Schol. Eurip. ad Phœn. p. 325. Hellanico & Pherec. apud Schol. Apol. Rhodii 3. 1178. jam constat Spartæ originem ad hos Spartos referri a Stephano in v. σπάρτη, quo pertinet Palæphatum scribere, Spartorum alios in Atticam, alios in Peloponnesum,
F alios in Phocidem, alios in Locrida confugisse, cumque in Pelopponesum venire potuerit Udæus, ex eo Judæum Spartani videntur fecisse, & inde stabilivisse cognationem, qua 1. Mac. 12. 21. Arius Spartanorum Rex in epistola ad Oniam summum Judæorum Pontificem sese extollit; & inde est quod Arius dicat, inventum esse ἐν γραφῇ, in scriptura vel libro, Judæos Lacedæmoniorum fratres esse, loquiturque non tanquam de re explorata & comperta, sed ut fortuito sibi cognita ex libro, in quo eum puto invenisse, *Udæum* vel *Judæum Sparto-*

nem Spartam condidiffe: fed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, rogoque ea æqui bonique confulas.

Inde de ligneis, figlinis, & fcorteis Romanorum nummis loqueris, eofque putas arbitrio commercantium relictos. Certe aurum & argentum, quando nummus fignatus non fuit, negotiantium arbitrio facile credo relicta effe; fed vix perfuaderi potero, idem obtinuiffe in nummis ligneis, figlinis & fcorteis, cum res illæ fint minimi momenti, & nullam æftimationem recipere poffint, nifi ex lege Imperantium, & *fcorteos* nummos fignatos fuiffe tradit Ifidor. 16. orig. 17. *pecunia prius de pecudibus & proprietatem habebat & nomen: de corio enim pecudum nummi incidebantur & fignabantur*; quin & Seneca lib. 5. de Benef. memorat *corium forma publica percuffum*, quod fcil. ufum, ut addit, pecuniæ numeratæ præftabat; & Plato fcribit Carthaginienfes inclufiffe alutæ vel pelli aliquid, magnitudine ftateris, & illi alutæ fignum publicum fuiffe impreffum, pauloque poft addit, τὰ δέρματα, Carthaginienfibus vice nummi fuiffe, id eft, *alutas*, vel *alutaceas ligaturas*, uti recte explicat magni illius philofophi verba Salmaf. p. 463. de Ufur. qui tamen male negat Lacedæmonios coriacea pecunia ufos effe, & Senecam corruptum exiftimat, cum ex Nicolao Damafceno apud Stobæum illud etiam conftet: Νομίσματι, ait, ᾗ χρῶνται σκυτίνῳ. Romanos autem fcorteis & teftaceis nummis ufos effe tradit Sueton. Tranquillus apud Suid. in voc. Ἀσσάρια, fed & illos fignatos fuiffe tradit auctor Anonymus de re Militari. *Ut vero emendi & vendendi utilitas, & ut facultas regiæ largitati fuppeteret, in æris ufum excultam politius terram, & igne folidatam, certis quoque expreffionibus figuratam, auro argentoque repofito, ufui habuerunt, fed pofteriores faftidientes prifcæ utilitatis inventum, formatos e coriis orbes auro modico fignaverunt &c.* Et certe viles iftiufmodi materiæ aliquo charactere debuerunt effe infignes, ut de earum pretio conftaret, quomodo etiam, tefte Platone, Æthiopes pro pecunia utebantur λίθοις ἐγγεγλυμμένοις, quod proculdubio factum auctoritate publica, quia alias commercia exerceri non poterant, & unus quifque tot lapides, quot vellet, collegiffet.

Hæc funt, vir præftantiffime, quæ mihi commodum in mentem venerunt epiftolam tuam, utpote acceptiffimam, iterum legenti, & cum de hac materia fatis prolixe, & plus quam femel egerimus, conftitui illi nuntium remittere, & expectare doctiffimam tuam differtationem. Hæc, fimul advenerit, curabo diligenter, ut elegantibus typis defcribatur, & ut tuto ad me deferri poffit, rogo illam mittas ad Secretarium Domini Hop Ablegati Extraordinarii D. Ordinum Generalium, nomen ipfi eft Cauw, & Hamburgi agit, qui fedulam navabit operam, ut in manus meas perveniat.

Sed monendus etiam es, me notare in epiftola ad Morinum, non Janum fed pofteritatem nummos fignaffe puppi, & cum Plinius 33. 3. fcribit, notam æris fuiffe inde Janum Geminum, hinc roftrum navis, illud me referre ad æs a Servio fignatum. Sed nunc puto, Harduinum fequens, Servium Regem fignaffe æs nota pecudis, poftea, cum bello Punico primo imminueretur pondus æris, quia impenfis Refp. non fufficiebat, conftitutum effe, ut affes fextantario pondere ferirentur, & notam æris fuiffe tunc ex altera parte Janum Geminum, ex altera roftrum navis.

Præterea Jofephum 2. B. Jud. 26. mentionem facere nummi Tyrii, qui quatuor Atticos nummos faceret, id eft, IV. denarios, adeo ut Tyriorum nummi fuerint tetradrachmi. Eminentif. Norifius pag. 328. Epocharum ejufmodi nummum profert e Mufeo Mediceo, additque eum in bilance appenfum femunciam pendiffe, fefe quatuor Hebræorum ficlos ejufdem gazæ ponderaffe, quorum finguli etiam pendebant femunciam & cum eodem nummo Tyrio æquata lance pares erant, & quod Tyrii erant Judæis finitimi, ac plura inter eos commercia exercebantur, hos ficlos, illos vero æqualis ponderis argenteos nummos fcalpfiffe, femunciam omnes pendentes. Ex Galliis ad me miffa eft l'Hiftoire de quatre Gordiens prouvée & illuftrée par les medailles: fed ego, quo fum ftupore, novæ illi opinioni adfentiri non poffum, facileque mihi foret firmis argumentis oftendere, virum illum eruditum, toto, quod ajunt, errare cælo. Vale plurimum, Dav. ipfis Cal. April. 1697.

(A)

GISBERTO CUPERO

Viro Perilluftri

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS

IN litteris Viri Eruditiffimi Ottonis Sperlingii ad te datis, quas mecum, pro fumma tua benevolentia, communicafti, ipfum propugnare video fuam fententiam, voces אַדַרְכּוֹן *Adarcon* & דַּרְכְּמוֹן *Darkemon* δραχμὴν fignificare, quas Tu Δαρεικὸν notare conjecifti eleganter, ac mihi quoque vifum verifimile admodum fuit. Cum Sperlingio idem fentire video Lexicographos præftantiffimos, Pagninum, Scindlerum, Buxtorfium, Coccejum, Caftellum. Id ipfum Arias Montanus de Menfuris Sacris, Cafpar Waferus de Antiquis Nummis Hebræorum lib. II. cap. XVI. Nicolaus Fullerus Mifcel. Sacr. lib. VI. cap. X. & alii plures contendunt. De דרכמון *Darkemon* dubium mihi nullum eft, quin δραχμὴν fignificet. Si enim vocis illius literæ fpectentur, quæ folæ utique confiderandæ funt, דרכמון omnino *Drachmon* eft, & fic legi poteft, quamvis cum fuis punctis nunc דַּרְכְּמוֹן *Darkemon* pronuncietur. Cum דרכמון plane *Drachmon* fit, adeoque δραχμὴν fine controverfia fignificet, id ipfum אדרכון *Adarkon* notabit, fi verum illud eft, quod doctiffimus Sperlingius dicit *neminem non videre* Darkemon & Darkon *ex eodem fonte manaffe, non diverfas voces effe, prout Brerevvoodus voluit*. At ego me eum effe profiteor, qui nondum videt has voces ex eodem fonte manaffe, non diverfas effe. Sane non manarunt ex eodem fonte, דרך puta, uti Sperlingius exiftimat, cum origine fua non Hebraicæ, fed peregrinæ, fint. Etiam non eafdem voces, fed diverfas effe, non tam ex litera א, *Aleph*, cernitur, quæ præfixa voci אדרכון *Adarkon* eft, quam ex litera מ, *mem*, quæ ad vocem דרכמון *Drachmon* pertinet, in *Adarkon* vero non reperitur. Hinc, quamvis דרכמון *Drachmon*, uti quidem ego pronuntiatum olim exiftimo, δραχμὴν omnino fignificet אדרכון *Adarkon*, tamen, ut recte Brerewoodus, *nomen Principis innuit, & Daricum Perfarum aureum notat*. Quod fi, unica modo tranfpofita littera, dicamus, אדרכון *Adarcon*, fcriptum effe pro דארכון *Daricon*, habebimus ipfum *nummi Darici* nomen. Quod præftantiffimus Sperlingius, fi quidem tanti videatur, perpendere poteft diligentius. Interim vale, Vir Perilluftris, ac me, quod facis, amare perge. In Mufeo meo, A. D. XII. Kal. Mart. MDCXCVII.

Quod Clariffimus Sperlingius *non credendum effe facile*, dicit, *aliter Hebræos ante punctationem*

nomina pronunciaſſe, quam poſtea, imo punctationem ideo ſuperadditam, ut de vera pronunciatione conſtaret, &c. velim ſolummodo ut ea conſulat quæ Stephanus Morinus habet de lingua primæva lib. III. cap. XIV.

(B)

Ampliſſimo Domino

GISBERTO CUPERO

Generali Statuum Trans-Iſalaniæ Legato, & Daventriæ Conſuli

STEPHANUS MORINUS.

Vir illuſtriſſime

QUam mecum benevole communicaſti, clariſſimi Sperlingii epiſtolam, non ſine maxima voluptate legi; docta enim eſt, & ingenioſe ad perſuadendum adornata, attamen quum meris conjecturis inniti videatur, contrarias ei conjecturas opponi poſſe arbitror: neque enim ipſum Pollucis teſtimonium conjecturæ ſuperat auctoritatem, quoniam gratis ſupponitur, Pollucem de primis omnium gentium monetariis agere, licet vocabularium græcum, & de rebus ad Græcos ſpectantibus proprie ſcripſerit; quamobrem non mirum eſt, ſi Phedona aut Erichthonium &c. auctores nummorum ſignatorum celebret, quandoquidem ſolenne eſt Græcis origines omnes in ſua patria quærere, & ſeſe αὐτόχθονας prædicare: ſed cæteræ gentes ipſis non ſuffragantur. Sane Tertullianus Afer de Saturno agens in Apolog. 5. 10. ſcribit, quod ab *ipſo primum tabulæ*, & imagine ſignatus *nummus*, *& inde ærario præſidet*. Macrobius autem Saturn. lib. I. ſect. 7. Italiæ favens vult, Janum a Saturno edoctum ſocietate regni eum muneraviſſe, additque, *quum primus quoque æra ſignaret, ſervavit in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur &c.* idque confirmat ludo adhuc inter pueros celebri. Plutarchus etiam in quæſt. Rom. quæſt. 40. quærit, cur antiquum numiſma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis puppim, aut proram inſculptam habet, & teſtatur, vulgatam opinionem eſſe, hoc fieri in honorem Saturni; non autem refert nummorum ſignationem Jano vel Saturno attribui, quoniam ſimul regnaſſe dicuntur; &, quod præcipuum eſt, in utroque latet Noachus, in Saturno quidem, ut validis argumentis probat Bochartus, olim Collega meus, Phal. lib. I. cap. I. in Jano autem, ſicut oſtendit Huetius, conſtanti amicitia mihi conjunctiſſimus, demonſtr. Evang. prop. c. 10. art. 6. Neque fabuloſus Saturni in Italiam adventus officit, quoniam gentium mos eſt hiſtorias antiquas fabulis intexere: præterea quod hic fabuloſum veritati ancillatur, dum ex ſimilitudine nominum dumtaxat oritur; qui enim Saturnus Hebraicis dicitur a סתר *ſatar* latuit, Romanis a latendo, Latinus dici debuit, & utrumque nomen Noacho convenit, qui tamdiu latuit incluſus in arca, & Janus bifrons nuncupatur, quia utrumque mundum viderat; idcirco Janus ipſe poſtquam dixiſſet apud Ovidium I. Faſt. ſe in duplici facie denarii impreſſa, ut in navi Saturnum agnoſcendum, duplicis etiam nominis hoc argumentum dat, quod Italiæ genti

—— diu manſit Saturnia nomen,
Dicta quoque eſt Latium terra latente Deo.

A Itaque ex his Romanæ hiſtoriæ ruderibus parum licet deformatis colligitur a Noacho, a poſteris in Deorum album ob antiquitatem relato, nummos fuiſſe ſignatos, quod rationi eſt conſentaneum, quia homines nati ad ſocietatem & commercia doniſque neceſſariis ſtatim ab initio abunde divinitus inſtructi, non caruiſſe nummis ſignatis videntur; quoniam iis ſolis æquale cunctarum rerum pretium perfecte poteſt repræſentari: unde Ariſtoteles lib. 5. c. 8. de morib. διὸ νόμισμα καλεῖται· τοῦτο γὰρ πάντα ποιεῖ σύμμετρα; & ibidem declarat nummos ad ſocietatem revera eſſe neceſſarios; verum enim vero homines a ſe invicem diviſi in peccatorum pœnam, B atque a communione piorum extorres facti, ſenſim cœperunt in extremis mundi oris efferari, atque augeſcente barbarie præſtantiores tandem amiſerunt dotes, quæ cum lingua primæva, & legitimo Dei cultu in ſola Hebræorum gente fuerunt conſervatæ, ut præ ceteris ea emineret, atque eximiis ſuis prærogativis ad Dei illarum auctoris venerationem gentes illas alliceret: quare etiam paulatim eas recuperarunt, quum Iſraelitarum commerciis uſæ fuerunt; quis enim neſcit, Græcos eam ipſam philoſophiam, qua tantopere ſuperbiunt, fateri in prœmio Diogenis Laertii originem habuiſſe C a Barbaris, quibus Hebræi & eorum vicini præcipue ſunt intelligendi; quapropter primi philoſophi eos ſedulo viſitarunt, conſultaruntque, & tandem Plato, qui divinus inter eos nuncupatur, habuiſſe conſuetudinem cum Judæis, ut vix diſcerni a Philone viſus ſit, inde dictum ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει: ad leges quod ſpectat, a Moſe præſtantiores mutuatas norunt, qui eas ſedulo inter ſe comparaverunt; ſic ab eo ſolo fluxerunt omnia, quæ de Deo, & prima mundi productione convenienter dicta fuerunt.

Sed de nummis ſignatis nunc quæſtionem agitare convenit: idcirco obſervabo, Abrahamum omnium D primum dici emptorem, & nummis uſum Gen. 17. 12. & 13. ubi jubetur circumcidi & ſervus etiam *argento acquiſitus* ἀργυρώνητος. Gen. 23. 16. emit agrum ad ſepulturam Saræ, quadringentis *ſiklis argenti*: ibi quidem legitur, quod Abrahamus ישקל *appendit* illam pecuniam, & verbum illud *iſcol*, affine nomini *Siklus*, videtur ſuadere rudem argenti maſſam tantum appenſam, non vero nummos ſignatos; id tamen minime ſequitur, nam ob priſtinum appendendi metalla morem, *appendere* idem quod ſolvere, & numerare ſignificat; unde ſimul E jungitur in oratione Ciceronis pro Sexto Roſcio Amerino ſect. 144 *conceſſit, annumeravit, appendit*: præterea nonne nummi nunc ſignati ſæpe etiam appenduntur, ut pateat nihil ex legitimo eorum pondere imminutum, aut ut tempori parcatur in ſummæ ingentis ſolutione? ſic Cicero Philip. 2. ſect. 97. *tanti acervi nummorum apud iſtum conſtruuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ*. Præterea in illo textu agitur de ſiklo *currente inter mercatores*, qui aliqua nota debuit ipſis innoteſcere, ut de ejus valore omnes certi eſſent: quare græci interpretes declarant agi de nummo δοκίμῳ ἐμπόροις & conſequenter ſinceritatem F metalli, & juſtum pretium quibuſdam ſignis demonſtrantem; addit paraphraſtes Chald quod *recipiebatur in unaquaque provincia*, id enim non potuit agnoſci, niſi quibuſdam ſignis poſt debitum examen factis. Nummus autem ille Hebræorum proprius fuit, quum Hebræam habeat originem, ab iiſque ad vicinas gentes perveniſſe, manifeſtum levi, quæ ipſi contigit, mutatione; nam Xenophon lib. I. Exped. Cyri meminit σίγλου, ק Hebræo mutato in γ, ſcribitque: ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιοβόλιον Ἀττικούς: ejuſque etiam premit veſtigia Heſychius; Σίγλον νόμισμα περσικὸν δυνά-

μενον ὀκτὼ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς, de quo ſiklo, & ejus pretio ſi plura, vir præſtantiſſime, cupis, invenies in opuſculo noſtro de ling. prim. part. 2. cap. 9. & conjectura etiam hos ſiklos ad nos cum uſu nummorum veniſſe, veſtigiumque eorum ſupereſſe in noſtris *Stelinis*; ad Græcos tranſiſſe ſimiliter nummorum uſum oſtendit ejuſdem ſignificationis cum ſiklo Στατὴρ ab appendendo etiam dictus ob metalla initio appenſa, qui nomen ſuum, poſtquam ſignatus eſſet, non mutavit. Sic aſſes Romani initio etiam rudes, & a librali æris pondere totum mutuantes valorem, uſque ad Servium Tullium regem, qui eos ſignari curavit; imo poſt eum ſextantiarii facti priſtinum valorem, ſupplente pondus ſignatura, conſervaverunt. Plinius lib. 33. cap. 3. Quin aſſis non tantum factus ad exemplum nummorum Hebræorum, ſed ſuum inſuper nomen conſervaſſe quidam volunt: אשישׁ *aſſiſi* ſignificat æris laminam in formam placentæ ductam; inde 1. Paralip. 16. 3. Græci interpretes אֲשִׁישָׁה ἀμορίτην & κολλυρίτην reddunt. Gen. 33. 19 aliud argumentum exhibet ad probandum nummos Hebræorum tunc fuiſſe ſignatos, referendo Jacobum emiſſe a filiis Emor בְּמֵאָה קְשִׂיטָה *Centum Keſita* i. centum agnis, quod repetitur Joſ. 24. 33. his autem agnis celebriores Rabbini intelligunt nummos aureos agnorum ſpeciem gerentes, ſecundum morem a cæteris gentibus receptum deinceps, unde Plutarc. in Poplicol. τῶν νομισμάτων παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον ἢ σῦν. Varro de R. R. *æs antiquiſſimum, quod eſt conflatum pecore, pecore eſt notatum*; & Plinius l. c. de ære: *ſignatum eſt nota pecudum*, unde & pecunia appellata, quare ab animalibus impreſſis etiam nummi denominabantur teſte Polluce lib. 9. cap. 8. de ſpeciebus part. &c. talenti: τὸ δὲ παλαιὸν τοῦτο ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα, καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν ἐντετυπωμένον, prætereaque addit præcones præmia proponentes clamaſſe δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες: inde proverbium de iis, qui corrupti pecunia tacebant βοῦς ἐπὶ γλώττης: iidem habebant nummos effigie noctuæ inſculptos ab eaque noctuas dictos: idcirco ſervus ut Philippum Dominum furti argueret, dicebat ὑπὸ κεραμικῷ κοιτάζεσθαι πολλὰς γλαῦκας, teſte Plutarcho in Lyſandro: ſic Ageſilaus apud eundem in Artaxerxe ſe in Aſia pelli dicebat τρισμυρίοις τοξόταις, quia Sagittariis illis intelligebat nummos Sagittariorum ſpecie ſignatos, quibus corrupti Græci, ut evocaretur, effecerant. Denique neminem latet, obolos ab impreſſis ὀβολοῖς ſimiliter dici; agnis igitur Jacobi agnorum figura nummi notati convenienter ſignificantur, quod confirmari adhuc poteſt Job. 42. 11. ubi eadem vox extat, & amici Jobo dicuntur dediſſe קשיטה אחת cum pretioſo ornamento, quod paucis non poteſt deſcribi, quia apud nos in uſu non eſt; an quæſo ovicula pretioſi doni comes conveniens fuiſſet? an digna Jobo, qui verſu immediate ſequenti quatuordecim ovium millia poſſediſſe legitur, cum tot armentis, & omnigenis opibus? non arbitror in cujuſquam animum poſſe incidere ſuſpicionem, ex paucis illis agniculis ab uno, aut altero amicorum datis, tot greges numeroſiſſimos exire potuiſſe; quin mihi videor in ipſo græco perſpicere quoſdam interpretes maluiſſe nummum aureum, intimæ benevolentiæ ſymbolum, interpretari; nam quamvis ἀμνάδα oviculam exhibeant Septuag. ut nummum liceat intelligere ſubjungunt: τετράδραχμον χρυσοῦ, καὶ ἀσήμου, evidenter duas verſiones diverſas referri patet, ut alias paſſim fit, quo lector poſſit commodiorem eligere: τετράδραχμον ſcilicet χρυσοῦ aut ἀμνάδα habebimus pro שבוה & in ἀσήμῳ ſive *auro non ſignato* ornamentum nullis ſignis egens invenietur, alioquin ἀσήμῳ nullus hic eſſet locus: ne autem vel minimus dubitationi ſuperſit locus, D. Stephanus Act. 17. a-

A gnis illis nummos argenteos declarat eſſe intelligendos, dicendo τιμὴν ἀργυρίου fuiſſe, atque pecunia ſignata agrum fuiſſe emptum, quod ipſo nomine Keſita etiam declaratur, oritur enim a קשט Kaſat integrum & ſincerum eſſe, quod in nummis requiritur, & agnis minus conveniret: neque objiciendum, litteram hujus vocabuli mediam, in illa ſignificatione habituram punctum ſuper verticem dextram, habet autem ſuper ſiniſtram; quoniam puncta illa nova ſunt, neque ab antiquis interpretibus agnita, ut in opuſculo de ling. prim. pluribus exemplis probavi, & innumeris aliis poſſem confirmare. Quidquid ſit, ovem & agnum pro nummis utriuſ-
B que forma ſignatis novimus uſurpari; Græci enim veteres nummum μῆλον dictum habuerunt poſt Hebræos, recentiores etiam, ut teſtatur Juſtinianus Novella 105. & Johan. Meurſius in gloſſario græcobarb. ad vocem enim μῆλον ſcribit, eſſe *nummi genus ove ſignati*: id etiam obtinuiſſe in Gallia an. 1315 & 1319. regnantibus Ludovico Hutino, & Philippo longo teſtis eſt D. de la Roque ſedulus antiquitatis promus condus, noſterque in politiori Cadomenſium Academia quondam ſodalis; docet enim tunc denarios aureos cuſos fuiſſe, dictoſque *Agnos* c. 12. tractatus ſui *du Blaſon*. Hi veteres & recentiores nummi agnis ſignati, & poſtea agni dicti, ab He-
C bræis omnium antiquiſſimis originem duxiſſe videntur, & eorum uſum frequentem fuiſſe declarant.

Si de ſingulis Hebræorum nummis agere vellem, liber pro epiſtola mihi eſſet conſcribendus; ut igitur intra debitos fines me contineam de כִּכַּר *cicar* talento tria ſiclorum millia valente obſervabo agi Exod 39. 24. & tot diverſos nummos pluresque alios non commemoratos, in commerciis non potuiſſe uſurpari commode, niſi ſignati fuiſſent, quum in quotidiano uſu fuiſſet moleſtum in manibus ſemper habere lances & pondera, ſive aliquid eſſet emendum, ſive tributa Deo debita eſſent ſolvenda,
D quoniam nummorum uſum in Chananitide, & vicinia jam receptum fuiſſe ex exemplis allatis manifeſte conſtat, quibus poteſt addi, Joſephum Gen. 37. 27. vendi viginti argenteis, & 36. ab Emptoribus in Ægypto iterum vendi; Arabs interpres autem pro argenteis habet drachmas. Præterea fratres Joſephi emunt ab eo cibaria cap. 42. & ipſe jubet כְּסָפִים argenteos ipſorum in ſaccos reponi cap. 44. ſimiliter & 45. 22. Benjamino dat trecentos argenteos. Paraphr. Chald. reddit ſiklos & Arabs dragmas, argentum autem quum in Ægypto defeciſſet, Ægyptii commutare pecora & poſtea terras cum frumento, ut pateat permutationi non fuiſſe locum, niſi ex
E defectu pecuniæ & nummorum. Obſervare autem convenit, has omnes emptiones nummis factas a Patriarchis, a Moſe referri, Moſem autem multis annis Erichthonium, & multis ſæculis Phidonem Jeſaiæ & Jeremiæ &c. Prophetarum æqualem anteceſſiſſe apud Euſebium Chron. lib. poſtre. quos primos nummorum inventores dicebat Pollux. Non etiam prætereundum, nomina illa nummorum eſſe Hebræa, ut pateat, ipſos nummos etiam ab Hebræis duxiſſe originem; כִּכָּר *cicar*, talentum enim dicitur a forma panis, pro quo uſurpatur Jud. 8. 5. 1. Sam. 10. 4. & paſſim: revera ampla & denſa eſſe debuit tanti pretii emaſſa. Siklum a pondere ſuo etiam di-
F ctum vidimus זוזא *Zouza* 1. Sam. 9. 8. in Chald. Paraphr. pro quarta parte Sikli extat, & ut nummus exigui pretii frequenter in manibus omnium verſans, ſic a זוז *Zouz* moveri quia in continuo motu eſt, denominatur, quare Hebræi ad ejus nomen alludentes dicunt Zouza dici זז מזה לזה *quod movetur ab hoc ad illum*, ad diſcrimen aureorum & pretioſorum nummorum, qui rariores ſunt, & ſæpe quieſcunt in Theſauris, quod ipſi commune cum אדרכן *adarcon* & דרכמון *darchemon*, quæ drach-

mæ

mæ sunt ejusdem pretii & significationis; nam originem habent a דרך *darach* itare & discurrere, quia in omnibus commerciis solent intervenire: neque cum hac origine conferri potest ea, quam Græci ægre conficiunt ex δράττομαι & κερμάτων quia tot æris minutias continebant, quot aliquis manu in pugnum contracta posset comprehendere; in Δραχμῆ enim est littera essentialis in illis vocibus non occurrens, ut in his plures remanent supervacuæ: male etiam manus capacitate sua pretium aliquod metiretur, quia sunt aliæ aliis majores: propius accederet verbum Arabicum *darhama*, quod significat, folia nummis similia produxit, quoniam constat Arabes conservasse, ob viciniam, plurima Hebræorum vocabula, drachmas etiam vocant *darachim*; sed quum nomen hoc ab Hebræo paululum recedat, satius est ejus affinitate aliud confirmare, neq; a Dario Drachmas formari posse existimo: גרה *gerach*, denique Hebræorum nummus est; cæteros tædiosum esset considerare, formatur a גרר *garar* dissecuit, quia siklus in viginti dissectus illum constituit, & in minores partes usui utiles non potest dissecari; quare etiam a גרגרים *granis* quidam dictum volunt, & illa grana minimæ sunt ponderum species. Quum hæc antiquissima nummorum sunt Hebræa etiam tempore Patriarcharum, aut paulo post usurpata, etiam signari debuerunt, ut possent a se invicem discerni, & uniuscujusque pretium exacte agnosceretur; unde certum est metalla non diu mansisse absque signis, postquam in nummos cudi, & formari ceperunt, vixque licet dubitare, nummos signatos ab Hebræis præ cæteris sapientia, ac omnium artium cognitione imbutis, initium habuisse: præsertim quum ipsum monetæ nomen quod ipsam signorum impressionem debuisset præcedere, illam expresse significet, ab ipsis enim dicitur מטבע *matebaga*, quasi signa & impressa a טבע *insigere* & imprimere notas, quasi nummos rudes, ceu non signatos nunquam agnoverint, cujus verbi usus, cum eadem significatione, etiam hodie conservatur inter Arabes; iis enim *tavagn* est, significat pecuniam, & sigillum impressit epistolæ aut cuivis scripto. Sane in Beresc. Rabb. sect. 39. fit mentio variarum monetarum, quarum auctores dicuntur Abrahamus, Josua, David, & Mardocheus, licetque liber ille ad eorum antiquitatem proxime non accedat, attamen, quoniam totus antiquorum doctorum sententiis & traditionibus componitur, sine ratione non debet rejici. Locus autem refertur pag. 272. de ling. prim. sed ibidem etiam invenitur, monetam regiæ majestatis prærogativam esse; quod a Jurisconsultis etiam propugnatur, ut patet ex Did. Covarruvia in coll. numismatum c. 18. & præsertim ex Matt. 22. 19. ubi Christus censum Romanis solvendum docet ex Cæsaris imagine Judæorum nummis impressa, & eorum dominum declarante; indeque videtur posse probari, Patriarchas Chananitide peregrinantes jus cudendæ monetæ non habuisse, quod ipso monetæ nomine confirmatur מוניטר *moneta* enim potest deduci a מוט *terruit*, quia subditi metu regiæ majestatis, ejus pretio acquiescunt, & falsarii ab illa corrumpenda deterrentur: corrumperetur autem aliquo modo, si a privato cuderetur, quoniam regiam auctoritatem ementiretur. Verum enim vero Patriarchæ privatis non debent anumerari: iis enim Chananitis regio erat destinata, & divinitus concessa Gen. 13. 15. quare illius Principes & reges fœdera cum Abrahamo feriunt Gen. 14. gensque principem Dei insignem agnoscit Gen. 23. 5. sic cum Isaaco fœdus ferit Abimelech Gen. 26. 28. propterea que nummos legitime cudere potuerunt. Post libertatem a Mose partam, nemo saltem negare potest plenum jus Israelitas habuisse regiam exercendi dignitatem, quandoquidem Moses diserte nuncupatur rex, Deut 33. 5. & varias circa sacra & civilia leges tulerit, ad mortem damnaverit, & bella gesse-

A rit; tunc igitur nummos cudere potuit, imo debuit, ut uniuscujusque dimidium siklum pro redemtione sua exacte solveret, secundum Dei mandatum Exod. 30. 12. a justo enim valore nihil debuit deficere, neque quicquam ei addi, ut verba sequentia declarant, & consequenter ad hanc redemtionem ex professo illum cudere necessarium fuit, quum præsertim Nu. 1. 46. Israelitæ vigesimum annum adepti, & sexagesimum nondum supergressi numerentur 603550. oportuit, ut 30175. siklos solverent, ubi quæso tot potuissent invenire? Ad redemptionem delictorum errore factorum sikli similiter interveniebant Lev. 5. 15. atque ad alias similiter oblationes &c. quamo- B brem ingentem siklorum copiam conflare debuerunt: sed quid argumentis opus est? experientia probat plurimos olim cusos, quum plures nunc inveniantur in prima facie exhibentes mannæ urnam, cum his verbis: Siklus Israelis, in altera vero Aaronis virgam flores & amygdala proferentem, aut thuribulum, cum hac inscriptione: Jerusalem Sancta, quæ figuræ, & inscriptiones apprime conveniebant regno divinitus instituto, ac politiæ sacræ addicto, inprimis tempore Davidis, facileque similes antea fieri potuerunt ab ingeniosis illis artificibus, quos singulari industria ad structuram taberna- C culi, & totius sacræ supellectilis Deus legitur donasse Exod. 37. 3. quum ad religionem etiam pertinerent: quare sikli illi Sanctuario, & usui publico gentis fuerunt constanter addicti, quamdiu respublica Judaica mansit superstes. Quis credat præsertim rebus tempore Davidis florentibus, eoque plurima bella prospere conficiente cum idololatris, & ab iis opima spolia referente, innumeros nummos non fuisse fabricatos ad solvenda militibus stipendia, ad monumenta Victoriarum, & ad exercenda cum fœderatis Phœnicibus commercia per totum orbem terrarum celeberrima? Testatur S. Scriptura Davidem abundasse nummis: argenteos quinquaginta D solvit Areunæ pro bobus & aratro 2. Sam. 24. 45. & sexcentos aureos pro area, in qua ædificatum altare 1. Chron. 21. 25. atq; Salomoni legitur reliquisse auri talenta centum millia, argenti vero decies mille ad ædificationem templi c. seq. v. 14. Salomo autem tantarum summarum heres, & ingentium tributorum exactor, atque in coacervandis divitiis adeo felix, ut ipso regnante aurum & argentum vilescerent, neque pluris æstimarentur, quam lapides 2. Cron. 1. 15. ex iis nummos non fabricasse non est verisimile, præsertim quum Principes etiam legantur sponte E dedisse auri talenta quinquies mille, & drachmarum myriadem argenti autem decies mille talenta, & æris octodecies mille talenta, in quibus diversi nummi esse potuerunt 1. Chron. 29. 7. nummi sane Salom. fuerunt necessarii, ut mercedem operariis suis solveret, & ab exquisita ejus sapientia, & famæ studio, quo reges ad præclara facinora excitantur, abhorret, eum de fabricandis nummis nunquam cogitasse, quandoquidem tantam cum fama affinitatem habet moneta, ut pro ipsa fama Ester. 9. 4. in Paraph. Chald. adhibeatur. Revera adhuc etiam videntur nummi Salomonis, Davidisq; nominibus inscripti, quos omnes spurios affirmare nimis esset temerarium, quum pluri- F bus cæterorum gentium nummis minime cedant, & probabile sit divinam providentiam horum monumentorum ad pios reges pertinentium magis conservationi invigilasse, quam cæterorum idololatriæ labe sæpissime pollutorum. Te, vir clarissime, diutius detineo; itaq; properandum ad 1. Mach. 15. 6. quo Judæos tunc proprios nummos habuisse, merito judicas; mihi autem hic locus videtur evidenter probare antea etiam iis usos fuisse: cur enim Antiochus in pristinam libertatem eos restituens, jus condendæ monetæ insolitum concederet? itaque novit eo fuisse a prioribus dominis spoliatos, & ne ullum servitutis Babylonicæ vestigium superesset, illo hactenus frustra

desiderato donare voluit, præsertim eo tempore, quo suum recuperarunt templum & siklis ad illius cultum solvendis egere ceperunt; reducti enim in Chananitidem Persicorum Imperatorum beneficio, eorumque favore gaudentes potuerunt forsan in proprium religionis suæ usum quosdam siklos fabricare, sed publicos & totius gentis commercio destinatos a Persicis monetariis mutuari tenebantur, sicut Samaritani, quorum nummos literis Samaritanis inscriptos adhuc habemus; unde Antiochus in edicto suo libertatem adaugens, nummos ab iis fieri concedit generatim in regione absque ulla exceptione; quod Simoni & toti genti decorum suorum avidissimæ nimis honorificum fuit, quam ut negligi potuerit, eo maxime tempore, quo summo Dei beneficio ex profundis calamitatibus satagebant emergere, & illustri fama in suum fœdus potentissimos populos allicere. Revera memini me vidisse nummum, cui impressum erat monumentum in urbe Modim magnifice ab illo extructum in honorem patris, & fratrum cum septem pyramidibus, quod describit Josephus Antiquit. libr. 13. cap. 11. & ad suum usque tempus durasse affirmat: ibidem etiam declarat eum habuisse nummos, quum refert centum argenti talenta solvisse ad liberandum Jonathanem, quæ secundum antiquorum normam facta fuisse videntur: quæ etiam ad tempus Christi conservata sunt, quoniam servus decies mille talentorum debitor etiam refertur Matth. 18. 25. sic talentorum parabola Matth. 25. 15. quia τὸ δίδραχμον adhuc etiam colligebatur Matth. 24. id est σίκλυ τὸ ἥμισυ, quod tandem Vespasianus deferri jussit in Capitolium, teste Josepho de bell. lib. 7. cap. 26. ut penitus abjecisset hanc fœdifragam gentem: Judæa autem paulo ante in provinciam redacta, & Judæi mancipati cudere nummos deinceps non potuerunt. Propterea in Evangelio invenimus denarios quadrantes, nummosque Cæsaris imaginem gerentes; quare si ad Christum nummos non habuerunt Judæi aliqua specie notatos, nullos habuisse convenit audacter affirmare, quoniam tunc Romanos, legibusque permissos uti tenebantur: quamobrem collybistæ erant in templo, qui profanos hos nummos, cum antiquis Judaicis sedulo conservatis permutabant, Matth. 21. 1v. uti legi exactius satisfieret, & legitimi nummi Deo, & templi ministerio solverentur.

Vir illustrissime, hæc est sententia mea de nummis Israelitarum, quæ argumentis validissimis quidem non nititur, sed mihi videtur probabilissima, quum varia illorum nomina Hebraice referat Moses, antequam ullus Græcorum ac Romanorum scriptor vel unum referat, Plinius autem ingenue agnoscat, Romanos ante Servium regem ne æs quidem signavisse, argentum autem post Pyrrhum regem debellatum, tot sæculis post mortem Mosis. Sed hæc minus tempus tuum gravioribus negotiis debitum diutius surripere non debent: vale igitur vir amplissime, meque cultui addictissimum tuo, rogo, & obsecro pergas dignari benevolentia tua.

Epistolam tuam simul restituo.

Amstelodami 1. Kal. Junii Ann. 1696.

A

(C)

STEPHANO MORINO

Viro Præstantissimo

S. D.

GISB. CUPERUS.

B NIsi probe scirem, te non ignorare occupationes meas, vix certe te convenire auderem, quia jam diu te certiorem facere debueram, redditas mihi esse litteras tuas eruditissimas. Longa quapropter excusatione non utar, idque eo magis, quia videri possem de tua erga me benevolentia dubitare; quare ad rem, quam agimus, me accingam, & tecum communicabo, quæ mihi epistolam tuam legenti venerunt in mentem: quod tamen antequam faciam, patere ut mittam, me summam voluptatem, & ingentem fructum inde percepisse, atque etiam hic, non secus ac in variis libris editis, te prodere ingenii & doctrinæ tuæ elegantias. C

Nihil itaque certius est, quam Græcos, laudis in primis avidam gentem, sibi vindicasse nova & præclara inventa. Neque tamen illi fidem apud me inveniunt, cum æstimem pleraque potius in parte orbis terrarum primum exculta, & unde aliæ gentes egressæ vel ejectæ sunt, id est alias reperta fuisse, & veluti propagine ad alias gentes transisse, atque ita pro diversitate illarum gentium varii easdem possunt dici artes invenisse, vel ante inventarum usum monstrasse populis, qui eas ignorabant. Græci Phædona & alios, Itali Saturnum, D Janum narrant primos signasse nummos, & si horum historia petita est ex historia Noachi, ut multa faciunt verisimilia, tamen inde nequaquam sequitur, Noachum nummos signasse. Quin imo a Jano vel Saturno hoc factum fuisse cum ratione videor dubitare; quia non est verisimile Romanos sub primis Regibus usos esse ære gravi, & neglexisse artem utilem valde humanæ vitæ & exercendis negotiis, quam, ut pote a vicinis usurpatam procul dubio post Janum, ignorare nequaquam potuerunt. Nam æs apud eos primus signavit Servius Tullius, teste Timeo apud Plin. 33. 3. ubi frustra monet Harduinus, alios hoc Numæ adscribere, cum lib. 34. E cap. 1. tantum dicat, æs Numæ tempore in usu fuisse, idque patere ex collegio ærariorum ab ipso instituto: quamquam non ignorem, Salmas. pag. 466. de Usuris, tradere Νουμας vel Νουμμας cognomen inditum Pompilio videri ab invento nummo. Deinde licet multi tradant, Janum signasse nummos navi, vel prora, vel puppi, tamen Ovidius illud *posteritati*, id est Romanis, ut videtur, tribuit.

At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

F & notam æris scribit fuisse Plin. 33. 3. ex altera parte Janum Geminum, ex altera rostrum navis, in triente vero & quadrante rates, *æris* nempe a Servio percussi, licet paulo ante dicat, æs a Servio signatum nota fuisse pecudis, inde pecuniam appellatam: nisi id factum fuerit in asse recens cuso, mutata priore nota, quam æri Servius impresserat, uti commentatur Harduinus; & notandum, Plutarch. in qu. Rom. scribere antiquum numisma habuisse Jani bifrontis

imaginem &c. at alium nummum signatum fuisse bove, ove, vel sue: quæ animalia etiam antiquis nummis impressa fuisse in Publicolæ vita tradit, adeo ut alii videantur signati fuisse Jano bifronte, alii vero pecoribus illis.

Facile tibi concedo, & extra dubium est, religionem veram apud Judæos conservatam; sed Philosophiam, qualis in Græcia viguit, ab illis fuisse haustam vix est ut credam, quamvis a. 1694. Daniel Colbergius Gryphswaldiæ ediderit librum non ineruditum, cui titulus: *Sapientia veterum Hebræorum per universum terrarum orbem dispersa*, uti ex Actis Erudit. Lipsien. patet Tom. 2. Supplem. sect. 10. p. 462. Gens ea alias flocci fecit, commercioque illarum sese fere exclusit, tota operata sacris suis & ritibus, vel, spreto numine vero, fœdis superstitionibus mancipata. Certe in S. Litteris nulla vestigia apparent ejusmodi Philosophiæ & tantum celebrari in iis video sapientissimi Regum ingenium & sententias sive apophthegmata, quæ vel ipse vel alii potius ex ipsius ore litteris consignarunt.

Sed ut tecum ad nummos redeam, servus ἀργυρώνητος Gen. 17. 12. & 400. sicli argenti 23. 26. non videntur esse satis firma argumenta, ad probandum argentum tunc temporis fuisse signatum. Nam cum illud appensum fuerit, teste ipso Mose, certum utique pondere constitisse; nec hic locum habere potest, quod subjungis, vir clarissime, ob pristinum appendendi morem *appendere* idem esse quod solvere, & numerare; valuit quidem Ciceronis tempore, cum jam pecuniæ non appenderentur, sed numerarentur, non autem Abrahami, quo verisimiliter sola appensio in usu fuit. Nam & *siclus* a pondere nomen habet, non secus ac στατὴρ, quemadmodum optime doces pag. 269. Exerc. de Lin. Prim. & nihil mihi ad probandum contrarium videtur facere vox *Kasat*, quia inde aliud nihil evinci potest, quam nummos fuisse sinceros, auri vel argenti puri, quales sunt etiam non signati; quod & hodie in Oriente observatur te ipso monente pag. 268. & 283. quin etiam si maxime tunc temporis signati fuissent nummi, vel in Ægypto, vel in terra Chanaan, vel in Mesopotamia, vel in Babylonia, id quod tamen vix credibile, incondita & rudi ætate factum fuisse, nequaquam sequitur Abrahamum, ejusque Posteros proprium nummum signasse. Nam Patriarcha ille fuit peregrinus in terra promissa modo huc, modo illuc se transferens cum familia sua, quæ ex multis servis constabat propter armenta, quibus tunc divitiæ censebantur; nec credibile eum monetarios secum duxisse, inutile tunc temporis, ut sic loquar, pondus, cum argentum & aurum appenderetur, & ille uti posset Regum vel Regulorum istius tractus pecunia, si modo signata fuit. Nec quicquam Judæos moror, qui pag. 212. Exerc. tuarum narrant, Abrahamum, Josuam, Davidem, & Mardochæum emisisse monetam per orbem, rationes eorum quas adferunt, opinionem illam refellunt, & nugas magis quam veram rationem sapiunt. Atque idem de Isaaco & Jacobo statuendum est, quos nunquam credam signasse proprios nummos, cum aliis uti possent, & in aliena terra veluti hospites viverent; in Ægypto & in deserto pecuniam signatam fuisse quis credat, & cum siklus sit proprium Judaicæ pecuniæ nomen, voxque ea ab appendendo, vel ponderando desumpta sit, non abs re statuunt eruditi nonnulli, Judæos pecunia signata nunquam usos esse; quam in rem plura videre licet apud Conringium magnæ eruditionis & famæ virum in Paradox. de re nummaria veter. Hebræorum. Quid quod nummi signati externa nomina in SS. habeant, ut *Darconim* & *Adarcon*? Drachmas a Dario formari non posse facile tibi assentior, sed nec eas voces a Drachma cum Ottone Sperlingio, & Wasero lib. 2. c. 16. de antiq. nummis Hebræorum, nec non Matthæo Hosto Tom. 1. pag. 305. deducere vellem, verum a *Dario* vel *Darico* aureo, uti nostri Persarum Rege vel Darii Hystaspis nummo. Et ne putes me solum, idque ex mera conjectura, & syllabarum quadam consonantia id statuere, accipe idem sentire Eduardum Brerewood cap. 3. de pondere & pret. vet. Num. Jobum Ludolfum pag. 66. notarum suarum in Histor. Æth. Eduardum Bernardum pag. 115. 120. & 171. de pond. & Mens. nec non Anth. Binæum, eruditum hac in urbe Theologum, quemadmodum ex litterarum, quas ad me scripsit, exemplo perspicies, &, quod adjiciendum est, post Christum primo Rabinos animum ad puncta applicuisse, ipse etiam notas pag. 476. adeo ut in illo Binæi argumento magnum mihi pondus esse videatur. Et validum apud me argumentum est, Judæos pecunia signata non fuisse usos, quod nulla monetariorum, vel monetæ in legibus Mosis mentio occurrat, vel eorum fraudibus pœnæ sint statutæ, uti factum iis qui merces vendebant, & falsis ponderibus, & mensuris utebantur, rogoque vehementem in modum, ut me doceas, num vel ex S. Litteris vel aliunde contrarium probari possit. Sed præterea inquirendum restaret, qui argentum, vel aurum ad suum pondus vel siclum Sanctuarii exegerint; an id fecerint certi homines, an Sacerdotes, an vero singuli privati, quomodo fere Abrahami tempore obtinuisse putat Clericus p. 150. & 122. in Genesim.

Num autem nummi Hebraici, quorum in exercit. tuis, & apud Waserum, Hottingerum & alios ectypi reperiuntur, genuini sint valde dubitatur, & eos suppositios esse certe statuendum est, si pecunia propria signata usi non sunt Judæi, uti putant Conringius & Sperlingius, quorum rationes suum pondus videntur habere.

Quod Josephus narrat lib. 13. cap. 11. Simonem centum argenti talenta dedisse ad liberandum Jonathanem, itaque videri secundum antiquorum normam facta esse, nihil evincit; nam talentum non fuit certa pecuniæ vel nummi species, verum summa, uti doces etiam pag. 277. Exercit. illaque in usum coacervari potuit ex Syriæ Regum nummis, qui certe apud Judæos tunc temporis in usu fuerunt. Hæc, vir doctissime, quæ examini tuo submitto, scio pleraque frivola esse, & me forte φλυαρεῖν: sed nihilominus ea tecum communicare volui, partim ut perspicias, me haud perfunctorie epistolam tuam legisse, partim ut occasio tibi detur penitius hanc in rem inquirendi; si modo digna mea sunt, quibus horas tuas impendas. Vale plurimum. Dav. 17. Dec. 96.

P. S. Hottingerum Diss. 3. de Num. Hebr. pag. 103. video etiam notare, Judæos Drachmam agnoscere monetam Persicam, Græcis favere affinitatem cum δραχμῇ, putatque eos a Persis ad Judæos pariter & Græcos manasse.

Idem pag. 131. ex Schalsch. Hakkabb. observat *omne argentum, cujus mentio fit in lege, esse argentum Tyrium: omnem Zuz aut dimidium ejus esse denarium Tyrium*: & ex Talmudicis, *argentum omne, cujus in lege fit mentio, intelligi argentum Tyrium, sed Rabbinorum argentum intelligi commune provinciale*. An hic idem nummus cum eo, quem in epistola ex 1. Sam. 9. 8. vocas Zouza, & inde concludi potest Samuelis tempore Tyriorum nummis, ut prima fronte videtur, usos esse Israelitas? quod si verum, multum inde paradoxa opinio firmaretur. Nummos Judæorum nunc inscribi *Jerusalem Sancta*, vel

uti scribit Bernardus p. 125. de mens. & pond. Ιερυσαλὴμ ακεδυσα notum, & vox *Sancta* mihi in memoriam revocat Bernard. de Montfaucon existimare p. 163. de la verité de l' histoire de Judith, urbem *Cadytim* memoratam Herod. l. 2. & 3. esse Hierosolyma, quæ dicta fuerit *Ir cadoscha* vel *Jadoscha*, urbs sancta, & inde Herodotum fecisse Cadytim, quæ observatio an vera sit, & an temporum rationi conveniat, quæso, ubi commodum est, examina.

XXVI.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Redditæ mihi tandem sunt tuæ ipsis Cal. Apr. scriptæ, Vir Excellentissime, & ob plurimas eruditionis ac amicitiæ notas eas non semel deosculatus sum. Junctæ illis erant aliæ tuæ ad Morinum, & quasi Te advocassem, ita meam causam optime defendisti.

Videbis aliquando Clarissimum illum Virum in Diss. mea suis tam encomiis, quibus dignus est maxime, mihi commendatum, quam aliquando monitum & perstrictum: lego enim jam exercitationes ejus de lingua primæva. Video Dn. Bynæum quoque inter *Da kmenim* & *Adarconim* distinguere, illud scil. a Drachma concedens originem sumsisse, hoc autem a Dario. Hanc vero serram amplius hic ducere nolo, ne Tibi quoque tædio sim, sed me tanto Viro potius commendatum esse cupio, quam adversari. Mihi vero gratissima fuerunt hæc omnia, quodque ea submiseris legenda, gratias plurimas habeo. Dum meam Dissertationem describo, ut Tibi mittam, tot mihi occurrunt emendanda, ut denuo describere opus sit; quam moram ut æquo animo feras & oro & contendo. Deinde vereor ut Secretarius CavW Hamburgi tam diu mansurus sit, donec illam descriptam mittere possim. Tertio, num Typographus 100. Exemplaria impressa mihi seponere velit & tradere, non quidem quæstus ullius mei causa, sed quod habeam amicos hic & alibi, quibus offerre debeo & donare. De quatuor Gordianis Gallis jactatis quod scribis mirum est; tuæ sententiæ sum, donec melius edoctus fuero. Apud nos hic novi nihil, nisi quod Dn. de Mellen qui unciales nummos Germ. Imp. illustrandos sumsit, quosdam in lucem prodire fecerit his nundinis, & a Friderico 3. Imp. eos deducat, quod mihi tam mirum videtur, quam de Gordianis 4. Orcadum historia Latina a Thormodo Torfæo Islando ex Islandicis facta ac illustrata nostris typis prodiit, quam brevi videbis. In Suecia quamvis infeliciter omnia se dederint, tam Regis istius magni obitu, quam incendio luctuosissimo, quod arcem ipsam Stockholmiensis Civitatis corripuit, & bonam partem Antiquitatum, quas ex Islandia collegerant, absumsit, recreavit me tamen fœmina quædam elegantissima & doctissima suis literis Latine scriptis, & terse admodum, ut nihil supra: Vocatur Sophia Elisabeth Brenneria, fidus aliquod novum literarium Stockholmiæ, Brenneri Pictoris elegantis, qui nobis Suecicos nummos propediem dabit, uxor. Illa carmina nobis dedit Germanica, Italica & Gallica linguis cultissima, & felicissime in omnibus istis linguis pangit, ut satis mirari non possimus, quomodo sexus sexum vincat. Vale. Dabam Hafniæ a. d. v. Junii MDCXCVII.

XXVII.

Amplissimo & præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

Singularem voluptatem ex ultimis litteris tuis percepi, cum quia inde perspexi, meas tibi mirifice placuisse, tum quia certa spes nobis fit, propediem te publicaturum paradoxam quidem, at tamen elegantem & eruditam valde dissertationem. Bibliopola Amstelædamensis Borstius recepit se illam descripturum typis elegantibus, & centum tibi daturum exemplaria. Sed Dom. Hop ab Ordinibus extra ordinem, ut more Romano loquar, Hamburgum missus, Hagam rediit, unaque cum eo juvenis, qui Viro illustri a manu erat; adeo ut ad eum apographum tuum mittere nequeas, aliæque nobis rationes sint ineundæ. Amicos Hamburgi complures habes proculdubio; eorum uni credere poteris eruditum tuum depositum: ille facili opera illud Daventriam ad me mittet per cursum vehicularem publicum, qui per urbem meam singulis hebdomadibus bis petit Nardenum, urbem, uti nosti, Amstelædamo vicinam. Credo hanc tutissimam viam fore, præcipue cum unus aut alter amicorum tuorum illo vehiculo uti, aut aliis, quos cognoscunt, diatribem tuam tradere possint.

Litteras tuas cum Binæo communicavi; is avide mecum aliisque, quibus salivam tam hic quam in Galliis movi, dissertationem tuam expectat.

Accipe nunc parvulum quidquam, quod ex paupere penu meo prodit. Historia est trium Gordianorum, in qua docere conor, tres & non quatuor, uti eruditus Gallus putabat, Gordianos Augustos fuisse. Quod si album calculum adjicis sententiæ meæ, aliquid me præstitisse arbitrabor; nec dubito, quin tunc aliorum etiam adprobationem sim meriturus. Vale plurimum.

Dav. 18. Aug. 1697.

XXVIII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Ultimæ Tuæ per nostros Haga-Comitis transmissæ, licet sero traditæ sint, traditæ tamen sunt tandem, sed me lecto repererunt affixum ex morbo diutino, a quo vix ante mensem paululum recreatus ad studia redire potui. Non igitur ægre feres, quod ad tuas non prius quidquam reposuerim. Inprimis gratias ago, quod contra Gordianos 4. scriptum tuum elegans, & eruditum, verisque rationibus suffultum, mihi donatum una submiseris. Nondum videram illud de 4. Gordianis, cum tua legissem, allatum mihi postmodum fuit, nec video, quibus inductus, Vir ille non indoctus, pro hac sententia sua prælum exercere

voluerit. Obtineat enim plures Gordianos, quam tres, fuisse, licet nec hoc probaverit, haud tamen plures ad Cæsaream ac Augustam dignitatem evecti sunt, vel nummis propriis decorati. Hoc clare satis docent omnes Historici, & tutus es satis illorum autoritate.

Ego nunc dissertationem meam, quod expetis, tibi submitto, ut videas, &, si videtur, etiam damnes. Est enim immaturum ἔκτρωμα, quod tuum erit judicare, an prælo mereatur committi. Si placebit tibi & Dn. Bynæo, Typographis tradi, adjeci *directorium* capitum, quomodo se invicem sequi debeant: cœtera numeris suis, & literis, & paginis ita sunt inclusa, ut diligens typographus errare nequeat. Neque enim describendum denuo curare potui, quod & morbus & tempus manum mihi injecerint satis morosam. Tuo nomini dicatum scriptum reperies, neque enim aliter debui, qui insignem operam attulisti, eaque subministrasti, quæ sententiam meam si non ἔνδοξον reddent, παραδοξίας tamen, ut spero, absolvent. Addidi munuscula quædam res Danicas tangentia, inter quæ specimen Valerii mei Maximi Danici procusum, quod duodecim Alphabetis, ut loquuntur, descriptum, Typographos & Mæcenates liberales exspectat. Opto ut ad te cito perferantur, meque doceas, quid scripto meo fieri velitis, nam sine virgula vestra & censura nihil volo. Vale.

Dabam Hafniæ ipsis Kalendis Januarii, Anni 1698. quas tibi tuisque lætissimas & felicissimas, ut annes & perennes apprecor.

XXIX.

Amplifs. Nobilissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Ante tres hebdomadas fere Campis mihi redditæ sunt litteræ, quas ad me dedisti secundo & vigesimo proximi mensis die, lætabarque mirum in modum, dissertationem tuam Hamburgum esse perlatam. Inde domum reduci gaudium illud valde auctum est, quia recepi ibi ipsum illud eruditum opus, cui inseram schedulam, quam alteris litteris incluseras. Continuo Binæum ejus rei feci certiorem, is ad me advolat, & non minori lætitia perfusus fuit, recepitque se continuo scripturum ad typographum Amstelædamensem, ut ad me mittat typorum formas, quibus elegans σωμάτιον illud descripturus est; dabo enim operam diligentem, ut quam nitidissime in publicum prodeat.

Petis, ut illud legam, & examinem, an dignum sit, quod in dias, ut sic loquar, luminis oras prodeat. Facerem id continuo libens lubens, nisi Petrina comitia, quibus Magistratus urbis hujus creantur, instarent, & iterum Campos excurrere deberem ad ordinanda comitia ordinum Transisalaniæ, quæ primo & 20. Martii die habebuntur Svollæ; sed tamen omnes vacuas horulas per hosce etiam dies lectioni illi impendam, non tamen, ut judicem, an digna tua sint, quæ publici juris fiant, sed ut qualiscunque eruditionis meæ citius extendam usuram, cognoscamque ante alios res præclaras, quas nos proculdubio magno numero doces. Nihil enim a te proficiscitur, quin edolatum sit, & refertum rebus, quas eruditissimi etiam ignorant, uti vel patet ex notis, quibus testamentum Absolonis, Lundensis Episcopi, illustrasti, nec non ex prima plagula Val. Maximi Danici, unde certe disco, Salvatorem nostrum in Septentrione inter *Deos albos* relatum, & *Christum Album* vocatum fuisse.

Sed nimio me mactas honore, quod tam eruditas curas mihi dedices, Græcæ quidem & Rom. antiquitatis non indiligenti, præfiscine dixerim, indagatori, sed Hebræarum rerum, certe linguæ ignaro, quæ tamen hoc in opere utramque fere paginam faciunt; & præterea, quod tam magnifice studia mea extollas. Nullo certe hoc meo fit merito, sed benevolentiæ tuæ & amori, quo me complexus jam dudum fuisti, omne hoc adscribendum est. Gratias quapropter tibi hoc nomine maximas ago, &, ubi potero, etiam referam, nec sinam indictum abire nomen tuum, si modo Deus mihi vitam & otium concesserit. Gordianos meos tibi placere, serium in modum lætor, & de aliorum judiciis jam ero securus: potuissem historiam temporis illius pluribus illustrare, sed maturandum opusculum fuit, ut prævenirem illustrem Spanhemium, qui eruditifs. dissertationem De Jure Civ. Romanæ sub Impp. mihi dedicatum edere volebat; quæ, ut postea intellexi, inseretur tomo 9. vel 10. Thesauri Antiquit. Rom. qui cura Joh. Georg. Grævii, Trajecti ad Rhenum, ut nosti, editur; alio tempore ero prolixior. Vale.

Dav. 19. Febr. 1698.

XXX.

Nobilissimo, & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Sunt ad me perlatæ tuæ, quas ad d. XIX. Febr. Dav. scripseras; felicem me, quod in vestras tam oportune manus inciderit illud scriptum meum, & iterumque felicem me, quod vos tam benignam ejus curam suscipere dignemini. Omnino mutandum est illud *Directorium* in Indicem, & paginarum numeri sunt mutandi, tam in Indice Capitum, quam in Indice rerum. Ea enim scripta sunt pro dirigendo typographo, ne, qua pag. singula reperire possit in scripto meo, nesciret; ejus nunc fuerit illa omnia accommodare & inserere impressis, ut paginæ & numeri illic, non scripto, sed impressis ejus respondeant. Doctum & scitum typographum hæc requirunt, aut Correctorem attentum, quem utinam adhibere vellet typographus, si minus ipse valet; rem faceret & nobis optatam, & typographiam suam commendaret impensius. Centum illa exemplaria, ad me quæ missurum se recepit, poterit cum navibus hac æstate huc commeantibus vel transeuntibus commode mittere. Dn. Binæo salutem officiosissimam impertiaris meo nomine; teque pariter salvere cupio & valere.

Dabam Hafn. a. d. XIX. Mart. st. v. A. 1698.

A

XXXI.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Certiorem te feci, 19. Februarii proximi die, eruditam dissertationem tuam mihi reddi tam esse, & curaturum me diligenter, ut elegantibus, novisque typis describatur.

B

Misi eam paulo post Amstelædamum ad Borstium typographum, addideratque Binæus epistolam, unde discere satis commode poterat, quomodo illa foret digerenda. Sed, quod equidem vehementem in modum doleo, remisit ille curas tuas, testatusque est, nec se, nec quem habet diligentissimum & veteranum Correctorem, natione Germanum, sese inde extricare ullo modo posse, nec operi admoturum manus, nisi eo ordine scriptum sit, quo edi & publicari debet.

C

Ego quid capere consilii debeam, hæreo plane, & proinde recte me facturum existimavi, si tecum hunc nuntium communicarem, ut scire quantocius possim, quid facere debeam. Vale plurimum.

Davent. 31. Maii 1698.

XXXII.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

D

Credo me tandem typographum invenisse, virum optimum & diligentissimum. Franciscus enim Halma ante tres hebdomadas hic fuit, cum eo de erudito opere tuo loquutus sum; illud sibi ut traderem rogavit communicandum cum sociis suis; feci; remisit ante pauculos dies, & me simul certiorem fecit, sese id libenter typis descripturum, sed tot occupatum esse libris edendis, ut vix inchoare lucubrationem tuam possit; ad minimum sese mensem petere, ut eo exacto cognoscere possit, quantum in operibus, quæ præla ipsius exercent, profligatum sit: id quod negandum ipsi esse non puto, & hic certe est, qui opus tuum nitide publicabit.

E

Ego eam operam sumsi, ut accurate notarem periodorum initium & finem: & ea via factum est, ut typothetæ Ultrajectini fidem Halmæ dederint, sese opus aggressuros & absoluturos, modo omnia capita ita a me digesta sint. Sex absolvi, & ad reliqua me jam accingo; & spero me ea perfecturum, antequam suscipiam iter Trajectum ad Mosam; in procinctu enim sto & nihil me retinet, nisi adventus Serenifs. Britanniarum Regis, qui propediem erit in Prætorio huic urbi proximo; & cui antea ut officia mea submisse deferam, muneris mei esse existimo. Vale plurimum.

F

Davent. 16. Julii 1698.

XXXIII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

O. SPERLINGIUS.

Diu licet nihil a te viderim, Vir Illustris & Optime, non tamen unquam memoriam tui depono. Mitto tibi nunc & Dno. Bynæo crepidas meas, h. e. Schedion aliquod meum de Crepidis, quod nuper prodiit. Aliud videbis Schedion meum de Vestitu Danorum antiquo: quod leges in novis literariis Lubecensium, mense Novembri, si ad vos perferuntur. Tam minutis schedis Typographos nostros accedere oportet, si quid impressum velis. Nihil de Nummis meis audio, unde Typographos non reperiri facile colligo. Mora nos enecant illi homines, & malo omine *non Cusos* inscripsi; manebunt enim non cusi, nec excusi, credo. Nihil de diligentia tua dubito; sed an Dn.Bynæo probatur scriptum illud scire velim, & qua in re dissentiat; est enim ejus Viri autoritas mihi magno loco, & fere instar omnium. De nummo tuo, quem promisisti edere, nihil nunc mones; publicæ occupationes tempus, ni fallor, eripiunt. Ut autem annus instans & plurimi sequentes tibi felicissime decurrant, omnibus votis opto & apprecor tibi.

Dabam Hafn. a. d. XXXI. Dec. A. 1698.

XXXIV.

Illustri & Præstanti admodum Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Miraberis profecto, te tam longo tempore nullas a me litteras accepisse; neque te certiorem fieri, quid tandem de eruditissimo libro tuo constituerint nostri bibliopolæ; sed mirari desines, ubi cognosces Binæum nobis immatura morte ereptum esse, eumque, dum vivebat, recepisse, sese acturum ea de re cum Boomio, vel cum aliis Amstelædamensibus typographis. Vir ille optimus & doctissimus fuit, quod vehementem in modum dolendum est, fato brevis, & raptus in florentissima ætate, ingens omnibus eruditis & piis sui desiderium reliquit.

Quid in eo illi perdiderint, conspicies ex elogio, quo more hic usitato memoriam Viri celebravit Boviverius, Historiæ & Eloquentiæ professor; quam vero jacturam hi fecerint, docuissent te vultus demissi eorum, qui funus prosequebantur.

Sed missa faciamus ea, quæ infecta fieri nequeunt, & fasces submittamus jussis & voluntati summi Dei & Imperatoris, qui, quos vult, hac statione liberat.

Egerat autem ὁ μακαρίτης cum Boomio de tuo libro, sed is ante binas vel tres hebdomadas mihi significavit, se tot libris edendis esse occupatum, ut manus illi admovere nullo modo possit. Cum hæc spes decollaverit, agam iterum cum Halma,

& cum Wetstenio; difficultas enim redigendi capita in ordinem, quæ bibliopolas deterrebat, sublata plane est; quia ea ita digessi breviter, ut nullus typotheta possit errare, nisi natus foret crassissimo sub aere; & Binæus dispositionem meam examinaverat, testabaturque, optime omnia sese habere, & nullibi a me erratum esse.

Irascor mihi ipse, quod libro tam erudito nullum potuerim invenire typographum in hunc usque diem, manibus tamen pedibusque annitar, & diligentissime in eam rem incumbam; brevique te certiorem faciam, quid sperare debeamus, ut ita constituere possis, quid mihi amplius erit faciendum. Cum autem annum novum simus ingressi, peccaturum me putarem in amicitiam nostram, si tibi eum non faustum & felicem precarer; facio id igitur libens lubens, & multa Deum veneror, ut hic multique sequentes tibi familiæque tuæ prosperi & felices decurrant. Vale plurimum. Dav. ipsis Cal. Jan. st. Jul. 1699.

XXXV.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

O. SPERLINGIUS.

POstquam ad te misi meam de Crepidis diatriben, quam perlatam nunc equidem censeo, literas tuas Calendis Januarii datas accepi, quæ mortem mihi nuntiant Eruditissimi & Clariss. Dn. Bynæi. Doleo sane tantis Viris tam breve commorandi spatium datum esse, natis ad Reipublicæ salutem; mihi vero seni annos superaddi tam inutiles publico, cui servire quidem cupio, sed per rem angustam domi nec licet, nec aliorum liberalitate invitor. Utinam in alium mundi angulum me detulissent fata! Sed hæc frustra queror, nisi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς intercedat. Meum de nummis non cusis & moras & molestias tibi, cui non debebat, adhuc parere, invitus omnino percipio. Video vestros quoque Typographos, ut alibi, labores subterfugere, & nimis serium ipsis hoc videri negotium. Nam si jocularia quædam effutiissem, centum, credo, Typographos nancisci licuisset; tam depravatæ jam sunt literæ, ut nihil placeat Typographis nisi fanaticum, deliciosum, & scurrile. Noli cura ista te ulterius distinere, sed aut remitte, si non invenies Typographum, aut tecum sepultum jaceat; lucem enim si ferre non potest, aut meretur, noctes honestas tecum transigat, satius est. Vale.

Dabam Hafn. a. d. IV. Feb. A. 1699.

XXXVI.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

REspondeo tandem binis litteris, quas ad me 31. Dec. anni 1698. & IV. Feb. proximi misisti; & primo quidem spero te excusatu-
A rum tarditatem meam, & deinde vel injurato crediturum, illius causam non esse imminutum erga te amorem, vel observantiæ, qua te colo, neglectum; sed me antiquum non obtinuisse, quia non habebam, quid de editione eruditæ tuæ diatribes significarem.

Fecit tandem me Grævius noster ante pauculos dies certiorem, Halmam perpolito operi manus admoturum, ea conditione, ut quinquaginta tantum exemplaria tibi dare teneatur, addit que te, vir eximie, accepisse hanc legem; id quod equidem summopere gaudeo, quia ea etiam ex lucubratione eruditus orbis cognoscet bona fide, quan-
B tum in te bonum possideat.

Crepidas, quas Binæo τῷ μακαρίτῃ destinaveras, donavi Grævio, qui eas desiderabat; & cui si tantum, quantum mihi, placent, placebunt utique plurimum. Schedion tuum de vestitu Danorum non potest, nisi elegans esse; sed Lubecensium Eruditorum Ephemerides ad nos non perferuntur, dabo tamen operam, ut eas nanciscar.

Nescio an legeris Joh. Harduini Chronologiam Vet. Testamenti; est illa, si quid video, plurimis paradoxis & erroneis opinionibus referta, id quod facili opera, si id agerem, probare possem, sed
C tamen tecum existimat p. 215. Judæorum propriam pecuniam, nec ipso Ducis aut Regis nomine, nec ulla certe fuisse signatam effigie rei cujuscunque, eamque causam esse, quamobrem appenderetur & non numeraretur, &c.

Et uti de uno tecum agam loco, an unquam legisti, sæculo XIII. fuisse Auctorem, nomine *Asidæum*, qui scripserit Episcopos malle esse *Duc & Pair*, Δουκενάριον, sive, ut Harduinus existimat, Δουκεπάριον? Mihi certe, si quisquam sæculo XIII. ita locutus est, videntur hæc petita esse ex Eusebii Histor. Eccles. ubi agit de Paulo Samosatensi, quem Episcopi in epistola narrant ambiisse
D sæculares dignitates, & fuisse Δουκηνάριον, nempe Procuratorem, qui ita vocatur, uti optime nosti, quia ducenta sestertia, id est, quinque millia Philippeorum annuorum accipiebat. Neque enim puto Harduinum credere, Eusebium supposititium, & ejus historiam ab Asidæo quodam sæculo XIII. fuisse compositam; quanquam omnes fere auctores, exceptis paucissimis, ipsi sint malæ notæ, id quod in virum acris & eruditi ingenii cadere posse miror & stupeo.

Ego jam constitui manus admovere novas Gordianis meis, & dissertationi, cui titulus erit, Elephas Numismaticus, & in qua explicabo num-
E mos, tam Græcos, quam Latinos, qui animali illo sunt signati; & ea occasione monebo varia, quæ a viris eruditis non satis bene, si quid video, explicata sunt; inde accedam ad alia, quæ habeo affecta, & ita conabor absolvere tandem curas meas omnes, quæ ultimam manum desiderant: & tunc de edendis illis ibo in consilium. Tu vale etiam atque etiam, Vir præstantissime, & me, quod facis, amare perge. $\frac{16}{26}$ Septembr. 1699. Svollæ, ubi per aliquot dies Reipubl. causa esse debeo.

F

XXXVII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS

POstquam tuas accepi 16. Septemb. Cal. v. datas lætatus sum valde. Plurimi quippe jam mortuum te asseverare mihi voluerunt. Deus te diu sospitet.

Quod Grævium de Halma scripsisse refers, quasi meum de nummis non cusis susceperit edendum, haud ego nunc quidem credulus sum. Egeras tu cum illo, memini, sed, bone Deus! quantas difficultates tunc prætendit, illudque scriptum a se repulit? Scripserat mihi Grævius, quod *Van der Aa* manus admoturus esset, si 50. Exemplaribus vellem adquiescere. Consensi statim, nihil tamen factum video. Quare nec Halmam bona fide promittere persuaderi possum. Ego jam inter deserta dudum reposui hanc meam lucubrationem, & inter *ἀνόδυνα*. Neque enim amplius me afficit quid agat, aut ea agatur.

Schedion meum de vestitu Danorum misissem, ut & alia *ἀποσπασμάτια*: sed quoniam Novis literariis Lubecensium inserta leguntur, non seorsim excusa sunt, mittere nequeo. Exstat in iis Novis etiam meum de *Ambactis* apud Cæsarem, & alterum de Origine veterum Gallorum a *Dite*, hoc est, Germanis, apud eundem Cæsarem. Sub prælo hic loci versatur Dissertatio mea de Baptismo Ethnicorum. Aliam meditor de nummis cavis & bracteatis.

Harduini Chronologiam nondum vidi, sed ex iis, quæ refers, audaculum satis animadverto, & opinionibus suis nimis indulgentem. Risi sane, quod mihi ignoscet Harduinus, suaviter, cum legerem *Δυκινάρειον* ab ipso *Δυκεπάρειον* factum: sed tenet hic morbus Francicos, ut credant totius Orbis incolas a se mores petiisse, aut sine vitio & culpa non esse, quotquot non idolum illud suum adoraverint. Hinc facile *Ducs & Pairs* in omnibus aulis se reperire debere persuasi sunt, & si non reperiant, faciunt.

Quam tu longe melius & solidius procedis, Vir Consultissime, qui Gordianos tuos augere promittis, & elegantissimum illum futurum Elephantum Numismaticum. Ego jam propter Elephantinum Ordinem hujus Regni quædam conjeceram de illa materia. Et nummi quidem veteres cum Elephantis mihi notati sunt, Q. Metelli Pii, C. Metelli Neapolitani, M. Philippi, L. Sept. Severi, Sisennæ, M. Commodi Neronis Turpiliani, T. Vespasiani, L. Commodi, Faustinæ, Augusti L. Aq. Flori, Jul Cæsaris, M. Marcelli, Hadriani, Antonini, A. Atilii, L. Bucæ, L. Cestiæ, Tiberii, Drusi, Germanici, Alexandri M. M. Durmii, Trajani, M. Antonini, L. Veri, Caracallæ, L. Apronii, M. Catonis, C. Marii, Helv. Pertinacis. Quem Catalogum non ideo texere me putes, quasi tu illos ignores, nec multo plures etiam digestos habeas, sed si unus forte vel alter te præterierit.

Jam illud quoque ad te perferendum est, Vir amplissime, quod amici nonnulli ad me perscripserunt, quasi tibi cum Dno. Lilienroth, Suecico Legato, aliquando de Runicis Inscriptionibus nostris sermo fuerit, exque literis meis locum excerptum ea de re ipsi tradideris, Dn. Legatus vero hæc ad Rudbeckium detulerit, qui initio part. tertiæ Atlanticæ suæ ea de causa stomachatus sit non leviter, licet nomine meo tecto. Haud contigit mihi istam partem Atlanticæ hactenus videre, ut judicare potuerim, quomodo res hæc se habeat. Quidquid sit, non multum laboro. Tu vero ad me perscribas velim, num hoc ita gestum sit, prout Amici monuerunt, aut num alia fabula agatur, ut me & Rudbeckium committant. Quamprimum nancisci potero Atlanticæ partem tertiam inspiciendam, videbo quid scriptum sit, & num rescribi oporteat. Valeas igitur diutissime, & me porro ama.

Dabam Hafniæ a. d. XXX. Septemb. 1699.

XXXVIII.

Amplis. Nobilissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. P. D.

GISB. CUPERUS.

NEscio profecto, unde rumor sit ortus, me ultimum valere dixisse rebus humanis: Vivo enim, uti ex ultimis litteris meis perspexisti, & nunc etiam cognosces, & valetudine utor integra atque optima, ita ut par sim ferendis oneribus publicis, & subinde cum Musis rationem deducere possim; quibus nominibus me plurimum Deo ter Opt. Max. debere, grato animo confiteor. Dissertatio tua typis Amstelædami describitur, misitque Halma non modo folium ad me, ut vocant, primum, sed significat insuper, illam non magnæ molis fore, seque optare, ut adjiciantur epistolæ, hoc enim edoctus est, quas mutuas eo de argumento scripsimus; ego equidem difficulter id adprobarem, quia aliud est librum scribere, aliud epistolam, in quam fere conjicimus, quicquid in mentem cadit, & quia tu, vir præstantiss. omnem illam materiam ita exhausisti, ut alio Catone opus nequaquam sit; si tamen tu auctor & suasor fores, amplius ea de re cogitarem.

Rem mihi fecisti gratissimam, quod miseris indicem nummorum, qui elephantis signati sunt; omnes illos atque adeo multo plures mihi notavi, exceptis Gn. Metelli (*Cajum* & *Quintum* reperio apud Ursinum) Sisennæ, L. Bucæ, Drusi, Germanici, M. Durmii, M. Catonis & C. Marii, & te etiam rogo, ut me certiorem facere velis, a quibus nummi illi sint editi; nam omnes forulos bibliothecæ meæ excussi, consuluique antiquarios, quos rarissimos & complures habeo, sed non potui invenire, qualemcunque diligentiam adhibuerim, eos, in quibus animal nostrum depictum esse commemoras. Neque etiam Al. Magni nummum vidi, nisi in quo ille, vel alius potius Rex ejusdem nominis, proboscide caput tectus, conspicitur, vel adulterinum, qualem ipse possideo, in quo curru elephantorum vehitur victor ille gentium. Quicquid suppeditaveris, non absque nominis, eruditionis, nec non humanitatis tuæ elogio inseram dissertationi meæ, quæ, præfiscine dixerim, plurima complectitur, quæ in hunc usque diem vel non satis diligenter examinata, vel incognita fuerunt.

Spero me propediem adepturum Acta Lubecensia, & tunc animum meum explebo *Ambactis* tuis, & *origine vet. Gallorum a Dite i. e. Germanis*; & acce-

acceptissima mihi veniet dissertatio tua, de Baptismo Ethnicorum. Nicolaus Gurtlerus, quem Brema evocavimus, mihi acta illa curabit; nosti proculdubio virum, & hic ante aliquot dies orationem inauguralem habuit exquisiti & profundi argumenti, *De Dei Opt. Max. filio doctore & discipulo ab æterno, & in tempore*, quæ magna in frequentia, nec non minori cum applausu audita est.

Quod jam attinet ad ultimum epistolæ tuæ caput, non memini me cum D. Barone de Lilienroot egisse de Rudbechii Atlanticis, neque me cum aliquo communicasse ea, quæ ad me scripsisti; fieri tamen id posset, quia magna mihi fuit cum Legato illo familiaritas, nisi forte colloquium tuum, nam illius meministi in una epistolarum tuarum, ad Rudbeckium detulerit Joh. Dan. Major. Spero tertium illum tomum ad nos etiam propediem delatum iri; flagrantissime enim desidero cognoscere, unde vir Herculei laboris tot insuper ex antiquis auctoribus loca convasare potuerit, ut ingens ad probandam opinionem suam inde volumen componere posset. Ego certe nescio, quomodo Rudbeckius debacchari queat in virum eruditum, qui novas & paradoxas illius opiniones non probat, vel qui modeste, ut fecisse in literis scribis, de iis dubitat. Nam quis hoc non faceret? cum res plane sit incredibilis, ut ut argumentis illa validis propugnetur, omne quicquid antiquitas habet sacri & præclari, Sueciæ vel Scandinaviæ originem suam debere. Ego quidem hanc litem meam non facio, & eo sum ingenio, ut unumquemque frui sinam suis conjecturis; sed tamen male actum est cum Rep. Litteraria, si quis novarum & inauditarum opinionum inventor & architectus, in animum inducat credere, omnes alios illas, ut χυρίας δόξας, debere amplecti. Ista quidem vis est, dicebat olim moribundus Cæsar, & certe illud hic locum, vel ipso judice Rudbeckio, habere posset, qui utique majori circumfunderetur laude, si dissentientes patienti & sedato animo ferret, & cum iis non ferro, sed ex jure manu consertum, id est, non convitiis, sed argumentis & rationibus ageret: sed tu, vir præstantissime, vale & me amare perge.

Dav. $\frac{11}{21}$. Nov. 1699.

XXXIX.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

NON omitto pagellas, quas edo, quoties occasio fert, tibi mittere, non quod dignæ videantur tuis oculis, sed quod otium, quando datur, me negligere non posse tibi constet, Vir Amplissime, meisque studiis exoptatissime. Edidi hoc de Baptismo Ethnicorum petentibus Amicis; legas & censeas. Et quoniam Dn. Grævius tuum, quod de crepidis miseram, communicari voluit, alterum tibi submitto, quoniam occasio mittendi suppetit. Ad meas 30. Septemb. datas anno elapso nihil responsi tuli, quibus tuis 16. Sept. datis responderam. Ægre tuis literis careo, quæ mihi semper sunt gratissimæ, & ob eruditionem suam ac ἀκρίβειαν merentur expeti & æstimari. Typographus Halma hisce diebus ad me perscripsit opusculum meum de Nummis non Cusis ad finem jam spectare, teque ipsi scripsisse, literas nostras super illa materia invicem scriptas adjungi posse, si consentirem. Consentio equidem lubens, si tibi, Vir Amplifs. id videtur. Ex tuo hoc pendet arbitrio, est enim liber iste jam tuus, tuoque nomini dicatus; quod tibi placebit, displicere mihi non poterit: & rescripsi Halmæ, quidquid tu statues, mihi ratum fore. Legi nummos Coloniarum Doctissimi Viri Dni. Vaillant.

Multa didici elegantissima, sed illud mihi persuadere non potest, vexilla, quæ in coloniis Romanorum reperiuntur sculpta una cum signis Romanorum, fuisse quoque Romanorum. Ego hæc provinciarum & Urbium, ad quas Coloniæ missæ sunt, propria fuisse statuo, nec inter Romanos usitata, sed Provincias, & Urbes colonis ac Duumviris advenientibus hæc quoque Romanis tradidisse, quorum fidei se suaque committebant omnia. Novi apud Scriptores antiquos vexilla & signa confundi, sed illa quæ proprie vexilla dicuntur, & labara vela, Germanis fasuen, Romanis usitata fuisse, nondum observare potui ante Constantinum M. qui illud sibi præferri voluit cum signo crucis & Christi, postquam sacris Christianis nomen dederat: cujus exemplum secuti sunt reliqui Imperatores Christiani. Vix illa vexilla vel labara inter Romanos prius apparent. Dracones a barbaris jam ante receperant, & signorum more, figura sua fecerant. De velis illis & vexillis etiam receptis, nihil mihi quidem hactenus occurrit, in trophæis barbararum gentium illa semper conspicio, quas Romani fugaverant & devicerant, in Romana militia non pariter; nam a barbaris illarum origo prima est repetenda. De his igitur quid sentias, a te doceri cupio, Vir Amplissime, qui rei antiquariæ mihi promus condus es unicus &, horum peritissimus ac certissimus judex.

Sed est adhuc quod te volo, Amplissime Vir, de Wagenseilii nostri Noriberga, quam puto vidisti & legisti, ubi inter alia de insignibus Imperii, quæ Noribergæ asservantur, & de corona Imperatoris, contra Conringium doctissime disputat, hanc eandem coronam, quam nunc Noribergenses custodiunt, a Sigismundo Imperatore illorum custodiæ primum concreditam, eandem esse quam Carolus M. capite suo gestavit dum Imperator fuit, atque ab ipso posteris traditam. Nullum ille quidem argumentum profert quo hæc probatum dare voluit, præter nummum aureum Carolo M. adscriptum ab Octaviano Strada, in quo Imperator iste coronam gerit similem illi, quæ nunc a Noribergensibus asservatur. Sed quoniam nummus ille multis notis adspergitur, quæ suspectum illum faciunt, & a posterioribus seculis ac manibus illum effictum redarguunt, haud ego quidem hac in re facile Dn. Wagenseilio consentiam, neque solum cum Conringio illam a Conrado Imperatore deducerem, cujus nomen in arcu istius coronæ phrygionico opere pictum reperitur, sed ab ipso Imperatore Sigismundo transformatam in hanc, quam nunc præfert, figuram, cum gemmis suis statuerem, atque sic Noribergensibus traditam, cum cœteris insignibus, ut perpetua Imperii κειμήλια & insignia in posterum manerent, non amplius mutanda, prout olim sæpissime factum fuerat. Quid tibi videatur, cum legeris & pensitaveris, scire cuperem. Et nunc quidem finire cogor, amico, qui has tibi tradet, festinante. Prospera igitur precatus omnia, ut diutissime vivas & valeas voveo, cum salute officiosissima dicta.

Dabam Hafniæ a. d. 13. Feb. A. 1700.

XL.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Bibliopola Franciscus Halma mihi significavit, te, vir præstantissime, pati posse, ut litteræ, quas mutuas de nummis non cusis scripsimus, edantur; & jam jam me accingebam ad illas in ordinem redigendas, sed valetudine & occupatione mea factum est, & fit cum maxime, ut illud perficere non potuerim; quin & dum meas percurro, video nos subinde de aliis, ad eruditionem tamen pertinentibus rebus, agere satis libere & familiariter; & proinde judicavi melius fore, ut nondum publici juris fiant. Habes causas consilii mei & μεταβολῆς, & spero te illud adprobaturum; idque eo magis, quia omnes, quas movi difficultates, tam pulchre elucidasti; & nihil litteris illis insit, quod non in dissertatione, summa cura atque diligentia, examinaveris. Illa jam propediem in dias luminis prodibit oras, & magnus inde ad te proculdubio perveniet honos; persuasissimumque habeo, eruditos, quibus de meliore luto, in sententiam tuam facturos discessionem. Exemplaria cito propter materiæ novitatem & gravitatem distracta iri nihil est quod dubites; cumque adversariis, qui, ut fieri solet, exorientur, in nova editione responsurus sis, tunc poterimus serio agere de edendis epistolis, quibus de hoc argumento egimus.

Idem Halma me edocuit, te illustrasse elegantiss. Constantini Maximi nummum argenteum 4. drachmarum cum dimidia; in quo hinc cernitur caput Imperatoris diademate cinctum, legiturque D. N. CONSTANTINVS MAX. TRIVMF. AVG. in aversa area Genius urbis Constantinopolitanæ sedens & tenens cornucopiæ capite coronato, pedibus rostrum navis premens, & inferius MCONS. V. significavitque se illam velle equidem typis describere, & cum altero Opusculo tuo edere, quod ut facere velis, ipsius, meo atque Reip. adeo Litterariæ nomine etiam, atque etiam rogo. Neque enim fieri potest, quin elegantiss. illud & a nemine, quod sciam, editum κειμήλιον pulcherrime sis illustraturus, non secus ac alios ejusdem Augusti ea occasione nummos. Quod ut melius facias, patere, ut moneam, Harduini Sæculum Constantinianum ingentem tibi præbiturum campum; si modo tantum tibi otii, ut tot absurdas & ridiculas plane opiniones examinare & refutare velis ac possis.

Nescio an ille nummum tuum laudet; quia exemplar, quo usus sum, ad Celeberr. Grævium remisi, & nullum in orbe nostro, vel etiam Parisiis venale prostat; sed tamen tibi adseverare possum, te inde perspecturum, Jesuitam illum omnium paradoxorum patrem esse. Multum interim me devincies, si inquirere simul velis in epigraphem nummi apud Du-Cangium Tab. 4. Fam. Byzant. CONSTANTINO P. AVG. BAP. NAT. infra PLC. quæ quid sibi velit, fateor me ingenue ignorare; nec quicquam auxilii a viro eruditissimo, nec inanibus conjecturis otio tuo abuti volo. In Ephemeridibus Eruditorum Gallicis anni proximi p. 597. ed. Amstelæd. Gallandus, insignis equidem Antiquarius, laudat nummum, in quo legitur GLORIA EXERCITVS, pictique sunt duo milites prope bina signa militaria, inter ea signa, crux

A longa nitide delineata, *une croix longue très nette & très bien formée*: notatque vir doctus ante hunc nummum duosque alios Cimelii Regii, nec non illum, in quo Imp. iste velatus curru vectus manum tendit ad alteram manum, ex nube protensam (id quod attribui non posse putat, nisi Consecrationi Christianorum) nullum in nummis indicium, Constantinum Christianum fuisse apud Occonem vel Mediobarbum reperiri; & ante horum nummorum inventionem non potuisse judicari, ejusmodi Constantini Magni nummos exstare, nisi per numismata Constantini Junioris percussa

B adhuc patre vivo. Certe Constantini talis nummus depingitur apud Ducangium Tab. 8. Sed annon tibi videtur ex aliis iisque jam editis Constantini Maximi nummis probari potuisse, eum Christianum fuisse? nam Ducangius nummum edidit Tab. 3. in quo hinc scribitur CONSTANTINVS. MAX. AVG. inde SPES PVBLICA a lateribus labari, quod premit serpentem, & cujus summitas ornata est monogrammate Servatoris nostri. Quid quod in alio nummo ejusd. tabulæ Monogramma Christi cernitur? & in alio Tab. 4. cassidem Constantini idem exornat; & forte etiam in alio tabulæ ejusdem Crux erigitur inter duas victorias, cum Insc.

C GLORIA PERPET. RP. nisi tamen potius sit signum militare. Quin & Tristan. T. 3. p. 543. nummum vulgavit, in quo Cassis Constantini etiam monogrammate ornatur, & quem multis atque eruditis notis illustrat sollers ille & illustris Antiquarius; & apud Ducangium Tab. V. Imperator triremi insistens una manu tenet globum, cui phænix insistit, altera labarum, in quo depictum monogramma FEL. TEMP. REPARATIO, qua re certe testatur quam clarissime, se Christianum & orbem factum Christianum esse. Adeo ut mirer equidem Gallandum affirmare, *que c'est la seule medaille de Constantin, qu'il ait vue avec celle mar-*

D *que indubitable du Christianisme*, nisi putet in nullis aliis *crucem* non cerni; id quod tamen sequentia videntur redarguere.

Est autem singulari observatione dignum, *Genium Constantinopoleos* premere rostrum navis, quia urbs mari veluti cincta, & classem habebat; & quanquam persuasum habeam te, vir maxime, idem observasse; patere tamen, ut mittam me notasse in alio apud Tristan. T. 3. p. 559. hinc cerni ejusdem urbis Genium & CONSTANTINOPOLIS, in altera vero area, victoriam alatam sedentem, tenentemque spicas & cornucopiæ, prementemque itidem pede rostrum navis, VICTORIA

E AVG. quod ænigma etiam ad urbem illam refert vir doctissimus. Atque ita ASIA in nummo Antonini Arschotano stans, & manu tenens gubernaculum, pedem dextrum imponit rostro; ad indicandum scilicet eam provinciam maritimam, & urbes, interque eas Ephesum classe instructam esse, unde legitur ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ, in Philippi patris nummo Ephesi signato apud Vaillant. p. 196. Numismat. Græcor. quod non verterem: *Ephesiorum primus appulsus, nempe quando per mare Philippus Ephesum venit*; sed *Ephesiorum primorum* (nempe Asiæ) *classis*: ita ut illa etiam fuerit

F ΝΑΥΑΡΧΙϹ, quo titulo *Dora* & *Sidon*, Phœniciæ; *Ægæ*, *Corycus* & *Sebaste* Ciliciæ; & *Nicopolis* Epiri urbes decorantur in nummis; quomodo etiam vocari posset Miletus, quia illa, teste Cicer. lib. 1. in Verr. c. 34. classem habebat populi R. decem navium; quod ita interpretatur Asconius: *Habent enim Milesii præsidiariam classem, ex fœdere præbendam populi R. maritimis necessitatibus*.

Sed quo me confabulandi tecum desiderium & voluptas provehit? primo igitur ut finiam, peto, ut examinare velis, quæ epistola hac complexus

sum; deinde ut veniam des, si abutor facilitate & humanitate tua, & rebus, quas optime omnium nosti, te detineo. Vale plurimum.

Daventr. 17. Martii 1700.

XLI

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

TUas 17. Martii scriptas recte perlatas esse significo, quibus nihil mihi fuit optatius post tot intervalla, quibus tuis carui. Sed indolui sane vehementer, quod valetudinem adversam tuam mihi nunciarent, adeo ut etiam aliena manu coactus fueris uti. Deus Opt. Max. te cito restituat bono publico & Musarum: & cura ut valeas,ac cum valetudine in gratiam cito redeas.

De Constantino meo, egregio sane nummo, & alia pinacotheca digno, quam mea, quæ brevicula est & paupertina, scripsit quoque mihi Dn. Halma, seque editurum promisit cum aliis meis hactenus editis, & subjuncturum dissertationi meæ de Nummis non cusis; quod equidem dissuadere cœpi, ne editio dissertationis hujus de nummis non cusis ulterius remoram patiatur, quæ jam satis diu neglecta jacuit, licet multorum votis hactenus expetita. Et quoniam literas nostras non consultum ducis subjungi, quod aliter amicis scribamus, aliter in publico versemur, etiam illud mihi valde placet; scribamque Halmæ, ut finiat, & editionem promoveat. Scripsi jam ipsi, dissertationes meas posse peculiari volumine auctiores prodire, si operam suam mihi polliceatur; & quoniam signum ille Constantini Magni præ foribus habet, posse dissertationem illam de Nummo ipsius in capite dissertationum, prout meretur, præfigi, sic librum & ipsi & aliis gratiorem futurum. Impressus jam est ille nummus cum mea dissertatiuncula in Novis litterariis Lubecensibus, sed si velit Halma, repeti potest multo auctior deinceps. Et quamvis non discessurus sim a nummi istius argumento, quoniam plures antehac, quæ de Constantino dici possunt, attulerunt, erudita tamen tua, quæ literis tuis adspersisti, Vir Amplissime, inprimis de rostro navis, quod Genius pedibus premit, valde mihi placuerunt, & si iterabitur typis, cum honorifica tui mentione patieris illa inferi, ut per te edoctum me scribere discant omnes. Harduini Seculum Constantinianum hic quæsivi, sed frustra. Non dubito quin ex illis plurima discere possem: certus autem sum,hunc nummum Constantini, quem edidi, nullibi comparere; nam nec Vaillant, qui tot musea perreptavit, & omnes majoris moduli nummos in suis libris conquisivit & notavit, illum vidit aut novit; nec ego, qui jam a multis annis, dum itineribus occupatus fui, in ullo museo illum animadverti: eo sane rarior est omnibus cœteris, quod illa ætate tanti ponderis nummus percussus sit & adhuc supersit. Quod de Constantino M. ejusque fide Christiana quæris, in nummis sane nihil extare memini, præter nomen illud in labaro, aut galea, aut tropæo, quod præferri sibi voluit primum, cum Magnentium aggrederetur, eumque vinceret, ut Grotius in Bibl. retulit, quod mihi sufficere videtur ad Religionem Christianam ab eo tempore ipsi susceptam probandam. Ex inscriptionibus plane nihil de illa discimus, licet extent plurimæ. Novimus tamen ejus Imperatoris pietatem Christianam quam plurimis actionibus ab Historicis decantatam, ut de ea dubitare nequaquam liceat; quamvis hoc argumentum nummis non fuerit, in quibus cudendis more recepto versatus est, ita tamen ut in illis fidei Christianæ contrarium nihil appareat. Quid de nummo Du Cange Tab. 4. Fam. Byzantin. cum Inscr. CONSTANTINO. P. AVG. BAP. NAT. statuendum sit, nondum mecum deliberavi. Visus est mihi semper suspectæ lectionis, eumque hactenus ad suspectos refero, & male lectum censeo. Neque enim stylo nummorum convenit, nec aliquid elici potest quod conveniat. Subscriptio P. LG. PECVNIA. LVGDVNENSIS explicari posset: sed hæc manent inter κρύφια, quæ sibi non constant.

Scripsi ad te, Vir Nobilissime 13. Feb. hujus anni, & quod de Baptismo Ethnicorum nuper ediderам cum altero de Crepidis misi per Amicum quendam Dn. Huysen Consiliarium Comitissæ Waldeccensis, & Secretarium, nisi fallor, Cuylenburgi, qui promisit illa ad tuas manus perferre. Nescio num factum sit. In iis te consului de vexillis veterum, quæ toties in nummis, in primis Coloniarum, reperiuntur. Scripseram quoque præterito anno, nisi fallor, mense Junio, in quibus etiam nonnulla, quæ scire desiderabam, inter alia, de literis meis, quas olim ad te dedi, de lapidibus Runicis, quas Dn. Legato Suecico Lilienroth ostensas amici mihi scripserunt, eumque cum Dn. Rudbechio contulisse, qui mihi dicam, tecte tamen, scripserit initio Tomi tertii Atlanticæ suæ. Heri epistola mea de nummis cavis & bracteatis Lubecensium typis absoluta est, quam ad te mittam, quam primum occasio dabitur. Dn. Wagenseilium nostrum, eruditionis omnis facile principem, desiisse vivere, Mercurii ferebant. Vix se refocillatum a morbo gravi, ultimis suis mihi scripserat, nunc illum mors abripuit: manet omnes nos eadem sors. Te Deus servet, ut diutissime valeas & superstis.

Dabam Hafn. a. d. XVII. April. 1700.

XLII.

Amplissimo atque Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

ABsoluta tandem est doctissima tua dissertatio de nummis non cusis, & misit ad me ante binas vel tres hebdomadas illius exemplar nitide compactum Halma noster.

Muneris nunc & officii mei esse duxi, summas tibi, Vir illustris, gratias agere, quia tam excellentem lucubrationem mihi dedicasti; quo honore an aliquis mihi major haberi possit, dubito equidem vehementer. Nam in me tam benignus est non modo vir eruditionis præclaræ, verum etiam Serenissimi Danorum Monarchæ Consiliarius & professor Regius primarius; idque posthabitis tot illustribus & eruditis viris, quibus Dania exornata est & fulget. Nihil igitur est, quod dubites, quin beneficii hujus memoriam sim conservaturus perpetuam, & quin oblata occasione testaturus sim, me plurimum tibi eo nomine devinctum esse.

Perlegi autem singulari cum cura dissertationem tuam; confirmorque magis & magis, Judæos nunquam propria pecunia signata usos esse; teque optimo jure rejicere siclos omnes, quos nobis Judæi vel alii, ut genuinos, obtrudunt. Conatus fui dispersa doctissimi fœtus tui membra recte locare; & quanquam id factum a me sit magna cum attentione, video tamen me nonnunquam erraffe, vel typothetas ordinem a me præscriptum, atque adeo signa tua sequutos non esse; id quod proculdubio ipse animadvertes & corriges, ubi secundas illi admovebis manus: id quod certe futurum est, quia exemplaria cito distrahentur, & eruditi magno dissertationis tuæ desiderio tenentur non modo hoc in orbe, verum etiam in Galliis & Italia, uti mihi inter alios significavit Illustris Spanhemius, qui paria tecum facit, & mihi dedicavit eruditissimas illas & luculentissimas exercitationes ad Constitutionem Antonini, cujus etiam eximii & maximi honoris semper memor vivam.

Nunc respondebo duabus litteris, quas ad me dedisti a. d. XII. Feb. & a. d. XVII. April. quarum illæ primum ante paucos dies mihi redditæ fuerunt: & cum nomini meo ipse supposueris, *Hier by een kleyn pachxhen*, illa scriptura deleta fere est, ejusque loco legitur, *Het pachsen met andere gelegentheit over lingen gesonden*: cumque ex ipsis litteris cognoscam, fasciculo illi inditam fuisse dissertationem de Baptismo Ethnicorum, & aliud exemplar Crepidarum tuarum, doleo certe, illam mihi periisse, vel nondum redditam esse; quia materia illa elegans valde est, & a te nil nisi doctum & elimatum proficiscitur, uti vel patet ex dissertationibus tuis, De Vestitu Danor. veterum, & De Ambactis apud Jul Cæsarem; quas Actis vel Novis Litterariis Lubecensibus commodum ad me adlatis insertas summa cum voluptate perlegi, simulque ex iisdem Actis didici, multa opera tibi argumenti haud vulgaris parata esse. Unum Crepidarum tuarum exemplar (bina enim miseras) mihi servavi, adeo ut earum jactura me non habeat æque male, ac altera Baptismi Ethnicorum.

Digna sunt examine, quæ mittis præterea, an nempe vexilla, quæ in nummis coloniarum Romanarum reperiuntur sculpta una cum signis Romanorum, fuerint quoque Romanorum; & an non illa fuerint potius provinciarum & urbium, ad quas coloniæ mittebantur, propria, nec inter Romanos usitata; & an non provinciæ & urbes Colonis ac Duumviris, quorum fidei se suaque committebant omnia, advenientibus hæc quoque tradiderint. Inde addis, te nondum observare potuisse, ante Constantin. M. vexilla illa & labara vela Romanis usitata fuisse; illumque sibi præferri voluisse cum signo Crucis & Christi, postquam sacris Christianis nomen dederat, tandemque te vexilla illa in tropæis barbararum gentium semper conspicere, quas Romani fugaverant & devicerant, in Romana militia non pariter, & ut Draconum, ita & horum vexillorum originem a barbaris repetendam esse.

Lipsius, uti nosti, lib. IV. Dial. V. de Mil. R. docet *vexilla* Equitum propria fuisse, libera Repub. ita tamen, ut & cohortes eadem habuerint; & ejusdem putat vexilla illa formæ fuisse cum vexillis, quæ in lustratione & processibus Pontificiorum anteferuntur. Rabaudus Herm. Schelius, Nobilis Transisalanus, in notis ad Hyg. p. 36. scribit, vexillum equestre & pedestre, centuriæ & cohortis signum fuisse, peculiariter tamen cohortis; & de *vexillis* atque *vexillariis* agit etiam Salmasius p. 430. ad Vopiscum, quæ omnia digna sunt, ut examinentur accurate; qua re magna

A certe lux variis auctorum locis, atque adeo ipsis *vexillis* nostris accenderetur.

Nec certe ego dubito, Romanis diu ante Constantinum ejusmodi vexilla in usu fuisse, & inde memorari arbitror Hygino Grammatico *vexillarios legionum*, qui scilicet sub uno vexillo habebantur, sive illi veterani essent, sive alii; inde apud Tacitum notante illustri Schelio, *Quatuor legionum aquilæ per frontem & totidem e legionibus aliis vexilla*, i. e. totidem cohortes legionum, vel veterani & emeriti, qui aliis legionibus tunc adjungebantur, vel forte etiam *auxilia*, & quemadmodum supplementa sub uno vexillo passim a-

B pud Livium ad exercitus legimus missa, quæ in castris in corpus legionum insererentur; ita emeriti, divisi a corpore legionum suarum, tantum non dimissi, quasi jam jamque agros & justa emeritorum stipendiorum præmia accepturi, sub uno vexillo interim habebantur. His Schelii vestigiis insistens, puto, emeritos illos & exauctoratos, habitosque sub uno vexillo, cum eodem vexillo in Colonias a Duumviris fuisse deductos, illud propterea in medio poni, & addi Aquilas, ad indicandum, eos in legionibus meruisse, nec esse ex Sociis, quibus frequenter Livius *vexilla* tribuit.

C Deinde cum locus medius sit honoratior, verisimile non est, illum occupatum iri a vexillis, quæ provinciæ vel urbes Duumviris & Colonis advenientibus, in signum nempe obsequii, tradidissent; nec denique lectum mihi, provinciis vel urbibus ejusmodi vexilla fuisse, nisi attribuenda sint cohortibus, quæ in urbibus, quo coloniæ deducebantur, antea ex civibus fuerant conscriptæ, vel collegiis & corporibus, quæ vexilla sua, Romæ saltem, habuisse patet ex Treb. Poll. in Gall. cap. 8. & Vopisc. in Aur. cap. 34. & in quibus forte depicti erant Dii, illorum Collegiorum præsides; quod si nobis pateret, & patuisset utique,

D si fidem suam magnus Salmasius liberasset, non longe origo quærenda foret moris, qui hodie etiam nunc apud pontificios in corporibus artificum, & aliis Collegiis obtinet: sed hæc non sunt hujus loci.

Si igitur libera Rep. socii vel auxilia, atque adeo cohortes legionariæ & emeriti vexilla sua habuerunt, non video, quomodo Romani dici possint, illa a barbaris sumpsisse; jam tot sunt auctores, qui illud docent, memorantque *vexillarios*, *vexillationes*, *& vexilla*, ut ne dubitandum quidem esse mihi videatur. Et hæ sunt rationes, quæ mihi persuadent, Romanos diu ante

E Constantinum, & quidem libera Republ. ejusmodi vexilla vel labara habuisse, quæ si tibi placebunt, erit certe, quod serium in modum læter, sin minus, meliora doceri cupio. Sed jam ad alia argumenta, ex nummis scilicet & monumentis vetustis desumpta transgrediar, atque inde rem hanc confici posse confido. In nummo Gentis Caniniæ apud Ursinum, cernitur hinc CAESAR AVGVST. inde barbarus genu flexo ejusmodi vexillum protendens, & recte putat vir doctus, ænigma hoc pertinere ad signa a Parthis per Augustum recepta; quia in simili Gentis Petroniæ nummo, aliisque apud Goltzium T. 37. similis fere

F figura depingitur, addita Inf. CAESAR. AVGVSTVS. SIGN. REC. & fallor, aut hoc signum vel vexillum est, quod Crassus fieri jusserat contra Parthos expeditionem suscipiens, quodque ita describit Dion Cassius: Σημεῖον δέ τι, κ. τ. λ. *Vexillum quoddam ex illis magnis, quæ velorum sunt similia, quæ purpureas litteras inscriptas habent, ad indicandum exercitum & exercitus summum Imp. in fluvium e ponte inversum decidit.* Habes *vexillum*, habes inscriptum

nomen Imperatoris vel Ducis, & quidem libera Rep. quomodo postea ejusmodi vexillis nomina Augustorum inscribebantur: ita Dio narrat, milites Verginium Rufum appellasse *Cæsarem & Augustum*, cumque illud non admitteret, unum eorum signo vel vexillo nomina illa inscripsisse; & Sueton. in Vespas. *nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscriptum fuisse*, uti Lipsius annotavit; & sic apud Tac. 2. H. 86. legimus, *laceratafuisse vexilla, nomen Vitellii præferentia*; unde utique patet, illa textilia fuisse, quia alii materiæ non convenit τὸ *lacerare*. Idem vir doctiss. non absque ratione putat, vexillum illud Crassi non fuisse ex vulgaribus, sed potius Imperatorium, quod posterior ætas *Labarum* dixit; & cum plura signa, atque inter ea *aquilas* Parthi ceperint & reddiderint, uti vel patet ex Dione p. 525. credibile est, vexillum hoc primarium, in nummis ut captum & redditum etiam depingi, quanquam suam *Aquilam* etiam gestari a Marte, eandemque cerni in alio Augusti nummo una cum vexillo, addita Insc. SIGNIS RECEPTIS.

Trajanus Imp. in columna sua circumdatur sæpe ejusmodi vexillis, uti patet ex Tab. 5. 6. 32. 36. 91. 96. & quidem tab. 32. 77. 80. & 103. illud expansum est super aquilas, sique bene consideraris has picturas, videbis nonnulla illorum vexillorum similia esse illi, quod fieri jusserat Crassus, nempe *velorum* similia; vel, ut Dio loquitur, σημεῖον δέ τι τῷ μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων; & forte tale vel aliud vexillum captum Dacus supplex Imperatori reddit tab. 56. nisi putes eum vexillum aliquod gentis suæ adferre, & submittere: nam Dacis similia vexilla fuisse persuasum habeo, non secus ac aliis nationibus barbaris. Notandum autem, Trajanum jam ejusmodi vexillis circumdari, cum susciperet expeditionem, & proinde tunc eorum usum a barbaris Romanos accipere non potuisse, maxime cum & miles vel Mars diu ante in Augusti nummo apud Patin. p. 28. ejusmodi vexillum teneat, addita Inscr. PRO. SAL. ET. RED. I. O. M. SACR. VOT. P. SVSC.

Quin & in Admirandis Rom. Antiq. vestigiis, editis a Bellorio, Trajanus non aliis vexillis cingitur tab. 16. 17. 18. 21. nec M. Antoninus 32. 33. non secus ac in Columna hic sua tab. 7. 16. 11. 16. 25. 26. 31. 35. 36. 37. 41. 50. 51. 53. 56. 58. 62. 65. 70. 73. & notandum quidem equitem etiam cerni tab. 51. ejusmodi vexillum gestantem, cum reliqui omnes in iis monumentis depicti vexilliferi pedites sint, & tab. 52. Germanos etiam equites vexilla manibus tenere; quos putat Bellorius, auxiliares copias Antonini fuisse, quia Capitol. narrat, *eum emisse Germanorum auxilia contra Germanos*.

In arcu præterea L. Sept. Severi eadem vexilla conspiciuntur, non secus ac in alio, qui in foro boario exstat; & multa tandem hodie exornant arcum Constan. M. sed, quod notandum, sumptæ illæ statuæ sunt ex arcu Trajani, uti recte observatum viris doctis, & ex ipso adspectu patet satis superque, & ipse Constantinus circum se habet bina ejusmodi vexilla, postquam victo Maxentio Romanos alloquitur.

Ut igitur antea Impp. nomina vel uni, vel pluribus, vel omnibus vexillis inscribebantur, ita Constantinus Christi D. N. monogramma iisdem inscripsit; id quod tamen num ipsi vexillo vel velo, quod a transverso hastæ ligno dependebat, tunc victo statim Maxentio inditum sit, valde dubito; cum quia Lactantius scribit, eum notasse *Christum in scutis*; tum quia Euseb. 1. 31. de Vita Constant. tradit, in hastæ summitate coronam ex auro & gemmis fuisse contextam, inque ejus medio salutare signum, & ex antenna, vel ligno hastæ obliquo velum dependisse purpureum, gemmis & auro exornatum, quale fere labarum cernitur in Constant. numismate, cui inscribitur SPES PVBLICA apud Ducangium; sed miror illud utique non depingi in arcu Constantini, cujus magna pars sculpta fuit tunc temporis, & quidem cum labara bina, sed in quorum summitatibus crux non apparet, a tergo illius P. R. alloquentis victo Maxentio repræsententur: unde existimo sculpturam hanc a manu artificum ethnicorum esse, idque eo magis quia Christiani illo sæculo hanc artem damnabant.

Neque tamen puto solis Romanis, vel sociis eorum, Italis hæc vexilla propria fuisse, nam & aliæ æque barbaræ nationes iis usæ sunt; ita illud conspicio inter Germanorum arma in nummo Augusti, cui inscribitur, DE GERMANIS; in basi itidem Col. Trajani, ubi arma Dacorum depicta sunt; & forte Dacus tab. 56. gentis suæ vexilla supplex offert Imp. maxime cum & dracones adferantur; quomodo etiam putat Bellorius in Col. Anton. Vexilliferum, cæterosq; majores natu Germanos, cum mulieribus captivos duci; sed in tropæis de Dacis, quæ in Trajani nummis depicta sunt, nullum tale vexillum deprehendo. Sic & Persis eadem tribuit Flor. 3. 11. *Itaque vix dum venerat Carras, quum undique profecti Regis Sillaces & Surenas ostendere signa auro sericisque vexillis vibrantia*: recte Berneg. carpit Barthium, qui in notis ad Nemes. Cyn. p. 257. existimat, allusisse Florum ad morem Romanorum; sed male idem statuit, Romanos ante cognitos Parthos iis usos esse. Ut autem Persarum vexilla ex auro & serico, vel purpura erant, ita & Romanorum; uti patet ex vexillo Crassi & Labaro Constantini, nec non ex Nemesiano, qui de Caro & Carino in Cyneg. canit:

Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.

Ita in vita Gordiani legitur Mauritius quidam loquutus esse c. 8. *sublata de vexillis purpura Impp. eos dicemus, adhibitisque insignibus Romano jure* (more) *firmabimus*; & Setvanus apud A. Mar. 15. 5. *cultu purpureo a draconum & vexillorum insignibus abstracto ad culmen imperiale surrexit*: tandemque Cedr. vexilla scribit esse, παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα. Nescio autem, unde hauserit Bellorius quæ scribit ad tab. 6. Col. Trajani; *Due Labari l'uno di Trajano, l'altro di Lucio prefetto; il Labaro dell'Imp. era d'oro, del Senato d'argento, del Capitano rosso, dell' armata di Mare ceruleo*; additurque, *l'insegna chiamata Labara, non fu ne' tempi di Trajano, ma di Constantino, prima dicevasi vexillum & vexilliferi gli Alfieri*, hoc ultimum quidem optime sese habet, si nomen spectes, sed auctorem prioris integræ notæ quæro, quamquam facile crediderim vexilla, quæ cum Imp. erant, magis ornata fuisse quam alia, licet omnia potuerint esse purpurea.

Sed ut ad nummos a Vaillantio editos redeam, video p. 13. depingi aquilam, & ab utroque latere bina signa, quibus singulis affixa sunt bina vexilla, addita Insc. LEG. VI. putoque ea omnia esse legionis illius signa, & in nummo exhiberi, quia veterani & emeriti ex ea erant deducti: p. 28. 29. vexillum basi est impositum, sub quo scilicet veterani erant deducti Cæsar-Augustam, ut in altero simile vexillum, atque utroque a latere bini clypei hastis affixi, unde puto erroris convinci posse Seguinum, qui pag. 119. Sel. Num. & ultimo sese putat in ejusdem Col. nummo repperisse manipulos fœneos, vel stramineos, signa manipulorum primis Reip. tem-

porib. cum ſint clypei vel votivi, vel nomine Imper. inſcripti.

Atque ita explicari debere alios ejuſdem farinæ nummos exiſtimo, quorum in uno p. 54. cernitur aquila vexillum, & bina alia ſigna, quorum vexillum itidem pertinet ad deductos colonos, aquila ad legionem, ex qua deducti, non ſecus ac alia ſigna. Et ſi vexillum illud foret urbis vel provinciæ, in quas coloni mittebantur, uti exiſtimas, vir præſtantiſſime, non video utique, quomodo illi inſcribi poſſit nomen legionis; id quod tamen factum eſſe ex nummis variis apud Vaill. patet tom. 2. p. 22. 37. 87. 97. 127. &c. nec dubito, quin illud factum ſit, quia illo ſub ſigno veterani legionum illarum deducti ſunt in colonias. Sic nullam aliam rationem video, quare cum colono IV. vexilla depingantur in nummis Ptolemaidis T. 1. p. 161. 181. 231. T. 2. p. 83. &c. quam quia ex tot legionibus coloni deducti; & ſi talia vexilla fuiſſent urbium, in quas coloniæ miſſæ, initio quidem videntur in nummis potuiſſe depingi, ſed non ſub aliis ſeqq. Impp. Hinc & colonus agens boves vexillum illud tenet p. 194. 203. 209 & 313. T. 2. & repræſentatur idem pone caput turritum, Genii proculdubio coloniæ T. 1. p. 216. 233. t. 2. p. 133. vel tenet illud Genius ſtans p. 272. vel ſedens, t. 2. 172. Quin & Genius Provinciæ Daciæ, vel provincia Dacia modo tenet vexillum, cui inſcribitur: D. F. DACIA FELIX: modo bina, in quibus legitur V. & VII. nempe legiones p. 220. 230. 256. 270. 282. 297. &c. quia ſcil. ex binis illis legionibus in Daciam coloniæ erant deductæ; hinc & vexillum apponitur lupæ lactanti Romulum & Remum t. 2. p. 146.

Illud autem etiam notandum, non modo in Coloniarum nummis vexilla ſimplicia, ut ſic loquar, id eſt vela, quæ e ligno tranſverſo haſtæ dependent, conſpici, verum eadem affigi aliis ſignis, ut p. 159. 177. 185. 203. & T. 2. pag. 158. idem vexillum infra aquilam ſuſpendi, tom. 1. 224. 229. 276. 287. 308. vel etiam ſupra eam, t. 2. 133. adeo ut de ejuſmodi etiam ſignis vexilla purpurea potuerint divelli, quando Africani Gordianum Imp. fecerunt; & vexillum toties ſimpliciter haſtæ affixum, & in coloniarum nummis obvium ſignificaverit, Coloniam ſub eo deductam, & deductos ſub eo ante fuiſſe habitos.

Interdum bina vexilla in Coloniarum nummis pinguntur, ad ſignificandum, binas Colonias unam in urbem deductas eſſe; uti in nummo Philippi ſenioris t. 2. p. 238. ubi duo milites illa tenent, addita Inſ. LEG. VIII. AVG. V. MACED. COL. HEL. id eſt, Heliopolis; id quod cæteroquin per binas aquilas denotabatur, uti patet ex nummo Auguſti, Beryti percuſſo t. 1. p. 15. in quo etiam leguntur nomina legionum V. & VIII. cujus rei rationem dat Vaillantius; atque ita binas aquilas videre licet t. 1. p. 145. 155. 213. t. 2. p. 321. quomodo tamen in Tiberii nummis explicandus ſit, examinandum amplius eſt; uti etiam cur in aliis nummis in medio poſita ſit *aquila*, & a lateribus duo ſigna ex more ornata clypeis aliiſve rebus, quorum ſummitatibus etiam aquilæ inſiſtunt t. 2. p. 38. & tria ſimilia ſigna, quibus ſimiliter aquilæ inſident, & quorum in infima fere parte vexilla ſunt, aquilis itidem ornata, quo ænigmate tamen Vaill. putat denotari, ex legione tertia Parthica Coloniam miſſam eſſe Sidonem ab Heliogabalo; id quod certe ex alio ejuſdem Principis nummo patet p. eadem, cujuſque in altero p ſeq. etiam aquila legionis cernitur.

Harduinus pag. 38. Antirrhetici putat Coloniis & Municipiis datum eſſe jus legionis, id eſt, ut in legione Rom. pariter ac cives R. non in auxiliis, ut ſocii, ſtipendia mererent, & ideo nomina legionum, in quibus ſtipendia coloni municipeſve face-

A rent, Hiſpanienſium nummis fuiſſe inſculpta; idemque mox tradit de coloniis Narbonenſis Galliæ, ut *Secundanis* . . . . de Develt Thraciæ quæ tamen mihi non probantur, & alio tempore examinanda ſunt; id quod me facturum recipio, ſi modo per negotia liceat, propediem. Illud tantum dicam, me nunquam obſervaſſe Secundanus &c. uſurpari de iis, qui jus habebant in ſecunda legione militandi, ſed de militibus ipſis; & ita apud Tac. *Quintani*, *Secundani*, *Quartadecimani*, *Primani*, aliique occurrunt, de militibus, qui reipſa in iis legionibus militabant.

B Et quanquam Harduini illa rejiciant plane meas, aliorumque explicationes, tamen bene ſe habet, quod hoc non ad omnes colonias extendat; quod ſi faceret, interrogarem virum eruditum, in quibus legionibus militare deberent Coloniæ, quarum in nummis legionum nomina non leguntur; quales complures eſſe ex p. 11. 221. 272. plurimiſque aliis patet; & in quibus ſæpiſſime etiam ſigna militaria depicta ſunt. Sed de his, ut dixi alias, & puto non melioris notæ hæc eſſe, quam quæ p. 134. & ſeqq. idem Jeſuita notat, colonias Romanas & municipia, quæ habebant inſculptam lupam cum Romulo & Remo, fuiſſe colonias Romanas & municipia civium Romanorum, illas vero, quæ erant

C Juris Italici, habuiſſe pro inſigni *ſuem*; nam hoc ſolide refellitur a perilluſtris atque excellentis dignitatis & doctrinæ viro Ezech. Spanhemio non modo in notis ad orat. 1. Juliani p. 34. verum etiam in Exercit. 11. ad Conſtitution. Antonini.

Celeberrimus, &, uti me doces, ὁ μακαρίτης Wagenſeilius ad me miſit Noribergam ſuam, ſed quid de corona Caroli Magni dicam, non habeo; niſi quod videam illas, quæ in nummis apud Stradam pinguntur, non reſpondere plane Noribergenſi, & diverſa plane Caroli M. ſtatuæ caput cingi apud Triſtan. in tractatu, cui titulum fecit, Traité du

D lis, ſymbole divin de l'eſperance.

Nunc ad alteram epiſtolam venio, quam miſiſti XVII. Apr. quæque multa me lætitia perfudit, tum quia inde ſingulari animi mei cum voluptate cognoſco, litteras meas tibi non diſplicere, cum quia paucula illa placent, quæ illuſtrando rariſs. Conſtantini nummo ſubminiſtravi; & probas inſuper conſilium meum de litteris noſtris ἀμοιβαίοις non edendis.

Doleo autem, epiſtolarum mearum nonnullas male curari; & ex unius exemplo diſces, me reſpondiſſe ad ea, quæ de Rudbeckio ad me miſeras. Differt. tuam de Bracteatis cupio equidem videre,

E binos nuper integerrimos nactus ſum, ſed nulla inſcriptio iis indita eſt. Ego ſanitati redditus ſum, & niſi negotia publica me totum ſibi vindicarent, Elephas meus abſolutus foret, quem, præfiſcine dixerim, haud vulgarem in modum ornavi. Ut tamen nunc aliquid eruditis litteris tuis reponam, doce me quæſo, an non in nummo apud Seguinum ex SENTIAM. faciundum ſit, SENTIA M. i. e. *Mater*, quam deam noſti laudari Auguſtino 4. 11. de Civ. Dei; certe una littera in nummis denotat ſæpiſſime vocem integram, & ita in nummo Neronis apud Vaillant. ARMENIAC. mihi eſt, ARMENIA C. *Capta*, vel an Deæ nomen illius

F ſit in accuſativo caſu poſitum, quomodo JVNONEM & alia in iiſdem monumentis legimus: præterea an Inſ. nummi Hadriani apud Vaill. t. 1. Col. 228. LEG. H. COL. H. explicari debeat, *Legio Heliopolis*, *Colonia Heliopolis*. mihi enim ejuſmodi legio nullibi obſervata, & abit hoc plane a conſuetudine Rom. licet ſi Scaligerum, at quantum virum! ſequimur, apud Gruterum 8. CCCCXCVI. memoretur LEGIO HON. ET. VIRTVTIS, & 8. DXXIV. LEGIO SEII; ubi tamen ſcribi in ipſo la-

pide video SEII. i. e. *septima*; & alter lapis male, si quid video, descriptus sit; sed prolixus nimis, tibique incommodus sum. Vale & libertati veniam da. $\frac{3}{14}$ Jun. 1700.

XLIII.

Amplissimo & Excellentissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

BElgæ Tui, homines qui nunc orbis imperium affectare videntur, pacis & belli arbitria in Reges & Regna sibi sumunt, successiones, hæreditates & testamenta Regum evertunt, Regibus jura sua eripiunt, quia non intelligunt, quæ exterorum sunt, sed in mores ac rationes suas omnia illa torquere & cogere student, cum vix satis sapiant in iis, quæ domi suæ sunt agenda, prætextu pacis bella serunt, excitant inimicitias, simultates alunt, suo malo tandem, nisi me fallunt omnia; illi Tui Belgæ nobis etiam hactenus incubuerunt, ut infensissimi hostes terra marique, sine causa contra fidem datam commercia turbarunt horum locorum omnia, etiam literaria: quæ causa est cur ad eruditissimas & amicissimas Tuas $\frac{3}{14}$ Junii hoc anno datas & ad me perlatas, haud prius respondere potuerim, licet maxime voluerim; ita nos obsessos cum Suecis & Anglis Belgæ Tui nulla cum gloria tenuerunt, a quibus jam liberati, iniquis conditionibus prout volebant, Suecis faventes & Holsatis, tandem calamum arripio, Tibique, Vir summe, grates immensas debeo, quod de vexillis Romanorum tam prolixe, tam erudite me docere volueris. Sed aut non intellexisti mentem meam, aut ego non satis explicate rem istam proposui. Video enim me nimis generaliter & ἐκ πλάτους in prioribus ista suggessisse, ne prolixus essem. Sed nunc non epistolam, sed volumen me scribere cogis, si tuis omnibus allatis respondere debeo. Neque enim hæc mens unquam mihi fuit, quasi ante Constantinum M. hæc vexilla Romanis non in usu fuerint, cum vexilla legionum ipsarum toties legantur in Scriptoribus, vexilla templorum, vexilla Collegiorum, & quæ non? sed eo mihi tendunt omnia, ista vexilla quæ vela sunt, & *fasuan* Germanis dicuntur, non esse propria Romanorum inventa, sed a barbaris & peregrinis adscita: aut originem vexillorum istorum a barbaris petendam unde Romani hauserunt, & in suos usus tandem transtulerunt. Sub primis Imperatoribus vexilla quidem talia apparent, sed ita, ut peregrinitatem suam ostendant ubique; nam aut a Germanis aut Pannoniis aut Dacis &c. devictis producuntur, cum illorum trophæis & spoliis, quæ Romanorum fuisse propria nequaquam dicere licet. Libera Republ. hoc est ante Julium & Augustum Imperatores *Vexillarios* ullos vocatos esse in legionibus non animadverti. Dicebantur enim illi non vexillarii tunc, sed Triarii, dum stetit Respublica, postea vexillarii dicti, illi veterani aut alii, qui sub vexillo in legione habebantur, separati veluti a signis, quod immunes essent ab omnibus, nec nisi propulsandi hostis causa cum legionibus ire cogebantur. Hinc Livius l. 8. Triarios adhuc nominat, quos Tacitus vexillarios & vexillationes vocavit, & alii quoque Scriptores, qui Triariorum nomen subticent. Livius vexillum tamen Triariis istis attribuit, quod ejus ætate jam sub vexillo tenerentur, quod proculdubio Augustus sic constituerit: *Primum*, ait, *vexillum Triarios habuit, veteranum militem spectatæ virtutis*. Polybius autem vexillarios nescivit, nec unquam nominat, sed semper Triarios, quod tunc sub vexillo non starent, sed sub alio signo. Hinc etiam esse puto, quod tria signa in nummis appareant legiones designantia, earumque Principes, Hastatos & Triarios: ita ut ab Augusto primum post tot barbaros debellatos vexilla primum Romanis aliquem usum præbuisse in legionibus, Augusto ita volente, certum esse credam. Pedetentim eorum major usus majorque invaluit, sub sequentibus Imperatoribus donec sub Constantino, & post eum, rarius signa Romana in exercitu apparerent, sed potius vexilla, quorum nobilissimum erat illud & princeps, quod cum signo crucis præibat, & præcellebat, donec tandem signa cœtera Romana veluti abolita plane vexillis cederent, ut nummi ostendunt: quæ causa mihi fuit, cur a Constantino verum usum vexillorum increbuisse, & in hunc usq; diem in omnibus exercitibus usum suum ostendere, scripserim.

Nam quæ ante Constantinum fuerunt vexilla ita fuerunt Romana, ut semper aut signi formam aut notam aliquam peregrinitatis externæ retinerent. Nam illa ipsa vexilla legionum veteranis ideo dari cœpisse judico, quod a corpore legionum illo distinguerentur, quasi non amplius ad legiones pertinerent, sed sui juris essent facti, precario dumtaxat legiones observantes, & ad summa pericula, prout olim, quando ad Triarios res rediit, servati, ita quoque post eos vexillarii, si modo illa vexilla Vexillariorum in legionibus vexilla vela fuerint, de quibus adhuc dubito.

Cum omnia illa signa, quæ extra exercitum fuerunt, signa Romanis dicta non fuerint, sed vexilla semper, licet signorum figuram habuerint, ut erant vexilla Collegiorum, quæ num signa fuerint, vel vexilla vela, nemo facile mihi expediat; quis enim illa vidit? aut in quibus monumentis illa sunt expressa?

Vexilla tamen dicta sunt, quod extra militiam haberentur, quæ sola sub signis stabat. Sic quoque Vexillarii isti legionum, licet signum proprium haberent, quia tamen separati erant & emeriti, non sub signis, sed sub vexillis dicebantur esse.

Ita quoque illi, qui vexillis donabantur, licet illa vexilla signorum figuram haberent, vexillis tamen donati dicebantur. Bis in Inscriptionibus Gruterianis hæc vexilla, quibus donabantur bene-meriti, sunt expressa: semel Inscr. 2. pag. 358. ubi L. ANTONIVS. L. F. FAB. QVADRATVS. DONATVS. TORQVIBVS ET ARMILLIS AB TI. CAESARE BIS. In altero latere LEG. XX. & cœlati exstant in lapide tam armillæ, quam torques, sed inter illa medium est vexillum, quo etiam donatus fuit, quamvis in Inscriptione hoc non memoretur, sed torques solum, & armillæ. Quia tamen vexillum adest, etiam illo donatum L. Antonium Quadratum necesse est dicamus, Inscriptione licet tacente, & subintelligente. Signis aliquem donari neminem puto scripsisse; at vexillis donari, obvium est. Illud autem vexillum, quod illic extat, non est vexillum velum, sed signum tridentiferum, annulis vel imaginibus quinque perticam circumdans, quorum medius cœteros magnitudine præcellit. Inscriptio 9. p. 1030. plane ut prior jam adducta easdem habet armillas, eosdem torques, & vexillum in medio positum tridentiferum sine velo aliquo, tribus circulis distinctum aut imaginibus, quorum inferior major est medio, medius major supremo. In sinistro vexilli latere inscriptum est L. GELLIVS. OVF. VARVS VETER. LEG. XIII. GEMINAE, qui is erat, qui donatus erat

hoc vexillo, his armillis & his torquibus. Quid nunc tibi videtur, Vir Ampliss. de his vexillis, quæ signa sunt Romanorum, non vela? & tamen vexilla dicta sunt, quod extra militiam & legiones, aut etiam ad legionem adhuc constituto Veterano donatum sit, ut Inscriptio docet. Nihil sane aliud ex illis elici potest, quam signa talia peculiariter donata vexilla dicta esse, nec pro signis militaribus habita, licet signi figuram præferrent. Ita quoque interpretor *quatuor illa vexilla bicolora*, quæ Valerianus Imp. Aureliano Duci suo, cum aliis ornamentis, coronis muralibus, vallaribus, navalibus, civicisque, hastis puris &c. pro rebus bene gestis donavit. Illa enim vexilla, non vela fuisse statuo, sed signorum figuram prætulisse, binis coloribus distinctorum, ad exemplum cœlaturæ jam adductæ apud Gruterum; ita ut vexillarios, aut veteranos in legione sub signo suo proprio militasse, dicendum sit: quod tamen signum dici non debuit, sed vexillum, quoniam veterani retenti apud legiones non amplius sub signis stabant, sed sub vexillis propriis, signi formam plane referentibus, non vero velorum. De vexillis templorum, quamvis nec illa, qualia fuerint, ullibi memorata sint, facilius tamen vexilla vela fuisse concedam, quod ab hostibus barbaris & exteris capta, in templis illa suspendere solerent redeuntes Imperatores & Duces, indeque Pontifices & Sacerdotes illa depromebant, quoties ad pompam Imperatoris illustrandam cum iis procedere jubebantur. Addam adhuc de vexillis, quæ Imperatoribus ipsis donari solebant a provinciis & civitatibus, & Cæsaribus eorum, Principibus Juventutis. Nam & illa vela non fuerunt, sed signis Romanis simillima, vexilla tamen dicta, quod signis non annumerarentur extra militiam data honoris caussa. Sic enim loquitur Trebellius Pollio in Claudio: *Omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas statuis, vexillis, coronis, fanis, templis honoraverunt*.

At inspiciantur nummi, ubi sæpe PRINCIPES IUVENTUTIS salutantur Imperatorum Augustorum filii, inter vexilla hæc donata constituti: nunquam vexilla vela reperies, sed signa militaria Romana imaginibus Cæsarum aliisque ornamentis conspicua, non tamen signa dicta, sed vexilla. Nummus Diadumeniani inter Arschotanos 6. tab. 55. Diadumenianum habet capite nudo, cum Inscr. M. OPEL. ANT. DIADUMENIAN. CAES. In aversa Princeps ipse dextra vexillum militaribus signis simile tenet, & a tergo duo fixa stant similia cum inscript. PRINC. IUVENTUTIS. Nummus Heliogabali apud Hemelarium tab. 37. triremim habet sex remis instructam & gubernaculo, sedentque septem remiges illos trahentes. Imperator sedet in puppi & post ipsum signum aquilæ, sed in media navi vexillum velum erectum, malo navis deposito. Hæc aquila & hoc vexillum nihil aliud significat, quam & Prætoriis cohortibus Imperatorem cinctum, & auxiliariis navigasse. Nec aliter Maximus Cæsar Maximini filius. Caput ipsi nudum MAXIMUS CAES. GERM. In aversa Princeps idem stans, pone se vexilla duo posita habet signis similia, apice singulari, & ab aliis signis distincto. Inscriptio est, PRINC. IUVENTUTIS. Vexilla donata, quibus hic princeps honoratus est, talia fuisse, prout illic exhibentur, negare vix licebit. Nummus Imp. Aug. M. Jul. Philippi junioris idem testatur tab. 58. n. 21. Caput Imperatoris est laureatum IMP. M. IUL. PHILIPPUS AUG. Aversa habet Principem capite nudo stantem, sinistra orbem tenentem, dextra hastam.

A tergo ejus stat alius cum hasta pura. Inscrip. PRINCIPI IUVENTUTIS. Nummus 13. tab. 59. nobis Cæsarem C. Valentem Hostilianum, Decii filium, ostendit, cui caput radiatum, C. VALENS HOSTIL. MES. QUINTUS. N. C. Aversa Principem habet capite nudo, dextra signum militare, sinistra hastam prehendens, PRINCIPI IUVENTUTIS. Cur inter tot vexilla donata, nulla vexilla vela? Egregius quoque est nummus Liciniorum 19. tab. 65. ubi primo Licinii Senioris caput laureatum IMP. LICINIUS AUG. In aversa Licinius Junior stans dextra vexillum tenet purum, nihil nisi signum Romanorum referens, in cujus apice orbis ναίσκῳ, ut vocat Dio, tectus, sinistra hastam puram gestans. A tergo duo vexilla cum imaginibus, & orbibus in apice. Inscriptum PRINCIPI IUVENTUTIS: infra TR. significans Trevirenses his vexillis donasse & honorasse Cæsarem Principem juventutis. Et multa reperies signa talia his domunculis circa apicem inclusa, ut in nummo Constantini Junioris 4. tab. 66. ubi eadem figura, eadem Inscriptio, quæ in nummo Licinii. Et in nummo Constantii ead. tab. n. 18. caput Constantii laureatum cum Inscriptione FL. IUL. CONSTANTIUS NOB. C. In aversa idem stat capite nudo, dextra tenet vexillum donatum, signi forma, non veli, in cujus apice orbis cum ναίσκῳ, supra ναίσκοι seu domunculam aquila alis sublatis: perticam ipsam multi clypei seu imagines ordine vestiunt. A tergo ipsius simile vexillum cum eodem ναίσκῳ, in quo orbis circa apicem perticæ, sed manus veluti ad jurandum & fidem dandam, digitis, pollice & indice, porrectis, supereminet: infra SIRM. in circuitu nummi inscriptum: PRINCIPI IUVENTUTIS, & significat Sirmienses Cæsarem Constantium his vexillis signorum more fabrefactis donasse. Apud Hemelarium tab. 52. Delmatii nummus cum iisdem signis & ναίσκοις, sed & Inscript. eadem: PRINCIPI IUVENTUTIS. infra TR. a Treverensibus Delmatio donata vexilla. Idem Hemelarius tab. 55. ad Constantis Imperatoris nummum aureum prodidit tab. 55. ubi duo milites galeati hastati, sed hastis inversis & scutis innixi altera manu medium habent vexillum, imaginibus tribus ornatum & in veli medio litera M. inferius R P. in circuitu GLORIA EXERCITUS: quod interpretatur ille, & ait milites illos legionarios esse ex hastatis. Ego vero ex cohortibus auxiliariis propter vexillum illud adstans judico fuisse, & quidem ex vexillis primariis, quibus concessum imagines Imperatorum perticis conjungere, quod sane non licebat omnibus, unde rarissime talia vexilla imaginata occurrunt. Et sive per lit. M. Millenaria cohors indicetur seu alia nominis magni, illam cohortem GLORIAM EXERCITUS fuisse appellatam, non dubito. Nam si legionarii fuissent, qui in hoc nummo conspiciuntur milites, non vexillum, sed Aquilæ signum puto poni debuisset ad illos indicandos. Ita nec per literam M. ut vult Hemelarius, Constantinum M. significari facile mihi persuadeo, nec per R. P. Romanam pecuniam, sed illam cohortem auxiliariam Macedonicam Millenariam fuisse GLORIAM EXERCITUS ROMANI POPULI. Ex quibus, qualia fuerint vexilla, quibus Imperatores quoque donabantur, judicare licet, meque permovent, ut vexilla donata, vexilla Collegiorum, vexilla legionum, & si quæ sunt alia extra militiam, signorum formam habuisse credam, vexilla tamen dicta, & vexillarii, qui sub illis vexillis tenebantur, quod non amplius sub signis legionum militarent, sed immunes plane viverent.

Nihil sane notius est, quam Imperatores electos signis & vexillis cinctos prodiisse. Rarissime tamen apparent nisi signa. C. Caligulæ nummus 2. tab. 18. inter Arschotanos, quatuor Aquiliferos ante suggestum Imperatoris stantes, quatuor aquilas perticis summis gestantes, & imagines etiam additas habentes

bentes præfert. Imperator in ſuggeſtu ſtat, ſellam curulem pone ſe poſitam habet, infra ADLOC. COH. In Neronis tamen nummo 18. tab. 21. Vexillum velum altiſſimum præfiguratum extat primo loco, quod ſequitur alterum minori longitudine in apice manum juratam habens: tertius miles adſtat ſine ſigno vel vexillo: Imperator vero in ſuggeſtu cum Tribuno pone ſe ſtans alloquitur, inferius adſcriptum ADLOC. COH. Primus nummus qui vexillum velum oſtendit in comitatu Imperatoris. Exſtat itidem num. 22. nummus Galbæ, in cujus averſa ſex homines colloquentes, eminent aquilæ ſignum, ſignum cum manu, vexillum cum velo, & haſtæ aliquot, nihil inſcriptum habet niſi infra S. C. In Nummo Domitiani 19. tab. 31. Imperator togatus ad aram accenſam ſtans manum porrigit tribuno e regione ſtanti cum binis militibus, quorum alter ſignum cum corona, alter haſtam tenet: adſcriptum FIDES EXERCITVVM, infra S. C. Toti exercitus præfigurantur, adſunt ſigna militaria, cur deſunt vexilla? In nummo Trajani 19. tab. 33. Imperator ſedet in ſuggeſtu, adſtant ad latus & a tergo duo alii, ſed ante ſuggeſtum 7. homines militares, unus in equo, nec ſignum aliquod, niſi militare unum, nec Inſcriptio niſi S. C. Eſt tamen Oratio ad milites habita, & eques præ aliis cum vexillo conſpici debebat: nihil minus hic obſervatur. Nummus D. Clod. Sept. Albini Fidem cum duobus ſignis oſtendit ſtantem, inſcribitur FIDES LEGION. COS. II. rurſus vexilla vela non videmus. In Trajectu Gordiani Aug. 5. milites apparent in triremi n. 20. tab. 57. Sed & Imperator loco Gubernatoris, ſignumque tenet: ſtans alter ſimile ſignum gerit, tertius vexillum velum protendit, in circuitu, TRAIECTVS AVG. Num dubitare poſſumus, hoc vexillo cohortes auxiliarias indigitari, quæ intra navim erant cum aliis cohortibus legionariis? Idem nummus apud Hemelar. tab. 41. exſculptus legitur. Omnia alia monumenta picta aut ſculpta adhibeas licet, pauciſſima reperies in omnibus vexilla vela, ſi cum ſignis ordinariis Romanis illa compares: quod tamen fieri non poterat, ſi vexilla cum ſignis apud Romanos pari paſſu ambulaſſent. At cum fuerint externa, peregrina, barbara, auxiliaria, ipſa temporum ac uſus ratio nos docet a Romanis non cœpiſſe. Hinc quoque eſt quod ſero vexilli nomen ortum ſit, nec facile vexilla vela reperiantur in nummis Conſularibus, dum ſtetit Reſpublica, niſi ſub finem, quando tradi cœpit & ſubjici Auguſtis. At ſi prius fuiſſent, cur inter tot nummos, quos tractamus, nulla ſaltem ſe prodiderunt hactenus?

Sed & illa, quæ in coloniis deducendis ſæpe adeo conſpiciuntur, expreſſa, ejus naturæ ſunt, ut ad provincias potius pertinuiſſe credere debeam, quam ad Romanos exercitus. Provinciæ enim & urbes, ad quas coloniæ mittuntur, nunquam ſigna Romana præferunt, ſed vexilla perpetuo, & in nummis ſemper ſiſtuntur cum vexillis talibus. Erant enim regiones barbaricæ devictæ, in provincias redactæ, ideoque vexillis ſuis patriis conſpicuæ. Signa Romana ſæpe illis mixta videas incedere, ut Romanos illuc colonias deduxiſſe ſciret poſteritas. Quamvis & vexillarios veteranos deductos in colonias ſtatuere liceat, quoties hæc vexilla oculis ſubjiciuntur cum coloniarum indiciis, bobus aut aratris. Ego autem magis inclino, ut urbium & provinciarum vexilla fuiſſe iſta judicem, quæ honoris & devotionis cauſa occurrerint coloniis Romanis cum ſignis venientibus, quoniam vexilla non niſi ab urbibus & provinciis exteris ſunt Romanis recepta. Jam, quod Equitibus vexilla hæc vela propria fuiſſent, volunt docti viri; ſi de alariis Equitibus intelligant, quæ auxiliariæ fuerunt, facile concedam, de legionariis Equitibus non itidem, qui non erant niſi trecenti in una legione, ex quinque vel ſex millibus hominum conſtante, quibus ſigna ſua fuiſſe more Romano facta, quibus diſtinguebantur ab auxiliariis ſeu alariis, mihi plane perſuadeo. Unde *vexillares cohortes*, & *vexillarii e cohortibus*, Tacito l. Hiſt. 3. dicti, non fuerunt niſi auxiliares, ſive pedites eſſent, ſive Equites: ſed poſtea de ſolis Equitibus auxiliariis *vexillationes* dicebantur, ut Vegetius l. 2. cap. 1. tradit. *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur, ab eo, quod velis, h. e. flammulis utuntur*. Equitibus legionariis & Romanis non multum ſtuduiſſe Romanos, ſatis liquet, quod trecentos dumtaxat educere ſolerent initio cum una legione. Quam ob cauſam Cedrenus monuit, p. m. 212. de Gallieno, *πρῶτος ἱππικὰ τάγματα κατέστησε. πεζοὶ γὰρ κατὰ τὸ πολὺ οἱ στρατιῶται τῶν Ῥωμαίων ὑπῆρχον*. Interpretes turmas Equitum tum primum inſtituiſſe volunt, quod falſum eſt. Varro enim jam turmarum meminit, ita ut iſta *τάγματα ἱππικὰ* aliter apud Cedrenum ſint exponenda, de aucta militia equitatus, alioque ordine & numero inter eos ſervando, quam hactenus. Hos trecentos Equites, quos Livius in ſingulas legiones aſſignat, Varro l. 4. de L. L. Turmas vocat, & Turmam *factum e terma*, dicit, *E. in V. abiit, quod terdeni Equites ex tribus tribubus Tatienſium, Ramnium & Lucerum fiebant. Itaque primi ſingularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in ſingulis turmis ſunt etiam nunc terni*. Hos, inquam, Equites e viſceribus Romanorum deſumtos, legionarios fuiſſe nemo diffitebitur, puto, & illos ſub ſignis Romanis eductos, non ſub vexillis velis, judicare nos debere ipſa ratio Romanorum ſignorum flagitat. Nemo ſane veterum, quod legerim, eos ſub vexillis velis ſtetiſſe in legione, dixit, adeo ut hæc opinio ſit recentiorum ſcriptorum, quæ autoritatem veterum deſiderat. Alarios autem Equites & auxiliarios, ut peregrinæ nationis, ſub talibus vexillis militaſſe, quæ vela fuerunt, meam ſententiam confirmant, vexilla iſta non a Romanis data, ſed ex peregrinis & barbaris nationibus, quæ omnes fere vexillis velis utebantur, adducta.

Nunc ad Craſſi vexilla, quæ opponis, veniendum eſt mihi, quæ propter Dionis autoritatem nemo negabit vexilla vela fuiſſe; ita enim illa deſcripſit, ut de aliis intelligere nullo modo poſſimus. Horum tu ſtante Republica adhuc uſum Romanis fuiſſe ſcribis: imo finiente & vacillante jam Republica inter Pompejum & Cæſarem, cum quibus vixit hic Craſſus, memorata ſcribere debuiſſes. Dionis autem verba non eo tendunt, quaſi non alia ſigna Romana in exercitu iſto Craſſi, quem eduxit contra Parthos, fuerint, ſed quod auxiliares multas habuerit ex Syria & Phœnicia cohortes, quæ ſimul iverint ſub vexillis illis velis ſuis, conſtitutæ e tam enormibus, ut ea amputare & breviora reddere coactus ſit, ne veluti primum tempeſtate raperentur, & in flumen præcipitarentur. Et ſane hoc ſtatim indicat, illa vexilla non Romana fuiſſe, neque enim illa amputaſſet, tam ſacra & religioſa habita Romanis, ut nihil eſſet illis venerabilius. Sed & hæc vexilla monent, non diu Romanis

in usu fuisse vexilla, qui nondum illorum casus omnes perdidicerant, & qua longitudine conduceret esse. Neque enim tam longa & enormia vexilla post illud tempus ullibi leges, sed brevia omnia, quæ ventis rapi non poterant. Hæ tam cohortes, quam turmæ auxiliariæ, quin sub vexillis velis patriis Crassum secutæ sint, non unquam negavi; nec negabo; erat enim hoc illis proprium, non signa Romana præferre, sed vexilla patria, *μεγάλα, τοῖς ἱστίοις ἐοικότα, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ᾽ αὐτῶν πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ Αὐτοκράτορος ἔχοντα*. Non disputabo, illa *φοινικᾶ γράμματα*, an Dio intellexerit puniceis saltem literis Latinis vel Græcis hæc vexilla notata fuisse, vel an Phœnicia lingua & literis inscripta fuerint; utrumque enim ex Dionis verbis intelligi potest illa lingua Phœnicia & Imperatorem & alios suos Duces inscriptos habuisse, aut solum puniceis literis Latinis vel Græcis illos in vexillis denotasse, quod peculiare sane fuit Crassi temporibus, nec in aliis vexillis ullis apparet, in nummis qui extant, nisi quod paucissima legionem, quæ in colonias & præsidia deducebatur, etiam inscriptam reperiamus velis istis, quod tamen alia ratione factum alibi docebo prolixius. Nunc saltem monstrare sufficit, illa vexilla vela fuisse auxiliaria, non vero legionaria. Nam paulo ante hanc vexillorum mentionem etiam Dio signorum & Aquilarum meminit, quæ cum eo ducebantur: *τύπον ὢν τῶν ἀετῶν εἷς οὐκ ἠθέλησε τὸν ἄρχοντα αὐτοῦ τότε συνδιαβῆναι, ἀλλ᾽ ἐν τῇ γῇ ἐνέσχετο, ὥσπερ ἐμπεφυκώς*. Atque hæc illa sunt signa Romana, quæ Crasso victo in Parthorum potestatem venerunt, & postmodum Augustus ab iis recepit; nec de vexillis captis ulla Imperatori cura fuit, sed de signis solum quæ Romanæ gentis, & Romanarum legionum fuerunt, unde nec de VEXILLIS RECEPTIS ulli nummi memorant, sed de SIGNIS RECEPTIS solum docent, & signa, non vexilla, in nummis prostant ubique; adeo ut nummus ille cum Partho in genibus, qui sæpius occurrit cum signo Romano protenso, cui vexillum aliquod alligatum umbram facit, a Romanis quidem cusus sit, quod Parthus ita signa reddiderit, se suaque omnia simul dedens, dum vexillo Parthicæ gentis alligato devotionem & venerationem in Augustum testari voluit. Hæc causa omnino vexilli appensi in isto signo. Nam in pluribus nummis Augusti ista SIGNA A PARTHIS RECEPTA ponuntur & exprimuntur sine vexillo aliquo seu velo, prout signa Romanorum ubique prostant sine velo aliquo, nisi quandoque in inferiore parte signi addita fuisse velis, ubi sculptores nummorum ejusmodi vexilla expresserunt, quæ forsan vexilla non fuere, sed tabellæ, quibus nomina Ducum aut legionum inscribebantur. Quotquot ego vidi nummos tales hactenus, tabellæ magis mihi visæ sunt quam vexilla. Nec aliter Domitiani nummus, tam inter Hemelarii quam Arschotani nummos, intelligendus, qui a Sarmatis signa recepit, ubi quoque Sarmata nudo capite signum Romanum tali velo appenso reddit, cui nihil adscriptum nisi COS. V. sed ex alio nummo Arschotano 22. tab. 31. idem Sarmata & ante genu flexo signum reddit cum eodem velo vel vexillo appenso, signo deditionis & venerationis suæ, & expressum habet SIGNIS A SARMATIS RECEPT. Neque enim unum illud solum reddidit, sed omnia Romana quæ ceperat, unde non SIGNO, sed SIGNIS inscriptum est: unum

A tamen illud cum vexillo suæ devotionis ornatum obtulit, quo omnia reliqua sic reddi devota Numini ac Majestati Imperatoriæ, voluit indicare.

Ter observavi Cæsarem vexilli voce usum, sed non ipsum velum indicare, verum signum aliquod mihi videtur, & licet vexillum velum intellexisset, facile tamen ex antecedentibus & consequentibus apparet, illud vexillum extra legiones & militiam ordinariam constitutum fuisse. Numquam enim vexilla dixit pluraliter, sed unum tantum vexillum semper nominavit; primum l. 2. B. Gallici dum ait: *Cæsari omnia uno*
B *tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne quum ad arma concurri oporteret*. Dum ait *insigne* fuisse vexillum hoc, indicat signum fuisse peculiare, a legionibus separatum, ab illorum forma distinctum, non penes milites aut tribunos servatum, sed penes ipsum Imperatorem residens, non vexillum recedens forma a cœteris signis, sed quando ad tentorium Imperatoris proponebatur, milites concurrere debere seque sistere illic, ubi propositum & sublatum erat, indicabatur. Hoc igitur vexillum novo nomine, non signum vocat Cæ-
C sar. Eadem ratione l. 3. Bell. Civilis, *toti exercitui imperavit, ne injussu suo concurreret: se quum id fieri vellet, vexillo signum datu-rum*. Et ne quem lateret, signum illud extolli & proponi, etiam tuba signum addebatur, quo concitati omnes, signum illud sublatum respiciebant, ut scirent quonam concurrere opus esset. Signum sane pugnæ prœliique veteribus Romanis erat sagum purpureum, quod supra tabernaculum Ducis aut Imperatoris extendebatur, ut omnium oculis subjici posset. Et tam nova erat illa vexilli vox, ut Virgilius in omnibus suis operibus illa voce usus ne semel quidem
D deprehendatur; signorum tamen sæpius. Nec Ovidium animadverto in suis operibus unquam vexilli vocabulo vel vexillorum usum. Vides ergo talia vexilla, qualia postmodum in usum deducta sunt, veteribus Romanis ignota fuisse. Tertius locus Cæsaris, & vexillum l. 6. B. Gall. legitur, ubi ait novem hostibus oppositas legiones & maximum equitatum, ex quibus *quinque cohortes frumentatum emissi circiter* 300. *sub vexillo una mittuntur*. Quis hic vexillum aliter interpretari potest, quam signi forma non veli vexillum illud fuisse, quod quinque cohortes legionum aut trecentos milites legionarios exe-
E euntes frumentatum ducebat? Videmus igitur, hoc vexillum, ubicunque Cæsar illud proponit, unicum fuisse, non plura; signi forma fuisse, vexillum tamen dictum, quod ad signa militiæ ordinaria non spectaret, sed ad signa peculiaria, quæ indicium faciebant concurrendi ad tentorium Ducis, vel in excursibus singularibus, ut sunt ad frumentandum vel aquandum emissæ cohortes sub vexillo, non sub signis ordinariis. Cicero quoque non nisi vexillum dixit, nunquam vexilla, Cæsarem imitatus, cujus commentarios legit & quidem cum stupore, quod tam nervose & eleganter omnia expresserit.

F Imperatores Trajanum & alios circumdari vexillis æque ac signis mihi mirum non videtur, siquidem non solos Romanos, sed & barbaros multos sibi subjectos habebant, qui electis Imperatoribus fidem suam his vexillis patriis missis obstringebant. Et priorum Imperatorum vexilla, quando eligebantur, sequentes successores sua fecerunt, atque cum vexillis pariter signisque Romanis hanc ob causam cingebantur, ita ut nihil exinde concludi

possit, vexilla ista Romanorum fuisse propria, A sed a barbaris nationibus Imperatores jam agnoscentibus Dominos tradita intelligimus, non ut in militia Romana usitata, sed provinciarum barbararum fidem testantia, & cum his Romanis etiam militantia, quoties requirebantur illorum auxilia. Hinc illa vexilla vela omnia apud Romanos fluxisse omnia commonstrant, quæ in nummis Romanorum aliisque monumentis depicta videmus significandi ergo, quot & quibus provinciis barbaris Romani imperarent. In nummis quidem hactenus non memini me vidisse Imperatoris nomen inscriptum, sed legionum sæpius in colonias deductarum, quia tamen apud Tacitum exstat, B *lacerata fuisse vexilla nomen Vitellii præferentia*, facile id concedere possum vexilla vela fuisse, quæ lacerata sunt, quoniam Vitellius quoque ut barbaris imperans una cum Romanis, illis vexillis æque cinctus fuit, ut signis aliis. Alias lacerari etiam signa poterant & conculcari, ut alibi factum legimus, imaginibus Imperatorum detractis, quæ nomen Imperatoris adscriptum habebant. Sed hæc non tanti sunt, ut disputentur, cum verissimum sit, & signis & vexillis velis Imperatores cinctos ac cultos fuisse ob causam, quam dixi, sive de Germanicis, sive de Dacicis, vel Pannonicis, vel Parthicis, & similibus velimus intelligere, vel de Coloniis, C ubi vexillorum maxima seges & messis occurrit. Nam legiones aut legionum veteranos deductos esse cum vexillis nemo negabit, sed iis vexillis, puto, quæ urbium aut provinciarum fuerunt, in quas deducebantur, quæ postquam traditæ & deditæ fuerunt tutelæ Romanorum, legionum nomen, ex quibus cum signis deducebantur, inscriptum accepisse mihi quidem probatur, at non a Romanis profecta, sed a provinciis & urbibus, quarum præsidia Romanis signis occupabantur, junctis vexillis urbium & provinciarum, quæ sub Romanis protegi debebant, ideoque legionum nomina illis inferi patiebantur, quod illæ tutandas D & regendas provincias susciperent.

Hæc mea quidem sententia est de vexillis coloniarum, quæ magno numero in nummis prostant, quæ inter Romanos parce saltem reperiuntur proposita, ut dubium inde mihi sit ortum, quod vexilla vela apud barbaros omnes reperiam, ad quos Romani accesserunt, apud Romanos vero non nisi propter barbaros, quos sibi subjecerunt, & per colonias magis magisque obstrinxere. Nam quod veteranos significari per vexilla ista judicas, nondum satis liquet, an veterani illi sub vexillis velis E steterint, vel sub signis separatis & propriis, prout ante memini me dixisse.

At quod etiam vexillis velis apud Romanos auctoritatem quæras ex eo, quod purpura ipsis detracta fervierit Imperatoribus electis, ut πορφυρογέννητοι statim viderentur; hoc pace tua dicam, & magni Salmasii, qui omnia vexilla vela Romanorum purpurei coloris fuisse statuit, non ita esse; sed purpuram signis omnibus Imperatoriis & primariis subtractam fuisse apicem, & laciniis quibusdam dependisse, nunc longius, nunc brevius, ex omnibus nummis deprehendes, inprimis ubi vexil- F la pura ostenduntur, quibus nec imagines Impp. nec signum aliquod supereminens additum, in pertica adsunt, sed solis illis laciniis purpuræ decorantur, ut signa esse, sed pura omnino, pateret. Ad nummos te remitto, Vir Excellentissime, ut ipse inspicias & consideres, nam alias hæc mihi docenda erant fusius, & nunquam finem acciperet Epistola jam ultra metas suas progressa. Et facile tibi concederem, vexilla hæc vela Romanorum fuisse in coloniis deducendis, quoniam extra militiam ordinariam ibant cum colonis futuris, nisi signa quoque in plerisque addita deprehenderem, quæ comitabantur: ita ut vexilla distinguere a signis omnino opus sit. Nam quod veteranos vexillarios illuc trahere studeas, nondum certum est, aut satis mihi probatum, illa, quæ vexilla dicebantur & vexillariis tribuebantur, vexilla vela fuisse, cum potius signa fuerint, ut superius memoravi, vexilli tantum nomine donata. Satius igitur fuerit illa vexilla vela eo remittere, ubi originem suam traxerunt, nempe ad provincias & urbes, quæ signis non utebantur, sed vexillis, etiam sub Romanis constitutæ, illisque deditæ.

Atque sic puto me respondisse omnibus illis objectionibus, quas pro vexillis Romanorum defendendis eruditissime attulisti, quæ ego origine Romana nequaquam esse nondum me pœnitet statuisse, sed a peregrinis & barbaris, quos sibi subjecerunt, in usum tandem illorum versa sub Imperatoribus præprimis, qui ad barbaros arma sua & exercitus transtulerunt domandos, qui quoque militiam veterem multis modis mutarunt pluribus pertendere mihi liceret, si non Epistolæ leges observandas cogitarem, illaque materia volumen potius, quam Epistolam requireret. Multa enim de his vexillis dicenda mihi notata sunt, quæ brevibus explicari non possunt. Eo res recidit, ea vexilla, quæ Romanis tandem sub Imperatoribus in usum traducta sunt, a peregrinis & barbaris extra militiam ordinariam Romanorum consideranda venire, vel ut auxilia, vel ut signa, vexilla quoque dicta; vel ut barbararum nationum Romanis parentium signa, quæ non nisi vexillis velis utebantur: quem usum Romanis minime denegatum volo, nec volui unquam, licet sub Constantino ad mera vexilla exercitus fere disponi cœpisse scripserim, & pedetentim signa desiisse in vexilla vela conversa videam, quibus hodie num utimur. Videatur nota incomparabilis Salmasii ad Jul. Capitol. p. m. 125. videbis eum mecum sentire, & vexillationes & vexilla, & vexillarios e cohortibus non nisi auxilia esse, non ad cohortes legionarias pertinere. Nec stante Republ. non dico deficiente, ulla vexilla vela reperies expressa. Ursini familiæ ne unum quidem produxerunt. Petroniæ familiæ nummum quem adducis, inter Goltzianos non reperi illa tab. quam significasti; sed quamvis Tibi credam ita esse, haud tamen ante Augustum, cum quo legi eum indicasti, non poterit considerari, quo tempore & vexillis velis usus suus esse apud Romanos cœpit, sed a barbaris traductus, & propter barbaros, quos Augustus domuerat, quibus hæc vela propria erant, cum signis Romanis usi minime deprehendantur illi.

Nunc ad alia. Scribis de Sentia Dea & Matre, an putem Te recte distinxisse. Multæ occurrunt Deæ Matres in Inscriptionibus veterum, quarum exemplo non infeliciter de Sentia Matre Te cogitasse dicere licet. Sed quoniam mihi non est Seguinus ad manum, ut structuram & Inscriptionem nummi, & quo modo cohæreant omnia, considerare possim, licet bene correctum sentiam, differre tamen cogor & ampliare, donec Seguinum nactus fuero inspiciendum. At quod de Neronis nummo apud Vaillant mones ARMENIA C. legendum esse ARMENIA Capta, valde mihi placet & probatur. Sic quoque dubium me habuit nummi Hadrianei Inscr. apud eundem Vaillant, & pro LEG. H. legendum censeo LEG. II. COL. Heliopolitana, si tu quoque consentias, qui in his dijudicandis sagacissimus es, nec facile a tuo judicio, tam exacto, discedere mihi sumo. Et Legio SEII in Inscriptione quam affers, vitio non caret, nec tua,

meliorem emendationem afferre possum, licet II. illud quod legisti, insuetum sit pro P. in Inscriptionibus mere latinis; juvari tamen potest si SEPT. exstitisse dicamus, aut SEPT. & virgulas illas ab exscriptore vel sculptore confusas SEII peperisse. Neque enim legiones unquam a Tribuni nomine denominatas observare potui, sed aut numeris suis designantur, aut ab Imperatoribus ipsis nomen accipiunt, qui illas introduxerunt.

Ex literis tuis 13. Nov. anni præteriti datis percipio te desiderare G. METELLI nummum cum Elephanti biga. Extat ille apud A. Augustin. p. m. 89. f. 5. eumque inde Patinus in Ursino suo edito, ut puto, adduxit; argenteus est, & prima facie caput Romæ habet, adscriptumque ROMA; in aversa extat Biga Elephantorum, in qua aurigat aliquis, superne advolat Victoria coronans, inferius adscriptum G. METELLVS. Sed forte Cajus est, cum litera C. & G. facile confundantur. In Cn. Corn. SISENNAE nummo argenteo, quem habet Ursinus p. 75. fig. 4. & A. Augustinus pag. 7. fig. 5. non nisi proboscis Elephanti, video, exstat. Drusi æreum cum quadriga Elephantorum DIVO AVGVSTO dicatum habet Goltzius in Augusto 77. f. 2. M. DVRMII argenteum cum Biga Elephantorum reperies apud W Snellium fol. 17. meæ edit. M. CATONIS argenteum cum Elephante & adscripto LIBERTAS enotavi ex Gorlæo, non addita pagina qua. Idem quoq; habet C. Marium arg. & ejus Elephantum infra adscriptum A. BOCCHO. L. Bucæ nummus arg. pertinet ad Jul. Cæsarem, L. BVCAE tamen nomine inscripto, qui exstat apud Goltzium 7. fig. 7. Multo plures cum Elephantis traditi sunt, sed non perrexi annotare, ut olim, quando in his studiis eram diligentior. Alexandri M. nummus, quem indigitavi, Goltzius habet inter suos Græcos tab. 36. fig. 1. qui est ex iis, prout indicasti, ubi caput indutum habet Elephanto ejusque proboscide, Minervam pugnantem ostendit in aversa. Nec est quod in his laudem aliquam meam meretur, cum te hæc cum pulvisculo exhausisse omnia quæ notatu digna sunt confidam ita, ut nihil doctius aut elimatius a quoquam hactenus proditum sit: hoc enim tuum est: modo elegantem illum Elephantum tuum non diu premas, aut publico diutius invideas.

Quidquid præterea de Rudbekio, Excellentissimo Viro, esse potest, ejus enim Atlanticæ tomos nondum possideo, quamvis olim perlustraverim primum, cum essem Argentorati, non mihi abibit sine censura, si Runicas suas Inscriptiones ultra Christianismi tempora, ut solent, obtrudere voluerit. Et si tibi quid prius occurret in tertio illo tomo, quem nondum nancisci potui, rogo Te, moneas. Eandem semitam calcat, quam ego dudum calcavi; ex Septentrionalibus multa gentes retinuisse, ad quas illi pervenerunt, sed Suecis hæc omnia transcribenda aut Danis, nunquam mihi quidem probarit, nec, puto, cuiquam probavit. Et Allusiones ejus omnes, in quibus copiosissimus est & diligentissimus, ne nauci quidem videntur, cum nihil probent aut illustrent, nec ad rem faciant, ut illis se titillare facile eum perferre queamus. Si mea prodire possent, alia argumenta, alias rationes videres, Historiæ veræ & solidæ congruentes, in laudem Septentrionalium omnium, non Suecorum, a quibus perpauca profecta sunt, quæ propria illorum dici aut laudari merentur. Sed hæc inter nos dicta sunt, nolo enim irritare crabrones. In Baptismo meo quædam de Gothicis Evangeliis, ita dictis, attigi, & Gothica minime esse ostendi, nec Ulphilæ, sed Germanica, quod argumentum si tractare fusius voluissem, etiam potuissem. Misi in Sueciam istum libellum, videbo, num aliquid contra ausuri sint. Meam de præstantia linguæ Daniçæ inter Septentrionales hactenus nemo illorum tentavit, quod tamen desiderabam, & exspectabam.

Quod vero Tibi dedicatum opusculum meum de Nummis non cusis tantis laudibus dignum æstimes, ita merebaris, Vir Amplissime, ut Tuum potius esset, quam meum, quo authore & ἐργοδιώκτῃ, illa, quanticunque sint, lucem videre passus es. Mihi nondum visa sunt; nec a Typographo post ultimas meas ad ipsum quidquam rescivi, an illa exemplaria, quæ promisit, mittere velit; occasionem forte mittendi nondum adeptus est. Scribo tamen nunc ipsi, ut si alia occasio cum Amicis huc euntibus deest, mittat cum nautis proximis huc transeuntibus. Ignoscas autem si excrevit Epistola, quæ tædium parere potest legenti. Flagitabat illud argumentum vexillorum etiam longiorem, sed prohibuit tua humanitas, quam insulsis meis fatigare nolui. Deus te servet, Vir maxime, ut diutissime valeas, & me porro ames ac literis tuis bees, qui sum ex animo.

Nobilissime & Amplissime Vir

Dabam Hafn. 16. Oct. A. 1700.

Tibi studio & cultu singulari addictissimus.

XLIV.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

Summa cum voluptate eruditam & longam, atque eo nomine acceptiorem epistolam tuam legi plus quam semel; multa enim complectitur egregia & præclara, & digna utique est, quæ cum cura & animi acri attentione expendatur. Et primo quidem valde lætor meas conjecturas tibi non displicuisse, atque inde tibi ansam esse datam, tam erudite de VEXILLIS, pomo amicæ Eridis nostræ, differendi. Occupabunt tamen illa me aliquantum, nec te laturum ægre confido, si tecum communicem, quæ a placitis tuis recedunt, & quæ mihi, qua sum, ut cum Cicerone loquar, oscitante dormitanteque Sapientia, non indigna videntur, ut examines.

Quæ igitur de origine VEXILLORVM scripsisti antea, aliter capere non potui, quam te, Vir amplissime, statuere, *vexilla* illa, vel vela ante Constantinum Magnum Romanis in usu non fuisse; nec dubito, quin properatione tua, & occupato gravioribus negotiis animo factum sit, ut non satis bene mentem tuam epistola expresseris. Nunc igitur censes, remisso illi opinioni nuncio, vexilla, quæ vela sunt, non esse propria Romanorum inventa, sed a barbaris, & peregrinis adscita; aut originem vexillorum istorum a barbaris petendam, inde Romanos ea hausisse, & in suos

usus tandem transtulisse; sub primis quidem Impp. vexilla talia apparere, sed ita ut peregrinitatem suam ostendant ubique, illaque a *Germanis*, aut Pannoniis, aut *Dacis* &c. devictis produci, cum illorum Tropæis & Spoliis, quæ Romanorum fuisse propria nequaquam dicere licet.

Sed si vera narrat Servius ad initium libri octavi Æneidos, jam libera Republ. diu ante Cæsares vel Augustos vexilla talia fuerunt in usu. Narrat enim, *si esset tumultus.... eum, qui fuerat ducturus exercitum, ivisse ad Capitolium, & exinde protulisse* DUO VEXILLA, *unum* ROSEUM, *quod pedites vocabat, & unum* CERULEUM, *quod erat equitum, (nam ceruleus color maris est, a cujus deo equum constat esse inventum) & dixisse... alios* ALBUM ET ROSEUM VEXILLA *tradidisse, &* ROSEUM *bellorum &* ALBUM *comitiorum signum fuisse*; inde addit, *belli signum generaliter Virgilium dixisse, quia multa sunt, sed* VEXILLUM *significare, quod est tractum a veli diminutione, ut velum vexillum*. Fateor recentem admodum, si prima libertatis tempora spectes, auctorem esse Servium, quippe qui seculo post Dominum nostrum quinto vixit; sed tamen plures, eosque vetustissimos auctores consuluit, & si aliunde probari potest, hunc morem antiquis temporibus obtinuisse, persuasum habeo te crediturum, haud levis ponderis hunc locum esse, ad vexilla, vela, Romanis ante gentes barbaras, vel Germanos, Pannonios, Dacas cognitos, vindicanda. *Signum* igitur vel σημεῖον propositum fuisse ad conscribendum exercitum, ex Dion. Halicarn. Arnobio, Livio, & Festo probarunt eruditi commentatores, & Festus quidem nec non Livius lib. 39. signum illud vexillum appellant, quia scilicet *Velum* erat; id quod etiam ex coloribus Servio memoratis patet; neque enim mihi verisimile videtur, vel unquam lectum est, alia signa, puta hastas, quibus aquilæ impositæ, Imperatorum προτομαὶ affixæ, & alia ornamenta addita fuerunt, variis coloribus distincta, nec puto recte posse dici ea *rosea* vel *cerulea* fuisse. Sic cum legimus apud Suet. cap. 25. Augusti, eum *M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donasse*, & cum Dion. lib. 51. vexillum illud appellat σημεῖον κυανοειδῆ ναυκρατικὸν, nihil aliud quam velum illo colore tinctum mihi sese offert; adeo ut putem, auctores veteres, cum *signa* nobis memorant, generaliter loqui; cum vero *vexilla*, ut plurimum *vela* designare, quamvis & illa *signorum* nomine venire, nequaquam negare vel velim, vel ausim. Dion præterea Cassius lib. 37. pag. 42. memoriæ mandat, antiquis temporibus, cum circum Romam multi hostes habitarent, veritos Romanos, agentes centuriata comitia, ne hostes urbem invaderent, Janiculum occupasse, non omnes simul ivisse in suffragia, sed armatos per vices Janiculum custodivisse, & quum solvenda erat concio, σημεῖον, *signum* vel *vexillum* fuisse sublatum; & ante dixerat Metellum Celerem impedivisse, ne Rabirius causa caderet, quia in Janiculum citato cursu pervenerat, & *vexillum* σημεῖον τὸ στρατιωτικὸν abstulerat, quo sublato, populus nullum decretum amplius facere poterat. Nec ego dubito, quin σημεῖον illud vexillum fuerit, quod aliter Græci, quam per τὸ σημεῖον designare non poterant, unde in Glossis σημεῖον τάγματος στρατιωτικὸν, *vexillum*, cum ob rationes allatas, sive colorem roseum & ceruleum; tum quia disertis verbis memoratur *Vexillum rufum* in inscriptione veteri, qua acta urbana dierum septem anni U. C. 585. Coss. C. Æmilio Paulo II. Licinio Crasso continentur apud Steph. Vin. Pighium in Annalibus, & Reines. p. 341. inscript.

DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPTUS. A. CN. LICINIO. NERVA. LEGATO. IN. CRUCEM. ACTUS. VEXILLUM. RUBEUM. IN. ARCE. POSITUM. SACRAMENTO. NOVO. ADEGERUNT. IUVENTUTEM. IN. CAMPO MARTIO.

Atque ita Macrob. 1. Sat. 16. scribit... *exercitu imperato, vexillum rufi coloris in arce positum esse*, & Liv. lib. 39. c. *majores noluisse cives coire, nisi aut cum vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus eductus esset, aut.....* Quin & *vexilli*, quod tibi, Vir doctissime, aliter visum fuit, & quidem, uti puto, talis, sive *veli* meminit Varro lib. v. extr. de L. L. ubi loquitur de Censorum comitiis: *Quod Censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad* VEXILLUM *ducere debet*. Adeo ut τὸ *vexillum* diu ante Cæsarem fuisse in usu, ex lapide illo antiquo, nec non Varrone, qui ritum veterem describit, utiturque verbis proculdubio solemnibus, pateat; nec dubitem quin Macrobius, Servius, Livius, aliique, ita locuti sint, ut vetustissimi auctores, apud quos legerunt, *vexillum* comitiorum & tumultus tempore propositum fuisse, sive in Capitolio, ut cum Servio putat Lipsius lib. 1. Dial. III. de Mil. R. sive in Janiculo, uti diserte tradit Dio Cassius, & notat etiam Donatus lib. 1. c. 6. Romæ veteris; & vide an lis hæc ita tolli possit, ut tempore Comitiorum vexillum fuerit propositum in Janiculo, ubi tunc erat custodia militaris; tempore vero delectus, unum vel bina in Capitolio, quia Dion. Hal. lib. 8. narrat Consules proposuisse τὰ τῦ πολέμυ σημεῖα, *ad copias urbanas conscribendas* τὰς δυνάμεις τῆς πόλεως. & quia Serv. *roseum* vel *russeum* scribit propositum fuisse ad *evocandos pedites*, ceruleum ad equites. Quando autem auctores *aquilas, signa & vexilla*, vel *signa* & *vexilla* distinguunt, puto eos plerumque per vexilla intelligere *vela*. Certe Isidorus 18. orig 3. primo recenset *signa principalia, Aquilas, Dracones, & pilas*, inde *vexillum* quod dictum putat a veli *diminutione velillum*; sic cum A. Marc. lib. 27. scribit, *signis undique fixis ex more* militem exspectasse *vexillum extollendum, quod erat subeundæ initium pugnæ*, & lib. 20. 5. Julianum fuisse circumdatum *signis, aquilisque & vexillis*, ego puto nihil aliud, quam velum eum designare, nec aliter capiendam illam vocem apud C. Julium Cæsarem lib. 2. de Bel. Gal. & lib. 3. de Bel. Civ. quorum locorum commode facis mentionem; idque vel ideo, quia illud signum libera Republ. fuit χιτὼν κόκκινος vel φοινικῆς, *tunica punicea*, quam Plutarchus in Marcello, & in Pompejo p. 655. scribit fuisse μάχης ἐσομένης σύμβολον, *tunicam russatam* appellat Isidorus 19. Orig. cap. 22. eamq; scribit *pridie quam dimicaturi essent, solere ante principia poni, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ*; ita celeberrimus Schefferus 3. 1. de Mil. Nav. in navi prætoria tam apud Græcos quam Romanos fuisse sublatum *Vexillum purpureum*, quod reliquæ sequerentur, observat, & libro eodem c. 9 quando prœlium navale erat ineundum: quod vexillum in rebus Cononis φοινικίδα appellant Diodorus Siculus, & Polyænus 1. 48. 2. ἐπῆρε τὴν φοινικίδα, ἣν ἦν ἄρα μάχης σύνθημα τοῖς κυβερνήταις. & sub intelligi puto vocem ἐσθῆτα, quia vox illa, uti etiam vestis, generaliter usurpatur de omni forma lanæ, vel lini; ne jam dicam Salmasium ad Treb. Poll. in Claud. c 14. docere φοινικίδα Græcis esse τὴν ἐφεστρίδα, vel paludamentum sive chlamydem quæ supra tunicam accipitur, & ad instar panni plani est: adeo ut mihi ne dubitandum videatur esse, quin

vexillum supra ducis tentorium ad pugnæ indicium attolli solitum, teste Plutarcho in Fabio: *χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος* fuerit ex lana vel alia simili materia purpurea; sive illud fuerit velum expansum; sive forma tunicæ; vel olim tunica russata fuerit pridie proposita ad indicandum, milites sese debere parare ad pugnam, & in ipso prœlii puncto vexillum russeum, inque hujus locum successerit postea *χιτὼν κόκκινος*, nisi tamen & vox *χιτὼν* generaliter de qualibet veste usurpetur, quomodo certe *τὸν φοινικοῦν χιτῶνα* apud Plut. in Pompejo eruditi vertunt sagum purpureum; sagumque erat apertum & expansum, non autem, ut tunica, clausum. Nam quamvis Ferrarius putet *τὸ χιτὼν* non nisi de tunica interiori usurpari, tamen Eustathius ad Hom. p. 1282. ed. R. docet illam vocem etiam denotare *τὸ ἁπλῶς ἱμάτιον*. Et quanquam nihil causæ sit, cur *vexillum* apud eundem Cæsarem 6. 36. non debeat usurpari de velo, malo tamen vel tibi assentiri vel *ἐπέχειν*, quam illud præfracta fronte defendere, licet c. 40. idem eos appellet *veteres, & sub vexillo una profectos* dicat; adeo ut videantur qui ex una vel pluribus legionibus, vel ex unius legionis cohortibus collecti, alio mittebantur, non habuisse sibi signa cohortium, sed *vexilla* vel vela; unde & Tacit. 1. H. 70. *vexilla* distinguit a *cohortibus*, & Suet. Ner. cap. 13. *militaria signa & vexilla*; & Vitell. *signa & vexilla*, qua de re & distinctione jam antea egi.

Triarios statuis eosdem esse cum *Vexillariis*; illos id nomen tulisse libera Rep. ante Jul. Cæsarem & Augustum, & postea *vexillarios* dictos esse. Atque ita Salmasius ad Hist. Aug. pag. 125. & 431. & 452. vexillarios notat fuisse *veteranos*, sed in opere posthumo de re militari p. 206. & alibi putat vexillarios esse velites & antesignanos, oppugnatus eo nomine a nobilissimo Schelio in notis ad Hygini Gromaticon: quam litem, ut nunc est, examinare non possum, tibique libens lubens hanc Spartam, atque Helenam trado. Illud tantum moneo, *veteranos* qui sub uno vexillo, habebantur, extra legionem fuisse quasi, & reliquorum immunes, nisi propulsandi hostis; cum contra *Triarii* militarent in legionibus, & excubiarum aliaque munia militiæ obire deberent, si quid video: inde & *Veterani* illi alio videntur mitti non potuisse, id quod tamen factum esse patet ex Tacito, cui memorantur *Vexillarii discordium legionum* I. A. 38. *Vexillarii e legionibus* 3. H. 48. *Vexillarii e cohortibus*, *Vexillarii Vicesimarii* 14. A. 34. & *Vexillarii XIV. & XVI. legionum* 2. H. 100. idem jungit 2 H. 18. *tres prætorias cohortes & mille vexillarios*, & c. 83. *legionem sextam & 13000. vexillariorum millia*, quæ loca ideo adduxi, ut ostendam, vexillarios ex variis legionibus in unam coactos fuisse, vel varios milites ex variis legionibus lectos fuisse dictos Vexillarios; & mirum videri uni legioni jungi *tredecim vexillariorum millia*, qui utique non fuerunt illius legionis triarii vel veterani; & denique recenseri vexillarios e cohortibus, id est ex variis cohortibus lectos, cum tamen *Triarii* in proprias cohortes essent divisi. Præterea nescio an Schelius recte interpretetur hunc Taciti locum 2. H. 66. *præcipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie* VEXILLARIIS *tantum pulsis* VIRES LEGIONIS *non adfuisse*. Neque ego hic video plures legiones, vel saltem binas, quas sibi fingit Vir Nobilis his verbis: „ Non ajunt vexillarios vilem & „ levem manum, ut inde confici possit levis ar- „ maturæ; sed negant vires legionis esse, quam- „ vis enim Veterani, ex alia tamen legione, & „ tam pauci numero erant, ut nihil ad totam legionem „. Sed ego aliam legionem, & paucitatem numeri adhuc quæro; & puto Quartadecimanos de legione sola XIV. loqui, ejusque *vexillarios* opponere legionis suæ viribus, vel reliquis illius militibus, quorum optimi & fortissimi non pugnaverant; quæ certe explicatio ex ipsius Historici verbis profluit, &, si vera est, magnam ultimæ opinioni Salmasii adjicit auctoritatem, & robur.

Addis Polybium *Vexillarios* nescivisse, sed semper memorare *Triarios*, quod tunc sub vexillo non starent, sed sub alio signo; & hinc esse putas, quod tria signa in nummis appareant, & inde Livium loqui more seculi sui, cum ait, *primum vexillum triarios habuit*. Fieri certe potest, ut tria signa in nummis ante Julium Cæsarem signatis, designaverint Hastatos, Principes & Triarios, maxime si aquila, quæ plerumque in medio cernitur, fuit propria Triariorum, ut scribit Salmas. p. 41. de re Mil. Rom. & quia vexillum nomen generale est, & ante Julium Cæsarem, ut docui, in usu, potuit ita *aquilam* appellare Livius, & sic libera Rep. & sub Cæsaribus idem signum habuissent *Triarii*, & *Vexillarii*; & quodcunque signum ipsis fuerit, potuit appellari *vexillum*, nisi statuas hoc loco *Vexillarios* pro signo vexillum velum habuisse. Fol. 3. epistolæ tuæ statuis vexilla, quæ donabantur benemeritis militibus, non fuisse *vela*, sed alia signa, illudque patere ex binis lapidibus apud Gruterum, 2. 358. 9. 1030. sed in prima inscriptione non legitur L. ANTONIVS donatus fuisse *vexillo*, verum torquibus & armillis; nec quicquam causæ video, cur *vexillum* omissum sit, cum illud fuerit honoratius, ut mihi videtur, donum, quam alia; & in altera nullorum donorum fit mentio, & L. Gellius Ufentia Varus dicitur esse VETERANVS LEG. XIII. GEMINAE; adeo ut putem signa nihil aliud indicare, quam viros illos milites fuisse. Insignem autem honorem habitum esse vexillo donari, patet ex facto Augusti, qui apud Suet. M. *Agrippam in Sicilia post navalem victoriam* CAERVLEO VEXILLO *donavit*; quod Dion lib. 51. appellat *σημεῖον κυανοειδὲς ναυκρατικὸν* & scribit illo Agrippam honoratum esse præter alios honores *ἄλλοις τέ τισι*, puta nempe torquibus, armillis, quorum honorum *vexillum* erat præcipuum: & si hæc *vexilla* donabantur, fiebat eorum mentio in marmoribus; quomodo sub Adriano legimus Licinium Suram esse donatum hastis PVRIS. VIII. VEXILLIS VIII. CORONIS MVRALIBVS II. CLASSICIS II. & utique Agrippæ donata *vexilla* fuisse ex serico, lana, vel simili materia, satis superque ex colore cæruleo, si quid video, patet. Quin & vexilli donationem rariorem fuisse, patet ex Sicinnio Dentato, qui accepit coronas XXVI. Armillas CXL. teste Varrone apud Fulgent. lib. de prisco serm. & inde puto factum, ut *vexillum* tam raro occurrat inter dona militaria. Nullum mihi dubium, quin VEXILLA Templorum vela fuerint; unde & in Inf. 1. CCCXXIII. memoratur VELVM SAC. quanquam fatear *velum* illud aliis etiam rebus potuisse inservire, & quidem foribus tegendis; & ex hostibus capta in templis fuisse suspensa constat satis superque, non secus ac alia spolia; sed nescio an inde fuerint deprompta a Pontificibus & Sacerdotibus, quoties ad pompam Imp. illustrandam cum iis procedere jubebantur. Fieri quidem id potuit, fateor, sed factum fuisse meminem inveni, qui tradat; quin potius talia vexilla fuisse ab ipsis Sacerdotibus, sive eorum jussu facta, vel ab aliis donata, uti factum fuisse ex IVSSIONE I. O. M. patet ex inscript. modo laudata; & dubiis Reip. temporibus arma detracta

fuisse templis constat; de *vexillis* autem nihil mihi lectum est.

Vexilla bicolora, quibus Valerianus Aurelianum donat apud Vopiscum, omnino fuisse *vela*, puto, & ratio suadet; quid enim sibi vellent signa facta ex ligno cum ornamentis ex alia duriore materia binis coloribus picta? an dicemus, eos colores fuisse album, nigrum, an roseum & cæruleum, an alium? mihi quidem hoc a moribus illorum seculorum plane alienum videtur: sed ut hodie vela vel vexilla, ita & eadem olim variis coloribus picta fuerunt, & invenio tantum apud Arrianum, hastas signorum argentatas fuisse; Pliniumque scribere, colorem argenti clariorem & militaribus signis familiariorem fuisse. Ordinarie vexilla erant unius purpureique coloris, & illa vocabantur *pura*, uti putat Salmas. p. 429. ad Histor. Aug. quanquam omnia vexilla non videantur fuisse purpurea, sed forte albi alteriusve coloris, & alba, quæ nullo colore tincta erant, non absque ratione pura dici possunt: quibus opponebantur *bicolora*, sive illa intertexta essent argento vel auro, uti putat Vir illustris, sive ex diversi coloris plagulis, sive velis facta vel diversis coloribus tincta: eodem sensu Treb. Pollio cap. 14. Claudii memorat nobis *interulas puras duas*, & c. 48. Aurel. *lineas Afras atque Ægyptias puras*. Sic *toga pura* erat *alba*, & ita vocabatur, quia purpuram non habebat prætextam. Tu, Vir Clarissime, pag. 7. omnem purpuram tollis a vexillis ipsis, sed putas eam signis omnibus Imperatoriis & primariis substratam fuisse circa apicem, & laciniis quibusdam dependisse, nunc longius, nunc brevius; illud deprehendi ex omnibus signis, imprimis ubi *vexilla pura* ostenduntur, quibus nec imagines Impp. nec signum aliquod supereminens additum in pertica adsunt. Hæc certe verba me dubitare faciunt, an per *vexilla* intelligas *vela*, an vero alia *signa*, hisque vel hastis putes affixas fuisse purpurei coloris fimbrias. Ego certe *vexilla* vela præferrem, quæ nonnunquam fimbriata animadverti fuisse; sed si ipsa vela ex alio colore, quam purpureo, vel eorum tantum fimbriæ purpurei coloris fuerant, non video certe, quomodo purpura ex signis potuerit detrahi, cum Gordiano imperium in Africa fuit delatum; quinimo potius statuo, & ipsa ratio suadet, fuisse hoc signum vel vexillum, vel velum totum purpureum, & tam grande, ut amicire instar chlamydis potuerit Gordianum: quale certe fuit illud Crassi, de quo mox agam, & alia, quæ in marmoribus & nummis nobis ostenduntur. Hinc agis de vexillis, quæ donari solebant Imperat. ipsis, & Cæsaribus eorum, Principibus juventutis; putasque illa non fuisse vela, sed signis Romanis simillima, *vexilla* tamen dicta, quod signis non adnumerarentur, extra militiam data, honoris causa. Et primo quidem nullibi mihi lectum est, Impp. vel Cæsares Principes juventutis, signis sive vexillis decoratos & donatos esse vel a militibus, vel a civibus, sive initio imperii, sive rebus fortiter gestis; verba certe Pollionis c. 3. Claudii, *Omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas, statuis*, VEXILLIS, *coronis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honoraverunt*, hoc nullo evincunt modo; quia tantum significant, omnes & omnis generis cives & incolas urbis Romæ, aliarumque, statuas, vexilla, coronas, fana, arcus, aras & templa posuisse & dedicasse in honorem Claudii; quanquam diffiteri nolim, *coronas* & *vexilla* ad ipsum potuisse esse missa; id quod certe de coronis certum, uti patet ex variis auctoribus & pluribus nummis, in quibus propterea tot coronas cerni persuasus sum; sed

A de *vexillis* illud mihi lectum nullibi, & forte urbes ex locis altioribus vela vel vexilla sustulerunt, uti & hodie fieri solet, & ita Claudium *honorarunt*, quod longe aliud est, quam *donarunt*, utque in illius honorem erecta fuere fana, arcus, templa, aræ, statuæ, ita etiam suspendere, dedicare, & ponere potuerunt, & si quid video, posuerunt *vexilla* atque *coronas*. Deinde *signa*, inter quæ Principes juventutis in nummis a te laudatis, & in aliis plurimis, consistunt, mihi sunt *signa legionum*, quia scilicet duces erant exercitus, & militem, ut designati successores, re-

B gebant; neque mihi, ut hoc repetam, de donatis vexillis quidquam lectum est. Et hic tandem video te existimare, Vir celeberrime, *vexillum purum* esse nihil, nisi signum Romanorum referens, idque patere tua ex sententia ex nummo Licinii Junioris, apud Ducem Arsch. tab. 65. in quo ille tenet hastam vel baculum oblongum, in cujus apice orbis *ταιτνῳ* tectus. Sed hoc *vexillum* & quidem *purum* posse vocari, quo sum stupore, adsequi non possum; nam ut *hasta pura* est absque ferro, & nil nisi baculus, ita & hoc signum non deberet esse ulla re ornatum, quod tamen an tunc *vexillum* vel *velum* appellari possit, multum equi-

C dem dubito.

Militiæ terrestri misces navalem, & addis Heliogabali nummum apud Hemel. tab. 27. habere triremem sex remis instructam, & gubernaculo Imperatorem adsidere in puppi, post ipsum esse signum aquilæ, sed in media navi *vexillum* velum erectum, ad indicandum Imp. prætoriis cohortibus cinctum, & auxiliariis navigasse; & inde fol. 1. 6. itidem statuis, imperatorum tempore omnia vexilla vela auxiliarium vel barbararum gentium fuisse, iis cingi Trajanum & alios Impp. eademque tradita fuisse a barbaris &c. Et certe hæc omnia nequaquam probare possum, & puto in trire-

D mi illa cerni tale vexillum, quia navis erat prætoria, & quam aliæ omnes sequi tenebantur; atque id fieri solitum ex Seneca, Tacito, Diodoro, Leone, & nummis probat doctissimus Schefferus l. 3. c. 1. de Mil. Navali; & ita tale vexillum occurrit in nummo SER. SVL. GALBAE, non tamen Imperatoris apud Ducem Arsch. tab. 1. Trajani tab. 20. Diadumeniani tab. 37. & Gordiani tab. 41. apud Hemelar. aliisque quamplurimis. Deinde cum Imperator habuerit cohortes prætorias, illæque eundem comitatæ sint utplurimum, quis credet, auxiliares etiam vel vexillatores Germanorum, qui etiam ad palatium agebant excubias, in

E una cum Imp. nave vecta fuisse? maxime cum illi non proficiscerentur ad bella navalia, sed tantum trajiciebant, unde in nummis TRAIECTVS AVG. vel ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ. Neque mihi verisimile *vexilla illa, vela,* quæ Trajanum circumdant, esse gentium barbararum. Imperatores circumdatos signis, aquilis, vexillis processisse ex Am. Marcel. 20. 5. & quæ ex Cedreno Tacitoque notat Valesius, certum est; sed ego puto, non modo Romanorum militum propria vela illa fuisse, sed quasi indicium Imperatoriæ Majestatis, unde diserte scribit Tacitus, *Medium inter signa Othonem ve-*

F *xillis fuisse circumdatum*; medius inter aquilas & alia signa stabat, sed tunc insuper vexillis, velis fuit circumdatus; & Cedrenus scribit vexilla a Latinis dici vela quadrangula ex auro & purpura, quæ longis contis suspensa, Imperatoris latus tegunt. Et crediderim, ægre admodum laturos Romanos, vel legiones, si Impp. magis sese efferrent & ostentarent vexillis a barbaris captis, quam propriis; ne jam dicam illa in templis fuisse suspensa, & ita usibus humanis exempta; nec memini mihi legisse, a barbaris nationibus, puta, ut

addis, Germanis, Dacis, Pannoniis, vel Parthis, Imperatores jam dominos agnoscentibus, tradita fuisse, non ut in militia R. usitata, sed provinciarum barbararum fidem testantia, & cum Romanis militantia, quoties requirebantur illorum auxilia. Signa enim a devictis gentibus capta fuisse constat ex tropæis & auctoribus, sed easdem gentes jam victas vexilla dedisse, doceri equidem velim, & quidem *Parthos*, quos in Romanorum castris Imperatorum, uti auxilia, & a rege regum missa, militasse doceri equidem velim. Quamquam non ignorem, Lamprid. in Al. Sev. cap. 62. & Maxim. c. 11. memorare in castris eorum Impp. fuisse, *Mauros*, *Osdroenos*, & Parthos: quibus ex ultimis, & quidem transfugis & captivis Severus corpus forte fecerat post victum regem Persarum; quales tamen inter socios Romanos, vel inter gentes majestatem Impp. R. colentes, recenseri nequaquam possunt. Quod si omnia vexilla vela pertinent ad nationes barbaras, uti statuis, Vir excellentissime, qui fit, ut tale velum aquilas & legionum signa præcedat in nummo Hadriani, cujus ectypum nobis dat Ferrarius lib. 3. c. 8. p. 2. de re Vestiaria? an non ignominiosum hoc judicassent legiones? & an verisimile est, vel Hadrianum ipsum id constituisse? mihi certe contrarium videtur, & nullus dubito, quin talia vexilla fuerint etiam ipsorum Romanorum, & ita in nummo, qui nobis DECVRSIONEM Neronis repræsentat apud Onuph. lib. de Lud. Circ. binos pedites ante binos equites, non puto humeris gestare vexilla barbarica, sed Romana, maxime cum illa decursio fuerit exercitatio Romanæ juventutis. Germanos istius modi vexilla vela habuisse patet ex nummo Drusi apud Ducem Arsch. tab. 16. in quo tropæum DE GERMANIS erectum, depictum est, non secus ac Sarmatas ex alio Marci Antonini tab. 29. in quo DE SARMATIS: ita & PANNONIA, MAVRITANIA & CAPPADOCIA illud tenent tab. 22. nec abnuerim illa earum gentium esse, sed tamen vexillum illud in omnibus tropæis de barbaris nationibus non reperitur, ut in aliis nummis, tab. 4. & 28. & Claudii DE BRITANNIS tab. 6. Trajani tab. 16. Sed quid? an non ipsæ illæ gentes hæc vexilla potuerunt habuisse a Romanis, imitantes victores orbis terrarum? nec id a ratione alienum esse vel inde patebit, quod vela illa antiquissimis temporibus, uti ex comitiorum habendorum ritu docui, Romani in usu habuerunt; ne jam dicam, Pannoniam, Mauritaniam & Cappadociam vexillum illud tenere posse, quia Romanis militabant & iis parebant; vel a Romano milite defendebantur.

Nondum persuaderi possum, *vexilla*, in coloniarum nummis obvia, ad colonias pertinuisse; sed etiam nunc puto in iis repræsentari nobis vexilla & signa, sub quibus milites in colonias fuisse, deductas nempe *jussu senatus* & alias *militares*, uti patet ex Vellejo 1. 14. Et forte in nummis signa & vexilla depinguntur ad indicandum, eas colonias militares esse, quales omnes fuisse inde a tempore Sullæ ex Vellejo patet, & docet præclare Sigonius lib. 3. c. 4. de Jure Ant. Italiæ. Quod tamen quominus ipse probare possim, facit *vexillum*, sub quo etiam coloniæ jussu senatus deducebantur, uti docet idem Sigonius lib. 2. c. 2. ubi notandum Ciceronem signum, sub quo coloni deducti, appellare *vexillum*, & Sigonium verba Plutarchi in Gracchis p. 839. ita interpretari, ac si fuerit velum, *quod vexillum laceratum sit*; & quamquam Græca sint ἥ τε γὰρ πρώτη σημαία συνετρίβη & aliter possint explicari, ego tamen persuasum habeo, signum illud fuisse vexillum vel velum; quia illud vel solum, vel cum aliis signis, in coloniarum nummis conspicitur. Equitum, auxiliariorum, ut pergam, *vexilla*, *vela* propria fuisse tradit etiam Salmas. ad H. A. p. 125. & 452. nec non Reines. in epist. ad Rupert. p. 405. & ad inscr. p. 513. sed obstat, pedites eadem humeris gestare, unde putem, vela illa tam peditum quam equitum, & tam Romanorum, quam aliarum nationum fuisse; quæ omnia nunc pluribus examinare nequaquam possum; sed annotabo diligenter, quicquid inter legendum mihi occurret, & tecum communicabo, licet etiam sententiæ tuæ faveant. Cedrenum optime illustras; Crassi signum nequaquam puto fuisse auxiliorum, sed Romanorum, atque adeo ipsius Crassi; & quidem primarium, quia illi album, ut videtur, cum esset, puniceis litteris inscriptum erat Crassi nomen & exercitus; nec hoc præcisum fuit, verum cecidit in Euphratem: quod cum Crassus videret, alia breviora fecit, τὰ ἰσομήκη συντεμών. Vides igitur, Vir amicissime, me nondum tibi manus dare posse, nec putare, vexilla, sub quibus coloniæ deductæ, fuisse urbium vel provinciarum, in quas deducebantur; & nihil causæ video, quare vexillorum maxima seges & messis fuerit in provinciis, nec puto legionum nomina inscripta fuisse vexillis urbium, quæ a Romanis protegi debebant, & quæ adhuc alia sunt, quæ nunc examinare non possum. Nam *elephanti* me vocant, & ultima epistola tua. Recte igitur judicas, apud Ant. Augustinum male scribi G. pro C. METELLVS, apud Ursinum ex edit. Patini legitur etiam C. id est *Cajus*: nullum elephanti caput invenio in Sisernæ nummo apud Ursin. p. 75. & August. p. 7. licet plenus ænigmatum nummus ille sit, & si pertinet ad Cn. Cornelium, qui obiit in insula Creta, teste Dione lib. 36. forte inde est explicandus, sique tridentem tenet currui insistens vir, utique Neptunus ἵππιος representari videtur, caput radiatum ad Solem, circulus dimidius ad Lunam, Delphini ad mare vel Neptunum pertinent. Drusi nummum vel Augusti potius, mihi notaveram: Durmium, Catonem, & Marium tibi debeo, & Gorlæo careo, licet & in alio ejusdem Marii nummo male vir quidam doctus putet repræsentari idem animal. L. Bucæ nummum videram, sed tamen nescio an elephas in eo sit pictus, estque ille in honorem Julii signatus, cujus nummi omnes inserviunt dissertationi meæ ornandæ; apud Goltzium tab. 7. nullum talem nummum invenio; tab. 6. video elephantum cum DICT. QVART. sed nescio an in altera area legatur Bucæ nomen; certe nullum talem exhibet nobis Ursinus, nec recenset Mediob. vel invenitur inter Arschotanos. Alexandri nummum, in quo proboscide caput tectum habet, mihi notaveram ex Goltzio, verum non puto esse Magni, sed alterius, qua de re multis disputo in ipsa dissertatione. ARMENIAM *Captam* tibi placere lætor; sed forte potius est ARMENIACA nempe victoria, quæ in nummo est depicta; idque observavit, ne quem sua laude fraudem, Patinus ad Suetonii Ner. c. 40. & vide etiam, an non SENTIAM sit casus accusativi, uti IVNONEM, & alia quæ in nummis leguntur.

Tertius Atlanticorum Rudbechii tomus nondum in orbem nostrum adlatus est; ego certe illum nondum vidi. Dissertatio tua de baptismo Ethnicorum tandem ad me pervenit, & ingentem cepi ex ejus lectione cum voluptatem, tum fructum. Quæ de Evangeliis Gothicis ibi mones notavi mihi; optandumque foret, ut quæ plura ejus generis observata tibi sunt, publicentur; & ita agnoscat orbis, te non modo in antiquis Romanorum

norum & Græcorum rebus, verum Germanicis etiam πολυΐστορα esse: quanquam & harum edideris præclara specimina.

Ad illustrem Grævium scripsi de negotio 50. exemplarium, & rogavi serium in modum, ut Halmam datæ fidei admonere velit; illumque utpote honestum & pium valde virum satisfacturum promissis, nihil est, quod dubites. Vale plurimum.

Daventriæ 15. Jan. 1701.

Vela vel vexilla illa magna fuisse docui, & postquam hanc epistolam exscribendam tradidi, incidi in Nicetam Choniatem, qui in rebus Manuelis Comneni nos docet p. 101. Pannonios adeo magnum vexillum habuisse, uti a quatuor bubis fuerit tractum.

Præterea apud Arrianum animadverto στέμματα male verti vexilla: τὰ σημεῖα τῆς ἐπιλέκτου στρατιᾶς εἰκόνες βασίλειοι, στέμματα, πάντα χρυσᾶ, ἀναπεπταμένα ἐπὶ ξυστῶν ἠργυρωμένων. *Signa selecti exercitus aquilæ, imagines Principum, vexilla omnia aurea, extensa in hastis argentatis;* imo *coronæ;* quæ frequenter in signis conspiciuntur. Vale iterum.

Dav. Cal. Feb. 1701.

Litteras ad Oligerum Jacobeum a Magliabequio scriptas fidei tuæ committo, & virum doctiss. verbis meis amantissimis salutes, rogo.

XLV.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

QUas XV. Januar. ad meas rescribere voluisti, optime sunt perlatæ; gaudeo te salvum & vivum, atque ut diutissime vivas & valeas, opto. Sic enim tam mei causa voveo, qui tam benignis oculis & affectu prolixo ineptias meas prosequeris, quam rei publicæ, quæ tua eruditione profunda limataque carere non potest.

Quæ nobis de vexillis velis intercedit contentio, amica semper erit, & grata, nec in lites, aut rixas erumpet ullas graviores, quod a te, Vir Amplissime, dissentire pergam, vexilla vela non esse Romanorum propria, aut inter illos inventa, multo minus ab iis ad barbaros delata, sed a barbaris potius ad Romanos concessisse, & in usum deducta, tunc cum barbaros vincere cœperunt. In hoc cardo controversiæ nostræ vertitur. Ego a barbaris ad Romanos transiisse vexillorum usum scripsi, quatenus vela sunt. Tu contra Romanos vexilla vela in usu sic habuisse censes, ut apud illos nata & inventa, & ab illis ad alias gentes morem vexillorum velorum per totum orbem sparsum, in hunc usque diem perseverare; sic enim sententiam tuam capio. Quod mihi non videtur probari posse ex iis, quæ hactenus adduxisti. Novimus signa Romanorum, quæ ipsis in usu fuerint primitus, non fuisse vexilla vela, nec opus

A est hac de re noctuas Athenas mittere. Fuerunt Aquila, manus, coronæ, orbes, & alia signa, in apice perticæ constituta, quæ exercitum educentes Romani præferebant signiferi, & quum Clypei cum imaginibus Imperatorum illis in pertica subjungerentur, etiam imaginiferi dicebantur. Hæc signa extra exercitum & legiones quum adhiberentur, vexilla dici cœperunt, ut, quando conscribebant exercitus, & delectum instituebant, signo tali erecto vel Aquilæ, vel manus &c. ad illud vexillum propositum concurrere milites futuros volebant, ut nomen darent, qui militare vellent, & conscriberentur sub illo vexillo, ac B deligerentur; quod non impediebat, quin talia vexilla illis similia, in legionibus & exercitu signa dicerentur, quæ jam conscripti & delecti sequi debebant, quando contra hostem educerentur vel inter legiones versarentur. Hæc erat antiquissima significatio vexilli, quæ vocula tamen non ante Varronis, Ciceronis, & Julii Cæsaris ætatem, quæ una eademque est, usu recepta fuit, ut signum, vexillum diceretur, his casibus. Neque enim vexilli voculam, ante eos reperiri scriptis promulgatam facile ostendi poterit. Indicio tuo, Vir Amplissime, didici, vexilli vocem Varroni C quoque usitatam l. 5. de L. L. sub finem, at non exinde sequitur, vexillum ipsis velum fuisse, sed signum potius, extra legiones adhibitum, sub quo conscripti milites & delecti fuerunt, ut legionibus insererentur. Vixit Varro cum Cicerone, Cicero cum Julio Cæsare; eadem sunt tempora, eadem ætas, qua vexilli vox scriptoribus illis approbata fuit & recepta, nec video illam vocem aliter usurpatam, quam cum in exercitu milites conscriberentur. Tunc signum illud Imperatorum in exercitu vexilli nomen induebat, quod alias signum erat militare, aut militari simile. Ad vexilla vela nihil exinde inferri potest, siquidem D illa Romanis adhuc non erant recepta. Quæ causa est, cur in tot nummis ante Cæsarem, aut circa illam ætatem, nulla vela inter vexilla vel signa compareant. Hæc quoque causa est, quod vexilla & signa toties confundantur etiam autoribus antiquis, non discernentibus, quando signa Romana vexilla debeant appellari, & quando signa; quæ sane non erant signa, nisi sub signiferis, Centurionibus, Tribunis, Imperatoribus, in exercitu ordines servantibus, aut contra hostes educentibus milites; at cum similia signa proponebant vel Imperatores, vel Tribuni, vel alii seorsim ex E alia causa, tunc vexilla vocari consueverunt, licet signis essent simillima. Postquam vero barbaros vincere non solum sunt agressi, sed etiam barbaros in militiam suam adsciscere, socios & auxilia ex illis comparare, jam vexilla vela magis magisque Romanis innotuerunt, & ut signa victoriarum reportata ab hostibus rei Romanæ servire cœperunt, ac multis aliis ex causis in usum deduci, tam in cohortibus & turmis auxiliariis, ut distinguerentur pulchre a legionariis, quam extra militiam, in Collegiis, Templis aliisque societatibus, quibus non minus sua signa (vexilla dicta) fuerunt, ut & vela, postquam illa ostentationem F & pompam ac fastum majorem in ceremoniis ac processionibus facere videbantur. Barbaros præcipue his velis antiquitus usos fuisse, & sibi propria habuisse, variis coloribus distincta, vel pura & candida, ex monumentis, picturis, sculpturis, nummis, Historiis ubique patet: quamvis nec omnes illi vela semper in aciem attulerint, sed etiam signa, ut de Germanorum nonnullis Tacitus suo tempore monuit, eos signa sua in lucis sacris reposita habuisse, atque in aciem prodi-

turos inde detraxisse, & aprorum formas ac aliorum animalium sibi prætulisse. Quale signum fuisse quoque Cimbrici tauri, ad quod jurare solebant, existimo, quod in Catuli domum illatum ibique servatum inter alia spolia memoravit Plutarchus. Observavi quoque tale signum apri in pertica ex nummo quodam ad Gallos pertinente apud Boutheroue, de quo nunc dispicere mihi non vacat, cum parum ad quæstionem nostram hæc faciant, qui signa vela excutimus, quæ apud pleraque alias gentes barbaras recepta præprimis fuisse, tota antiqua commonstrat historia. Ab illis igitur ad Romanos eorum velorum usus penetravit etiam, & fuisse tempora in Republica Romana, quibus illis non utebantur: *χιτὼν* ille *κοκκινὸς*, vel *φοινικὶς μάχης ἐσομένης σύμβολον*, apud scriptores satis indicat; cur enim *tunicis russatis* potius, quam velis usi essent, si vela russata, ut vexilla fuissent in usu? Sed de hac tunica russata alibi dixero prolixius. Nunc vela contrahere cogor. Ipsa vexilli vox etiam illud indicat, quæ tam sero apud scriptores reperitur, nec nisi desinente fere jam Republica, qua vocula primum usi esse deprehenduntur, de solis signis eorumque usu extra legiones & exercitus, in convocando populo, aut militibus ad comitia, vel tribunalia. Deinde velis a barbaris etiam in usum traductis, illa tam extra militiam, quam intra, vexilla præcipue nominari pergebant, una cum signis, quæ non desinebant extra legiones etiam vexilla ad peculiares usus destinata vocari. Hæc puto, Vir eruditissime, & amicissime, historiæ antiquæ satis convenire, & vexillorum velorum ac signorum usum inter Romanos demonstrare, & vela ista pedetentim iis recepta, a barbaris, quos ubique talibus uti significantius animadverterunt, quam suis signis. Quod ad Inscriptionem veterem Demiphontis Archipiratæ & VEXILLVM RVBEVM IN ARCE POSITVM provocas, possem dicere non solum illam, sed & alias illic Inscriptiones, non ejus fidei esse, aut ætatis, qua scriptæ inferuntur; & jam de illis subdubitavit Reinesius; mihi rationes alias etiam notatas habeo, cur illas genuinas eaque ætate scriptas agnoscere nequeam, sed longe serius congestas, quas hic exponere nimis prolixum foret. Considera solum diligentius formulam IN ARCE POSITVM. Num facile sic veteres ejus ætatis locutos reperies? Nonne potius *in Capitolio* vel *arce Capitolina* expresserunt? Nam & in Janiculo arx erat, & ibi signa proponebantur, & in aliis locis editis ac excelsis, quo convenire debebant cives vel milites. Sed hæc non urgeo.

Ponamus imò veram esse hanc Inscript. & anno U. C. 585. scriptam, nihil aliud exinde probari dabitur, quam vexilli vocem tunc in usu fuisse ante Cæsarem; at vexillum illud, quod RVBEVM dicatur, non propter illum colorem etiam velum fuisse rubeum in pertica volans, ullo modo sequitur; cum & pertica rubea, & signum sive animalis, sive aliud in apice ejus locatum, rubei coloris esse potuerit, ac optime propter illud solum rubeum dici quiverit, licet pertica forte non fuerit ejus coloris, ut hastæ aureæ dicuntur, quæ singularis honoris causa auro erant inductæ & donatæ, licet plerumque alias puræ & sine ferro essent. Nam non video, cur vexilla signa non possint a colore suo rubea, cœrulea vel candida vocari, æque ac vexilla vela, quæ coloribus illis erant adornata. Ex nummis sane gemmis aliisque sculpturis de coloribus signorum vel vexillorum judicare non licet; quæ in scriptoribus expressa sunt, ita sunt comparata, ut colores de signis non minus, quam de vexillis velis interpretari debeamus. Nam prout dixi, eadem signa, quæ intra legiones signa erant, ejusdem formæ signa erant extra legionem ad alios usus vexilla, nec vela apud antiquiores unquam dicuntur, quia vela non fuerunt, sed signa, signorumque forma extra ordinem tamen, proprio nomine vexilla ideo dicta. Et quia talia vexilla non nisi singula erigebantur initio, quando in aliquo actu singulari adhiberi debebant, ideo Varro, Cæsar, Cicero, nonnisi singulari numero vexilli voce utuntur, quod tunc temporis signa ista vexilla non adeo frequentia essent, sed ad singularem tantummodo usum pertinerent. Non igitur vexilla dicta sunt hæc signa, quia vela erant, ut tu putas, sed quia propter singularem usum advecta, peculiari nomine indigebant, quod erat vexillum, ne confunderentur cum signis legionum; tam accurate hinc signa legionum distinguebantur a vexillis, quæ nihil aliud erant quam ejusdem formæ signa, sed ad alium usum destinata. Nec Servii autoritas me terret, cum non memoret ex quam vetustis authoribus hæc sua hauserit. Illius enim & A. Marcellini & aliorum ætate vexilla vela innumera inter Romanos frequentata fuisse nunquam negavi vel negabo. Initio saltem cum vexilli vox in usum primo venit, vexillum non fuisse velum, sed signum signi militaris forma sine velo statui & statuo, cum nihil in historia reperiam, quod illi contradicat: postmodum vero vexilli nomen ad omnia illa sive signa, sive vela recepta transiit, quæ extra legiones erant in exercitu, tamen & extra exercitum, unde vexilla & signa sæpius apud scriptores confundi cœperunt, dum quidam vexilla, veteri more, pro signis extra legiones retinuerunt, quidam vexilla latius extenderunt tam ad signa, quam ad vela illa, quæ serius Romani in exercitibus suis & extra, in civilibus etiam collegiis, & alias in usum suum converterunt a barbaris primum accepta, quæ magis magisque vexilla appellare ipsis placuit, cum aliud nomen non succurreret, quam signa, legionum solarum appellare, cœtera quæ extra legiones erant, sive signorum forma essent, sive velorum, vexilla indigitare magno numero pergebant. Quam brevia barbaris initio fuerint illa vela, & quomodo creverint, aliquando docebo; sed & sola vox *βάνδον*, qua vela illa vocabant, etiam tum cum majora essent facta, quid initio fuerint, satis commonstrat: *βανδὸν* enim Græcis in usu esse cœpit, postquam Gothi & barbari late terras Romanas vastabant. Ipsa vox septentrionalibus fasciam quamvis significat. Inde quoque baneret pro vexillo originem duxit, quod aliqui rectius Banderium scribunt. Hæc nisi tempora distinguantur, & vexillorum velorum usus pedetentim introductus observetur, antiquitati Romanæ vis & injuria fit, quæ vexilla vela nescivit, utpote nondum admissa inter Romanos, qui præter vexilla signa extra legiones nesciverunt, certis usibus dicata solum, quos propter vexilla dicebantur, non signa, cum signa non essent, nisi in legionibus, vexilla autem signorum forma in aliis usibus extra legiones. Hæc si attendantur, facile signorum & vexillorum discrimen apud antiquos patebit. Nam quod dixi, ante Cæsarem & ejus ætatem vexillum vocem non occurrere, hoc eo non spectat, quasi vexilla non prius dicta sint signa talia, sed quod ante Cæsarem nemo exstet, qui vexilli vocem attulerit, nisi coætanei ipsius Varro & Cicero, quorum autoritatem producere possimus, illaque niti, ex quibus vexillis vexilla vela facere non cogimur, cum non constet vexilla vela tunc recepta fuisse, sed solum vexilla signa. In-

fcriptiones Gruteri, quas adduxi, ita fe habent cum figuris fuis, ut quæ non funt dicta in Infcriptione ipfa, intelligantur & fuppleantur ex figura, donatos nempe illos homines militares tam vexillo, quam torquibus & armillis, prout figura ipfa adjecta commonftrat, quæ figni formam infignem præfert, vexillum tamen dictum, quod extra legionem effet, & donatum pro meritis illorum militarium hominum. Jam quod figna in templis non fufpenfa fuiffe, nec te legiffe affirmes, confulantur quæfo nummi, qui tot figna templis dicata oftendunt: nec vexilla vela unquam in illis animadvertere potui, vel fufpenfa, vel ftantia: unde recte Trebellius Pollio in Gallienis, ubi Gallienum adducit, qua pompa decennalia fua celebrarit: *Vexilla*, inquit, *centena, & præter ea, quæ collegiorum erant, Dracones, & figna templorum, omniumque legionum ibant*. Dicamus vexilla illa vela fuiffe, prout tunc tempora erant, at Dracones non erant vexilla vela, nec figna templorum, nec figna legionum. Non poffunt hæc paucis explicari. Tibi, Vir eruditiffime, hæc examinanda committo potius, & tuo judicio limatiffimo. Vexillum Agrippæ cœruleum, quo donatus eft ab Augufto, tu credis fuiffe velum, ego minime, fed figni forma, quamvis vexillum dictum fit, ut dici debebat, quoniam non erat fignum legionarium, fed meritis Agrippæ dicatum, quod vexillum dici folebat. Nec ufquam cum vexillo velo donato apparet Agrippa in nummis, aut fuis, aut Augufteis quod fciam? Recte mones ex Arriano & Plinio, haftas fignorum argentatas fuiffe, & hunc colorem militaribus fignis familiarem; fed & inde colligere debebas, cur extra militaria figna illa, quæ vexilla dicebantur, rufi, rubei, cœrulei coloris aut bicolora fuerint. Deinde dubium mihi moves de purpura fignis fubftrata, & aliquantulum dependente, quod ex Dracone Juliani nondum Imperatoris percipi fatis poteft, in Gallia dum exercitus rexit. At videre te non poffe ais, fi tam parvæ fuerunt purpuræ fubftratæ, quomodo ea fignis detrahi potuerit, & Gordiano circumfundi, cum Auguftus Imperator in Africa pronunciaretur, ut purpureum ἔνδυμα Auguftale haberet. Dicam quod fentio, non ex uno figno detractam effe purpuram, fed ex pluribus hac occafione, ea que συρραφέντα veftem tandem Imperatoriam confeciffe, quæ fufficeret Augufto, quod non uni Imp. Gordiano contigit, fed & aliis per tumultum electis, purpura alias deficiente. At propterea figna illa vela ftatuere, quo inclinas, non video neceffe effe, cum multa figna in legione fuerint cum purpura hac fubftrata, aquilam in primis, & alia figna, quæ Imperatoribus præferebantur. Et pura dicebantur illa figna, quæ nullum fignum fupereminens in apice habebant, qualia multa in nummis reperiuntur, neque aquilæ, neque Draconis, neque manus, neque orbis, aut pilæ, prout vocat Ifidorus. Hæc figna fic mutilata pura dicebantur, licet imagines & purpuram haberent, eoque fine fic Imperatoribus donabantur, ut quæ vellent figna imponere poffent pro arbitrio. Et ficut haftæ puræ dicebantur, quæ erant fine ferro, fic vexilla pura, quæ erant fine capite aut figno. Aliter puræ dicebantur togæ & veftes, puræ ab omni colore, ab omni ornatu, candidæ folum; aliter figna pura, in quibus Salmafii & aliorum fententia mihi non arridet, qui aliter figna pura interpretari voluerunt. Nam de velis ego non fentio, fed de vexillis figni forma donatis, quæ tunc vexilla dicebantur; in legionibus enim non erant figna pura, fed omnia fuis cum fignis in apice apparebant, ea vero quæ donabantur figna, non nunquam pura erant, fine figno aliquo addito, & propterea vexilla, quod Imperatoribus aut Principibus juventutis donarentur, quæ ad figna legionum non fpectabant, fed ad honores, quibus Auguftos, Cæfares & Principes juventutis profequebantur. Tu vero negas, figna donata effe, neque hoc ufquam legi. Vere dixifti, fi de fignis legionum hæc intelligere velimus, quæ donari non poterant, at fi vexilla fignorum forma intelligamus, ea fæpe donata oftendi, plane quemadmodum fcuta donari poterant & coronæ, & alia; fic quoque figna illa, aut potius vexilla, antiquorum more loquendo, poterant five pura, abfque figno aliquo fupereminente, aut cum figno certo, nec tamen vela unquam erant, licet vexilla dicerentur. Ex his omnibus patet, antiquis Romanis & figna & vexilla fuiffe, cum nondum ipfis veli forma effent. At velis etiam accedentibus, omnia ifta vela vexilla dicebantur, non vero vexilla omnia erant vela. Tu, Vir Ampliffime, omnia quæ vexilla dicuntur & reperiuntur in Scriptoribus, ad vexilla vela trahis, ut Romanorum militia pedetentim degeneraverit ab antiquo ftatu, & multi admiffi fint barbari cum fuis vexillis velis, ut eo promtius & alacrius Romanis fervirent. Olim non ita erat; legiones Romanæ folis fignis, fine velis illis, regebantur, nec vexilla vela nifi in auxiliariis cohortibus videbantur, quæ fane barbaros multos & exteros veluti focios fub vexillis illis velis conftitutos habebant. Ultimis fane temporibus in ipfis legionibus multos fub vexillis velis congregatos & adfumtos non licet dubitare. Hæc igitur tempora non funt confundenda in militia Romana: nam primo parcius, & vexilla fere nulla vela in legionibus, fub folis fignis legiones ducebantur, licet exteri plurimi in illis fervirent. Poftea exteros fub fuis vexillis velis etiam in legionibus locum accepiffe multa oftendunt, quæ propter prolixitatem nunc demonftranda præterire debeo. Invaluerunt enim vexilla vela ultimis temporibus in militia Romana, quando legiones non folum cum Romanis, fed & cum aliis exteris & barbaris communicabantur: de quibus temporibus fruftra eft quod difputemus. Unde miror non femel te fufpicari & potuiffe conjectare, vexilla ifta vela a Romanis ad barbaras provincias potius deveniffe, quam a barbaris ad Romanos. Hoc enim reluctatur Antiquitati omni & Hiftoriæ militiæ Romanæ, ubi fuerunt fane tempora, quibus vexilla vela nulla plane Romanis fuerunt recepta; quæ caufa eft, cur in nummis Confularibus & familiarum Romanarum, ne femel quidem vexilla vela appareant, quod tunc militiæ fuæ cum barbaris nulla commercia effe voluerint. In Septentrione fane interiore, quo Romani non pervenerunt, nunquam figna Romanis fimilia reperies, fed vexilla vela ab ævo, fub quibus milites educebant, adeo ut illos a Romanis hæc didiciffe vel accepiffe dicere nequaquam liceat, fed cum illis hæc vexilla vela veluti nata per vicinos feptentrionales, quos totum orbem invafiffe nofti, hæc vexilla vela tandem ufum aliquem apud Romanos confecuta effe tota hiftoria antiqua commonftrat, qui tandem ita glifcebat fub Imperatoribus, ut vexilla vela cum fignis in eorum militia magis magifque inoleverint, quod aptiora vifa fint, quam figna in rebus gerendis, ita tamen, ut figna fua antiqua, quibus adfueti erant Romani, non plane deferuerint, ante quam illa tempora fupervenerunt, irruptionibus barbarorum, ut figna illa, quæ tot feculis in ufu manferant, plane fint abolita,

& omnes Romani sub vexillis velis steterint in hodiernos usque dies, quibus signa illa veterum nescimus, sed solis vexillis velis rem gerimus. Non puto te aliter statuere posse, quam a barbarorum irruptionibus hoc provenisse, quibus illa vexilla vela erant familiaria, domestica, & propria, non vero Romanis, qui signa sua studebant retinere, quantum poterant, nisi coacti essent a barbaris cedere, & signa sua tandem deponere. Hæc tam evidentia facit res ipsa, ut testimoniis non indigeat, tanquam lampade obscuriore, cui magis magisque lumen addere cogaris, ut fulgeat; licet non desint permulta, quæ non adduco, ne novis concertationibus ansam præbeam. Vexillum velum, quod in nummo Hadriani apud Ferrarium præcedit, & velut in triumpho ducitur, quin ab hostibus captum, & victoriæ signum illic sit, non est quod dubitemus. Vexilla vela in decursione Neronis apud Onuphrium, quin fuerint Romana eorumque usui servientia, quis unquam negavit? neque enim vexilla vela omnia apud Romanos, prout mihi contra mentem meam imputas, ad barbaras nationes tunc amplius pertinuerunt, sed apud Romanos certis casibus adsumta in usum varium venerant. Hoc nobis in quæstione non est, sed num Romani suo ductu primi vexilla illa vela excogitaverint & cum barbaris communicaverint, quod nego & pernego; & quoniam satis constat ex omni historia, barbaros diu ante Romanos cognita hæc vela secum habuisse, sua sponte sequitur ab illis ad Romanos eorum usum transiisse, nec ex ipso silentio monumentorum omnium Romanorum de velis, usque ad tempora Cæsarum, aliter colligi potest. De coloniarum vexillis quod statuis, ea omnia fuisse vexilla vela, idque persuasum habeas, quod illa vexilla vela in coloniis deducendis sæpius appareant, jam in prioribus meam mentem aperui, quæ si tibi, Vir Amplifs. minus arridet, tui causa in tantum concedam, vexilla illa vela, ubi apparent, fuisse Romanorum, sub quibus deducti sint coloni, haud tamen Romani, sed illi solum militares exteri, qui sub vexillis illis velis servierant Romanis, & jam emeriti Coloniarum jura adquirebant, apud Romanos, ut illo verbo utar, velut jam *naturalizati*, & in colonias digni cum Romanis ipsis ut mitterentur, habiti. Hinc non sola vexilla vela, sed etiam signa Romana juncta deprehendes ubique fere, at sub Cæsaribus solis, non etiam prius.

De Elephantis quæ mones, tibi accedo lubentissime, cum illos nonnisi docte elaborare potueris more tuo;& optime dubitas de Alexandri M. nummis, an omnes ad eum pertineant, quos docti viri tribuere voluerunt. Nam & ego non solum valde dubito, sed & ea notata habeo, quibus ostendam, plerosque ad Alexandrum Severum pertinere, in omnibus æmulum Alexandri M. cujus nomen acceperat, quem etiam vincere proposuerat, quod Romanus esset Imperator, ut patet ex Historia Augusta in ejus vita multis locis.

Scripsi & ego ad Dn. Grævium, ut 50. illa exemplaria, quæ mihi promisit Dn. Halma, tandem aliquando repræsententur, sed nullum hactenus vidi, nec unicum saltem. Valde me hæc turbant, propter Amicos, qui me quotidie obtundunt, illaque flagitant.

Quod ultimo mones de Nicetæ Choniatæ loco, Pannoniis tam magnum vexillum fuisse, ut a quatuor bubis (puto bubus legendum) tractum fuerit, illud pertinet ad carros illos, in quibus vexilla sua figebant & producebant non solum Pannonii, sed Germani quoque, de quibus carris & standardis peculiariter quædam notata habeo, & ad tempora inferiora pertinent, postquam vexilla vela omnem gloriam antiquam signorum Romanorum absorpserant.

Literas a Magliabequio ad Dn. Oligerum Jacobeum jam dudum tradidi, sed ille hypochondriacus & raro sui compos decumbit, quod istius Viri causa doleo, qui valet ingenio & eruditione singulari, quam morbi tales impediunt, & ἑτεροχλίτην faciunt. Tu vero vale diutissime, meque amare pergas tuo illustri nomini deditiss. cultorem.

Hafniæ a. d. XI. Jun. A. 1701.

XLVI.

Amplissimo & Celeberrimo Doctissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Litteræ, quas a. d. XI. Cal. Jun. prolixas, eoque nomine gratissimas, ad me dedisti, circa idem tempus redditæ mihi sunt; atque uti verbis vix exprimere possum, quantopere iis fuerim exhilaratus, ita tecum dices forte, facta dictis non respondere, & contrarium signum esse, diuturnam & obnixam meam taciturnitatem. Et certe aram mihi atque precatorem pararem, nisi scirem, te probe cognoscere, me non ex eorum numero esse, qui aliter loquuntur, aliter sentiunt, aliudque corde, aliud lingua gerunt; & fidem tibi facere possum, me vera præfari, & moram hanc non nisi concatenatis meis negotiis periculosa hac & exulcerata rerum tempestate adscribendam esse; & illa itidem facere, ut singula epistolæ tuæ capita vix examinare, dignumque eruditione tua responsum mittere nequaquam possim.

Video autem te, Vir Excellentiss. multis argumentis sententiam tuam defendere; sed vellem equidem, ut eadem certis iisque perspicuis auctorum veterum locis firmasses, cum res ejusmodi non tam ratiociniis, quam scriptorum verbis cerni possint; quæ cum varia in ultimis litteris meis allegaverim, haud gravate, uti equidem spero, feres, me opinioni meæ nuntium non posse remittere, nec dimoveri a sententia, quam operose satis & haud infeliciter, nisi me plane fallo, defendi.

Ut tamen aliquid reponam, sic habe, me ignorare scriptum mihi fuisse, quod narras pag. 1. & alibi: *Romanos vexilla vela in usu sic habuisse, ut apud illos nata & inventa, & ab illis ad alias gentes morem vexillorum in hunc usque diem perseverasse*. Nam tota illa epistola docui, Romanos primis Reip. temporibus vexilla illa vel vela habuisse, & propterea a barbaris ad illos non pervenisse, qui tamen similibus signis uti potuerunt: verum est per *vexilla* designari *auxilia*, docetque id multis Salmas. ad cap. 2. Pertinacis; ubi addit, auxilia in cohortes fuisse divisa, cohortes in vexilla; adeo ut, si hæc recte sese habent, cohortes non fuerint constitutæ, ut hodiernæ, sed plures longe, & vel quingentos (quingenariæ enim cohortes occurrunt) vel mille forte milites fuerint complexæ, divisos in varias partes, quas appellarunt *vexilla*, quibus conveniunt nostratium *compagnien*; sed inde nullum argumentum peti potest, vexilla vela a barbaris pervenisse ad Romanos, quia

hæc posteriorum temporum sunt, & diu antea in Capitolio ad convocandum populum, vexillum velum fuerit propositum, quod erat veluti signum bellicum. Atque ita Græcos ejuscemodi signis usos esse patere videtur ex Plat. lib.12. de Leg. χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη, καὶ ἄλλοτι καὶ ἐν ὑφῇ: βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν, ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα, quæ verba Cicero lib. 2. de Leg. sic interpretatur: *Color autem albus* præcipue decorus deo est, tum in cæteris, tum maxime in textili, tincta vero absint, nisi in bellicis insignibus; & quanquam κοσμήματα hæc, alia potuerint fuisse, quam vexilla, vela, puta paludamenta vel chlamydes, tunicæ rufæ, quibus Græcorum nonnullos usos fuisse in præliis constat, tamen Cluverius lib. 1. Germ. Ant. c. 49. putat Platonem loqui de signis militaribus, quod si verum, ut omnino videtur, proculdubio fuerunt textilia, uti vel patet ex vocibus ὑφῇ & βάμματα, & per κοσμήματα ejusmodi vexilla posse commode satis designari, te nequaquam dubitaturum etiam confido.

Quod mox scribis, *Romanorum signa extra exercitum & legiones quum adhiberentur, vexilla dici cæpisse, & quando conscr.bebant exercitus, & delectum instituebant, signo tali erecto, vel aquilæ, vel manus &c. ad illud vexillum propositum concurrere milites futuros voluisse, ut nomen darent, qui militare vellent &c.* velim, ullo veteris auctoris loco firmasses, idque eo magis, quia idem repetis p. 4. & 6. multisque defendis pag. 8. & 10. epistolæ tuæ. Nam e diverso, non male me ratiocinaturum crediderim, si statuam *signa* esse aquilas, manus, dracones, *vexilla* vero vela illa, eoque nomine etiam postea alia signa venisse; & *vexillum* prima sua significatione nihil aliud quam velum denotasse patet vel ex Cicerone, qui *velum* putat contractum esse a *vexillo* in Orat. ad Brutum. *Quin etiam verba sæpe contrahuntur, non usu causa, sed aurium. Quomodo enim vester Axilla, Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? quam literam etiam e maxillis, & taxillis, & VEXILLO, & paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis evellit*, id quod etiam amplectitur Scaliger c. 31. de LL. quanquam Festus & Priscianus statuant *vexillum* esse diminutivum a *velum*, uti jam notatum est eruditis. Quod si Ciceronis auctoritatem sequimur (& quis illud non faceret?) jam sequitur absque dubio *vexilli* vocem ante *velum* Romanis usitatam fuisse, nec aliud ea designari potuisse, quam ἱστίον, vel pannum linteumve, quo sensu certe contractum illius *velum* semper usurpatur, & inde simul sequitur τὸ *vexillum* antiquius longe esse ætate Ciceronis & Varronis, cum primitivum ejus *velum* eos præcesserit, constetque idem ex lapide veteri in alteris literis a me allegato, nec non ex Servio, quem nullus dubito, quin solemni verbo usus sit, & antiquiss. temporibus usitato, ne jam dicam *colorem russeum*, quem *vexillo* tribuit Grammaticus, illud satis probare.

P. 3. & 16. disputas, *cur in tot nummis ante Cæsarem, aut circa illam ætatem signatis nulla vela inter vexilla vel signa compareant: putasque illa Romanis nondum tunc temporis fuisse recepta.* Observavi etiam in nummis apud Ursinum vexilla raro depingi, sed inde probare velle, Romanis illa nondum fuisse ante Cæsaris ætatem recepta, id quidem mihi non probatur; nam & ita affirmare possem, barbaris eadem non fuisse in usu, quia nulla conspiciuntur in nummis, qui erecta de iis tropæa nobis conservant, quos tamen barbaros ejusmodi velis pro signis militaribus usos esse, atque ab iis Romanos illa accepisse contendis. Sed tamen Parthus genu flexo signa, vel vexillum, velum reddens in Augusti nummis; vexillum velum in triremibus, quas depictas servant Antonii nummi, mihi satis firma indicia sunt, Romanos ante Cæsarem tam in navali quam terrestri militia ejusmodi signis usos esse; quo pertinet Goltzium ad A. V. C. 607. nummum recensere L. Hostilii Mancini & Ser. Sulpicii Galbæ, in quo triremis pingitur cum ejusmodi vexillo, & alium Ser. Sulp. Galbæ ad a. 645. in quo itidem tale vexillum cernitur; quod non tam velum, quo navis propellitur, fuisse puto, quam signum, quia fluitat, nec funiculis cohibetur, & quia hasta, cui appenditur, in orbiculos est formata, quod certe malo navis nequaquam convenit: quamquam hic nummus aliter paulo repræsentetur ab Ursino, quin & in nummo Gentis Celiæ apud Ursinum & Goltz. 2. ad A. 659. nullus dubito, quin vexillum, velum conspiciatur, quia ex eo fimbriæ dependent, quas nos appellamus *franges*; illæque tabellæ quadratæ non conveniunt, unde & mihi non leve argumentum ducitur, ante ætatem Cæsaris ejusmodi signa in usu Romanis fuisse; maxime cum velo illi inscriptum sit *Hisp.* ad indicandum, forte avum vel patrem, quorum vultus in binis nummis cerni putat Ursinus, in Hispania legioni vel exercitui præfuisse, & rem bene gessisse, quo pertinet in alio nummo bigis insistens Victoria, & tropæa in altera hujus ipsius nummi area picta. Sed & barbaros ejusmodi vela pro signis habuisse, licet nulla in tropæis, quæ servant nummi ab Ursino editi, conspiciantur, patet ex nummo Cn. Domitii Calvini, quem edidit Goltz. ad A. 700. & puto ibi denotari Domitii cujusdam de Arvernis vel Hispanis victoriam & tropæum.

Quale vexillum, de quo mox agis, in castris propositum fuerit, cum milites convocarentur ad audienda mandata Imperatoris, non satis constat, sed puto me probasse, *vexillum* velum jam fuisse in Crassi, adversus Parthos suscipientis expeditionem, exercitu, & militibus datum fuisse signum pugnæ, proposito velo vel panno purpureo sive russeo; & revera non capio, quomodo loca illa, quæ tunc in medium produxi, aliter explicari queant. Collegiis & Corporibus fuisse vexilla vela, puto me etiam docuisse satis superque, sed mihi lectum non est ea habuisse alia signa, nisi per *signa* intelligere velis statuas deorum. Treb. Pollio c. 8. Gallieni: *Hastæ auratæ altrinsecus quingentæ, vexilla centena, & præter ea quæ collegiorum erant, dracones & signa templorum omniumque legionum ibant.* Nam *vexilla* tribuit collegiis, & *signa templorum* memorat, quæ potuerunt fuisse statuæ, ex templis depromptæ & in hac pompa circumlatæ; quamquam cum *signa* etiam legionibus tribuat, de aliis signis & quidem de vexillis velis etiam possint exponi, nisi *signa* duplici sensu sumantur, ita ut *signa legionum* sint aquilæ ..... & *signa templorum* statuæ. Salmasius notat, ex hoc loco patere, singulis collegiis sua vexilla & signa fuisse, de quibus, si Deus faverit, promittit se plura in alio opere dicturum; quod utinam fecisset ὁ πάνυ. P. 4. scribis, *Barbaros his velis antiquitus ante Romanos usos fuisse, & sibi propria habuisse variis coloribus distincta, vel pura & candida, ex monumentis, picturis, sculpturis, nummis, historiis ubique patere.* Ego tamen nullum nummum vidi, vel marmor, vel picturam, unde certo affirmari possit, Barbaros ante Romanos vexillis iis usos fuisse; & puto omnia, quæ ad hoc probandum afferri possunt, facta esse, cum jam absque dubio Romani etiam vexillis velis uterentur, & si pati potes, cum in triremibus, quæ in nummis a me laudatis occurrunt, vexilla, vela picta sint, crediderim secundum Romanos dandum esse, quia in nummo a Goltzio ad A. 607 laudato tale vexil-

lum conspicitur, quo nescio an ullum monumentum barbarorum, vel ob barbaros victos erectum, antiquius conservatum sit. Nec legimus Germanos, de quibus agis, vexilla vela habuisse, quamvis Cluverius putet Tacitum hisce verbis, *Effigies & signa quædam detracta lucis in prælium ferunt*, vel per *signa* intelligere vexilla illa magna, quibus etiam hodie utuntur in bello; cum tamen idem lib. 4. Hist. Civili rebelli tribuat *veteranarum cohortium* (nempe Romanarum) *signa*, & *depromptas silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos est*; & ita indicet, barbaros non vexillis velis, sed ferarum imaginibus, ex ligno vel alia duriore materia factis usos esse; quo non absque ratione refers taurum Cimbricum, ad quem jurare solebant, & qui in Catuli domum illatus inter alia spolia servabatur.

Tunicæ russatæ, de quibus agis p. 5. non satis firmum indicium sunt, incognita Romanis fuisse vexilla vela, cum illæ in signum pugnæ proponerentur; & ut docui, χιτὼν vox sit generalis, & præter tunicas soli illi rei forte servatas, potuerint habere, & habuerint, si quid video, vexilla, vela.

P. 6. Dubitas de Inscriptione a me laudata; sed equidem nihil causæ video, & beabis me, si mittere rationes tuas velis: illud IN ARCE POSITUM magis mihi persuadet, eam genuinam esse, quia arx a Capitolio distinguebatur, licet Capitolini montis pars foret, uti ex Cicerone, Senecâ, Livio, aliisque constat, docetque Rycquius c. 5. Capitolii, *arcem* veteres appellasse munitionem illam, magisque excelsam montis Capitolini partem, qua theatrum Marcelli, flumen Tiberinum &c. respiciebat, in qua, ut pote summo P. R. propugnaculo, turres murique pinnati; cumque in hoc loco excelso proculdubio vexillum, quo magis conspicuum foret, fuerit propositum, recte, si quid video, in lapide veteri scriptum est, IN ARCE POSITUM.

Fieri potest, uti argumentari pergis p. 9. vexillum cum in usum primo venit, non designasse *velum*, sed *signum signi* militaris forma; verum velim vel unica illud probabili ratione, vel auctoris loco, qui eo vel leviter ducat, probasses, cum mihi persuasum sit, *vexillum* primo designasse *velum*, & inde nomen illud aliis signis datum esse, eoque ducunt plane Ciceronis verba antea a me laudata.

P. 11. nummos advocas, *qui tot signa templis dicata ostendunt*, & addis te nunquam in illis animadvertere *potuisse vexilla vela, vel suspensa vel stantia*: id quod ego facile credo, sed tamen propterea non sequitur, *vexilla templorum* non fuisse *vela*; maxime cum eadem Collegiis tribuat Treb. Pollio; quæ nihil causæ video, cur non de *velis* debeant explicari, idque eo magis, quia Salmasius distinguens vexilla & signa, in eadem fuisse videatur sententia: præterea in nummis ego non observavi, *tot signa templis dicata*; templa apud Ursinum exhibentur in Gentibus Antonia, Arria, Cassia, Claudia, Considia, Julia, & Volteja, sed nulla in nummis illis signa, nisi quod in templum Jovis Feretrii ferantur spolia opima: idemque observes in nummis, qui templis signati sunt, apud Ducem Arschotanum, & alios, nisi quod IMP. CÆSARI dicatum est, exhibeat simul tropæum tab. 12. & alii statuas & sacrificia; cumque per *signa* non videaris intellexisse solas statuas quæ certe in templis debent esse, eorumque ornamentum sunt, edoce me, quæso, quid hac de re sentias.

Vexillum Agrippæ equidem persuasissimum habeo, fuisse *velum*, non quidem apparet illud in nummis, sed nec in iisdem visitur aliud donum signi forma, quale vexillum illud fuisse contendis, colore cæruleo, & contentus Agrippa fuit coronam classicam vel navalem, ut præcipuum decus, in iis pingere. Nec mihi unquam probabitur σημεῖον illud κυανοειδὴς *vexillum cæruleum*, dici *vexillum*, quia non erat signum Legionarium, sed meritis Agrippæ dicatum; nisi hoc firmes, vir doctissime, alicujus veteris auctoris testimonio.

P. 13. & 14. agis de *signis puris*, putasque *in eorum apice nullum signum fuisse, nec aquilæ, nec draconis, nec manus, nec orbis*, eaque pura posse dici sic mutilata, *licet imagines ac purpuram haberent, eoque fine sic Imperatoribus donabantur, ut quæ vellent signa imponere possent pro arbitrio, & ita vexilla pura esse, quæ erant sine capite & signo*. Nescio an hujus positionis aliquod vestigium exstet apud auctorem ullum, & licet complures evolverim, me tamen nihil simile observasse memini unquam. Quin & nunquam mihi occurrerunt *signa pura*, sed *hastæ puræ*, & *vexilla pura* apud Vopiscum, quæ utique de *velis* intelligenda esse habeo persuasissimum, idque satis superque probare Salmasium puto. Sed hac occasione doce me, quæso, quid sibi velit HASTA PURA SINE VEXILLIS obvia in Insc. 8. 414. apud Grut. an nempe illa ita appelletur, quia vexilla vela non habuit affixa, & simul fuit absque ferro; an vero sensus sit, hominem eum donatum fuisse hasta pura, sed nullis vexillis, quæ cæteroquin hastis puris sæpe inter dona addebantur; & quid sibi velit, PRAEF. PRAET. IMPERAT OMNIUM, uti scribitur in eodem lapide.

Quæ de signis vel vexillis donatis Impp. & principibus Juventutis iterum commentaris, satis puto a me priore epistola illustrari; nec tempus mihi est de opinione, cui nullus scriptor fundus factus est, pluribus agere; id quod etiam statuas velim de vexillis, quæ in Coloniarum nummis conspiciuntur, & sub *quibus deductos putas non Romanos* sed illos solum milites exteros, *qui sub vexillis, velis, serviebant*, & emeriti coloniarum *jura adquirebant, apud Romanos veluti naturalizati*. Nam ego hæc quidem admittere non possum, quia in variis nummis legionum nomina leguntur, quæ deductæ, vel ex quibus veterani deducti sunt, addito vexillo velo, & constat exteros in legionibus Romanis non militasse. Habebantur veterani missi sub vexillo, uti ex pluribus nummis patet, & ex iis quæ priore epistola monui, credibile illud vexillum fuisse *velum*, & ab ejusmodi veteranis puto cum Pichena ad Tacit. 1. A. 38. distinguendos esse *vexillarios legionum*, eosque ab aquilis legionum separatos sub propriis vexillis militasse, & milites unius legionis, ita ab aquila vel reliqua legione sejunctos, suum sibi vexillum habuisse, & inde occurrere *vexillarios vicesimarios, trium Britannic. legionum*, & *vexilla* nonæ, secundæ, & vicesimæ Britannicarum legionum.

Atque hæc sunt, vir doctissime, quæ mihi venerunt in mentem lectis sæpius literis tuis; si quæ autem remanent, quibus non ad amussim respondi, ea tamen nequaquam probo, & puto me priori epistola tam multis sententiam meam defendisse, ut illis nihil fere addi possit. Alia igitur omnia sentimus, & fruamur, salva amicitia, opinionibus placitisque nostris; & finiamus hanc controversiam, usque dum clara auctorum veterum loca aliquem nostrum sententiam suam mutare cogant.

Elephas meus absolutus plane est, & Gordianorum historiæ trium, ejusque defensioni ultima jamjam manus est imponenda, & ubi a negotiis aliquantisper liber ero, Amstelædamum excurram, & videbo, num typographum invenire possim.

Credo te jam accepisse quinquaginta exemplaria

A Fr. Halma; Nicasius ultimum valere dixit rebus humanis; & ecce tandem tibi locum, qui forte aliquo modo inservire poterit Dissertationi tuæ doctissimæ de Nummis non cusis. In libro 1. Enochi de Egregoris apud Georg. Syncellum, & Joh. Grabium in Spicilegio patrum Sæculi I. Azael cum sociis spiritibus fingitur terræ metalla primus conflasse: *καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσονται καὶ ποιήσουσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν καὶ τὸν ἄργυρον*. Vale plurimum, Vir præstantissime. Davent. 2. Jan. A. 1702. quem annum tibi studiisque tuis faustum & felicem precor.

XLVII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

PRiusquam majoribus & publicis implicari te contingat negotiis, Virorum Optime, quæ tempus hoc Vobis cumulabit, turbis bellicis instantibus, quas prædixi fore, modo meminisse possis, consultum duxi ad Tuas 11. Januar. datas paucissimis respondere, ne Tibi gravis sim tot aliis occupatissimo.

Et quamvis non videam in tuis aliud me tam stringere, quam Ciceronis autoritatem, quia vexillo velum contractum esse voluit, ut ab axilla, alam, quem locum in meis prioribus etiam memini me adduxisse; nam si velum a vexillo diminutivum est, ut loquuntur Grammatici, vexillum erit sine controversia majus velum, quibus respondere facile possem, nisi hanc litem sopitam esse tandem cuperes, & ego sopitam esse sinam. Neque enim hæc tanti est controversia, ut ad tædium usque inter nos ventilari debeat. Quæ causa est, cur aliis tuis allatis nunc haud respondeam, quoniam in prioribus meis illa omnia satis defendisse me puto, quantum literis hinc inde nostris compendio veluti tractari potuerunt. Erit fortasse tempus, quo hæc magis cohæreant quæ scripsi, & testimoniis luculentis probentur, quæ per literas sparsim hactenus licuit tantum insulcire. Ad illud solum respondebo, de quo meam sententiam requiris, de signis nempe templorum ex Trebellio, Gallieni tempore: ubi sane non judico statuas e templis demptas in pompa fuisse; nimis enim ponderosæ sunt statuæ, sive marmoreas, sive æreas, sive eburneas, sive ligneas intelligere velis, quam ut proferri potuerint, sed quoniam templa non solum signa militaria reposita habuerunt, quæ facile ferri potuere, verum etiam signa alia parva Deorum, Imperatorum, argentea, aurea non magnæ molis, in altaribus & aris plerumque constituta, quæ proprie signa quoque dicuntur, & sigilla, exiguitate sua distincta a statuis, illa quin pompæ servire potuerint prolata, non multum refragabor; neque enim tanti oneris erant, ut gestari non possent, quum statuæ non possent. Sed Trebellius quænam signa templorum in pompa Gallieni jerint, aperte satis indicat, dum conjungit dracones, & addit de signis omnium legionum, *dracones*, inquit, *& signa templorum, omniumque legionum ibant*, adeo ut signa templorum non de statuis, neque de signis aut sigillis & imaginibus Deorum, Dearum, Augustorum vel Augustarum isto loco intelligere queam, sed de signis militaribus e templis depromtis capere me fatear. Nam si draconum signa in templis reposita fuerunt, prout hic locus ostendit, quæ erant signa militaria, cur cœtera signa Romana militaria templis defuerint, nullam causam video. Habes igitur super hac re meam sententiam, quam Tibi, Vir Amicissime, non obtrudo, sed Tui judicii ulterius facio, ut censeas, & si quid rectius videas amplectaris, mihique perscribas. Notavi jam illam in Analectis meis, & explicavi meo more, sed quam tibi placere possit & Eruditis, tuo & illorum judicio L. M. Q. submitto. Distinguendam primo hanc Inscriptionem probe puto, hac ratione.

B L. FVRIO L. F. PAL. VICTORI
PRAEF. PRAET.

IMPERATORVM OMNIVM HONORATO
ET DONATO

IN PROVINCIAM PARTHIAM ET VER...

CORONIS MVRALI VALLARI HASTA
PVRA SINE

C VEXILLIS OBSIDIONALIQVE CORONA
DONATO.

Eo usque pertinet ad tuam quæstionem, Vir Consultissime, hæc inscriptio: nam cœtera quæ sequuntur, satis clara sunt, quod a Centurione ad Tribunatum legionis 11. ad varias deinde procurationes & munera illustria promotus sit, & tandem ad Præfecturam Prætorii, cui immortuus esse videtur, & propter res bene gestas in illis functionibus VICTORIS agnomen adquisivisse. Quum igitur honoratus & donatus omnium Imperatorum appelletur, nihil aliud indicat hæc inscriptio, quam eum ab omnibus Imperatoribus, sive militaribus, D sive perpetuis & summis Cæsaribus, sub quibus meruit, honoratum & donatum usque discessisse variis modis; sicque ipse Gruterus in Indice ad res militares hæc verba Inscriptionis hujus intellexit, sub voce *Honoratus*. Non igitur hæc verba PRAEFECTO PRAETORIO conjungenda veniunt, cum IMPERATORVM OMNIVM HONORATO ET DONATO. Quæ sequuntur de coronis, murali, vallari, obsidionali, hasta pura sine vexillis, honores illi sunt, & dona, quibus honoratus & donatus fuit ab Imperatoribus suis omnibus, sub quibus ut centurio & Tribunus & Præf. Prætorii rem præclare gessit in militia. Quod vero hasta pura E sine vexillis, se donatum quoque meminerit, eo spectat, quod maximum honorem, qui obvenire potuit iis, qui hasta donabantur consecutus sit, similem Diis & Imperatoribus ipsis, qui hasta pura inaurata, sine ferro, sine vexillis, aut ornamentis, & fasciis, honorabantur. Multæ enim tales hastæ puræ in nummis præfigurantur, quæ tam puræ sunt, ut nihil nisi lignum illud inauratum manibus præferant; multæ quoque hastæ, fasciis, ut puto, purpureis dependentibus & volitantibus, occurrunt, inter quas illæ hastæ maximi honoris erant, quæ neque fasciis aut vexillis ornatæ, neque F ferro ullo præpilatæ donabantur; ambæ enim hastæ puræ erant quæ ferro carebant tam quæ vexillis & fasciis ornatæ donabantur, quam quæ sine illis ornamentis pompaticis: nisi quod majoris honoris essent, quæ tam ferro quam vexillis carebant, quoniam sic Diis & Cæsaribus similiores erant, qui illis adeo puris donabantur, ut neque ferrum, neque vexilla ulla adessent. Inter Arschotanos occurrit primo tab. 3 fig. 5. & 6. Julii Cæsaris nummus, cujus aversa habet signum militare hastatum, & vexillo velo pompatico orna-

tum, si vexillum esse potius debet, quam tabella, deinde signum aquilæ, aratrum & decempeda cum nomine TI. SEMPRONIVS GRACCVS Q. DES. Est sane signum militare hastatorum legionis, quod suum ornamentum recepit vexillum velum ad pompam, quoniam forte ex hastatis coloniam deduxit. Deinde tab. 5. fig. 16. cum Pietatis Deæ vultu, aversa duos habet ad aram accedentes cum hastis puris, sed vexillis suis aut fasciis ornatis, qui nummus inscribitur A. HIRTI. A. F. tab. 6. fig. 2. M. Lepidi vultus, in aversa Martem habet galeatum, scuto pede sinistro insistentem, sed sinistra parazonium ornamento vexilli vel fasciæ donatum, nam talia ornamenta etiam vexilla dicebantur, & inscriptus est nummus L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS IIII VIR. AP. F. Idem ille Mussidius occurrit in M. Antonii nummis cum Marte & eodem parazonio vexillato tab. 8. f. 10. ut & in C. Cæsaris nummo tab. 9. f. 12. Quo etiam pertinent Augusti nummi tab. 10. f. 14. & 16. Mars ubi hastam puram præfert ornatam vexillo, cum Inscript. VOT. P. SVSC. PRO SAL. ET RED. I. O. M. SACR. Tab. 13. f. XI. Parthus in genibus, cum signo vexillato pompatice quod reddit, & inscr. L. CANINIVS. GALLVS III VIR. tab. 16. f. 15. rursus Tib. Sempr. T. F. Gracchus IIIIVIR. cum signo hastato velo suo inferius pompatice ornato & Tab. 17. fig. 8. signum hastatum cum ornamento suo vexilli, nisi tabula potius sit in nummo Tiberii, cum Inscr. SIGN. RECEP. DEVICT. GERM. In nummo Vitellii tab. 24. fig. 7. ROMA RENASCENS dextra victoriolam, sinistra hastam puram ostendit fasciis suis aut vexillis distinctam. Tab. 28. fig. 15. ANNONA AVG. sedens hastam puram vexillo ornatam in nummo T. Vespas. præfert. In ejusdem Vespasiani nummo 8. tab. 30. videbis signum purum, sine signo, & vexillo suo ornatum, quod victoria coronat. Tab. 31. fig 12. & 22. videbis Sarmatam in genibus signa reddentem cum ornamento vexilli addito in nummis Domitiani. In ejusdem Domitiani nummis tab. 32. fig. 12. videbis signum aquilæ fasciis suis & vexillis undique ornatum, quod rarum est; & binæ manus fidei exercitus illud tenentes in rostro navis, quod etiam occurrit in nummo Nervæ tab. 33. f. 2. cum Inscr. CONCORDIA EXERCITVVM. Aquilas cum vexillis vel fasciis, vel imaginibus ornatas conspicere, rarum est, ut dixi: fulmini solent insistere, puram præterea perticam ostendentes. At exstat nummus M. Antonii Triumviri apud Oiselium tab. 82. f. 1. in cujus aversa signum aquilæ fixum in rostro navis varie ornatum cernitur. Insertum est enim signum illud inter duas manus junctas, supra quas clypei aliquot cum imaginibus comparent, & inter imagines fasciolæ istæ pompam facientes ludunt: sequitur fulmen, cui tandem insistit aquila alis elatis; infra manus rursus fasciæ ludunt ventilatæ. Est illud signum ex ornatissimis, ut omnino distinguere debeamus signa, prout vel in aciem educebantur quotidiana, vel domi intra custodiam tradebantur, sine pompa & ornatibus: & signa, quæ festis diebus, ut ornatissima essent velis, fasciis, coronis, floribus proponebantur ad pompam. Ornabantur enim signa & ungebantur, ut polita essent festis præprimis diebus, ut Plinius ait, lib. 13. c. 3. *Aquilæ ac signa pulverulenta illa, & custodiis horrida inunguntur festis diebus*: unde in veteri marmore: CORONIS INLATIS SIGNISQVE VNCTIS. Ornabantur autem & velis, & fasciis & floribus ac frondibus. De velis ac fasciis, jam ex nummis allatis manifestum est: de floribus Claudianus monuit:

Lætaturque tamen. Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

Atque notandum, hæc veterum ornamenta signis fuisse apud Romanos, ungi signa floribus, & frondibus ornari: accesserunt deinde fasciæ, quæ vexilla dicebantur, quæ loco frondium, florum, & coronarum, signis dabantur, ut aptiora & firmiora, quæ quando & unde originem sumserint in signis ornandis, nunc quidem non tangam, ne impingamus ad scopulos priores. Suetonius etiam de his ornamentis signorum in Claudio c. 13. memoravit. *Neque Aquilæ ornari, neque signa convelli moverique potuerunt.* Reperio igitur in nummis, signa velis etiam fuisse ornata. Exstat nummus Caracallæ apud Oiselium tab. 81. f. 9. qui quatuor signa in aversa, contra morem, exhibet, inter duas aquilas, duo signa alia media, in circuitu CONCORDIA: infra MILIT. Aquilæ istæ subjectum habent velum dependens in pertica, nihilque aliud, quod velum ornatus gratia aquilis additum sentio, ut supra monstravi. Vexilla enim dicebantur illa ornamenta, sive vela, sive fasciæ essent. In nummo Philippi Imperat. tab. 86. figura 5. etiam quatuor signa expressa videbis cum Inscript. FIDES EXERCITVS, binæ aquilæ inter signa manuum constitutæ sunt. Sed nulla in istis signis vela, vel fasciæ reperiuntur ornatus causa, velut in prioribus adjectæ. Egregius est nummus tam aureus, quam argenteus a Patino productus cum Ursinianis inter incertos p.m. 306. Antica enim habet caput Martis barbarum, galeatum & cristatum. Aversa non solum tria signa habet, Aquilam in medio, & hastata signa pompaticis fasciis ornata ad latera, sed & ara veluti inter signum hastatum & Aquilam polita cernitur, quæ ornata & festa signa ista ad aram producta ostendunt. In area ad latera adscriptum P. R. infra SIGNA h. e. POPVLI ROMANI SIGNA. Aquilæ signum breviori semper fere perticæ insistit, quam reliqua, prout etiam Dio Cassius hoc animadvertit in Aquilis Crassi, reliqua duo signa sunt hastata, ut infra ferrum & ἀκμὴν fascias pompales alligatas ventilent, quibus subjunguntur in pertica tres clypei seu imagines, alter altero major, ita ut inferior sit maximus, claudit subtus luna dimidia. Hasta & thyrsus Bacchi in nummo sexto Vibii Vari apud Ursinum p. 291. pari ratione fasciis ac vexillis istis ornata ad altare prostat pompam faciens. Notandus quoque venit denarius C. Marcelli & Lentuli, & Cn. Nerii Quæstoris apud Ursinum, p. 72. ubi in aversa tria signa, duo hastata, & aquilæ in medio. Hastarum summitas fasciis, ut puto, purpureis πομπάδων, & præterea tabellas in fine perticæ habent; tabellæ dextræ inscripta litera H. sinistræ P. & HASTATOS ac PRINCIPES significari nullum est dubium, ut videas, cur illa, quæ ut vela semper adducunt scriptores, ego in illo loco signorum pro tabellis accipiam, quibus nomina vel legionis, vel Hastatorum, vel Principum denotabantur. Addam vero etiam ex nummo Valentiæ Vibonis, æreo triente, apud Goltzium clavam Herculis velo ejusmodi pompatico in manubrio ornatam, quod descendit ad ipsum finem clavæ. Prima facies Herculis caput leonino rictu indutum ostendit, & a tergo tres orbiculos, aut tria puncta pro triente significando. Aversa clavam habet pompatice isto velo ornatam, & ad sinistram acrostolium navis, & tres istos rursus orbiculos, a dextra vero inscriptum VALENTIA. Nolo Te amplius defatigare aut obruere omnibus & singulis perquirendis, quæ huc spectant, & ex solis nummis ostendi possunt de vexillis & fasciis ornamenti loco additis, signis & hastis aliisque armis

A mis, ne in infinitum hæc Epiſtola procedat; ſoli enim Nummi manifeſto oſtendunt hanc rem, quid ſint haſtæ cum vexillis ſuis, & quid ſint haſtæ puræ ſine vexillis, de quibus nemo hactenus antiquariorum cogitavit. Illud ſolum mihi dubium reſtat, an non haſtæ cum vexillis etiam donatæ ſint, non puræ, ſed cum ferro ſuo & ἀκμῇ; nam haſtæ multæ præpilatæ cum vexillis iſtis & ornamentis æque ac puræ in nummis aliquot conſpiciuntur. Et quod toties ſigna ac haſtæ vexillis velis, & vexillis faſciis ornatæ præfigurantur in nummis, primum uſum vexillorum velorum & faſciarum Romanis adhibitum eſſe credo, ut ſua ſigna barbarorum ſpoliis ornatiſſima redderent, iiſque obducerent, quæ deinceps, quum barbari militiæ Romanorum ſervire inciperent, etiam in ſuas acies admittebant: ſed nolo redire ad illam litem, quam ſopitam jam eſſe volumus. Haſtas puras ſaltem ſine vexillis oſtendere animus eſt. Haſtæ enim puræ ſine vexillis toties in nummis occurrunt, ut innumerus earum numerus ſit, nec Tibi nauſeam illis recenſendis movebo.

B

Inſcriptionem ſaltem illuſtrare volui, quid ſit haſta pura ſine vexillis, & quid haſta pura cum vexillis: ita quoque ſigna pura militaria cum vexillis, & ſine vexillis deduci poterunt ex iiſdem nummis, nihilque mihi verius eſt, præeuntibus nummis non paucis, quam ſigna pura eſſe, quæ ſignum nullum habent, licet alas ſuas purpureas, imagines, & ornamenta, vexilla ac faſcias ſuas oſtendant. Jam vero etiam ſententiam Tuam audire cupio de numeris illis, qui tam ſæpe in nummis occurrunt, inprimis Conſularibus: adeo ut ad D. quingentos in illis appareant, ut in nummo L. Julii Cæſaris Cos. ad A. U. C. 689. in Faſtis Goltzianis, ubi in utraque facie nummi in ſummo numerus D. notatur. Et in nummo L. Cenſorini C. Limetani ac P. Crepuſii numerus CXXIV. ac in alio nummo eorundem ad A. U. 714. numerus CXXCVII. occurrit. In aliis minores numeri XXXVI. XXXVII. XIII. &c. leguntur. Quid ſignificent illi numeri & quo ſpectent, ego penetrare hactenus non potui. Tuum erit, ſi quid de his obſervaſti, me docere, atque ut hoc facias, maximopere Te rogatum volo.

C

D

Gaudeo Elephantum Tuum eſſe abſolutum, & quærere Typographum, ut & Gordianorum trium defenſionem aveo videre, cum prodierint. Ego Boream elaboravi, ejuſque laudes, dedicandum Societati Illuſtri Anglicanæ, quæ me anno elapſo Societati ſuæ ultro adſcripſit, quum ſcripta mea legiſſet, me nec petente nec cogitante. Septem capitulis abſolvitur. Sed nondum invenio, qui editionem in ſe velit recipere, ut quando proditurum ſit opuſculum, neſciam. Franciſcus Halma quidem ante tres menſes mihi ſcripſit ſe exemplaria 50. de Nummis non cuſis miſiſſe Hamb. ut juſſeram, ſed nomen Naucleri non indicavit, cum quo miſſa ſint. Neſcio an perierint tot tempeſtatibus interea Oceanum exaſperantibus. Scripſi tamen Dn. de Halma ut nomen Naucleri ſignificet. Infeliciter hoc mihi in omnibus proceſſit negotium. Dn. Oligerus Jacobeus in fata tandem conceſſit ſub finem prioris anni, incubuit morbo ſuo melancholico, quo diu vexatus fuit, Vir melioribus fatis digniſſimus, ob eruditionem non vulgarem. Audio in vicinia veſtra Campis diverſari cum legionibus ſuis Dn. Joh. Rantzovium Generalem Majorem a nobis miſſum, Patronum literarum, & meum utiq; ſummum, cui Abſolonis Archiepiſcopi Teſtamentum cum notis meis olim dedicavi; cui Viro ut innoteſcas opto, ſi feret occaſio: eſt enim humaniſſimus, literis bonis imbutus, & multæ lectionis, Eruditorum præterea amantiſſimus. Reperies in illo plura quam nunc commendare poſſim. Qui vobiſcum

E

F

Daventriæ verſatur, Dn. Nummeſon; eruditioni quidem haud multum litavit, amat tamen literatos. Vale, vir ſumme, & amare perge, qui nunquam non erit Tuus,

Vir Ampliſſime,
Cultu & obſequio addictiſſ.

Dabam Hafniæ a. d. XII. Mart. 1702.

XLVIII.

Ampliſſimo Celeberrimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

MEmini certe illorum, quæ olim ad me miſiſti, ſed, ut verum fatear, tunc illud epiſtolæ tuæ caput præterii, quia videbaris eſſe ſubiratior. Illo tamen tempore belli atrociſſimi tempeſtas, quæ toti fere Europæ imminet, non potuit præviderі, neque res, de qua tunc agebas, quicquam commune habet cum ea, quæ nunc nos exercitos habet.

Ad epiſtolam tuam veniendum eſt; litem igitur noſtram finitam eſſe gaudeo; & ſi quid forte occurrat, quod vel tuæ, vel meæ ſententiæ firmandæ inſerviet, poſſumus illud alter cum altero communicare.

Nihil veto, quin per *ſigna templorum* apud Treb. Poll. intelligantur ſigna militaria ex templis deprompta; ſed primo tunc inveſtigandum foret, an ea recte appellentur *ſigna templorum*; 2. an hæc fuerint ſigna Romanorum militaria, quibus in expeditionem proficiſcentes utebantur, & an per conſequens illa ordinaria in templis, & quidem diverſis fuerint repoſita; an vero ſint 3. ſigna emeritarum legionum, ſi modo integræ legiones, id quod vero ſimile nequaquam eſt, deductæ ſunt; vel 4. an ſigna ab hoſtibus capta & in templis diis dedicata. Certe *dracones* ex illo loco, uti non abſque ratione judicas, patet fuiſſe in templis collocatos, & proinde videtur ſequi, etiam *ſigna* de ſignis militaribus debere explicari. Sed cum mihi nondum ex aliis pateat auctoribus, legionum ſigna in templis fuiſſe poſita, & illa apud legiones & milites, qui exceptis prætorianis, & aliis corporis Impp. cuſtodibus, ordinarie Romæ non erant, fuerint, dubitabam nonnunquam de lectione hujus loci, & ſuſpicabar ſcribi commodius poſſe, *præter ea quæ collegiorum templorumq; omnium erant dracones & ſigna legionum ibant*; vel *collegiorum templorumq; erant, dracones & ſigna omnium legionum ibant*. Si autem vulgatam lectionem ſequimur, & *ſigna templorum* nihil aliud ſunt, quam ſigna legionum, non video, quare adjecta ſit vox *templorum*; niſi diſtingui putes ſigna, quæ ex templis ſumpta & diis conſecrata erant, ab iis, quibus utebantur tunc legiones. At ſi meam hallucinationem ſequi placet, poſſunt deſignari vexilla vela, quæ collegiis & *templis fuiſſe certum eſt*, maxime cum illa collegia ſua ſibi quæque vel hujus vel illius dei templa habuerint, ad quæ ſtatis diebus conveniebant; vel etiam, uti videtur, propria; unde in Inſcript. Regienſi apud Gruter. I. 1101. memoratur TEMPLVM COLLEGII FABRVM ET CENTONARIORVM; in quo tamen deum deamve aliquam cultam fuiſſe ne dubitandum quidem eſt; niſi per *templum* deſignetur ædificium publicum, in quod Corpus illud conveniebat: quicquid ſit, certum eſt, opti-

me *Collegia & templa* jungi, & forte in his velis A vexillis dii erant picti sive intexti, vel res ab iis gestæ; quo pertinet utique Peplus Athenis panathenæis deduci solitus; nec dubito, quin Christiani illi gentiles sint imitati, qui in villa, cui nomen Anabletha, in foribus ecclesiæ suspenderunt velum tinctum, atque depictam habens imaginem quasi Christi vel Sancti alicujus, testibus Epiphanio & Hieronymo. Neque etiam a ratione alienum est, per *signa templorum omnium*, intelligere statuas deorum & dearum, quarum multæ, licet non admodum parvæ fuerint, in pompis potuerunt gestari, & gestatæ fuerunt, uti patet ex iis quæ breviter noto p. 166. Harpocratis, & ex plurimis au- B ctorum locis insuper patet.

Perpulchre explicas Inscriptionem positam L. FVRIO. VICTORI; sed tamen mihi mira & alibi non obvia locutio videtur esse, HONORATVS ET DONATVS IMPP. OMNIVM pro *ab Imperatoribus*; & si apud Manutium atque adeo in ipso lapide lineæ ita scribuntur, ut editæ sunt a Grutero, utique jungi debent PRAEF. PRAET. IMPP. OMNIVM, quanquam illud OMNIVM, quibuscunque vocibus jungas, mihi etiam crucem figat; præterea DONATO videtur pertinere ad COR. MVRAL.& IN PROV.PAR.videtur desiderare τὸ C MISSVS, quæ vox nescio quid sibi velit in sequentibus,PROC. A RAT.PRAEF.PRAETOR.MISSV. RAVENNATIVM, cum scribendum ibi videatur esse PRAEF. PRAETOR. CLASSIS RAVEN. vel lateat vox MISEN.atque ita in lapidibus vetustis memoratur *Classis prætoria Misenensium*, adeo ut L.Furius victor utramque hanc dignitatem diversis temporibus gesserit; sed ego hic Davus sum non Œdipus, & tuum erit examinare, si tanti, an lapis recte exscriptus sit, & an scrupulos hosce mihi eximere possis; hujus autem L. Furii Præfecti Prætorio non meminit Persius.

HASTAS PVRAS eas dici, quæ ferro carent, D inter omnes convenit, & tibi facile assentior, ita easdem appellari posse, licet fasciis nonnullis ornatæ sint; id quod tamen de vexillis velis, iis appensis, vix credo, quia tunc non hastæ, sed vexilla dicerentur: unde suspicabar olim illud SINE VEXILLIS non interpretari debere de vexillis, vel fasciis hastæ puræ additis, sed de vexillis, quæ præter hastam puram militibus sæpe donari solebant: uti in Inf. 1. 375. HONORAT. AVR. HASTIS. PVRIS. IV. TOTIDEMQ VEXILLIS. 1. 403. DONATO. AB.... AVREIS HASTIS PVRIS. E III. VEXILLIS. II. qualia etiam legas in 5. 430. 5. 433. 6. 1028. 5. 425. HASTAM PVRAM. ET. VEXILLVM. & ita ex locis, quæ Lipsio lib. 5 Dial. 18. De Mil. R. laudantur, patet inter dona militaria fuisse *hastas*, vel *hastas puras*, & *vexilla*, illaque a se invicem fuisse diversa; adeo ut putem in Inscript. cujus in sensum inquirimus, SINE VEXILLIS addi, non quia illis caruit HASTA PVRA; sed quia vir ille *vexillis* non fuit donatus. Hæc autem vexilla, quæ militibus donabantur, fuisse vela præclare patet ex fragmento Polybii in v. ἀκόλουθον; ubi scribit nonnullos donatos fuisse χρυσοῖς ὑφάσμασιν καὶ λόγχαις, *aureis velis*, *vexillis*, F & *hastis*, quomodo *hastas & vexilla* conjungit Marcus apud Sallustium, uti iterum observavit Lipsius: quanquam non negem Æm. Portum Græca Polybii vertere, *aureis vestibus*, quod tamen a ratione hic alienum esse puto, si quis vestes indutui, vel amictui designari putet. Mirum autem est, in lapide, qui positus fuit honori L. Furii, legi eum donatum esse *hasta pura sine vexillis*; quia, si vexilla honorifica fuerunt, uti omnino verum est, sequitur in opprobrium Furii hoc tendere; nisi tecum hic per vocem illam intelligendæ sint phale-

ræ, & major honor fuerit hasta pura donari absque ullis fasciis & ornamentis, uti te etiam statuere video, vir excellentissime.

In nummo 6. tab.3. apud Duc. Arschot.ego nullum signum militare invenio vexillo pompatico ornatum; sed puto illud verum & genuinum signum militare esse, in præliis & castris usitatum, quia *aquila* additur, & quia in aliis plurimis nummis, in quibus nulla Coloniæ deductio est, eadem ita picta sunt.

In Hirtii nummo tab. 5. non satis mihi clare hastæ puræ sese offerunt; puto eas cuspidatas esse; tales certe eas repræsentat nobis Antonius Piso tab. H. In Lepidi nummo 1. tab. 6. hasta pura conspicitur; sed fascia quæ de parazonio pendet, non vexillum sed cingulum est, quo illud corpori alligatur, qualis gladiator cernitur in gemma apud Leonard. Augustt. 167. part. 1. & in alia parte 2. nempe 14. in qua tamen ego nullos bacchantes, sed milites Romanos, gerentes socios mortuos vel saucios ex prælio conspicio; atque tale parazonium itidem observes in gladiatore vel alio, inter statuas a Perrerio editas num. 21. idemque statuo de figura nummo 10. tab. 8. obvia.

In Augusti nummo 14. & 16. tab. 10. Mars hastam puram, cui appensum vexillum velum, tenet; adeo ut & talis hasta fuerit valde honorata, & etiam diis tributa, non autem tantum inaurata absque ferro & vexillo.

In nummo 11. tab. 13. Parthus mihi non videtur in manibus habere vexillum pompaticum, sed purum putum vexillum R. vel signum, quod ab illis captum redditur, id quod etiam annotat doctissimus commentator; atque ita etiam nullum pompaticum signum invenio in nummo 15. tab. 16. & 8. tab. 17. sed similiter statuo talia signa ordinaria fuisse, præcipue cum in illo Tiberii legatur SIGNIS RECEPTIS DEVICTIS GERMANIS; nec verisimile ullo modo fit, Germanos ea signa ornasse, sed Romanos talia ea pinxisse in nummis, quomodo a Germanis capta & tunc in usu erant.

In num. 7. tab. 24. invenio quidem hastam puram, sed nullis vexillis ornatam, & mihi videntur fasciæ illæ, vel quicquid est, dependere ex galea; & ita illius ornamentum esse, quemadmodum in multis aliis observare licet.

In n. 15. tab. 28. nescio an nobis hasta repræsentetur, quia baculus brevis admodum est; videtur potius esse *flagellum*; cumque hoc suspicarer, inspexi notas, & inde edoceor, non flagellum ANNONAM tenere manu, sed tesseram, qua annona plebi distribuebatur, idque animadvertisse Anton. Augusti.Dial.2. qui ita loquitur p.30 ed. Antw. *Uncus autem, quem Annona tenet, tessera meo quidem judicio videatur... qua congiarium dabatur*; & in edit. Itala, qua lingua dialogi illi conscripti sunt; *Ma perchè sta egli (* digamma *) a rovescio? A. per non lo far essere un F. Latino; & l'altro uncino, che ha l'Annona, credo, che sia la tessera, che si dava nei congiarii:* nummus, qui ibi pingitur, non est Titi Vespasiani, qualis ille apud Ducem Arschot. sed Vespasiani patris, si modo recte repræsentatur; quanquam Oiselius talem tibi exhibeat tab.75. sed cum ego non videam quid *uncus* cum tessera habeat commune, aut quid faciat in dando congiario,hoc quidem de ectypo amplius deliberandum censeo;& hariolabar nonnunquam, figuram illam *flagellum* tenere,quia propter siccitatem forte Tiberis, frumentum Ostia tunc Romam non navibus,sed plaustris & vehiculis deportatum fuit.

Inde addis, me visurum in T. Vespasiani nummo 8. tab. 30. *signum purum sine signo & vexillo suo ornatum*, *quod Victoria coronat*. Sed primo mihi

dubium valde, an hoc sit signum purum, cum & videatur ferro munitum esse, & in aliis nummis similia signa militaria occurrant, puto esse signum ordinarium; nec certe capio, quid sibi hæc verba velint, *signum purum sine signo*: an statuis, vir celeberrime, hoc signum purum esse, quia nulla in illo imago, vel simulacrum obvium est? sed ipse ille clypeus contrarium evincere potest, quippe in quo proculdubio pictus fuerit Imperatoris vultus; deinde nec ego tale signum appellarem *purum*, quippe quod, vel cujus hasta clypeo, media luna, & vexillo ornata est; quas res si quis complecti *puri* nomine velit, ego certe vix illi assensum dare possem. In num. 12. & 22. tab. 31. Sarmata reddit signa a Romanis capta; putoque illa ita picta esse, uti erant in usu; nec populum eum addidisse *vexilli ornamentum*, id quod significare videris, nisi me plane fallo.

In num. 12. tab. 37. occurrit signum aquilæ fasciis suis, vel vexillis ornatum .... non secus ac in 2. t 33 & nummus 1. apud Oisel. t. 32. eundem cum ultimo Arschotano ectypum habet, & Antonio Triumviro eum tribuit Oiselius, cui similis nobis exhibetur apud Ducem Arschot. t. 8. putas, vir doctissime, hæc signa esse pompatica, fascias pompam facientes, & distingui hæc signa debere omnino ab iis, quæ in aciem producebantur quotidiana, vel domi intra custodiam tradebantur sine pompa & ornatibus, & quæ festis diebus vel ornatissima essent, velis, vexillis, fasciis, coronis, floribus proponebantur ad pompam. Verum id certe esse potest, & festis diebus aquilas, signa uncta, floribusque ornata fuisse constat; sed & fasciæ illæ addi iisdem potuerunt, cum in prælium producerentur; nec certe puto aquilas, sub quibus perticæ appensum velum est in num. 9. tab. 81. apud Oisel. solius ornatus gratia ita decoratas fuisse, & signa esse pompatica; sed ea ita in aciem fuisse producta, atque sub iis milites pugnasse; nec quicquam ad probandam sententiam tuam facit nummus 5. tab. 86. apud Oisel. quia omnibus aquilis non addita vela vel vexilla, & illæ aliter ornatæ in nummo illo Philippi sunt; credo hoc factum esse pro lubitu Impp. Ducum & forte Tribunorum & militum. Sic nec ego in nummo apud Ursin. p. 306. ulla signa pompatica invenio, sed qualia in exercitu & acie militibus præferebantur, licet illa fasciis ornata sint.

In nummo adhoc non invenio hastam pompaticam, sed thyrsum, quali bacchantes utebantur, pinea nuce ornatum; qualemque plane sacerdos Bacchicus & Priapus tenent in gemmis apud Leon. Augustin. nempe 132. tom. 1. & 13. tom. 2. Nec aliquid pompatici video in signis Gentis Claudiæ in nummis pictis p. 72. apud Ursin. sed puto tunc ordinarie signa ita fasciis fuisse ornata: optime autem H. explicas *Hastatos* & P. *Principes*; possuntque illæ litteræ inscriptæ esse tabellis.

Hastas cum vexillis puras dici, quæ ferro carent, facile tibi assentior, quia in veteri illo lapide legitur HASTA PVRA SINE VEXILLIS, si hæc ita jungi sibi invicem debent; quanquam optimo jure talis hasta pura non sit, cum nullis aliis rebus deberet esse ornata, excepto auro, vel argento, quo inducta sæpe erat. *Sed signa pura, quæ nullum signum ostendunt, licet alas suas purpureas, imagines, & ornamenta, vexilla ac fascias nobis ob oculos ponant*, ego, qua sum oscitantia, capere nullus possum. Nam 1. *signa pura* nemini veterum, quantum equidem sciam, memorata sunt; aliudque puto esse *vexilla pura*, quia illa ex velis, vel pannis erant facta, qua de re multis in aliis epistolis a me actum est; 2. non video quomodo *signum purum* possit dici, *quod nullum signum ostendat*; nam ipsa

A aquila, manus, draco, imagines Impp. &c. *signa sunt*; ne quid jam dicam de fasciis volitantibus aliisque ornamentis; 3. signum militare nullum est, nisi habeat aliquod ornamentum vel notam, unde dignosci possit; esset cæteroquin, si omnia illa abessent, nil nisi nuda hasta: 4. *signa pura* ego non agnosco, quia omnia signa ferro armata sunt, si non in summitate, attamen in inferiore parte, qua nempe in terram defigi solebant; id quod ex plurimis auctorum locis & nummis quam clarissime patet. Quare etiam atque etiam, imo enixissime rogo, ut melius & clarius hæc mihi explicare velis.

Observavi etiam in nummis numeros, de quibus B agis; sed, ut verum fatear, quid significent, juxta cum ignarissimis scio. In Goltziano nummo scribitur hinc inde litera D. quæ forte *denarium* notat; sed apud Ursinum in ed. Patini illa videtur potius esse P. licet in ipsius Ursini editione D. nobis repræsentetur. Et forte litera illa non est nota numeralis, cum in aliis Juliæ Gentis occurrat E. vel Q. in gentis Mariæ uno N. in Anniæ Q. quæ forte *Quæstorem* notat, quia in alio scribitur Hisp. Q. in Antoniæ B. in Calpurniæ N. & F. in Cassiæ O quæ forte est prima litera Coloniæ, quam L. Cassium deduxisse, videntur suadere boves juncti; in Corneliæ G. in Crepereiæ F. & H. in Egnatuleiæ Q. &c.

C Atque ita similiter ignoro, quid numeri CXXIV. CXXCCVII. XXXVI. &c. sibi velint, nec ulla ratione adsequi possum, quid illi significent, tuaque mihi ad hanc rem opus est solertia & eruditione. Neque tantum numeros observavi in nummis Consularibus, sed etiam in nummis poster. Impp. Taciti, Probi & aliorum, in quibus occurrit frequenter XXI. XXII. XX. qui numeri an ad vota, an ad aliud quid referendi sint, mihi plane latet.

Quin & in M. Antonii, Lugduni signatis, nummis invenio numerum XL. & XLI. una cum litera A. Lipsius ad Tac. 3. A. 44. putat designari quadraginta D gentes Galliæ, Petrus de Marca, n. 99. de Primat. *asses* & hunc fuisse valorem nummi hujus; at Cl. Franciscus Menestrier S. I. in libro, cui titulus, *Les divers caractères des ouvrages Historiques, avec le plan d'une nouvelle histoire de la ville de Lyon*, interpretatur *Actuum quadraginta*; putatque mediam lineam A. —— XL esse perticam, qua agri colonis divisi sunt; sed si ipsum nummum inspicias, inter A. & XL. nulla linea, verum leo est, & linea ducta est, ut leo illi insistat, uti in aliis Massiliensium, Rheginorum, & aliorum populorum editis ibidem nummis, Ursinus esse arbitratur numerum annorum Coloniæ deductæ. Et hæc ideo a me in medium E adlata sunt, ut pateat quantopere varient viri docti in his numeris explicandis, & propterea nihil mirum esse, si & ipse hæream, nec sciam solvere quæstionem mihi a te positam; malo enim tacere, quam frivolis conjecturis & hallucinationibus tempus tuum perdere.

Spero L. libri tui eruditissimi exemplaria tibi tandem salva fore: Boream tuum legere desidero, & tibi gratulor ex animo honorem, quem tibi ultro habuit Societas Regia Angliæ.

Oligerum Jacobeum ultimum valere dixisse humanis rebus doleo. D. Joh. Rantzovium una cum fratre vidi, & in convivio, cui simul intereramus, F cognovi Illustriss. illum virum multi esse judicii, memoriæ & lectionis, sed inde mihi nulla occasio eum adeundi, cum Campis ille semper, ego Daventriæ vel Swollæ fuerim; quod si tamen scivissem, cum tam insignem literarum & tuum patronum esse, quæsivissem occasionem de te & studiis cum eo colloquendi. Nam is est meus cæteroquin mos, ut, quando sum cum viris, quos ignoro, vel aliis, qui deliciis nostris non capiuntur, taceam plane de iis, imo ita me fere geram, tanquam ne Latinam quidem

linguam nossem; quia animadverti sæpe eos, qui de studiis loquuntur, naso suspendi adunco ab aliis, imo multos existimare, talia non decere eos, qui personam publicam gerunt. Dn. Numeneson non vidi, nec scivi talem virum in hybernis hisce fuisse; nunc Serenissimi Daniæ Regis miles una cum nostro ad ripam Rheni, vel Mosæ tendit; nec mihi copia eum salutandi; id quod cæteroquin fecissem lubentissime tua causa, si antea illius rei certior factus fuissem. Vale plurimum.

Davent. 26. Aprilis 1702.

XLIX.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Quas 26. Aprilis hujus anni ad me mittere voluisti, Tuas acceptissimas recte perlatas esse scias, ad quas nunc demum respondeo, quod prius interpellare negotia tam Tua, quam mea non licuerit.

Concedis, signa e templis deprompta fuisse militaria. At quod addis, vexilla vela certum esse in templis fuisse reposita & dedicata, ut signa militaria reliqua Romanorum, hoc vellem probasses. Illis temporibus antiquis nulla vexilla vela in templis reperies, ne unicum quidem; quotquot supersunt monumenta, Inscriptiones, nummi, non nisi signa militaria Romanorum, aquilas &c. dicata ostendunt, illis ego inhæreo. Tu conjecturis. Et primo quidem signa recepta ab hostibus templis Romanos dicasse novimus, ut gratias Diis agerent ultoribus, illa tamquam sacra, cum religio requireret, cum pompa, cum triumphi, cum festa, promebant, & rursus reponebant. Neque enim credere oportet, non plura signa recepta aut dicata Diis, quam quæ monumentis celebrantur. Plurima fuerunt & veluti quotidiana, nunc succumbentibus nunc vincentibus Romanis; sæpius signa hostibus relinquere coacti sunt, sæpius receperunt, plura semper fuerunt, quæ penes hostes etiam manserunt nunquam recepta. De his nemo dubitat. Bella enim & victoriæ has vicissitudines usque secum ferunt, & partiuntur. Peplus Athenis Panathenæis deductus, non erat vexillum velum, sed Peplus Minervæ ex templo ejus, in quo religiosissime servabatur, depromtus, quo tamdiu Minervæ statua carere debuit, aut viliori contenta esse, donec ex pompa capiti & humeris ejus redderetur summo cum honore & reverentia. Quod ad Christianos attinet; optime dicis, illos imitatos esse gentiles, in vexillis reponendis in sacris Ecclesiis, sed alia ratione, neque enim stantia habebant illa vexilla vela postquam desierant signa, sed illa suspendebant, ut melius explicare possent suspensa, quam stantia: quod in signis haud opus erat, quoniam stantia satis prominebant, atque sic etiam in monumentis & nummis reperiuntur signa stantia, nunquam suspensa, quod etiam hodie observamus in vexillis suspendendis in Ecclesiis, in illorum gratiam, quibus honor ille debetur.

Concedi quoque Tibi potest, statuas quasdam, quæ portatiles fuerunt, in pompa gestatas fuisse, quamvis raro statuæ memorentur, quod, quæ fuerunt adeo parvæ fuerint & exiguæ molis, ut ab homine uno gestari potuerint, ἐν σχήμασι πετραχύλοις

A illas quandoque collocatas legimus apud Athenæum & alios, atque sic traductas elephantis aut equis, & hominibus etiam pluribus illas trahentibus.

Meam sententiam & explicationem L. FURII VICTORIS DONATI IMPERATORUM OMNIUM non tibi obtrudo, Vir Amplissime, & tuam nequaquam damno, sed quod mihi visum est, scripsi; si minus placet illa, ideo scriptam intelligis, ut & emendes, & ἀκριβέστερον examines, quid conveniat. Scribit Solinus de L. Sicinio Dentato trecentis post V. C. annis, quod *novem Imperatores, qui opera ejus vicerant, triumphantes*
B *prosecutus sit, in phaleris, hastis puris, armillis, coronis trecenta duodecim dona meruerit*. Non scribit ipsum Tribunum plebis fuisse tot Imperatorum. Ergo nec Præfectus Prætorio Imperatorum omnium L. FURIUS intelligi poterit, sed honoratus & donatus Imperatorum omnium, sub quibus meruit. Nam ab ipsis dona hæc accepit, quæ in Inscriptione memorantur, ut Sicinius Dentatus a novem Imperatoribus phaleras &c. Mentem meam intelligis. Si tibi placet alia, facile fero.

Quod ad vexilla pura regeris, ea vela fuisse, hæc nullibi apparent in nummis, aut monumentis a-
C liis. Est vexilli nomen adeo πολύσημον, ut non solum vela significet, sed omnia illa, quæ velis similia sunt, fascias, tænias, & augustiora etiam quæ sunt; imo signa ipsa, sive fasciis ornata, sive sine illis compareant, vexilla dicta sunt, quoties donata fuerunt, aut alio modo extra exercitum nominantur. At vexilla vela pura sunt illa, quæ candida sunt, nullo alio colore infecta. Sed vexilla pura cum adducuntur, sunt signa, quibus signum ademptum & nullum plane adest, qualia ex nummis aliquot tibi ostendi. Nescio an inter illos adduxerim Pollionis & Melæ II. Virorum nummum æreum apud Ursinum p. 45. ubi signa duo vel ve-
D xilla sine signis apparent. Nec mireris, me signa hæc appellare pura, sunt enim, licet vexilla pura dicta sint Romanis talia signa. Sed ut tibi & aliis hæc demonstrarem dari talia vexilla signa, quæ plane sine signo sunt, & ideo pura, ut hastæ puræ, quæ sine ferro donabantur, licet fascias & vela volitantia apici haberent addita ornamenti majoris gratia, ideo signa pura sine signo nominavi. Nihil enim aliud sunt quam vexilla pura. Nec est quod Polybii fragmento tantopere innitaris, quod χρυσοῖς ὑφάσμασιν καὶ λόγχαις aliquos donatos esse memoravit, neque enim χρυσᾶ ὑφάσματα ullo modo vexilla sunt, multo minus vela perticæ affi-
E xa, quæ non solebant aurea esse, vel auro intertexi, sed aut pura, h. e. candida, aut alio colore infecta per totum, aut bicolora, si vis, sine auro tamen semper. De illis donatis non loquitur hoc fragmentum, nam σημεῖα, ut solent Græci, hæc vexilla vela vocasset, non ὑφάσματα; sunt enim quævis texta, quæ tamen vereor cum Æmilio Porto *vestes* appellare, quas nosti veteribus integras texi solitas esse, & venum proponi, quod jamdudum Casaubonus monuit; sed alias phaleras intelligo, strophiola, mantelia, & quæ sunt ejusmodi, quæ inter phaleras, quas quoque donatas esse, Inscri-
F ptiones docent, numerantur. Neque enim sola equorum ornamenta phaleræ dicuntur, sed & cornicula, & alia, ad quas hæc ὑφάσματα omnino spectant, nec ad vexilla vela trahi ullo modo possunt, quæ σημεῖα fuerunt & dici debuerunt non ὑφάσματα χρυσᾶ tam universali vocabulo sumta. Atque illud χρυσοῖς non ad sola ὑφάσματα pertinere judico, sed etiam ad λόγχας, & hastas inauratas puras: adeo ut Æmilii Porti *vestes* melius putem quadrare ὑφάσμασιν, & textis quibuscumque, minutioribus tamen, quam ut vexilla vela auro intertexta ex illis

fieri queant. Cum igitur vexilla illa pura h. e. signa sine signo aliquo, ex variis nummis ob oculos tibi posuerim, nec illis facile quisquam refragari possit, illa pura esse dicenda, quod sine signis sint, vides quo robore meam sententiam munierim, quam ego quidem novam esse confiteor, nec a Scriptoribus aliis etiam doctissimis hactenus animadversam. Haud enim frustra esse, ita signa, aut vexilla in nummis apparere, facile tibi persuaderi sines, sed ut aliquid significent, cur ita sine signo aliquo in medium sint prolata, quod mihi non videtur aliud esse posse, quam ut vexilla pura sint dicenda, honoris non minimi, quibus illa donata sunt, ideoque ita proposita esse in nummo non uno. Quæ si tibi dubia & scrupulos injiciunt, non miror, cum contra sententiam hactenus receptam de vexillis puris omnino tendant. At quum talia vexilla aperte extent, nec negari possint, meliorem de iis sententiam præ ea, quam protuli, libentissime audiam. Neque enim quod hæc vel illa visa sint doctissimis Viris in illis nummis, & nunc ita, nunc aliter proponant, visa satis & manifesta exstinguere poterunt; exstant enim re vera talia vexilla sine signis, nec contradici ullo modo potest, sed quod nescierint, quo nomine talia vexilla nominare debuerint, aut quo referre, hinc tot sententiæ & offuciæ illorum oculis subnatæ sunt, ut non viderint, quod viderunt.

Recte satis mones ex Leonardo Augustino istas figuras 167. p. 1. & 14. p. 2. non esse bacchantes, prout ille explicavit, quod & ego mihi jamdudum notavi; nisi quod non milites, socios reportantes illos existimarim, sed gladiatores, qui armati, matutinos nudos congredi solitos armatis, devicerunt, hancque charitatem illis ostenderunt, ut devictos ex arena reportarent.

Pergis meam sententiam de signis vel vexillis puris oppugnare variis conjecturis, nec te capere posse scribis, quomodo signa illa pura dici possint, quæ imagines Imperatorum & lunulas interjectas retinuerunt, ac ostendunt. Dicam tibi, Vir celeberrime, illa pura esse, quod sine signo sint, militaribus addi solito. Et si vis, illas lunulas manipulos fœni esse, conc dam, aut manipulis fœni successisse, prout aliquoties Leon. Augustinus talia signa produxit inter suas gemmas, & alibi quoque apud Nummographos adducuntur cum fœni manipulis, ubi frequenter alias lunulæ apparent. Tibi impune dissentire licet, Amicissime Cupere, sed non causam video, cur hæc frustra esse debeant, quod sine solito signo hæc vexilla toties compareant. Vexilla enim pura ideo dicenda sustineo, quod sine signo sint.

Nec ornatus vexillorum aut signorum admittis, sed cum his ornatibus in aciem producta sentis, quod nec ego inficiatus sum; sed illos ornatus maxime ad pompam spectare judicavi, quæ tam in acie potuit ostentari, quam extra aciem: neque enim semper illos ornatus signorum reperies, sed plerumque sine illis. In pompa vero semper apparent & festis solemnibus ornatissima fasciis suis & velis: ita ut alterum alterum non excludat. In Templis sane quæ reposita fuerunt, sine pompaticis illis conspiciuntur signa, adeo Parthica illa recepta, & Germanica, & Sarmatica, pompam suam deposuerunt, postquam templis consecrata sunt. Recte scribis, pro lubitu Imperatorum hæc signa sine ornatibus, & cum illis in aciem producta esse. In pompa vero solemni & festis, ubi vexilla produci debebant, sine suis ornatibus illa non gestata quis non videt? Fuerunt hæc fasciæ & vela, si cupis, sub signis etiam appensa, ita ut quæ barbari tanquam vexilla præferebant, Romani ad ornamenta signorum suorum transtulerint. Hinc vexillorum origo Romanis: ut quæ prius fasciæ solum fuerunt, jam vela sæpius esse cœperint, postquam a barbaris didicerant ornatus amplificare talibus. Nam distinguenda omnino sunt ornamenta signorum Romanor. quædam enim talia sunt, ut abesse nequaquam possint, ut sunt alæ, imagines Imperatorum, & lunulæ. Quædam vero non semper necessaria, ut sunt fasciæ & vela, quæ pompis inserviebant & festis solemnibus, & pro arbitrio Imperatorum etiam signis addebantur, quum in aciem pomposius exire consultum ducerent. Nec in signis illis puris quæritur, an aliquid ferri habuerint, sive in unco quo tenebantur, vel terræ infigebantur, sive alia sui parte, sed an sine signo fuerint: illa enim sola, quæ signo carent, pura judico fuisse, quidquid alii sentiant, quos tu videris sequi malle, quam considerare, cur ista vexilla sine signo fuerint, totiesque appareant. Quod per me cuique licet. Meam saltem sententiam de illis protuli, quæ, si doctis non placet, pereat opto, non vincat. Neque enim tanti hæc sunt, ut vel tibi, vel aliis eruditis propterea succensere opus sit. Sed nondum video ea afferri, quæ meam sententiam evertant. Nam si omnes congruere possemus, nulla contradictio foret, quam amo, ut magis antiquitas illis illustretur. Quo enim magis amice contradicitur, eo magis veritas pellucet. Aliis notata & visa de his signis, non quidem contemno, sed illa amplector, qua debeo reverentia, quorum tamen pleraque sunt, quæ rem magis implicant, quam explicant. Quod de numeris istis in nummis, de quibus quæsivi, nihil te scire significasti, doleo. Es enim refugium meum unicum in abstrusissimis istis. Quoscunque consului, etiam doctissimus Begerus, in altero suo Tomo Thesauri Brandeburgici, ubi de Nummis agit disserte, multosque protulit cum numeris, illos alto silentio præteriit. Nihil superest, nisi ut ignorantiam meam ego quoque fatear.

Recepi tandem post tot ambages exemplaria mea de nummis non cusis, & sero licet contentus esse cogor, etiam si nulla plane recepissem. Biennium obiit flagitando. Oblita nunc sunt talia. Boreas meus adhuc latet intra pulpita sua, nondum invenit Typographum, qui hanc operam suscipere velit. Præstare possem alia, sed quæ blattis & tineis, & Vulcano tandem scripsi. Sicque ut diutissime valeas opto, bono tam publico quam literarum, meque, si mereor, amare pergas.

Dabam Hafniæ a. d. 22. Julii A. 1702.

L.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Litteras, quas ad me Hafnia die 29. Julii dedisti, recepi, & lætor meas ultimas in manus tuas pervenisse; utque tuis elegantissimis & doctissimis respondeam, video facile mihi primo de rebus politicis, atque inde de litterariis agendum esse; quia eum ordinem tenes, & mihi relligio est vestigia tua non sequi.

Nos certe jam nimis diu castra sequuti sumus & vexillis inhæsimus, nec credo nos facile in eandem partem discessuros, cum toto, ut ajunt, cælo simus divisi, nec ego sententiæ meæ nuntium remittere possim, vel videam vexilla & signa pura esse hastas, quæ sine signo, id est, sine aquilis, sine imaginibus Cæsarum sunt, & fascias vel vela volitantia apici habent addita ornamenti majoris gratia, licet multis ratiocinationibus illud defendas. Mihi *signa pura* nunquam lecta sunt, & deinde nequaquam capere possum, quomodo signa in nummis obvia, & orbibus vel scutis ornata, ita appellari possint. Provocas ad nummum Gentis Bæbiæ apud Ursin. p. 45. ed. Patin. in quo putas pingi signa duo vel vexilla sine signis, iisque signum ademptum & nullum plane adesse adjicis. Sed tuam fidem, vir præstantissime, an hæc signa potes nominare *signa* pura? fateor, nulla ibi aquila, nullæ fasciæ, quas tamen non obstare alibi scribis, quo minus *signa pura* appellari possint, nullus apex; sed dimidiæ lunulæ, orbes hastis affixi sunt, in apice lignum transversum, cumque in orbibus illis, vel Dii, vel Imperatores fuerint picti, neminem inventum iri puto, qui ejusmodi signa *pura* appellaturus sit, si modo unquam signa talia veteribus memorata sunt; & si vel maxime orbes illi nullis imaginibus forent insignes, sed tantum ex argento, auro, vel alia materia facti, ne sic quidem ego signa illa ita vocare possem. Inspice quæso gentis Antoniæ nummos, an signa in iis obvia a binis istis distingues, quia apicem habent, & a transverso ligno aliquid utrinque dependet, & ita altera optimo jure *signa*, altera vero *signa pura* facies? Non opinor, cum reliqua adamussim respondeant, & si apex ex ligno fuit, id quod certe statui non incommode potest, ego certe omnia illa signa *pura* tecum, vir eximie, deberem appellare. Quid quod alia carent acuminibus plane, & vel corollis in summitate sunt ornata, vel globulo? atque ut tales hastæ puræ frequenter in nummis occurrunt, ita non video corollas obstare, quo minus & illa signa pura sint; & ne omnes libros, qui nummos nobis conservant, excutiam, vide quæso Thes. Patini p. 77. 157. 162. & 184. Sed ego existimo omnia illa signa esse, qualibus in acie, in bellis milites utebantur, nec quicquam causæ inveniri posse, quare *pura* dici debeant.

Recte mones peplum non fuisse vexillum, nec illud ego affirmavi unquam; sed rem illam allegavi, ut ostenderem inde, Christianos a gentilibus morem sumpsisse pingendi vel texendi imagines Christi & Sanctorum in velis; nam vel quod peplus ille ad instar veli navis malo appenderetur, illam interpretationem rejiceret. Fuit proculdubio vestis ingens & quadrata, in qua Jovis, aliorumque deorum & præcipue Minervæ res gestæ erant textæ: sed an ex templo Minervæ singulis quinquenniis fuerit depromptus, & in pompa circumlatus, dubito equidem valde. Ego enim puto singulis festis novum peplum textum fuisse, & inde Pollucem 7. 13. memorare πέπλυς τῆς ἀθήνας, & Athenienses aliter decernere non potuisse, ut Antigonus & Demetrius peplo intexerentur, quemadmodum tradit Plutarchus, cum proculdubio dii & res a Minerva gestæ, atque adeo viri fortes veterem peplum totum occupaverint: nam & hos eidem intexi solitos fuisse tradit Serv. ad 1. Æn. laudante Meursio: *peplum Minervæ consecratum erat: & in hoc depingebantur ex more apud Athenienses, qui strenue sese in bello gessissent.* His adde Statii Schol. tradere *peplum inter triennium* (nisi tamen scriptum fuerit *quinquennium*) *numinibus oblatum fuisse*, a virginibus textum, eas opus incepisse die XXX. mensis Pyanepsionis, qui respondet octobri, & panathenæa celebrata fuisse mense Hecatombœone, qui primus mensis anni sequentis in Junium & Julium cadens, adeo ut per septem vel octo menses illi operi incubuerint. Certe Junoni singulis quinquenniis peplus textus fuit apud Eleos, teste Pausan. lib. 5. & quidem per mulieres sexdecim, non autem per *Virgines*, uti Athenis fiebat; licet ibi id etiam *matronas* fecisse male, id quod jam Meursius notavit, scribit Scholiastes Statii. Atque ita idem lib. 6. tradit in foro Eleorum domum fuisse fæminarum, quas a numero vocabant τὰς ἑκκαίδεκα, *sedecim*, easque in illa domo peplum Junoni contexuisse; præterea nondum inveni apud veteres, Minervæ caput & humeros peplo illo fuisse velata; certe ἐπίβλημα fuit, & proculdubio ex humeris statuæ dependebat, nisi velis illius deæ statuam collocatam fuisse in lecto rosis strato, & illi injectum peplum; id quod subdubitabundus scribit Meursius, & veluti rem veram, nescio quam bene, tradit Potterus in Archæologia Græca. DONATVM ET HONORATVM IMPP. OMNIVM facile admitterem, si similis loquendi modus afferri possit; aliud longe est, quod ex Solino producis; nam cum libera Rep. singulis annis fere exercitus per novos Impp. vel Duces regerentur, facile Sicinius ille sub novem stipendia facere, & ab illis præmia accipere potuit; sed postquam ad unum Resp. est delata, & inter eos Impp. etiam longævi invenirentur subinde, qui quæso sese vocare potuit *honoratum Impp. omnium*, quod certe longe aliud est, quam *novem*?

De notis numeralibus, quas in nummis notavimus, nihil adhuc invenio. Boream tuum legere desidero; amo plus illum, quam alterum, qui sæpe aggeres nostros & munitiones, quibus maria arcemus, disjicit, id quod proxima hyeme factum esse, non absque magno detrimento vidimus. Spero Deum nobis nunc benigniorem futurum, & exauditurum tot agricolarum & aratorum aliorumque hominum preces. Sed ne plane nunc ἀσύμβολος veniam, doce me quæso, an alicubi observaveris, qualia fuerint vexilla Judæorum, quæ memorantur Num. 2. 10. & cap. 10. Commentatores ea vela faciunt, & in iisdem pictas tradunt fuisse opinione Rabbinorum varias figuras, nempe hominem in vexillo tribus Ruben, Leonem in Judæ, bovem in Ephraim, & Aquilam in Dan. Alii autem singulis vexillis singularum tribuum nomina patriarcharum ἐπωνύμων scripta vel texta fuisse contendunt, quæ velim, qua es diligentia & solertia, accuratius examinare velis.

Egimus olim, ni fallor, de nummo, in quo ASIA pedem imponit proræ navis, & manu tenet serpentem: inde Carolum Leich Acta Erud. Lipf. anni 1701. p. 518. docent probare, studium atque scientiam rerum nauticarum illius gentis, & forte eam etiam in Britanniam, uti in varias alias regiones, colonias misisse, & ex serpente præstantifs. Begerus putat patere Asiæ Symbolum serpentem esse, in Disquisit. De nummis Cretensium Serpentiferis, quam eruditam in primis mihi commodum dono mittit, cum tribus tomis Thesauri Regii & Electoralis, quos pellibus rubris velatos & auro delibutos Serenissim. Borussiæ Rex mihi, qua est in me summa benevolentia, itidem donat. Nam tantum Principem, cum per hanc urbem ultimo Julio transiret, ædibus meis recepi, quas uti & officia mea Majestati suæ placuisse non modo libri illi, verum etiam literæ Comitis Wartenbergii & nummus centum, ut loquuntur, ducatos valens, abunde testantur; quæ

omnia ut mihi honorifica sunt valde, ita nullus dubito, quin mea causa læteris.

In libro De Nummis non cusis agis de Philippeis, & inquiris, quando aurei signati sunt..... Sed quid Varroni fiet, qui scribit apud Lact. 1. Instit. 6. Sibyllam Cumanam pro libris suis a Tarquinio Prisco postulasse *trecentos Philippeos*, & eum pro residuis dedisse *trecentos aureos*? proculdubio anachronismus est, quia illo tempore Philippus ne natus quidem erat, sed unde aurei illi, quando, aut a quo signati? Vale plurimum, Vir summe.

Daventr. 11. Nov. 1702.

LI.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISB. CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

PErlatæ sunt tuæ, meo quidem cum ingenti gaudio, quas XI. Nov. A. 1702. ad me dedisti.

Vexilla & signa nostra pura adhuc decertant, nec video quando finis imponi possit certamini, nisi abrumpam; quoniam ea, quæ vides in tot nummis sine signis, concedere non placet. At disputantem contra tam evidentia, quæ nullo modo negari possunt, exstant enim, & in oculos incurrunt, vix audiendum esse, dixere veteres. Vexilla & signa pura tu, Vir Excellentissime, distinguere cupis, ego eadem esse plerumque contendo. Nam quod quandoque distinguantur, ex ea causa sola contingit, quod etiam vexilla vela apud Romanos suo tempore fuerint nota & assumta. Veteribus in Republica eadem semper fuerunt, quin & postquam Imperatores imperium tenuerunt, sæpissime confunduntur, nihilque sunt nisi signa Romana, raro vexilla vela. Ideo nisi diserte distinguantur vexilla & signa, nihil nisi signa mihi sunt utraque nomina, nomine quidem distincta, re eadem. Vellem equidem scire, quo nomine signa illa, quæ sine signis sunt, appellare velis, nisi pura & signis carentia? Non video. At quod tu credis, Vir Amicissime, etiam signa illa murila in aciem producta, ut signa cœtera, quæ signa propterea dicebantur, quod signis suis, aquilæ, coronæ, manus, orbium, & si quæ sunt alia, distincta essent, haud unquam mihi persuadebis, quum nulla antiquitas hoc dixerit aut monstraverit, quum sine signis illis signa non fuerint, nisi pura, donationibus destinata, non prœliis aut exercitibus. Nec obstat, quod nemo ante me hoc dixerit, quoniam nemo in illa signa prius animadvertit, sed vexilla pura ad alia longe traxerit, quæ minus cum evidentia ista, quam ego primus tibi proposui, conveniunt, nec cum antiquitate in illis manifesta, adeo ut integrum mihi fuerit aliter in vexilla pura inquirere, meamque sententiam super illis tibi perscribere: quæ si nunc doctis non placet, quoniam nova est, alio die forte placebit. Sed nolo amplius contradicere, ne leges amicitiæ contradicendo tecum infringam. Concedam potius quævis, quam ut contradictionibus meis tibi molestus sim. Sint potius, prout tibi placet, & quamvis meam in judicando libertatem mihi servare æque possem, adquiesco.

A Quæ de peplis Minervæ doctissime monuisti, noluissem te meum quinquennium tam stricte intelligere, quasi non intra illud tempus etiam peplo Minerva donari potuerit. Et sane mulierum ac Virginum operæ ac manus, quæ in tali peplo tot figuris elaborando occupatæ fuerunt, intra annum unum, aut alterum vix absolvi potuisse satis video. Quo plures annos impendebant operi, eo elaboratius & pulchrius visum esse, quis non credat?

Donati & Honorati Imperatorum dicebantur, ut Evocati Augusti & Imperatorum, subintelliguntur enim Milites, qui rem præclare gesserant, B ut evocari, honorari & donari præ cœteris mererentur, qui Evocati Aug. N. Evocati Cohortis 2. Præt. Evocati Romæ, Evocati Statorum, Evocati Augg. N. N. Evocati Cohortis IV. Evocati Cohortis VII. Prætoriæ in Inscriptionibus dicuntur. Sic Candidati II. Aug. velati in Præt. Candidati Pr. hastar. Hastati Leg. II. Hastatus primus veterani, & quæ sunt alia quamplurima in Inscriptionibus. Notandum est enim, pleraque officia, Beneficia, & Dignitates cum solis adjectivis proponi, quæ substantivorum more reguntur. Ita quoque Donatus & Honoratus Imperatorum.

At quod Imperatores desiisse putas, postquam C ad unum spectare cœpit Imperatorem imperium, longe aliter se habet. Manserunt enim Imperatores militares etiam sub Augustis, qui perpetui non erant, ut Imperatores a Julio Cæsare summi; hinc in nummis sæpius IMP. AVGVSTVS IMP. VII. VIII. IX. X. &c. quamvis Tiberius Imperatoris titulum agnoscere noluerit, nisi Imperatoris militaris, qui nomen illud meruissent tot hostibus cœsis, quot ad illam dignitatem obtinendam requirebantur. Neque tamen illud sub Augustis attendebatur, sed illorum arbitrii erat, quos Imperatores exercitus constituere vellent, penes quos etiam erat potestas donandi & honorandi milites, D qui se præ cæteris præstiterant, armillis, vexillis, aliisque donis, æque ac Imperatores Augusti. Neque enim HONORATVS IMPERATORVM OMNIVM intelligi debet de solis Augustis, sed etiam de Imperatoribus militaribus ab Augusto ipso constitutis. In Inscriptionibus sane occurrit IMPERATOR DESTINATVS, & alibi IMPERATOR FORTISSIMVS de aliis, quam Augustis. Verum tamen est, tandem desiisse Imperatorum militarium nomen, & idem officium aliis nominibus venire, Præfecti scil. militiæ, Græce ὕπαρχοι cœperunt dici, in Constantinop. Imperio, ut Gainas ille Gothus sub Arcadio, qui apud E Sozom. l. 8. c. 4. ὕπαρχος declaratus est πεζῶν καὶ ἱππέων τὴν ἡγεμονίαν ἐκ βασιλέως ἔχων. Nero Claudius Drusus in nummis sub Augusto Imperator salutatur. In Nummo aureo Theodosii Junioris apud Beger. p 840. Caput galeatum cum hasta in dextra recumbente super humerum & scuto in brachio sinistro DN. THEODOSIVS P. F. AVG. In aversa Roma sedens galeata dextra orbem cum cruce protendit, & stella solis sub manu: scutum ad sinistram adstat, subtus CONOB. IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. Quæris etiam de vexillis Judæorum, quæ vela fuisse plerique commentatores exi- F stimant, eaque suo more pinxerunt, nominibus cujusque tribus, & aliis animalibus, ut recte observasti, sed ductu Scripturæ Sacræ illud minime probatur; ibi enim nihil est nisi נֵס aut אות quod est signum in genere, aut דֶגֶל quod proprie est signum aut vexillum militare. At qualia fuerint illa signa, an vexilla vela, an alia, quoniam scriptura non indicavit, & ex aliis vetustis scriptoribus nihil de illis expressum est, me quoque si nesciam scribere haud pœnitebit, qualia fuerint. Si serpentem in deserto erectum respiciamus, quod etiam signum,

fuit, quamvis non militare, ad illam formam tamen signa militaria Judæis fuisse dicendum veniet, nec vexilla vela dicere poterimus. Ideo Buxtorfius *Deghel* non expressit nisi *vexillum*, & *Daghal vexillum erexit*, quæ vox *vexilli* ἀμφίβολος est, & tam ad vexilla vela, quam ad vexilla signa pertinet, ut nosti. Nec dicit Buxtorfius qualia fuerint. Si vexilla signa fuerunt, jam serpentes aut Dracones & alia animalia perticis imposita fuisse, credere possumus, quamvis & illud adversetur legi divinæ, *Non facies tibi sculptile*: quod non solum de sculptis, sed pictis etiam animalibus intelligi debet. Et in tota antiquitate non reperimus vexilla vela, aut hominum, aut animalium brutorum figuris picta fuisse. Recentiorum hoc fuit, qui hoc vexillis istis addiderunt. Inclino in hanc sententiam, vexilla Judæorum vela fuisse, sed coloribus solis distincta, quæ eminus etiam dignosci poterant, & si nomina tribuum inscripta fuerunt una cum coloribus, etiam cominus. Nam si sola nomina sine coloribus inscripta fuissent, eminus cognosci non poterant. In Rabbinico scripto Bamibbar rabba colores vexillorum fuisse eosdem, qui gemmis in pectorali Aaronis fuerunt, tradidit, & nomen tribus insuper inscriptum, quod alienum non esse videtur ab gentibus istis. Memini namque me in prioribus adduxisse locum Dionis, quo Syriacas legiones a Crasso contra Parthos sub talibus vexillis eductas fuisse, tam coloribus distinctis, quam nominibus inscriptis, commemoravit. Tribui Levi nullum plane signum bellicum adsignarunt, quod illi arma non sumerent, sed sacris solum adsisterent & juvarent in bello; binas igitur tribus substituerunt, Manassen loco Levi, & Ephraim loco Josephi. Et quamvis dicatur sæpius ac memoretur *Leo Judæ*, haud tamen inde sequitur, animalibus picta fuisse illorum vexilla, & Leonem in vexillo Judæ fuisse. Alia enim ratione Leo Judæ intelligitur quam de vexillis. Hæc habui, quæ de vexillis illis Judaicarum tribuum didici, quæ necesse est, aut signa fuisse similia Romanis, aut vexilla vela, quod potius me credere fateor; siquidem nulla alia signa, aut vexilla in tota antiquitate legimus, quam hæc duo, imaginum sculptarum, aut velorum: sed præstat tacere, ubi Scriptura tacet.

De Asiæ symbolo serpentibus, quod quæris, dicam verum esse ab Ægyptiis illum serpentum cultum totam Asiam detinuisse, & ab illa idololatria nullam fere gentem post Asiaticas immunem mansisse. Omnes ab illis didicisse in propatulo est, in Germaniam usque & Septentrionem ultimum hoc veluti SALUTIS signum receptum fuit præstantissimum & indubitatum, ita ut Asiæ nunc transcribi nequeat, nisi quoad originem, quæ ex illis gentibus ad omnes fere pervagata fuit. Totam Græciam illis operatam esse, ostendunt tot nummi Cistophori Cretensium, qui sine serpentibus non fuerunt; nec solum in Creta, sed passim. Ubique enim hi Cistophori cum serpentibus in nummis Græcorum exstant, adeo ut etiam in nummis Antonii & Augusti cum ASIA RECEPTA compareant, quamvis non eo pondere, quo apud Græcos: vix enim quinarii, aut victoriati pondus excedunt. Græci vero plerumque eos nummos maximi moduli, h. e. τετραδράχμυς & πεντάδραχμυς exhibuerunt, ut significarent, nullum cultum eis esse chariorem, & magis salutarem ostenderent. At quod Scriptores omnes nummos Tetradrachmos κιςοφόρυς appellare consueverint jam, licet nulla cista cum serpente in illis appareat, nescio quam recte faciant. Ii enim soli κιςοφόροι proprie, qui cistam illam cum serpente
A impressam habent, sive sint pondere τετραδράχμυ sive minori; dantur enim Cistophori etiam ponderis minoris, ut de Antonii & Augusti nummis dixi, quin & de aliis dici potest, tam in ære, quam in argento. Romani SALUTEM ipsam non alio signo plerumque exprimebant, quam Deæ escam ex manibus serpenti præbentis. Germani serpentes inter signa sua bellica receperant æque ac aprorum aliasque animalium figuras, quas detractas lucis in aciem portabant, Tacito teste, testibus etiam nummis, in quibus trophæa & spolia illorum præfigurantur, etiam ita, ut serpentes vivos & spirantes secum, non solum effigia-
B tos in baculis, ad exercitum haberent, & ut signis uterentur, ac in hostes incantatos immitterent, salutem & victoriam ex iis sperantes. Hoc non intellexerunt, qui nummos Germanos hactenus explicarunt, signa illa esse Serpentum & Draconum, vel Serpentes vivos, nam utrumque ex nummis evidens est: sed aut tubas, aut aliud quid eos voluerunt esse, quum tamen tubæ Germanorum rectæ fuerint, & cavæ, & ligneæ, prout sunt etiamnum Lapponum: hodie quæ in nummis etiam cum reliquis spoliis seorsim exstant, cum scutis illorum sexangulis, & jaculis, & ve-
C xillis velis. Nam non uno signo militari omnes Germani usi sunt, sed nunc illo gens una, nunc alio altera, in quas inciderunt Romani Germanos debellare conantes. Inspice quæso nummum Domitiani, quem ex thesauro Brandeburgico produxit doctissimus Begerus, p. 640. & alii Nummographi, ut & trophæa Cæsaris p. 558. cum Vex. ubi signum in Draconem effigiatum ex altero brachio dependet. Imo tanti erat serpens & draco, ut humanam faciem illi adderent, Isidem sic præfigurantes, aut Faustinam juniorem, ut docet idem Begerus p. 672. indicare volentes eam ipsam salutem Deam esse. Memini me apud Erizzo etiam
D talem figuram serpentis cum capite humano Regis alicujus observasse, eodem tendens, ut demonstret, eum salutem totius Regni procurare.

Recte mones ἀναχρονισμὸν in istis Philippeis occurrere & μεταχρονισμὸν, quum Sibyllæ ætate nondum Philippei cusi essent. Primi enim Philippei a Philippo Macedone nomen traxerunt, ut ante illum χρυσεῖοι & Δαρεικοὶ in Asia, quibus vetustiores historia nulla novit. Generali nomine χρυσῦς appellantur omnes, erantque pondere δίδραχμοι, in quo perstiterunt etiam apud Romanos, quando primum aureos cudere cœperunt, suæ Reipublicæ proprios. Nam ante illos quin
E Crœseos & Daricos & Philippeos, & alios aureos apud se valere siverint, nullum est dubium.

Jam vero superest, ut abs te discam, quid sentias de nummo illo Trajani, p. 650. ubi quatuor Aquilas pinxit ad statuam Trajani, & pone illas quatuor vexilla vela, ut explicavit Dn. Begerus. Neque enim Aquilas cum vexillis velis ullibi conjunctas memini uno intuitu. Item quid sentias de votis decennalibus in nummo Faustinæ majoris, quem exhibet p. 670. quum Augustabus vota decennalia suscepta, aut soluta, nulla antiquitas nos doceat, præterquam in illo nummo solo. Doleo sane istius summi Viri causa negligentissimos
F ipsi sculptores fuisse, & sæpe in contextum irrepsisse, quæ in propositis nummis nequaquam reperiuntur. Exempli gratia sit nummus ille Lucillæ p. 675. cum Faustinæ junioris, & Faustinæ cum Lucillæ p. 678. nummis confusus, de quo in textu ne γρῦ quidem; ut taceam de illis innumeris erratis, quæ inscriptiones præsertim nummorum deturparunt, & obscurarunt, fidemque illorum valde extenuant. Sed etiam Grammaticale bellum exoritur cum novis Grammaticis & Lexicographis,

phis, an *Philosóphia* pronunciandum sit vel *Philosophía*, an *Alexándria*, vel *Alexandría*, an *Dárici* vel *Daríci*. Ego ſane in illis a Græca lingua deſcendentibus uſum doctorum vulgarem in pronunciando ſequi malim, quam illos novitios, ſi quidem regulis certis illa omnia comprehendi nequeunt. Nam latina lingua ſuos habet accentus, ut Græca ſuos. *Ρώμη*, Ευρόπη, *Αφρικὴ*, longam habent literam, & tamen Latini brevem fecerunt, *Roma*, *Europa*, *Africa*, &c. Quid de his ſentias etiam indicare te velim, an non uſus pronunciandi & loquendi receptus prævalere debeat, nec regulis Grammaticorum obtemperare, cum regulis ſuis uſum receptum tollere in omnibus hactenus nequeant. Interim tibi tam magnifica dona a Rege Pruſſiæ obtigiſſe, teque Donatum & Honoratum Magni Regis factum eſſe, quidni gratuler & gaudeam? Multum me devincies, ſi pondus hujus nummi, emblemata & inſcriptiones accurate mihi deſcripta ſubmittere non graveris. Chriſtianum 5. Regem Daniæ ejuſmodi nummos aureos centum drachmarum ponderis procudiſſe, jam ex muſeo ipſius edito, niſi fallor, obſervaſti, imo unciarum noſtrarum 21. h. e. 168. drachmarum vel Ducatorum, quo nummo majorem nondum Orbis vidit, excepto eo, quem Hiſtoriæ unicum ab Anglico Duce Herefordienſi Henrico nummum 50000. Ducatorum pondere Philippæ filiæ ſuæ in dotem conſignaſſe, aut coemptionem matrimonii cum Erico Pomerano Rege Daniæ referunt. At hunc nummum, miraculum mundi, non diu ſuperfuiſſe certum eſt, indigente ſemper Erico etiam pluribus ejuſmodi nummis, adeo ut nec quid in illo ſignatum fuerit, obſervaverint ulli.

Hiſce vale *τιμαλφέστατον καὶ φίλτατον ἐμοὶ κάρα*, & cum novo hoc anno vota mea pro tua ſalute & felicitate, ut annos & perennes feliciſſime ſuſcipias ſuſcepta. Sic enim toto animo voveo tibi, Vir ſumme, omni cultu & obſequio addictiſſ. tuus.

Ipſis Cal. Januar. A. 1703. Hafniæ datis.

LII.

Ampliſſimo & Celeberrimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Litteræ, quas ad me dediſti ipſis Cal. Januarii hujus anni, recte curatæ ſunt, iiſdemque citius reſpondiſſem, niſi fuiſſem occupatiſſimus, & me habuiſſent exercitum valde publica regionis hujus negotia, & tumultus popularis, quo Daventria concuſſa fuit die, quem Petro ſacrarunt Chriſtiani.

Et licet mihi ita fuerint cauſæ ſonticæ in hunc uſque diem reſponſum rejiciendi, tamen amicitia noſtra mutua, & tuum in me ſtudium expoſcunt & flagitant, ut veniam petam; id quod certe facio alacriter, idque ea lege & conditione, ut in poſterum diligentior futurus, & poſthabitis aliis negotiis tibi quamprimum reſponſurus ſim. *Vexilla & ſigna* relinquere conſtitui, quia video, vir præſtantiſſime, nec te meis, nec me tuis rationibus permoveri poſſe, ut ſententias mutemus: illud tantum rogo, ut ne me tanquam deſertorem punias, utque habeas perſuaſiſſimum, me *φίλαυτον* nequaquam eſſe, vel ulla contradicendi libidine opinioni meæ penitus adhærere, ſed quia, quo ſum ſtupore, argumenta tua, ut ut videantur ſcita & blandientia, me a propoſito depellere nullo modo poſſunt. Et quanquam ita unuſquiſque noſtrum Catone ſuo debeat eſſe contentus, patere tamen ut ſignificem, me nullibi ſcripſiſſe, ſigna illa mutila in aciem producta eſſe, æque ac ſigna cætera, quæ ſigna propterea dicebantur, quod ſignis ſuis aquilæ, manus, coronæ, orbium, & ſi quæ ſunt alia, diſtincta eſſent. Nam ego quidem talia ſigna pura nunquam in nummis obſervavi, & arbitror illa nequaquam pura eſſe, ſi vexilla vela, vel alia qualiacunque ornamenta iis fuerunt addita.

Quod ſi concedam, *Donatos & Honoratos* Impp. appellari, qui ab iis erant donis ornati; tamen neſcio, an alii quam Impp. vel Auguſti, hic locum habere poſſint; nec puto, niſi pauciſſimis, poſtquam vim dominationis Auguſtus invaſit, uſitatum illum libera Rep. titulum datum fuiſſe. Ipſi Cæſares ſibi honorem illum vindicabant, atque uti *Imperatores*, præpoſito ante proprium nomen hoc titulo, dicebantur, quia præerant omni Romanorum militiæ, & imperium in Remp. obtinebant, ita a victoriis per Legatos vel per ſe partis appellabantur variis vicibus *Imperatores*, ſcribebaturque ille titulus poſt nomina propria, & hoc eſt, quod in nummis Auguſti legitur, IMP. AVGVSTVS IMP. VII. VIII. &c.

Quin & animadvertere te velim, Tac. 3. A. 74. narrare, Tiberio ſub Principe ultimum fuiſſe Jun. Blæſum, cui hic honor habitus fuit; ipſa ſcriptoris *πολιτικωτάτου* verba integra adſcribam, ut nihil neceſſe habeas ipſum illum adire. *Sed Tiberius pro confecto* (bello) *interpretatus, id quoque Blæſo tribuit, ut* IMPERATOR *a legionibus ſalutaretur; priſco erga duces honore, qui bene geſta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures ſimul* IMPERATORES, *nec ſuper cæterorum æqualitatem conceſſit quibuſdam & Auguſtus hoc vocabulum: ac nunc Tiberius Blæſo poſtremum*. Adeo ut mihi nequaquam ſit veriſimile, alios ſub Auguſtis poſtea eo titulo fuiſſe donatos, & propterea aliquem potuiſſe dici HONOR. ET DONATVM IMPP. OMNIVM, niſi plures eodem tempore fuiſſent Auguſti; quid quod & Lipſius recte notat, diſplicuiſſe Auguſto morem Reip. quo multi Impp. dicti, ſi rem ſuis auſpiciis bene geſſiſſent, & eum ut reliquos honores in ſe, ita & hoc nomen traxiſſe, illudque communicatum poſtea cum paucis & fere non niſi ex gente Auguſta.

Atque cum hæc ita ſeſe habeant, velim equidem doceri, uti tradis, manſiſſe ſub Auguſtis Imperatores militares, qui perpetui non erant, & Auguſtorum arbitrii fuiſſe, quos Imperatores exercitus conſtituere vellent, & penes hoſce etiam poteſtatem fuiſſe donandi & honorandi milites... Certe Auguſti duces in expeditionem mittebant, ſed illi non dicebantur *Imperatores*, verum *Legati, præfecti, proprætores, proconſules* vel *duces exercitus*, illique benemeritos milites coronis, armillis, torquibus, aliiſque donis militaribus videntur honoraſſe, qua tamen de re poſtea, ſi tantum mihi temporis, agam; ſed tantum abeſt, ut illi *Imperatores* dicerentur, ut credam, exemplum nullum mihi datum iri; unde etiam puto *Honoratum & Donatum Impp. omnium* ita nequaquam explicari poſſe. Huc pertinet Pollionem ſcribere, tanquam rem inſolitam, Aurelianum appellaſſe Tetricum, qui Auguſtus dictus ſeſe ipſi tradiderat, *collegam*, *nonnunquam commilitonem*, *aliquando etiam Imperatorem*, ubi tamen malim intelligere ſummi faſtigii titulum.

Quæ de *Evocatis* addis, mihi non ſatis bene videntur convenire argumento noſtro; nam *Evocati* quidem Imperatorum vel Aug. dicuntur, qui ab iis evocati, lecti excubias circa cubiculum agebant, uti

patet ex Suet. Galb. cap. 11. & aliunde; ſed *Evocati cohortis* 11. *prætoriæ*, non a cohorte, uti facile vides, ſed ab Imperatore ſunt evocati & cohorti illi adtributi; & ita *Evocati Romæ*, mihi a Roma facti plane incogniti ſunt, ſed puto eſſe Evocatos, qui Romæ habitabant, vel τὸ ROMAE ad ſequentia pertinere in Inſc. 4. p. 520. apud Gruterum, ſi modo Lazius eam recte deſcripſit.

Et quanquam *Candidati Imperatorum* optime dicantur, tamen doce me, quæſo, quid ſibi hæc velint in Inſ. 5. p. 1109. CAND. II. AVGVST. II. VELATVS IN PRAET. an ſignificatur eum fuiſſe bis Candidatum, ſive Quæſtorem, duorum Auguſtorum, & relatum fuiſſe in Prætorium? neque enim ullo modo capio τὸ Velatus, aut quid ſibi velit perſpicere poſſum; & te etiam atque etiam rogo, ut mihi hoſce ſcrupulos eximere velis.

Imperatorum deſtinatum, & *Imp. fortiſſimum* invenio quidem in Indicibus Gruteri, ſed non in locis, quæ ibi annotantur; adeo ut judicare nequaquam poſſim, an aliis, quam Auguſtis, ille titulus datus ſit. Mihi omnino veriſimile videtur, illum vix alii tribui poſſe, quam cui ſucceſſio imperii deſtinabatur, & inde eſt, quod in Caracallæ nummis ſcribitur DESTINATO IMPERATORI, quia ſcil. Severus pater in eum conferre volebat primo nomen Imperatoris, & inde reliquas dignitates, vel etiam ſimul anno ſequente dicere Auguſtum.

De Judæorum vexillis nihil habeo, quod addam, & tecum facile exiſtimo, materiam hanc nondum ſatis illuſtratam eſſe; id quod nec futurum facile, credo, quia recentes valde ſunt Rabbinorum libri, illique talium rerum, ſi quid video, plane fuerunt incurioſi.

Ciſtophoros optime explicas, & ego eandem ſententiam breviter contra eruditos defendi olim juvenis admodum lib. 4. obſ. c. 16. pluribuſque de iis agam, ſi quando ſecundam opuſculorum meorum editionem in lucem dabo; id quod certe graviſſimo hoc bello vix fieri poterit.

Ego in nummis Germanorum, vel qui propter victos Germanos a Romanis cuſi ſunt, nullos ſerpentes vivos invenio, ſaltem non in Auguſti, Tiberii, & Vitellii apud Ducem Arſchot. tab. 10. 17 24. Tropæa Cæſaris p. 558. & nummum Domitiani p. 640. apud Begerum t. 2. Theſ. Brand. diligenter inſpexi; ſed nondum credere poſſum veros ſerpentes nobis in illis repræſentari; quin potius judico *tubas* eſſe, vel, ſi vis, ſigna, quorum ſummitates in Serpentum & Draconum capita formatæ ſunt; quanquam exiguitas videatur refellere omnino eam opinionem; & huc adprime facit Euſtathii locus, allegatus a me 141. Harpocratis, in quo ſcribit σαλπίγγων eſſe *tres ſpecies .... tertiam Galaticam* i. e. ut puto, Celticam, *non valde magnum codona habentem* θηριόμορφον *forma ſerpentis*, ita enim nunc puto Græcam vocem debere explicari; *& quartam Paphlagonicam ejuſque codona retuliſſe caput bovis*.

Nummus M. Antonini apud eundem virum doctiſſ. mihique amiciſſ. p. 672. explicandus eſt ex Ægyptiorum ſuperſtitione, & fieri poteſt, ut caput Fauſtinæ Junioris illi ſit impoſitum; ſed ſerpens e numinibus Ægyptiorum eſt ordinariis, & magnam ſtolidæ religionis partem occupavit.

Non memini me videre apud Erizzum ſerpentem cum capite humano Regis alicujus, ad demonſtrandum, eum ſalutem totius regionis procurare. Sed in nummis Antonini Pii ab Abonorichitis percuſſis legitur ΑΒΩΝΟ ΤΕΙΧΙΤΩΝ ΓΛΥΚΩΝ, viſiturque in eo ſerpens in varios ſe volvens gyros & erigens, capite humano; *Gly-* A *con* nomen eſt Æſculapii vel ſerpentis illius, & hiſtoriam hanc cognoſcere ad unguem poteris ex Luciani pſeudomante. Ipſe nummum æreum Antonini Caracallæ poſſideo elegantiſſ. cujus in averſa parte legitur, ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. cerniturque idem illius impoſtoris figmentum, vel ſerpens capite humano, & perſuaſum habeo talem te nummum habere ante oculos.

Nummus Trajani, quem publicavit Begerus p. 650. eſt valde elegans & rarus, ſed ego in illo non invenio, pone quatuor aquilas pictas ad ſtatuam Trajani, *quatuor vexilla vela*; nec ita hoc explicat Begerus, quippe qui dicat tantum, *A-* B *quilas cum labaris ſive vexillis clariſſime demonſtrare nummum eum ſignatum eſſe ob victoriam*, ex ſententia ſcil. unius colloquutoris. Ex iis igitur aquilis ad ſtatuam pictis, facit etiam quatuor labara, & puto eundem credere has aquilas in labaris pictas fuiſſe. Verum ego arbitror, nulla ibi ſigna nobis repræſentari, ſed tantum tabulas aquilis inſignis ornamenti cauſa a lateribus ſtatuæ Trajani fuiſſe poſitas; nec mihi lectum, aquilas labaris fuiſſe intextas; neque etiam apparent perticæ, quæ pars ſignorum vel vexillorum erant, & ſerta florum infra illas aquilas pendentia mihi videntur C oſtendere, hic nihil aliud quærendum eſſe, quam ornamentum baſeos, cui ſtatua inſiſtebat; ne jam dicam, haſce res oblongas nimis eſſe, quam ut labaris vel vexillis conveniant.

Nec minoris æſtimandus alter nummus Fauſtinæ majoris p. 670. in quo VOTA DECENNALIA occurrunt; & recte notas in nullis aliis Auguſtarum ea nobis repræſentari: in nonnullis ejuſdem Fauſtinæ, Lucillæ, Criſpinæ, Juliæ Piæ & Helenæ Juliani conjugis ſcribuntur VOTA PVBLICA, ſed DECENNALIA in nullis aliis, quam Auguſtorum nummis obſervavi, niſi quod in uno Galtæ Placidiæ apud Mediob. p. 520. inve- D niam, VOT. XX. MVLT. XXX. R. V. CON. OB. & in alio Eudociæ p. 536. VOT. XX. MVLT. XXX. CON. OB. ſed nolim affirmare hoc Antonini tempore fuiſſe in uſu; quin & potuerunt monetarii erraſſe, & averſas Impp. areas attribuiſſe eorum uxoribus. Præterea nummus ille Fauſtinæ mihi valde ſuſpectus eſt, quia utriuſque lateris inſcriptio male ſeſe habet, & licet facile Begero, viro ſollertiſſimo, credam eum eſſe genuinum, tamen neſcio quem ſcrupulum mihi injiciat ſcriptura ipſa. In nummis Antonini Pii occurrunt VOTA SVSCEP. DECEN. & PRIMI DECENNALES nempe ludi, & notandum eandem plane figuram, E addita inſcript. VOTA SVSCEP. DECEN. III. Cos. IIII. inveniri in ipſius Antonini nummo apud Ducem Arſchotanum, tab. 42. unde facili opera error monetariorum oriri potuit.

Animadverti etiam varios in Theſ. Regio Brandeb. nummos male collocatos eſſe, non ſolum in tomo illo ſecundo, verum etiam in tertio; id quod proculdubio etiam animadvertes; nunc numeros teneo, non verba, uti eſt vetus verbum.

Quod ad bellum Grammaticale attinet, noſti *Sophiam* ſecunda brevi, & *Alexandriam* nec non *Darium* penultima longa apud poetas inveniri, & in ipſis nummis Latinis ſcribi ALEXANDRIA: & ſi F uſum illum, atque adeo linguam Græcam, unde deſcendunt, ſequi volumus, a communi loquendi forma nobis abeundum eſſe. Illud ſolum quærendum reſtat, an uſus contrarius non potius retinendus ſit, quippe qui firmetur tam longo temporis ſpacio, & quia Romani Græcorum literas longas mutarunt in breves, uti exempla a te allata docent. Quod ſi ex veteribus aliquis eo accentu voces *Philoſophia*, *Darius*, *Alexandria* protuliſſet, uti hodie uſus obtinet, ego certe ſecundum illum

pronunciarem; sed novos Grammaticos sequerer, si recte & bene enuntiare voces easdem velim.

Nummus aureus, quem Potentiss. & Munificentiss. Borussiæ Rex mihi dono dedit, valet 518. florenos, ut vocant, monetæ Hollandicæ; est ex auro, unde Ducati conflantur, & si addas, quod nunc ultra pretium valet, sive *opgelt*, erit florenorum 544. Hinc cernitur caput Regis laureatum FRIDER. PRIMVS. D. G. REX BORVSSIAE, lorica induitur tecta fere paludamento; infra truncum lacerti, scriptum est nomen artificis parvis literis quadratis R. FALTZ; inde vero repræsentatur Hercules, tenens tria mala aurea manu dextra, sinistra clavam, tectus tergum & pudenda pelle leonina; a latere arbor est parva, & ad radicem ejus draco, & in reliquo campo arbores hinc inde & frutices; VIRTVTI PRAEMIA PONIT. & infra MVNIFICENTIA PRINC. supra lineam, qua binæ ultimæ voces distinguuntur a reliquo nummo parvis ibidem literis scribitur A. F. Illum ego reposui in capsula argentea, cui inscriptum est, OB. SERENIS. ET. POTENTISS. BORVSSIAE REGEM. RECEPTVM. AEDIBVS MEIS. XXX. IVLII. DIE ANNI, MDCCII & a lateribus præpositionis OB. visuntur duæ coronæ Regiæ, & quidem artificiosissime, non secus ac ipsa Inscriptio, elaboratæ.

Stupendæ magnitudinis proculdubio nummus fuit, quem filiæ suæ Philippæ in dotem dedit Dux Herefordiensis, & tecum persuasum habeo, eum non diu superfuisse.

Atque ita puto me pensum meum absolvisse, & respondisse omnibus acceptissimæ epistolæ tuæ capitibus. Nunc addo, me multam voluptatem cepisse ex colloquiis quæ habui cum illustri D. de Numsen, & me bona fide expertum esse, virum esse multæ lectionis & optimi judicii. Dies nonnullos cum eo hilariter exegi, uti proculdubio laribus suis redditus tibi narrabit. Familiariter etiam vixi cum præfecto summo D. Scholtz, nec non cum D. Prætorio; quin & ante paucos dies Campis loquutus sum cum D. Rantzovio, & cum ille ad Consulem veniret, qui me aliosque prandio excipiebat, tui sanitatisque tuæ ambo meminimus, evacuato poculo vini Rhenani generosissimi, & tunc mirabar iterum, Virum illum Excellentiss. Homeri & aliorum poetarum versus, commoda occasione, pronuntiare.

Nunc paucis agam de Donis militaribus, quæ putas sub Augustis *Imperatores* vel Duces dedisse, & inde unum dici fuisse *Honoratum & Donatum Impp. omnium*. Ego huic explicationi manus dare, uti animadvertisti, non potui; & nunc addo, me inspexisse plerasque Gruteri Inscriptiones, in quibus narratur DONA MILITARIA, PHALERAS, CORONAS, TORQVES, ARMILLAS, VEXILLA, HASTAS PVRAS data fuisse, sed nusquam me reperisse ejusmodi *Imperatores*, verum Augustum, Claudium, Antoninum, Trajanum & alios, & res mihi admodum verisimilis videtur, dona, quibus donator non adscribitur, etiam ab Augustis data fuisse. Ecce tibi insignem Taciti locum 3. A. 31. *Quo prælio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus rettulit, donatusque est ab Apronio torquibus & hasta: Cæsar addidit civicam coronam, quod non eam quoque, jure proconsulis præbuisset, questus magis quam offensus*. Quibus si jungantur verba Suet. Tib. c. 32. *Corripuit Consulares exercitibus præpositos, quod de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent, quasi non omnium tribuendorum ipsi jus haberent*; videbis facile, hanc rem tunc incepisse Augustis servari, & proculdubio postea etiam ipsis relictam fuisse; Legatos præfectosque ad ipsos prius retulisse, antequam milites bene meritos donis honorarent, & inde toties in lapidibus vetustis scribi, Augustos illa dona dedisse, qui tamen sæpe etiam præsentes potuerunt fuisse: vide quæso, quæ huc quodammodo facientia, præcipue si CORONAM CIVICAM spectes, notavi p. 219. Apotheoseos Homeri, quam notam egregie augere possem: sed otio & patientia tua abutor. Vale quapropter & vive feliciter.

Dav. 27. Aprilis 1703.

P. S. Vaillantius edidit tom. 2. Numism. Impp. Rom. varios nummos Gallieni, in quibus leguntur nomina legionum, adduntur que iis variæ figuræ, puta Capricorni, Martis galeati, Apri &c. Vir doctissimus putat, eas fuisse legionum illarum insignia, id quod etiam sentit Phil. a Turre in Monum. Veteris Antii (qui liber est doctissimus) p. 145. qui & arbitratur hæc esse *signa Legionum* Trebellio c. 8. Gall. memorata. Sed tuum erit me docere, an illis insignibus signa fuerint exornata, vel signa fuerint legionum illarum, an vero in militum scutis ea fuerint picta, quomodo Lipsius lib. 4. Dial. 8. de Mil. R. putat elephantos, secundum Appian. 2. Civil. ἐς τὰ σημεῖα legioni V. constitutos fuisse in clypeis signisque manipulorum, nec aquilam fuisse amotam. Si Philippus a Turre recte Trebellium explicat, altera interpretatio præferenda est.

LIII.

Nobilissimo & Præstantissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Quas 27. April. hujus anni ad me perscripsisti, recte redditas scito. Non opus est ad me excusationibus ullis, certus sum, nisi fuisses occupatissimus, prout hæc tempora flagitant, te diligentiorem in scribendo esse voluisse. Vexilla quod attinet *muta*, ut illa vocat Vitruvius alicubi, quid faciam, quod illa ut pura agnoscere non queas? Oculis si credis tuis, illa posses passim in nummis observare, & propterea muta ac pura esse, quod nullo signo sint ornata. Nolo amplius illa urgere, sed tuæ sententiæ te relinquam. Nam licet adsunt ornamenta, sine quibus ne vexilla quidem essent, sed hastæ aut perticæ puræ, vexilla tamen pura ut dicantur, facit signum quod abest, non vero signi ornamenta.

Recte sentis jam de Imperatoris militaris titulo, paucis illud datum sub Augustis, datum tamen fuit, ut ipse fateris. An Junius Blæsus, qui postremus fuit sub Tiberio, cui titulus ille collatus fuit, etiam postremus fuerit sub sequentibus Imperatoribus, valde adhuc dubito; quamvis non succurrat nunc exemplum, quo te refellere possim. Quidquid sit de Imperatoribus sub Augustis, illum qui se donatum ab omnibus Imperatoribus in Inscriptione professus est, sub Augustis vixisse non video, nec credo; quamvis quo tempore vixerit, mihi non constet.

De serpentibus vivis in trophæis de Germanis quod dubitas, an tubæ sint, an signa Germanorum, mihi quidem neutrum videntur. Nam ex aliis pluribus nummis satis patet, & tubas eorum fuisse rectas, & signa in draconem formata baculo recto cum capite draconis repræsentata, quod

& in Valentiæ Italicæ nummis memini me obſervaſſe. Illi vero Dracones vel Serpentes, qui in dictis nummis ſe videndos præbent, collis ſunt incurvis ſubrectis ad ſibilum, nullamque tubæ formam referunt θηριόμορφον anguſtæ nimis, quam ut ſonitum tubæ poſſint exprimere; neque enim etiam ille ſonus eſt Serpentum aut Draconum, qui ultra ſibilos vocem non habent. Verum quidem eſt, ſerpentes Græcis ſæpius κατ' ἐξοχὴν θηρία dictos, ſed ſonum tubæ illos ediſiſſe nuſquam legi: quidquid ſit de Paphlagonica tuba, cujus κώδων caput bovis retulit, quod facilius creditu eſt, illas tubas boaſſe, quam ſerpentiferas; nam bonus Euſtathius in multis talibus nimis etiam credulus fuit. Si tibias κώδωνι θηριομόρφας, non tubas voluiſſet, aliquid ſaltem dixiſſet, & tibias curvas intelligere poſſemus. Sed jam dudum eſt quod alibi annotaverim, vix Germanis aliiſque Septentrionalibus tibias unquam placuiſſe earumque uſum. Tuba mea Lapponica, quam ſervo inter rariora mea, licet lignea ſit, & ex variis ligni fruſtulis affabre compacta, ita ut regulæ illæ omnes ab orificio apto ſe dilatent rotunditate ſua uſque ad κώδωνα foramine ſuo, cui quatuor digitos inſerere poſſis, libro arboris deinde circumvoluta, ne ſpiritus ullus evadere poſſit, niſi per κώδωνα, longitudine duorum fere cubitorum, plane ſimilis tubis illis, quas oſtendunt nummi Germanica trophæa præfigurantes. Atque hæc de his hactenus.

Quod ſub finem Epiſtolæ tuæ diſquiris, de ſignis Gallieni legionum, quoniam Vaillantius mihi non eſt ad manum, ſtatuere nequeo, num ii gna ſtatuat, cum illis figuris, Capricorni, Martis, & Apri, vel an figuræ iſtæ ſolæ ſine ſignis in nummis appareant; nam memini Vaillantium in Impp. nummis figuras nummorum non expreſſiſſe, ſed deſcriptiones ſolas eorum addidiſſe. Eſſe tamen poterit, illas figuras in ſignis fuiſſe; nihil enim prohibet hoc ſtatuere. An vero fuerint ſigna legionum, quæ aquilam præcipuam requirebant, ut noſti, haud affirmare mihi licet. Singulis enim cohortibus ſub legione ſtantibus ſua ſigna fuerunt peculiaria, qua ratione etiam legionum dici poſſunt, ſed legionis cujuslibet ſignum erat Aquilæ, velut univerſale, totam legionem ejuſque cohortes denotans, ita ut Capricornum, vel Aprum, &c. ſignum legionis fuiſſe totius, minime deprehendam, ſed ad cohortium & manipulorum ſigna ſpectent. In Scutis nomina quidem Imperatorum, ſub quibus legiones militabant, fuiſſe obſervavi, ſed ita inſcripta, ut deleri poſſent, & alia ſubſtitui, occaſione exigente. Nihil tamen & hic prohibet, figuras quaſdam ſive Elephantorum ſive alias etiam in ſcutis pictas fuiſſe præter nomina. Arma enim iſta militi a Ducibus diſtribuebantur, ut dignoſci poſſent, ſub quo Duce reſponderent, & militarent. Hæc mea de ſignis & ſcutis illis eſt ſententia, niſi tu quid diſſentis, docte Trebati.

In donis militaribus, tu ſemper ad Auguſtos provocas, ego ad Imperatores militares in Republica ante Auguſtos, in Epiſtola mea reſpexi, penes quos fuit, milites bene meritos donare donis omnibus militaribus, coronis, armillis, phaleris, &c. Nam quod cautius Imperatores, Duces, vel Præfecti ſub Auguſtis verſati ſint & parcius, nullum eſt dubium, & ad Auguſtos ſuper his retulerint, ne gloriam illis præripere viderentur, tecum conſentio. Et Imperatoribus militaribus Reipublicæ tempore conceſſum fuiſſe, ita milites donare, ex ipſius Taciti verbis, quæ adducis, manifeſtum eſſe puto, ita ut Auguſti illam autoritatem donandi illis eripere voluerint, ideoque correpti ſint ab Auguſtis, quod ſua autoritate in his non uſi ſint. In hoc igitur non diſſentimus.

Magnum autem mihi onus imponis, Vir Ampliſſime, dum explicare me tibi cupis Inſcriptionem 5. Gruteri p. 1109. quæ nullam parem habet in toto corpore Inſcriptionum, unde juvari poſſimus, & explicatio facilior reddi queat. Tentabo tamen, & judicio tuo relinquam. Ac primum mihi videtur, Inſcriptionem integris verbis ponere, ita:

DIS MANIBVS
L. LARGIVS NONII FILIVS SVCVSANA (tribu) FAVSTVS
TRIBVNVS LEGIONIS VI. (ſextæ) AVGVSTAE
ET MISSICIVS LEGIONIS VI. (ſextæ) AVGVSTAE BIS.
CANDIDATVS II. (bis) AVGVSTI VELATVS IN PRAETO
RIO &c.

Nunc incipiendum ab ultimo, quoniam illi primi honores Largii fuerunt, in ſtipendiis quæ meruit inter Prætorianos, nimirum quod Candidatus Auguſti fuerit bis: hoc eſt, ſuffragio Auguſti promotus bis ad petendos honores quoſdam inter Prætorianos, quos honores tamen non nominat, quod exigui forte fuerint; Auguſti tamen candidatus factus, ut illos honores ambire poſſet. Novimus enim Auguſtis, munere quodam & honore vacante, ſive in civilibus, ſive militaribus, jus fuiſſe Candidatos ſuos cum reliquis, qui ambirent vacantem honorem, nominare & proponere; qui plerumque obtinebant, quoniam preces Auguſtorum erant imperia. Velatus ergo in Prætorio, nihil aliud eſſe puto, quam candida illum indutum nomine Auguſti in Prætorio, ubi militabat, ut cum cœteris Candidatis Candidatus ambiret. Hoc bis ſibi obtigiſſe inter ſtipendia, quæ meruit, indicare voluit Largius, & ab uno honore ad alterum adſcendiſſe ſe, Auguſto illum Candidatum ſuum faciente. Sic inter Gruterianas Inſcr. 6. p. 457. C. Pompilius IN OMNIBVS HONORIBVS CANDIDATVS IMPERATORIS Hadriani legitur, non ſemel, non bis, ſed in omnibus honoribus, quos receperat, Candidatus Imperatoris eſſe meruit, ab ipſo nominatus & propoſitus ad hos honores ambiendos. Hoc primum. Deinde Miſſicius legionis ſextæ Auguſtæ Largius legitur fuiſſe bis. Miſſicius, puto, hic nihil aliud ſignificat, quam emeritum Veteranum, & qui dimitti potuerit, hunc Largium factum: quod in aliis Inſcriptionibus MISSVS ſæpe dicitur, non MISSICIVS. h. e. qui dimitti potuerit emeritis jam ſuis ſtipendiis & annis, qui requirebantur. Sed quia Veteranis non ſemper placuit mitti, aut dimitti, verum in legione immunes manebant, præſenteſque ad ultimos caſus; contigit huic Largio ea felicitas, & virium, & ætatis, ut bis MISSICIVS & veteranus in legione VI. Auguſta fieret, honoreſque, quos bis candidatus Auguſti obtinuerit, juxta retineret, ita ut ſuis ſtipendiis & annis bis emeritis tandem tribunus legionis VI. Auguſtæ evaſerit. Hoc, puto, dicit hæc Inſcriptio. Tuum erit judicare nunc, num in re tam antiqua & intricata & obſcura recte ϛοχαζόμενος fuerim, vel num aliam ſententiam meliorem, ut ſpero, mihi commendare poſſis, in qua adquieſcere liceat.

Pro submissa descriptione Nummi aurei Brandeburgensis, qui tibi merito obvenit, gratias habeo maximas nec minores, quod cum Domino Rantzovio salutis meæ memoriam honore poculi inter vina recolere dignati sitis. Narravit hoc mihi Dn. Rantzovius dum hic adfuit, & altero poculo memoriam hic Tuam vicissim læti celebravimus. Deus Te sospitet, Amicorum Optime, cui cum voto felicitatis optimæ semper ero addictissimus.

Dabam Hafniæ d. XXVIII. Julii MDCCIII.

LIV.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

PLacuerunt valde mihi literæ, quas ad me dedisti 28. Julii die, & occupatione mea factum est, ut antiquum obtinere, iisque citius resspondere non potuerim. Etiam atque etiam rogo, ut hanc meam excusationem accipere velis, & credere me summopere delectatum esse iis, quæ mecum communicasti; & ex altera mora & procrastinatione te judicare nullo modo debere, me effundere gratiam & amicitiam tuam, quæ mihi admodum gloriosa est, quamque semper omni ratione excolere & augere conabor.

Disputationi igitur vel velitationi de *Signis* nuntium remitto; cavebo diligenter, ne verbum de iis postea; & certe satis in iis desudavimus, tempusque est, ut nos in castra nostra recipiamus, & de aliis rebus eamus in consilium.

Blæsus certe ultimus fuit sub Tiberio, qui titulum *Imperatoris* accepit; & si alii sub Caligula, Claudio, Nerone, *bimestribus* illis vel ἐνιαυσίοις vel *Thebanis* Impp. uti Galbam, Othonem & Vitellium vocant Ambrosius, Eunapius, & apud Philostratum Apollon. Thyaneus, Flaviisque, idem decus adepti fuissent, proculdubio id non siluisset Annalium celebris conditor. Et inde puto, eum non respectu Tiberii narrare, Blæsum *postremum* fuisse, qui *Imperator* a militibus salutatus est, sed sequentium etiam ad suam usque ætatem Augustorum, post quam non invenies hunc honorem alicui privato habitum esse; & ex nummis atque Inscript. vetustis satis superque constat, Cæsares ob victorias per legatos & Duces partas Imperatorii tituli numeros auxisse. Quid quod & milites ita honorare sua sponte Ducem victorem non poterant, uti fiebat libera Rep. sed post impetratam veniam ab Augustis? inde Tacitus: *concessit quibusdam & Augustus id vocabulum:* & paulo ante, *Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit, ut Imperator a legionibus salutaretur*; atque hinc patet, quam parci primi Cæsares fuerint in tribuendo insigni illo honore victoribus Ducibus; id quod, ut omnia quæ ad dominationem & arcana aulæ pertinent, crevit proculdubio sub seqq. Impp.

Atque inde est, uti persuasum habeam, eum qui sese *donatum* appellat *Imperatorum omnium*; vixisse sub Cæsaribus; quanquam, ut verum fatear, id quod & antea monui, mihi mira videtur loquendi formula, *donatus & honoratus Impp. omnium*. Mihi certe hanc inscriptionem diligenter legenti veniebat in mentem, 1. illam forte male descriptam esse, & illud HONORATO ET DONATO pertinere ad *coronam muralem*, *vallarem*, & quæ alia dona sequuntur: 2. illam nullo modo pertinere posse ad liberam Remp. quia in ea memorantur *Præfectus Prætorio, Provincia Parthia, Præfectus Ægypti, Præfectus Urbis, Procurator a rationibus, Præfectus Prætor.... Ravennatium, Procurator Provinciæ Hispaniæ*, & deniq; *cohors Bracarum in Britannia*; quæ omnia incognita fuerunt eo sensu ante Cæsarum Imperium, uti optime nosti; & proinde iis probandis nequaquam immorabor: 3. posset etiam statui, Lucium hunc Furium fuisse donatum illis in Parthia, quam *provinciam* vocat, non quia Romanorum juris erat, sed quia in ea regione, vel potius in terris, quæ ditionis erant Parthorum Regis, bellabat; & ita *in provinciam* idem esset, quod in provincia, in regione; constat enim Parthiam, proprie dictam, nunquam Romanis paruisse, & ita scribitur in Inf. 6. 367. *A. Atinium a Trajano in expeditione Parthica donis fuisse donatum*. Quod ad serpentes attinet, ego nullam causam video, cur Romani vivis serpentibus exornarent tropæa de Germanis; nam licet id aperte non tradas iterum, tamen videris eo inclinare, quia res hasce non putas fuisse *tubas* aut signa; & scribis dracones, qui se in dictis nummis videndos præbent, collis esse incurvis & subrectis ad sibila.

Nam 1. Germania serpentum & draconum non est ferax; 2. nunquam memini me legere, Romanos aliquo animali vivo tropæa exornasse, sed semper armis & spoliis hostilibus; 3. si jam veri hi serpentes forent, vel etiam ex ligno aliave materia ad illorum instar facti, sequeretur, si quid video, Germanos serpentibus in præliis usos esse, & eos immisisse in Romanos: prælio contra Eumenem navali scimus, qua arte usus fuerit Hannibal apud Corn. Nep. sed ita Germani cum Romanis non pugnarunt.

Præterea tubæ obviæ in binis Cæsaris nummis p. 558 apud præst. Begerum possunt curvæ fuisse, ut aliæ rectæ, qualis appensa est brachiis, ut sic loquar, tropæi in tertio, qui nobis eodem loco exhibetur. In Domitiani, fateor, nummo p. 640. magis curvatæ sunt, & si ratio aliqua mihi dari posset, cur serpentes indiderint Romani tropæis de Germanis, crederem forte serpentes nobis ibi repræsentari. Sed illud mihi nondum patet. Deinde si serpentes forent, persuasus sum, caudas nos etiam visuros, unde certe magnus ornatus accederet tropæis, quod cum non observem, ego necdum illi sententiæ manus dare possum, sed servabo mihi *signa* vel potius *tubas*, donec certiora & meliora clare fuero edoctus.

In Valentiæ nummis apud Goltzium & Begerum, similis, fateor, occurrit figura, sed proculdubio *tuba* vel *lituus* est, qualem occurrere etiam in nummis Cæsaris habeo persuasum: cumque κώδωνες aliorum, in binis aliis nummis, similes plane sint, cur non & tubas esse, licet incurvatæ sint, credemus? Nec quicquam obstat tubarum exiguitas; potuerunt enim diversorum sonorum habuisse Germani, uti & hodie fit, vel sculptorum vitio factum esse, ut arctiores, quam par est, nobis repræsententur.

Multum tibi debeo, quod aggressus sis explicare Inf. 5. p. 1109. sed & illa, quæ notas, mihi ansam præbent aliquid adjiciendi eruditis tuis annotationibus. Et quidem distinguo inter Candidatos, ut sic loquar, civiles & militares. Illos voco, qui a Cæsaribus ad honores populo, cum adhuc comitia haberentur, commendabantur; exemplum a C. Julio Cæsare, qui apud Sueton. cap. 11. *comitia cum populo partitus est*, &c. post eum Augustus apud eund. c. 56. *quoties Magistratuum comitiis interesset, Tribus cum candidatis suis circuibat*,

supplicabatque more solemni; postquam comitia e campo translata sunt ad Patres, ille *quatuor candidatos commendabat sine repulsa & ambitu designandos*, teste Tac. I. A. 15. Atque ita qui primum populo, inde senatui commendabantur, appellabantur *Candidati Principis*, *Cæsaris*, *Augusti*, & inde explicari debere arbitror Inscription. 6. 457. in qua C. Popilius Carus Pedo, dicitur fuisse IN OMNIBVS HONORIBVS CANDIDATVS IMPERATORIS; notumque est HONORES fere usurpari de muniis civilibus, unde frequenter in aliis lapidibus, OMNIBVS HONORIBVS FVNCTVS IN REP. SVA, CAPVÆ, CVMIS, IN COLONIA. Neque aliter explico CANDIDATVM AVG. nempe Hadriani in lapide 4. 446. nisi quod ita per excellentiam ita possit appellari *Quæstor*, quem notarunt eruditi absolute CANDIDATVM dici, ita tamen ut nonnunquam τὸ *Quæstor* addatur, uti patet ex Inscript. vetustis. Atque ita occurrit in lapide 5. 431. *Candidatus Cæsaris in Prætura & in Tribunatu plebis* sub Trajan. 8. 1025. PR. IN. VTROQ. HONORE CANDIDATO DIVI TRAIANI AVG. id est, si quid video, prætori candidato in utroque honore, vel virum eum fuisse prætorem urbanum & peregrinum; eodem loco habeo CANDIDATVM TI. CAESARIS, obvium 5. 525.

Jam ego puto LARGIVM nostrum bis inter candidatos vel hujus, vel alterius honoris ab Imp. nominatum, vel bis Quæstorem Principis fuisse, cujus de officio Ulpianus agit, & differit Brisson. 2. 17. Sel. Quæst. Tu vero, vir pereximie, mihique amicissime, videris statuere, hic agi de militari quodam munere, quia VELATVM IN PRÆTORIO explicas, illum candida indutum, nomine Augusti in Prætorio, ut cum cæteris candidatis candidatus, & velatus ambiret. Sed nunquam mihi lectum est, eos qui honores militares ambirent, candida toga vel candidis vestibus fuisse indutos; nec illi habebant necesse milites ambire, cum præcipuæ dignitates, si non omnes, darentur a Cæsare, aliæ forte a Legatis vel Præfectis, ad quos tamen nullo modo verisimile est Imperatorem Candidatos suos, si tales fuerunt in militia unquam, misisse. Puto igitur τὸ VELATVS corruptum esse, & mutari debere in RELATVS. Jam illud mihi, cum priorem epistolam scriberem, credas velim, venerat in mentem; sed mittere nolui, ne viderer mutandi prurigine laborare, & ut tibi integrum annotandi campum relinquerem. Confirmor autem nunc in illa opinione, quia aliam apud Grut. Inscriptionem reperi, quæ mihi fundus esse potest. I. DXLIII.

L. GABINIVS A. F. SER.
PONTIANVS
MIL. LEG. XX. CANDIDATVS
TI. CAES. AVG.
RELATVS. IN. PRAE.
VIX. AN. LIIX. M. V.
H. S. E

Vix ovum ovo similius, & puto alteram ex altera emendandam, & quia τὸ VELATVS multas habet difficultates, scribi debere RELATVS. Atque inde sequitur hos homines, qui memorantur in hac & in altera Inscr. relatos fuisse *in Prætorium*, vel inter milites prætorianos; cumque in lapidibus istis solæ memorentur dignitates militares, recte videris statuere τὸ CANDIDATVS etiam de tali debere explicari. Non credo, ut dixi, eos qui honores militares ambiebant, fuisse usos candidis vestibus, & ideo arbitror τὸ VELATVS locum suum tueri non posse; & certe cur non domi vel alibi ejusmodi vestimentis induerentur? Sed tamen videtur aliquod munus fuisse, quod qui administrabat, CANDIDATVS Cæsaris vocabatur, & quidem Tiberii Principis tempore, sed quale hoc fuerit, fateor me ignorare, nisi forte Quæstor ærarii militaris. Populum creasse Tribunorum partem, patet ex Polybio, nec non Livio, lib. 9 idque factum esse in Comitiis docet Ascon. in Cicer. *Tribunorum militarium duo sunt genera: primum eorum qui Rufuli dicuntur, hi in exercitu creari solent: alii sunt Comitiati, qui Romæ Comitiis designantur*: quæ loca debeo Lipsio in Dial. de Mil. R. Et quamvis libera Rep. populus per aliquod tempus fecerit Tribunos militares, tamen non invenio, eos candidatos, licet ita vocari possent, populum prensasse; quanquam non negem illud fieri potuisse. Certe sub Impp. & abolitis jam inde a tempore Tiberii populi Comitiis, illud non fuit in usu, nisi quidam Tribuni creati fuerint a Cæsare, alii a Senatu, huncque Candidati Cæsaris ambiverint candidis vestibus induti.

Sed est & alius lapis, qui docere etiam videtur CANDIDATVM aliquod gessisse munus militare. 9. 406.

L. FABIO. M. F.
GALER. SEPTIMINO
CILONI. PRAEF. VRB.
C. V. COS. II.
M. VIBIVS. MATERNVS
ILVRENSIS. A. MILITIIS
CANDIDATVS. EIVS.

Nam, nisi me fallo, hic Vibius dicitur fuisse Candidatus Præfecti urbis a militiis vel militaris; atque inde haud obscure patet, eum beneficio Præfecti promotum, vel illius fuisse Beneficiarium, & propterea ejusdem dici CANDIDATVM; quæ omnia, qua es sollertia, elucidare velis, summopere rogo.

Uti autem Candidati in militia videntur fuisse jam initio Cæsarum, ita certe postea Candidati in Palatio militarunt. Nam ex Fastis Siculis & Cedreno, aliisque post Casaub. ad H. A. & Bulengerum, docuit Du Cangius Gordianorum seniorem instituisse dignitatem Palatinam æque ac militarem, vel selectos ex Scholarium classe, quos *Candidatos* vocavit fortasse, quia albis vestibus utebantur, vel quidquam candidi in vestibus vel armaturis haberent, quod ultimum non displicet viro illi erudito. *Ego candidas vestes* amplector, cum quia Ausonius & Claudianus *niveas cohortes*, Corippus *candidam turbam* memorant, tum quia color ille Impp. quasi proprius fuit, uti vel constat ex Suet. in Dom. c. 12. A Gordiano igitur seniore instituta hæc dignitas, si auctoribus illis credendum est; sed mihi videtur breve illius imperium illam rem rejicere, & scimus, quam parva fides ejusmodi scriptoribus habenda sit. Dubitat etiam Du Cangius, quia, uti loquitur, pro certo constat Candidatos in Palatio longe ante militasse, & a Vegetio Candidatos simplares & duplares recenseri, & in antiquis Inscr. apud Grut. *Candidati Augustorum, Cæsarum Impp.* occurrant; sed Vegetii auctoritas nihil valet ad rem eam probandam, cum vixerit sub Valentiniano, deinde, uti jam docui, *Candidati* obvii in Insc. vetustis, vel omnes vel maximam partem honores civiles & magistratus respiciunt. Scaliger in Indice rerum, quæ ad rem militarem pertinent, recenset, CANDIDATVM PR. HASTAR. CCCLXVII. 5. sed eum ibi vel alibi non invenio, & totum opus propterea evolvere nequaquam possum: aliqua cæteroquin lux inde accederetur proculdubio rei, quam præ manibus habemus.

Henr. Valesius ad A. Marc. 15. 5. distinguit tria Candidatorum genera, 1. Candidatos, qui ex Scholaribus electi Imperatori aderant ex instituto Gordianorum; 2. Candidatos, quos inter principia legionum recenset Veget. lib. 5. ac 3. Candidatos Cæsaris, qui commendatione ipsius Imp. & suffragiis tribuum P. R. ad Magistratus dignitatesque perveniebant; cujus sententiæ ego omnino accedo, & inde simul perspicies, me non absque ratione nonnullas Inscriptiones ita explicasse.

Neque aliter exponit Inf. 2. 475. Bulengerus 3. 6. de Imp. R. in qua M. Julius Severus dicitur esse XV. *Stlitibus judicandis* (Latina tantum pono) *honoratus equo publico, Trib. Legionis* IV. *Scythicæ, Quæstor Candidatus*, & ΔΗΜΑΡΧΟΚΑΝΔΙΔΑΤΟΣ, *Tribunus plebis Candidatus*; uti apud eum illa legitur, cum apud Grut. corrupte sit edita: & recte notat *Quæstorem Candidatum* non pertinere ad militarem Candidatorum Scholam, sed ad Candidatos, principis Quæstores. Quin & inde discimus, non modo Quæstores, verum etiam Tribunos Pl. Candidatos fuisse; & ita eo loco, nec non 5. 70. idem vir doctus enumerat *Prætores, Senatores Candidatos*, qui scil. uti Quæstores Candidati, de quibus ibi etiam agit, Prætores & Senatores a Principe, non autem a Senatu fiebant. Atque ita erant *Candidati Tribuni & Notarii*, qua dignitate fuisse Cassiodori Patrem testatur Theodoricus Rex. 1. Var. Cass. 4. unde patet eam non militarem, sed politicam fuisse: id quod constat etiam ex iis, quæ notavit præter Bulengerum Gutherius.

Atque hæc quidem sufficiunt ad demonstrandum, mihi CANDIDATOS TI. AVG. turbas movere, nec satis perspicere, quid revera illi velint, id quod te, vir eximie, me docturum spero.

In Indice Scaligeri rerum, quæ ad rem militarem spectant, hæc lego; *Honoratus* Impp. omnium & donatus donis militaribus; unde aliquo modo confirmatur mea conjectura.

MISSICIVM recte explicas, nec quid addam habeo, huncque hominem bis missum & bis veteranum factum esse, nihil est quod quis dubitet.

Sed quia *milites* magnam hujus epistolæ partem constituunt, patere, ut quæram, quid sibi velit MILITIAE PETITOR obvius in 2. DXXVIII. 10. DXXXI. isque titulus illis datur, qui dicuntur esse VETER. EX. COH. III. PR. AVGG. N. N. & VET. EVOC. EX. COH. III. PR. & an illustris Scaliger recte explicet siglas, quæ sunt in 9. p. ejusdem, VET. AVG. N. EX. COH. III. PR. M. I. F. PETIT. *Militiæ in foro petitor*. Hic enim plane cæcutio, & nisi explicari debeat, viros illos, licet veterani forent, iterum militiæ nomen dedisse, vel ambiisse majorem dignitatem, ignarus sum profecto, quid statuendum sit. Certe *petitor* est candidatus Horatio 3. 1. *Descendat in campum petitor.*

Nunc Tecum communicabo rem satis miram & insolitam, idque vel ideo, quia illa Septentrionem quodam modo spectat, tuque illius plagæ historiam & ritus calles inprimis. Significavit igitur mihi illustris Witzenius, in Siberia inventum esse locum subterraneum concameratum, in eo jacuisse ossa humana, & prope ea monstrum ex ligno factum, cujus corpus referebat gallum vel gallinam Numidicam expansis alis, caput vero erat humanum. Ægyptiam superstitionem diceres: sed unde in horridos illos tractus peregrina sacra? Tacitum narrare scimus, Suevos Isidi sacrificasse, & inde quis conjecturari posset, Ægyptia sacra in alias præterea orbis regiones olim fuisse deportata; nisi sequi velit opinionem Rudbekii lib. 2. Atlantic. quæ mihi mira satis & paradoxa videtur. Cæ-

A terum num *Isis* a Suevorum nonnullis culta fuerit, & num satis firmum testimonium sit navigium illud, ego quidem addubito, potuitque id conjicere Tacitus ex navigio, quia in Isidis sacris etiam navigium erat, & in pompa circumferebatur. Quid quod mihi mirum ejusmodi deæ signum videatur? & ne quid te celem, licet sciam alibi tradere Tacitum, Germanos deos non assimilare in humanos vultus, putabam olim scriptum fuisse, *in modio*, vel *medio liburnæ*, ita ut Isis statuam suam habuerit, & illa fuerit posita vel figurata in navi; unde certe constabat religionem esse advectam. Audax, fateor, conjectura; sed quid vetat etiam ad amicos B mittere hallucinationes suas? Sic Isis sedet in medio navis in Domitiani nummo, quem Obrechtus edidit, eademque forte dea cernitur stans, vel sedens in navigio apud Had. Jun. c. 10. Bataviæ, potuitque illa navi ascendendo Danuvium ad Suevos deportata esse. Sed longus sum nimis; quare vale, & hisce de næniis magno numero, quid videatur tibi, quæso, mitte. Vale etiam atque etiam. Davent. 28. Octob. 1703.

Hæc scripseram, cum forte fortuna incidi in Stum. quo Vespasiano imperium & honores deferuntur, & in eo hæc verba invenio: *Utique quos* C *Magistratus* (alii l. *tum*) *potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes Senatui populoque R. commendaverit, quibusve suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis, quibusque extra ordinem ratio habeatur.* Atque in iis duo observo, 1. fieri mentionem honorum civilium, & eorum, qui cum imperio in provincias mittebantur, non autem Tribunorum vel centurionum candidatorum. 2. Vespasiani tempore adhuc habita fuisse comitia populi, licet Tac. narret, ea a populo in Curiam a Tiberio translata esse; illiusq; rei adhuc suo tempore imaginem fuisse testatur Dio l. 58 p. 634 cujus loci hunc puto sensum esse: Tibe- D rium, cum creandi essent Magistratus præter Consules, Candidatos, quot ipsi videbatur, misisse ad Senatum, quorum aliis aderat, vel quos commendabat, iique communibus suffragiis eligebantur, alios vero faciebat, vel promovebat propter merita, vel per sententias nempe Senatus, vel forte, & inde ipsi cum vel necessariis pro more veteri, id quod & suo tempore fiebat dicis causa, ad populum & plebem euntes, designabantur. Atque inde vides, vir præstantissime, non absque ratione *populum* occurrere in Scto. laudato; & puto eum ante curiam stetisse, ibique candidatos illum prensasse, ut ita imago (ἐν εἰκόνι) relinqueretur E Reipubl. Sed Dio non nisi de candidatis Magistratibus loquitur, non autem de Tribunis vel similibus militibus candidatis, nisi eos comprehendi posse statuas vocibus τὰς ἢ καὶ ἄλλας ἀρχάς. Tacitus etiam lib. 1. c. ult. loquitur de Comitiis sub Tiberio, & fluctuant viri docti in exponendis his ejus verbis: *Aliquando ea quoque significatione subtracta*, uti ex notis patet; cum mihi nihil aliud significent, quam Tiberium interdum non modo nomina Candidatorum reticuisse, verum etiam nihil dixisse de *origine eorum, vita & stipendiis*, & eos hortatum esse, ne ambitu comitia turbarent, sese omnia cu- F raturum. *Stipendia* nihil faciunt ad Candidatos militares; sed cum Romani proceres, juvenes valde, militiæ nomina etiam darent, in adipiscendis honoribus ratio habebatur stipendiorum. Vides me novam materiam tibi suppeditare, quam te examinare velle summopere peto. Vale iterum, vir illustris. 6. Nov. 1703.

LV.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

A Nnus est, ex quo nihil ad Te scripsi. Invaletudo proximæ æstatis continua ab hoc scribendi commercio & officio ut & ab omnibus studiis me prohibuit. Convalui tardissime sub hyemem ipsam, nec tamen studiis eam impendere operam valeo, quam prius. Senectam ipsam esse morbum expertus sum & experior. Hæc causa est, cur ad tuas VI. vel XI. Novemb. datas elapsi anni, citius respondere non potuerim. Qua es humanitate, Vir summe, me propterea satis ipsi Tibi excusatum habere poteris, & ut ignoscas lentulejo mihi facto invito unice precor.

Cœtera quæ scribis, *de donato Imperatorum omnium*, non tam acriter defendo, sit pro lubitu: si obscure locuta est Inscriptio, etiam obscuros nos esse oportet, cum nihil inde possit exsculpi quam divinationibus nostris illam obscuriorem reddere.

Serpentes quod statui in variis trophæis de Germanis, ansam mihi præbuit res ipsa; neque enim tubæ esse possunt, quoniam aliæ tubarum Germanicarum figuræ passim in trophæis occurrunt, & quidem tales quales illas descripsi prioribus meis, nec ullibi draconum capita, qualia hæc sunt, in tubis illorum apparent ullibi. Quid igitur ex illis facerem non habui præter dracones, cum quibus olim pugnarunt etiam Germani contra hostes, & bene ac magice incantatos immittebant, ideoque draconum ora præferunt & corpora, sive simulachra sint, sive vivi Dracones, quos cum aliis armis Germanorum in trophæis repræsentare voluerunt Romani, trophæa ista erigentes.

Nam quod scribis, Germaniam draconum non esse feracem, hoc ne hodie quidem satis procedit, meliore & cultiore facta Germania, ubique reperiuntur adhuc illic immanes illæ & noxiæ bestiæ: & de antiqua Germania saltibus & paludibus invia & horrida quid judicare debeamus nos docent. Haud sane frustra est, quod Pausanias in Eliacis p. mihi 323. ἐν κυψέλῃ Cypseli sculptum viderit Boream Orithyiam rapientem οὐραὶ δὲ ὄφεων αὐτί ποδῶν εἰσὶν αὐτῷ. Nec frustra, quod in cœlo ipso supra regiones Germaniæ directo, serpentes maximi veteribus positi pictique supersint. Scatuerunt enim hæ regiones licet frigidæ his serpentibus bestiis inter sylvas horridas, vepres & dumeta: ita ut Germanis facile fuerit pugnantibus serpentes & dracones ad manum habere. Quæ supersunt monumenta Runica harum regionum, vix ullum vacuum reliquerunt ab his bestiis, etiam postquam Christiani facti sunt. Naves illorum populorum dracones dicti sunt, quod in illorum formam eas fabricarent. Cornu illud Danicum aureum, excellentissimum ob materiam, ob ætatem, ob sculpturas, vix aliquid crebrius continet, quam innumeros serpentes. Depictum illud sæpe videbis apud Wormium & Musei Danici authorem & alios. Erant itaque serpentes illis nationibus frequentes & domesticæ, & his monstris feracissimæ, ne infœcunditatem objicere possis.

Sed ego his non immoror pro mea sententia stabilienda, quæ forsan falsa videri poterit, nec ipsi mihi placet, modo evincam illa signa in trophæis, neque tubas neque cornua incurva Germanorum fuisse; quum inter tot cornua & tot tubas, quæ nobis adhuc ex antiquitate supersunt, nullæ inveniantur vel reperiri possint in draconum rictus desinentes, prout illas in trophæis istis conspicimus. Omnia ista cornua, quæ magno studio hic servantur & ostenduntur, unius formæ sunt, bubula plerumque, & sive ex ebore, sive ex auro illa sint imitati, haud tamen formam communem bubulorum cornuum egressa sunt, nisi quod ornamentis superbis & gemmeis etiam exterius resplendeant, nulla draconum formam induerunt, sed simplici & naturali suæ relictæ sunt. Hæc causa mihi, cur illa signa neque tubas, neque cornua existimare potuerim, quidquid tandem fuerint.

Videris postea Candidatos solum ad officia civilia restringere velle, nec Candidatos militiæ admittere, dum Te nunquam legisse scribis, Candidatos in militia candida toga sumta ambiisse. Sed, puto, Te refellit hæc ipsa inscriptio, quæ nulla alia officia hujus Largii refert, quam militaria, quorum primum fuit, quod relatus sit in Prætorium, h. e. miles Prætorianus factus. Nam valde probo Tuam correctionem elegantem, doctam &, ut mihi videtur veram RELATVS, pro VELATVS legendum esse. Reliqua igitur officia ejus Largii usque ad Tribunatum, non fuerunt nisi militaria, atq; sic concedi oportere puto, dum se Candidatum Augusti bis vocat, etiam illum honorem militarem fuisse, nec Candidatum puto intelligi posse, nisi in candida veste ambientem, pro ut in civilibus, ita quoque in militaribus. Nam prout Augusti in civilibus suos candidatos habuerunt, & Augusti pro illis supplicabant, vel quasi: non video causam cur in militaribus quoque non habuerint. Erant enim & civilium & militarium Domini, licet videri nollent aliter, quam a Populo & milite dependentes; sed etiam his adquiescere videris, & Candidatos tam civiles, quam militares admittere, quum tot inscriptiones, quas ipse producis, hoc testentur. Huc igitur redibit controversia hæc omnis, an Candidati militares eadem toga candida ambierint, ut civiles. Candidati sane dici non poterant illis temporibus, nisi candida veste induti ambirent tam in civilibus quam in militaribus.

An vero toga candida ambierint etiam milites, hoc est quod ego dubito, quum inter milites toga impedimento fuerit, nec militaris habitus sit. Chlamyde igitur candida aut sago militares ambiisse dicendum fuerit, civiles vero toga. Quando desierit illa vestis candida, ex qua Candidati nomen confecuti sunt, qui aliquod munus ambiebant, alia quæstio est. Augusti temporibus adhuc ritum illum perstitisse tam in civilibus, quam in militaribus, extra dubium mihi videtur; nisi velimus dicere, Candidatos Augusti non indiguisse his candidis vestibus, sed sufficisse, Augustum eos Candidatos suos pronunciasse, & pro iis supplicasse populo vel militi. Quod tamen vix statui posse censeo illis temporibus; siquidem publice omnia tunc gesta sunt, & moribus Reipublicæ, vel quasi, adeo ut etiam pro iis supplicaverit. An ultra Tiberium & sequentes Imperatores etiam candida veste Candidati militares, vel civiles ea veste ambierint, vix mihi definire licet, quum hoc non satis ex historiis pateat. Nam & hodie Candidatos habemus & retinemus sine candida veste in Scholis & Academiis in numerum receptos Candidatorum, ut promoveri possint ad Magisteria & Doctoratus examinati; quod sane nomen illis mansit ex veteri more, exstincta licet candida veste, cum qua ambire opus non habent. Illud quando cœperit, mihi, fateor, non liquet. Unde nec aliquid in his definio.

Quæ

Quæ de MILITIAE PETITORIBUS ex Inscriptionibus binis adductis proponis, eosque candidatos fuisse ambientes Horatii loco comprobare voluisti, fateor haud multum Petitores & Candidatos differre. Aliquod tamen discrimen mihi videtur inter Candidatum & Petitorem fuisse; tale forsan, ut petitor esset, qui petebat, post emerita stipendia veteranus, in militia manere, & veteranorum jure ulterius militiam sequi posse, nec dimitti. Omnes enim illæ Inscriptiones, quas attulisti, de veteranis loquuntur, qui militiam denuo petebant, ne dimitterentur: quod etiam sine ambitu, & candida veste obtinere poterant vel a Tribunis, vel ab ipso Imperatore, & *militiæ petitores* hac ratione fiebant. Horatii vero *petitorem* positum existimo, pro omnibus & singulis aliquos honores petentibus, ideoque ad campum illos remittis, ut more Candidatorum ibi petant quos honores desiderant. At *petitor militiæ* alius est omnino, quam *petitor* simpliciter. Omnes enim candidati petunt, sed non omnes petitores propterea Candidatos accedere ac petere credam. Multa enim petebant & obtinebant etiam, sine candidatura, ut ita loquar, ut sunt hi petitores militiæ ulterioris, in Inscriptionibus qui nominantur. Inscriptio 9. & 10. p. 531. sunt ejusdem hominis, ideoque una ex altera veniet explicanda, & pro M. I. F. ego legerem conjunctim MIL. PETIT. & pro EX substituerem ex IO. NAT. PANNONIO, vel simpliciter EX PANNONIA, quod idem est. Sicque ambæ Inscriptiones consentiunt, & una ex altera lucem fœneratur.

De candidatis Tiberii Augusti nihil Te docere possum aliud, quam quod docuisti ipse, vel ego monui; fuisse scilicet ab ipso commendatos Populo, vel Militi, sine ambitu jam, &, si vis, sine candida veste sumta, prout adhuc sub Augusto ejus umbra quædam remansit, ex antiquo, ita ut Candidati Augusti nomen quidem remanserit, sed ritus illi ambiendi sensim desierint, solaque commendatio Augusti utramque paginam fecerit.

Quæ vero Tecum communicavit Illustris Witzenius de loco subterraneo in Siberia invento, in quo cum ossibus humanis inventum sit idolum ligneum avis cujusdam capite humano insignitum, recte mihi videris conjectare ad Ægyptiam superstitionem, vel Numidicam illud spectare. Neque mirum adeo videri Tibi debet illud in tam remotis oris sepultum jacuisse, non magis, quam Isidis simulachrum in navigio apud Suevos, Taciti ætate, vel Suevos dono misisse Æthiopas Metello in Galliam. Prolixa mihi de his dissertatio in Collectaneis meis Septentrionalibus nondum edita superest, ubi de mercatura & peregrinationibus Septentrionalium ab omni ævo ad exteras oras ago. Illam brevibus ob oculos ponam, ita ut modum Epistolæ non excedam. Et primum Historiæ Septentrionalium uno ore testantur, totam, quæ nunc est, Russiam, ipsis *Græciam* dictam esse quondam, aut eorum lingua GIRCKLAND, quod est *regio Græcorum*, quoniam Septentrionales mercatores & peregrinantes per eam tendebant in Græciam antiquam, & ex ea in omnes partes Asiæ, Ægypti, & Africæ. Benjaminus Tudelensis mihi suffragatur, cujus ætatem nosti; suffragantur, quæ supersunt Runica monumenta, & etiam Ditmarus ac Adamus Bremensis, ac Saxo Grammaticus, qui vetus nomen Græciæ pro Russia, Livonia, Curlandia &c. usurpant. Hæc sane obtinuerunt in illis oris, antequam Russi, ex Asia, in has oras penetrarunt, ibique sedes occuparunt ab Anno 1242. circiter. Nam ante illa tempora, quæ nunc Russia dicitur, vel magna, vel parva, vel alba, vel nigra, Septentrionalium nostrorum moribus & linguis vivebant. Ideoque per hanc omnes Septentrionales mercaturæ & peregrinationis causa tendebant in Græciam, ubi dromonibus & navibus sumtis, in Asiam, Ægyptum & Africam transfretabant, suasque naves in littore aut Russico nondum dicto relinquebant, donec suis negotiis peractis domum redirent cum iisdem navibus, & eadem via qua perrexerant. Suevi hac via ut accolentes mare Suevicum, & sinum Codanum, nunc mare Balthicum, in Ægyptum translati Isidem suam & Æthiopas advexerunt; illi quoque, qui Idolum istud in Russiam interiorem attulerunt; nec dubium est, Russis advenientibus illos ibi in Siberiam confugisse, & dominio Russorum afflictos mortem ac sepulturam cum suis nactos esse. Hæc ita breviter, pro quibus demonstrandis volumine opus esset satis magno, non Epistola. Potius est ut Te valere nunc jubeam, & quæ cum Dn. Rantzovio Tibi submitto, ultimo a me edita, æqui bonique consulas orem, qui sum ex animo tuus.

LVI.

Nobilissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Illustris Rantzovius filius mihi ante binos fere menses reddidit litteras, quas Hafnia ad me dedisti nono Februarii proximi die, vir eximie, & simul recepi binas tuas dissertationes, unam de Nummis Bracteatis & Cavis, alteram de nummo Suecico æreo, quas summa cum voluptate perlegi, & in quibus te semper inveni, id est, singularem, qua fulges, eruditionem, & præclaram eam ἀγχίνοιαν mentis tuæ. Videram antea ea quæ præstantissimus Begerus de eodem nummo publicaverat una cum Examine dubiorum quorundam, sed profecto capere non poteram, quo illa tenderent; & nunc opera tua cognosco, quid hujus rei sit, & rideo vehementer tam Parisienses, quam Berolinenses Gallos, qui sibi ejusmodi somnia fingunt, quæ vel ἀγελάστους facere possent hilari animo esse, & prompto ad jocandum.

Tropæis de Germanis, quorum serpentes, vel tubæ nos exercuerunt, nuntium remitto; nihil enim mihi reliquum est ad defendendam meam opinionem, quam tamen veram esse existimo, licet Germania serpentes olim tulerit, & nunc etiam alat. Neque enim memini me legisse apud ullum auctorem antiquum, Germanos veteres cum draconibus olim pugnasse contra hostes, & bene ac magice incantatos in eos immisisse, qualia exempla si apud scriptores Latinos, vel Græcos eorundem temporum, quibus nummi isti signati sunt, qui nobis tropæa Germanica exhibent (neque enim posteriores auctores admitto) inveniuntur, rem mihi utique facies gratissimam, si eadem mecum communicare velis, eoque nomine me plurimum tibi debiturum, nihil est quod dubites.

Gaudeo te probare conjecturam meam, & putare etiam VELATVM in lapide veteri scriptum esse pro RELATVM. Candidatos militares si tecum sub primis Cæsaribus agnoscerem plane, utique non putarem, pro iis supplicasse *Augustos populo vel militi*, vel Candidatos ipsos *ambivisse milites in castris*, uti scribis in doctissima epistola tua. Candidatos posterioribus temporibus in militia fuisse certum est, & corpus illud militum, vel protectorum (ex eorum enim genere erant) candidis vestibus erat amictum; unde est, quod Hieronymus in vita Hilarionis ita loquatur: *Namque Candidatus Imperatoris Constan-*

tii, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam; quod non ad ipsam cutem, sed ad vestem referendum utique est;& puto ex hoc corpore electos esse (quo ipso nomine & Candidati potuerunt appellari) qui ad majores honores promovebantur militares, id quod non obscure patet ex Victore Tunonensi in Chronico: *Ex Candidato Magister militum ordinarius constituitur;* quæ bina loca debeo Henrico Valesio, insignis eruditionis viro, quem juvenis admodum Lutetiæ Parisiorum colui: illisque addi possunt ea, quæ notavit illustris Du-Cangius in Glossario. Deinde credere non possum, primos Augustos militi supplicasse pro candidatis suis, id est, milites rogasse, ut eos promovere velint, vel candidatos ipsos ambivisse milites in castris, cum ne illud quidem factum sit libera Rep. nec milites unquam aliis honores & dignitates dederint.

Tandem valde dubito, an sub Augustis aliqua munia militaria beneficii populi fuerint; certe id fieri non potuit sub Tiberio, quia comitia fuerunt ad Senatum translata; quibus de rebus jam egi proxima ab hac epistola.

Quin & nunc mihi verisimile omnino videtur, cunctas dignitates militares ab Augustis, vel eorum legatis aliisve, qui exercitibus præerant, in alios collata, nec ulla Senatui vel populo reservata fuisse; adeo ut capere propterea non possim, qui potuerint dici *candidati militares*, & cur candidis vestibus induerentur:& puto, nisi meliora clare fuero edoctus, *Candidatos Cæsaris* nullos alios fuisse, quam qui civiles Magistratus gerebant. Fateor nonnullas Inscriptiones videri contrarium suadere, in quibus scilicet pleraque, si non omnia, præter *Candidatum* sunt munia militaria, quæ in unum hominem dicuntur esse collata; sed notum est, Romanos militiæ & togæ operam dedisse, & eos, qui ab ineunte adolescentia per longum tempus castra secuti erant, urbanos postea honores gessisse; & inde arbitror CANDIDATVM TIB. CAESARIS memoratum in Inf.1.DXLIII. nullum alium esse quam Quæstorem. Certe eruditissimus & Germaniæ suæ quondam ingens decus Reinesius hæc verba Inf.6. CCCCLVII. IN OMNIBVS HONORIBVS CANDIDATVS IMPERATORIS restringit ad *Præturam, Quæsturam* & *Tribunatum*, additq; eos, qui istos honores ambiebant, Augusti voto, judicio & rescripto ad Senatum adjutos fuisse lib.3.var.lect.c.16. nec vir ille præstantissimus, & harum rerum intelligens valde ullam mentionem facit dignitatis militaris, licet Popilius ille Carus varios gesserit; de Prætore autem & Quæstore Candidato potest videri etiam Juretus ad Symmach.10.36.

Quin & unum mihi velim dari auctorem, æqualem primis Augustis, qui nobis mentionem faciat *Candidati militaris*, vel exhiberi Inscriptionem, in qua Tribunus vel Centurio aliquis dicatur Candidatus; id quod certe mirandum, cum tot Tribunorum & Centurionum memoria servata sit in lapidibus vetustis.

Tacitus quoque & Suetonius, ubi loquuntur de comitiis tempore Julii Cæsari & Augusti habitis, nonnisi de Magistratibus verba faciunt; unde mihi utique haud infirmum argumentum sumi videtur posse, nullos tum temporis Candidatos militares fuisse. Nam Candidati *duplares & simplares* apud Veget.2.7. hæc ad tempora nequaquam pertinent, & respicit ille proculdubio corpus Candidatorum, unde eosdem appellat *milites principales, qui privilegiis muniuntur*, quorum alii simplices, alii duplices annonas consequebantur. Varia notat ad eum locum Stewechius; sed vir eruditus mihi videtur confundere Tribunos militum Consulari potestate, cum Tribunis Legionum ordinariis.

A Nam postquam egisset de Tribunis militum a Romulo lectis, loquitur de Tribunis Consulari potestate; & inde Livium dicit narrare non comitiis, sed suffragiis ad legiones Tribunos militum factos esse. Verba Livii hæc sunt 7.5. *Et cum eo anno primum placuisset, Tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea sicut nunc, quos Ruffulos vocant, Impp. ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit*, quæ ego ita interpretor: Constitutum fuisse uti Tribuni legionum in comitiis per suffragia fierent, cum antea illi ab Imperatoribus vel Ducibus exercitus, Consulibus nempe, crearentur, uti Livii tempore illi, quos Ruffulos appellabant, adeo B ut inde pateat, virum eruditum confundere varii generis Tribunos, & male distinguere *comitia*, qua voce ne Livius quidem utitur, a *suffragiis*, quæ scilicet ipsa in Comitiis a populo dabantur: qua de tribunorum per populum electione agit, uti nosti, Sigon. l. 1. de Antiq. Jure Civ.Rom. c. 15. & Lips. 2. de Mil. Rom. Inde agit de Tribunis Ruffulis, & Comitiatis, qui memorantur Asconio Pædiano, & ab his distinguit *suffectos*, quos putat militum suffragiis in castris factos esse, id quod tamen ego unde sumptum, & proinde an verum sit, nescio plane; & mox, quod summopere firmandæ opinio- C ni meæ inservit, ita commentatur: *Tandem ad Impp. cum tota re Romana hæc potestas quoque devoluta; ii Tribunos delegerunt homines insigni testimonio*, & quæ alia ibi sequuntur, quorum tamen probare non possum, Principem, cum ad Tribunatum quempiam eveheret, gladium illi in manum dedisse insigne imperii, & dixisse, *En accipe gladium &c.* Nam hoc a veritate plane alienum est, neq; illud annotavit, cujus auctoritate sese tuetur, Crinitus 5. 6. Honestæ Discipl. quippe qui tantum loquitur de ὑπάρχῳ, vel Præfecto Prætorii, cui tradito gladio dixit illud Trajanus, teste Dione, & Suida. Num autem illi, qui petebant tribunatus legionum D a populo, fuerint candidas vestes induti, illud equidem ignoro; sed si id factum fuit, crediderim eos sumsisse togas, & in iis absque tunicis populum prensasse. Est insignis error Menteti Ketwig in libro de Ambitu p. 153. ubi cum ex Polybio notasset, petitores toga candida usos esse, addit, contrarium plane tradere Plutar. in Coriolano, *Candidatos nempe in forum prodiisse tunicatos sine toga*. Nam auctor ille gravissimus tantum abest, ut hoc scribat, ut pag. 219. clare dicat, *Candidatos* ἐν ἱματίῳ ἄνευ χιτῶνος *cum toga absque tunica* in forum ivisse, & quidem ut populus videret cicatri- E ces, σύμβολα τῆς ἀνδρείας. Quod si hoc factum fuit in petitione Consulatus, quanto magis id fieri debuit in petitione Tribunatus, quæ dignitas erat mere militaris? Ex hac occasione facere non possum, quin apud te deponam, me nescire quid sibi velit Joh. Christ. Franciscus Paulinus in libello de Candore, quando ita commentatur.

Cincii lex muneralis erat, qua gravissimis pœnis is afficiebatur, qui a quovis candidato munus suffragii causa donumve acciperet. Inde cautum, ut in petendis honoribus Candidati sine toga ad Comitia descenderent, ne pecuniis in sinu reconditis Tribuni suffragia mercarentur. Alex.ab Alex. F 3 17. De qua lege Cinciana videatur etiam Cicero 2. de Orat. & in lib. de Senectute, & alii, Liv. lib. 3. Dec. 4. Tacit.11. An. Erant autem Candidati sola toga candida, eaque recincta, induti.

Nam primo sibi plane contrarius est, quia modo dicit *sine toga*, & modo *sola toga candida induti*, quæ conciliari nullo modo possunt, nisi priore loco scribere voluerit *sine tunica*. II. Togam addit debuisse esse recinctam cum tamen illa nunquam cingeretur, sed sola tunica; & cum eo tempore eam vult esse recinctam vel solutam, sequitur virum

doctum putasse, alio tempore eandem cinctam fuisse.

Cincia lex non egit de ambitu, vel muneribus Candidatorum, sed ea cavebatur, *ne quis ob causam orandam pecuniam* donumve acciperet, teste Tac. 11. An. 5. qui etiam 15. 20. has res plane distinguit. *Sic Oratorum licentia Cinciam rogationem, Candidatorum ambitus Julias leges, Magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt:* & nosti hoc quam clarissime probasse magnæ spei juvenem, sed fato iniquo ereptum nobis, Brummerum in libro, quem de lege Cincia conscripsit, quemq; mihi Lutetiæ Parisiorum olim dono dedit, & tandem post legem Cinciam cautum non est, ut Candidati sine *toga* (vel *tunica* potius) ad Comitia descenderent, cum diu antea togati honores ambiverint, & nemo veterum scribat, aliquid hac de re statutum postea fuisse.

Sed ut pergam, Inf. 7. p. CCCXXI. Gruteri digna est, ut propter similitudinem argumenti te, vir eximie, paulisper detineat: L. IVLIVS MACLO CAND. FLAM. DIVI AVG.

Illustris Scaliger explicat, *Candidatus flamen*, & inde sequitur, eum a Tiberio Principe flaminio huic fuisse admotum, non autem creatum a populo Comitiis Centuriatis, id quod libera Rep. factum fuisse annotatum est eruditis; quanquam Liv. 27. 8. scribat C. Val. Flaccum captum esse Flaminem Dialem a P. Licinio Pontif. Maximo: posset tamen forte etiam τὸ CAND. exponi CANDIDVS, ita ut sit viri illius cognomen.

Recte explicas *petitorem militiæ*, si quid video; & nunc omnis mea dubitatio sublata est, arbitrorque tecum veteranum petiisse, ut iterum militiæ adscriberetur. Multum igitur tibi eo nomine debeo, sed plurimum pro iis, quæ ad illustrandam Witzii icunculam auream affers in medium. Est enim illa non ex ligno, uti putaveram properanter legens Viri amplissimi epistolam Belgicam; sed ex auro ductili, eamque ante binos menses Amstelædami vidi summa mea cum voluptate. Quicquid mecum communicasti ad eum misi, sed nondum me edocuit, quid sibi de lucubratiuncula tua videatur; quod ubi nactus fuero, non desinam illud ad te mittere.

Inventa est in eodem monumento lanx ex metallo Sinicis vetustis litteris, quales edidit Kircherus, inscripta, quam etiam manibus tractavi; unde suspicio mihi suborta est, quendam ex primariis illius regni viris legatum forte missum ad ejus tractus Principes, ibi sepultum fuisse; quanquam non meminerim me legisse, Sinas ejusmodi monstra coluisse.

Nunquam certe audiveram, Russiam dictam fuisse *Gardaryke* antequam Russi illam occupasient, & auctores, qui seculo x. scripserunt latine, eam appellasse *Græciam*, Borealesque *Girkland*. Illud autem summopere opto, ut loca ad me mittere velis, ex quibus constare possit, antiquissimis Russiam appellatam ita fuisse; mihi enim post lectam diligenter, imo repetitam epistolam tuam, videbatur, omnem illum tractum vocatum fuisse Græciam, quia Russi, vel Moscovitæ, Christiani facti, secuti sunt religionem, & placita Græcorum; id quod te examinare velle, etiam atque etiam rogo.

Quæ præterea de mercatoribus Septentrionalibus, eorumque in Græciam profectionibus mittis, mihi mira admodum videntur, imo in alium quasi orbem me delatum puto, cum ejusce modi animadversiones lego, & spero te data occasione id nos edocturum; quo nomine certe plurimum tibi debebit Respubl. litteraria.

Atque ita quidem toti epistolæ tuæ, quæ mihi venit acceptissima, respondi, illudque mihi amplius faciendum esse existimo, primo ut rogem, ut excusare velis levidenses in alios stricturas, quas, licet ad argumentum nostrum parum faciant, hic meæ inserui; deinde ut permittere velis, ut tecum insuper paucis agam de duabus Inscriptionibus, quæ mihi subobscuræ videntur. Et primo quidem in 9. CLXXI. memorantur conjunctim *Galerius & Gratianus* Imperatores:

GALERIVS ET GRATIANVS PII FELICES
AC TRIVMPHATORES
SEMPER AVGG....

Ego nullum *Galerium* invenio Gratiani tempore Augustum; sed Flavium Valentinianum, fratrem ejus Valentem ad summum fastigium elatos A. C. 364. & Gratianum a 367. Valentinianus diem obiit a. 375 & inde Valens ad annum 378. imperium rexit cum Gratiano, unde suspicor Valentem etiam dictum *esse Galerium*; neque enim video, quomodo aliter hæc difficultas tolli nodusque ille solvi possit: idque eo magis quia Galerii Maximiani tempore nullus etiam fuit Imp. Gratianus. Deinde licet de *Vexillis* ne mutire quidem amplius animum induxerim, tamen facere non possum, quin ad te mittam, me in Inf. 469. cap. III. Inscript. Fabretti *Vexillum argenteum*, nisi me plane fallo, invenisse: DONIS DONATO AB IMP. TRAIANO. AVG. BELIO DACICO. CORONA. MVRALI. HASTIS. PVR. VEXILLO. ARGENT. EXACTI EXERCITVS. Et puto, uti velum quadratum summæ hastæ vel ligno, quod illi imponebatur, transverso affixum fuit, ita hunc virum meritum fuisse laminam illius magnitudinis & formæ argenteam, & ad instar vexilli suspensam; vel vexillum illud fuisse ex panno, ut sic loquar, argenteo, quem nos appellamus Silverlaaken, sive opere Phrygionum cultum & ornatum.

Et ita Salmasius ad Hist. August. p. 430. ed. Maf. ex veteri lapide apud Gruterum nobis profert VEXILLVM ARGENTO INSIGNE, argentumque putat vexillo intextum fuisse: id quod certe ego verum esse judico, cum & Vegetius apud eum ita loquatur: *Vexillationes vocantur ab eo, quod velis, hoc est flammulis utantur*, quæ utique nonnisi de velis vel pannis, vel linteis possunt exponi. Sed ut hæc quidem ita commode explicari possunt, ita non capio, quid sibi velit EXACTI EXERCITVS, & mihi ad hanc rem percipiendam opus est tua solertia atque doctrina. Neque enim audeo interpretari miram hanc loquendi rationem, hostilem exercitum, vel ejus partem habuisse sibi vexillum argenteum, & P. *Besium Betuvianum* eo fuisse ab Imp. optimo donatum, quia illum vel illam, in fugam dederat; vel præcipuum exacti, vel fusi fugatique hostilis exercitus decus meruerat: nec tamen aliquid est, quod mihi occurrat verisimilius.

Hæc sunt, vir eximie, de quibus nunc tecum agere constitui; & si quid iis inest, quod stomachus tuus non fastidit, erit certe quod læter summopere. Primum occupatione, inde tertiana factum est, ut tardiuscule elegantissimis & acceptissimis litteris tuis respondeam, hæc etiam facit, ut aliena opera in scribenda hac epistola uti debeam; id quod te, qua es humanitate & erga me benevolentia, æqui bonique facturum spero. Vale plurimum.

Davent. 10. Jun. 1704.

LVII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

POstquam delicias & auras itinerum ac Amicorum hac æstate recreandæ valetudini meæ satis infirmæ quæsivi, nunc redii tandem ad museum meum, & quid literis Tuis x. Junii hoc anno peramanter & doctissime ad me scriptis debeam, nequaquam oblitus sum. Agis mecum satis prolixe de Candidatis tam populi Romani, quam Augustorum, ut maximas Tibi gratias debere me fatear, quod tam multa me doceas. Nulla nobis controversia est de his; nam Candidatos tam militarium, quam civilium munerum mecum agnoscis, neque enim quisquam vel in militia, vel in civitate ad munus aliquod unquam, vel rarissime perveniebat, nisi cum ambitu, & petitione, inter Candidatos se stitisset. An vero post mutatum Imperium sub Augustis non aliqui Candidati Imperatorum facti sint & pronunciati, sine populi militumque suffragiis, etiam sine veste vel toga candida, dubitare non licet, potestate Augustorum semper accrescente, & quos vellent Candidatos faciente, h.e. in spe successionis constitutos viventes, quamprimum munus aliquod vacaret, sive in militia Tribunorum, sive in civitate aliorum, Quæstorum videlicet, Prætorum, Ædilium &c. ut candidatus Augusti admitteretur, & cœteris præferretur. Imp. Augustus autem, licet sua potestate uti potuisset, sæpius tamen blande cum populo egit, ne suffragia ipsis omnia eripere videretur, & umbram aliquam veteris Reipublicæ ipsis relinqueret, supplicare pro suis Candidatis populo non dedignatus est. Hodie *Exspectantios* ejusmodi Candidatos vocare solemus, & *exspectantias*, beneficia Principum concessa. Illi enim Exspectantes alterius officium, tantisper Candidati sunt Principis, postquam nominati fuerunt ad hoc vel illud munus, vel ad omnes honores, quamprimum vacarent. Unde illa formula, Inscr. 6. p. 457. IN OMNIBVS HONORIBVS CANDIDATVS IMPERATORIS. Scilicet ut quod munus primum vacaret, in eo succederet Candidatus ille, ad omnes honores nominatus. Neque enim omnes Candidati Imperatoris ad omnes honores protinus nominabantur, sed hic ad Quæsturam, ille ad Tribunatum &c. & tamen omnes erant Candidati Imperatoris, sive ad omnes honores constituti essent, sive ad peculiarem. Tota quæstio eo recidit, an in militia Candidati fuerint, sub Republ. Romana, prout in civilibus muneribus; & an ea ratione ambire deberent & petere honores militares candida toga amicti, prout in civilibus. Non video sane stante Republica discrimen statui posse aliquod, quin militares Candidati æque ambire debuerint suffragia; sicut civiles, si candidati vellent appellari. Sub Imperatoribus Augustis multa in Candidatis mutata sunt, ita tamen ut primi Imperatores Augusti aliqua vestigia relinquerent veterum morum in Candidatis quibusdam, si non in omnibus.

At quod Hieronymi locum explices, & candorem corporis ad candidam vestem trahas Candidati, non facile Tibi, Vir summe, concedam. Neque enim tempora Constantii Candidatos amplius in candida veste ambientes habebant, ut olim. Sed Hieronymus duo signa ponit, quibus dignosci po- A tuerit, ex qua provincia fuerit Candidatus ille Imperatoris, primum rutilam comam, deinde candorem corporis, quæ sane signa sunt Germanorum; & ex Germania oriundum illum Candidatum illa signa indicare voluit. Germanis enim plerisque est rutila coma, & corpora candida, quæ lactea etiam Scriptoribus dicuntur. Huc spectant verba Hieronymi: *namque Candidatus Imp. Constantii rutilus coma & candore corporis indicans Provinciam*, scilicet Germanicam ex qua natus erat. Multa alia sunt, quæ ad Tua respondere poteram & debebam, quæ nunc prætereo, ne prolixus nimis fastidium, & nauseam Tibi moveam. Sufficit sententiam B meam indicasse, quod tam militares quam civiles candidati fuerint sub Republica, & iisdem moribus ac ritibus petierint utrique honores. Neque enim historia antiqua Romana dissentit, quæ non distinxit ullibi inter Candidatos militares, aut Civiles, quoniam utrique iisdem juribus, ritibus, & moribus Candidati fuerunt in honoribus ambientes.

In Inscr. 7. p. 321. Tecum sentio legendum esse CANDIDVS, non Candidatus. Nam *Candidatus Flamen Divi Augusti* male convenit. Si enim Candidatus fuit Flaminii, nondum erat Flamen, at si Flamen fuit jam, ut fuit, non amplius fuit Candi- C datus. Optime igitur se habet Inscriptio si legatur prout judicasti, L. IVLIVS MACLO CANDIDVS FLAMEN DIVI AVGVSTI. Aut si MACLO Dativi casu capiendum, legere liceat L. IVLIVS MARCELLO CANDIDATO FLAMINII DIVI AVGVSTI. Nam illud MACLO cum virgula fuisse MACLO credo, & explicari illud compendium debere MARCELLO. Neque enim scio, vel intelligo, quale nomen sit MACLO; Romanum sane non est.

De serpentibus & draconibus quod postulas aliquod testimonium afferri, eos in pugnam & aciem simul eductos vivos, dicam quæ nunc mihi succurrunt. Et fuisse quondam ὀφιομάχους po- D pulos certum est, idque historici omnes antiqui memorarunt, ita dictos, tam quod auxilio serpentum pugnarent contra hostes, quam quod contra illos pugnaretur. Ostendit præterea cornu nostrum Danicum aureum, quod & pretiosissimum est, & antiquissimum, ita ut antiquitatem ejus prodant manus, quæ cornu illud confecerunt, ut negari non possit, quin sit antiquissimi operis. Illud cornu totum serpentibus & draconibus undique repletum conspicies: exstat autem in museo Regio, & scul- E ptum in ejus descriptione ab Oligero Jacobeo. Vide etiam Monumenta Danico-Runica Wormii, ubi lapides istis draconibus sculpti fere omnes reperiuntur, etiam cum Christiani essent; plebei enim non desinebant istos dracones adhuc in ornamentis sepulchrorum suorum adhibere, quoniam a superstitionibus gentilium illud adhuc retinebant, sed & naves suas Septentrionales in draconum formam efformabant, ideoque naves illorum dracones dictæ sunt. Ex quibus infero, magnum antiquis Septentrionalibus cultum draconum & serpentum fuisse. Ne nunc dicam de serpentibus illis, qui propter divinitatem astris sunt illati. Erant enim F & vocabantur serpentes ἀγαθοδαίμονας antiquis. Jam & illud sequitur, ex hoc cultu tam impenso, & perpetuo Septentrionalium, illos non processisse ad prœlium ullum, sine his Diis suis, quos tanto studio colebant & alebant. Nam sicut Taciti tempore ex lucubus apros & alia signa ad bella progredientes depromebant, sic olim etiam illos dracones vivos secum in aciem deduxisse nullum est dubium, ut pote quorum auxilio, ut Deorum suorum præsentium, certissimam victoriam sperabant. Quid ergo putas illos serpentes in præliis egisse? num otiosos relictos esse? imo pugnantes ut invaderent

hostes oppositos adducti erant. Plura sane mihi notata sunt de his serpentum pugnis in hostes, sed nunc evolvere non licet nec vacat, quod fiet alias si vixero; nec dubita, quin ex bonis & antiquis Scriptoribus illa hauserim.

Quæ de Russia hodierna ad te scripsi ex nostris historiis septentrionalibus, quæ supersunt & editæ sunt Danica lingua, & Islandicis manuscriptis satis constant. Ibi enim Livonia tota & Moscovia *Gardarycke* vocatur, & inferius versus Lithuaniam *Aldegioborg*, quorum Reges ordine illic enumerantur, ex cognatione Norvegica plerique descendentes, antequam Russi in illas oras penetrarunt. Nosti enim Russorum nomen olim Ῥῶς fuisse Græcis & Cpolitanis in Asia, ex Cedreno & aliis Scriptoribus. Qui ad Christianam Religionem perducti a Cpolitanis Imperatoribus, tandem ex Asia effusi has oras usque ad mare Balthicum occuparunt, & Poloniam, cum quibus infinita bella gesserunt, atque sic prioribus Regibus ex Septentrione tenentibus illas oras exstinctis domini facti sunt illarum terrarum quas jam possident, ita ut ad mare Caspium usque fines suos adhuc hodie extendant, ut unde proruperint & progressi sint, etiam ex illis limitibus judicari possit. *Græciam* vocavit Adamus Bremensis, qui de illis legi potest: propter religionem Græcam omnino, quam secum adduxerunt, unde etiam nostris *Girckland* dici cœpit totus ille tractus, postquam *Gardarycke* desiit esse, quod regnum sic Islandis dictum est, quod ibi multas arces haberent, quibus religio illa distincta fuit. Illi enim arcem *Gard* vocant, quod nos *burgum*, ut *Mycklegard*, quod hodie est Mecklenburgum, quasi magnam & amplissimam arcem, & *Stargard*, quod nunc Oldenburgum Holsatiæ dicitur, unde etiam *Stargard* in Pomerania Brandenburgica nomen adhuc retinet. Istæ vero arces & sedes munitæ provinciam amplam sibi subjectam habuerant, cujus caput erant hæ *Gardæ*. Russi in illas oras venientes in *Grod* illas *gardas* mutarunt; unde adhuc *Ivanogrod* Johannis arx explicari debet, a Johanne Basilide Russorum Principe, nisi fallor, exstructa. Habes igitur explicationem, cur illud regnum olim Gardaryche sit dictum. Potest etiam legi ex nostris Scriptoribus *Hervarar saga* ex Islandica in Latinam & Suecicam translata ab Olao Verelio. Illa enim fœmina tot gestis incredibilibus apud nos celebris ex illis regionibus, quas nunc Russi tenent, orta fuit, cum Gardaryche adhuc vocarentur; ideoque exinde profecta ad cognatos suos Norvegos tetendit, ibique prosapiam reliquit Regum in Jutia Heidrekum & alios, quæ nimis prolixa sunt relatu omnia, ac volumen desiderant, non Epistolam. Per illam Russiam Norvegi Danique in Græciam profecti sunt mercaturæ caussa, & ex Græcia Alexandriam usque in Ægypto; atque de his dissertationem elegantem ante paucos annos conscripsit Janus Bircherodius nunc Episcopus Alburgensis in Jutia, quam ARCTOS ALEXANDRIAE inscripsit. Plura nunc quidem de his non addam, ne prolixior sim quam decet.

Nunc perveni ad ea, quæ de Galerio & Gratiano proposuisti ex Inscriptione Gruteriana, & verissima sunt, quæ scribis, illos Imperatores eodem tempore non consistere posse. Galerius enim Imp. jam anno 311. ad plures concessit. Gratianus Valentiniani Imp. filius natus est, antequam Pater Imperio potitus est 369. & Augustus proclamatus est a Parente anno 367. 24. Augusti. Non succurrit aliud quod dicam, quam mendum esse in Inscriptione, & exscriptorum oculos hallucinatos esse, qui pro Liciniano Gratianum substituerunt, male Inscriptionem, illo loco obscuram forte, legentes. Galerius enim Licinianum Licinium Carnuti in Pannonia d. 21. Aprilis Augustum proclamavit Anno 310. & cum ipso Consulatum iniit anno 311. ambo Imperatores. Ad hæc igitur tempora illa Inscriptio pertinet, si pro Gratiano perperam intruso LICINIANVM substituas, ut necesse est. Nulli enim tunc alii Imperatores fuerunt, Gratiano nondum nato, qui primum Consulatum impubes adhuc cum Fl. Dagalaipho gerere cœpit 366.

De vexillis velis quod rursus moves, ex Inscr. Fabretti, quem quidem legi cum nondum de distinctione vexillorum cogitarem, sed illum ab aliis mutuo sumpsi, haud enim in Bibliotheca mea illum possideo, ut Inscriptionem evolvere possim; ob illam, inquam, repetitam controversiam nihil plane tibi, Vir Amplissime, succenseo. Fuerunt enim vexilla vela sub Imperatoribus Augustis etiam Romanis, sed nullatenus inter signa militiæ, nec inter illa vexilla, quæ donata sunt militibus ob rem bene gestam. Hoc nunquam tu, vel Salmasius, vel alii docere poterunt. Memini me ex Inscriptionibus Gruteri, qui illa vexilla donata cum figura sua produxit, antehac probasse in Epistolis ad te meis, illa vexilla donata non fuisse vexilla vela, nec ea perticæ longitudine, quæ in cœteris signis militiæ apparet, sed instar sceptri formata, vexilla tamen, honoris scilicet, appellata esse, sive ex ligno sive metallo fuerint; nam de materia non satis constat, nec ubique illa fuit expressa. Potueras discere ex illa Inscriptione Fabretti, quam adducis, illud vexillum, quod isti militi donatum est, fuisse argenteum, quod ego simpliciter interpretor, totum fuisse ex argento; nec propterea dilabi opus erat ad vela argento ornata, aut phrygionico opere texta, quæ sane nulla fuerunt in istis vexillis, si figuris a Grutero adductis ex lapidibus credere debemus, ut credere fas est. Nulla ibi vexilla vela, nulla; sed vexilla argentea, lignea, bicoloria, ærea, omnibus modis ornatissima, pro meritis cujusque cui donata sunt. In tota columna Trajani vexillum velum nullum, nisi quod Imperatorem ipsum comitabatur, majestaticum potius, quam militare. Utpote quod etiam extra exercitum Imperatoribus præferebatur, quum domi essent, si qua publice procederent. Quæ vero in signis vela sunt & reperiuntur, ad imagines & signa ipsa pertinebant involvenda & tegenda, si quiescerent: quando vero ad prælium exibant cum signis suis & in conspectum hostis, vela illa auferebantur, & ut ornatissima ac fulgentissima essent signa, curabatur. Hæc didici ex columna Trajani, quam Ciacconius edidit & commentatus est. Nec possum de illis verbis EXACTI EXERCITVS exacti quidquam definire, quoniam nec Inscriptionem totam posuisti, nec Fabrettus mihi nunc ad manum est.

Ultima linea pono, quod primum Epistolæ tuæ caput fuit, de censura Begeri, qua meam commonefactionem de Nummo Suecico æreo a Francicis & Berolinensibus perperam explicato acerbe calumniatus est. Oblata mihi primo fuit hæc Begeri censura post reditum meum. Innocentissimum me male perstrinxit, sed ego illis non respondebo maledictis, quia non merentur. Neque enim soleo cum quoquam de lana caprina, aut umbra Asini litigare, nedum cum doctis. Scire hoc ipsum vellem, & si quando ad illum scribis, significare poteris, non esse docti Viri tam enormiter aliis insultare. Quid quæso male feci, quod Francicos & Berolinenses nominaverim? nonne harum explicationum fuerunt authores? Quis illud negare poterit? At num propterea omnes in genere Berolinenses aut Francicos perstrinxi? ab-

sit. Hoc mihi affingit Begerus. Illos solos Francicos & Berolinenses attigi, qui his explicationibus manum, aut ingenium admoverunt. Hoc tamen argumentum ipsius commonefactionis meæ testatur. Nam quia anonymi esse voluerunt hi Francici & Berolinenses, vellem scire, quo nomine illos appellare potuerim, quam Francicos & Berolinenses? Nam contra alios Francicos, aut Berolinenses, qui his interpretationibus non superfuerunt, mihi nihil omnino dictum est. Cum illis autem solis, qui talia venditarunt, mihi negotium fuit, quod argumentum ipsum demonstrat. Et male logicam suam didicit Begerus, si a Berolinensibus reis, ad omnes in genere Berolinenses concludat. Quis ipsum sic argumentari docuit? aut invidia, aut inscitia, aut superbia quædam. Si timuissem hac in re contradicentes, uno verbo transigere potuissem. Sed quia non opus esse credidi, in re tam manifesta, & quemlibet satis intelligere spero, qui sanæ mentis est, quos Berolinenses indicaverim, supra modum aut enormiter me peccasse frustra Begerus calumniatur. Nec quam insigniter in hoc partu meo mihi placeam, scire potest Begerus, qui me non novit, nec animum meum; clare satis indicavi in scripto hoc meo, quo fine illud editum sit; ne latius error serperet, occurrere volui, non ut mihi placeam, aut cuiquam; sum enim a Placentia valde alienus & remotus.

Sed de his calumniis satis. Nunc addam solum, quid mihi sub manu sit, nempe de vera scriptione Gothica veteri, quam alii Runicam, alii alio nomine donarunt, & quæ tandem vera fuerit, nemo hactenus reperire potuit: aberrarunt in eo omnes. Novi crabrones Suecicos in me excitaturum me, sed jacta est alea, veritati litandum est, non opinionibus. His nunc vale, & ut valetudinem cures, more Ciceroniano impense te rogo, Amicorum πολυφιλέςατε. Iterum salve & vale.

Dabam Hafniæ a. d. XXV. Octobr. A. 1704.

LVIII.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

UT te valetudine usum esse non satis prospera summopere doleo; ita lætor mirifice te sanitati esse restitutum, quam tibi integram & firmam diu ex animo precor.

De *Candidatis* nihil est, quod amplius agamus, cum omnia, quæ ad eam quæstionem pertinent, satis multis excussa sint; iis quapropter nuntium remitto, ita tamen, ut dicere necesse habeam, me interpretatum esse olim, IN OMNIBVS HONORIBVS CANDIDATVS IMPERATORIS de eo, qui ad honores diversis temporibus inter Candidatos Imp. erat nominatus, eosque obtinuerat; neque tamen damno interpretationem tuam, cum nempe nominatum esse ad omnes honores, quamprimum vacarent; quamvis videatur illi obstare mos in R. Republica usurpatus etiam sub Impp. ut minores dignitates primo, inde majores gererentur.

Deinde nunquam animum induxi *candorem corporis* apud D. Hieron. trahere ad Candidam vestem, sed quia *Candidatus* vocatur, putabam, id quod etiam nunc sentio, eum ad corpus illud militum vel protectorum pertinere, quod candidis vestibus erat amictum; & inde addidi, quod (nempe vocem *Candidatus*) *non ad ipsam cutem* candidam, sed ad vestem referendam esse. Et hac occasione ex te quærere libet, quid sibi velit Inscriptio, quam tom. IV. Analectorum edidit Mabillonius.

In Fr. p. XXII. *in ag.* p. XXIV. *M. Camunus P. F. Rom. Saranus. Hoc monumentum heredem non sequitur. Sed (si) hoc monumento* VLLIVS CANDIDATI *nomen inscripsero ne valeam*: neque enim ego hujus imprecationis caussam capere possum: & addo me in Insc. 9. CCCCVI. apud Grut. invenire M. Urbium Maternum Ilurensem A MILITIIS CANDIDATVM EIVS, nempe L. Fabii Cilonis præfecti Urbis & Consulis; qui num fuerit *beneficiarius*, an vero unus ex iis, qui præfecto apparebant, tibi examinandum, vir amplissime, trado.

Serpentes multos pictos in cornu aureo Danico conspexi; sed inde nihil aliud sequi posse arbitror, quam Septentrionales, ad instar aliorum gentilium, summa superstitione damnata hæc animalia coluisse; & iis in bello usum fuisse ullum populum nondum credere possum; nec certe video, quomodo iidem institui queant ad nocendum hostibus, nisi in navibus vel aliis locis conclusis, vel solis; unde bene Hannibali cessit, quod venenatos serpentes in naves Eumenis jecit; & Phidalia uxor Byzantis, mœnibus urbis sese cum suis continens, Serpentes in unum collectos in hostes immisit, si vera narrat Hesych. Milesius. Sed in præliis id fieri potuisse nondum, qua sum cæcitate, perspicere queo; cum utique sit anceps auxilium, & Serpentes æque suos ac alios læderent.

Apros & alia signa ex lucis depromsisse ad bella progredientes Germanos constat; sed erant simulacra in lucis dedicata, & inde non sequitur, Serpentes ex iisdem lucis vivos collectos, & in aciem deductos esse. Si hoc fecissent Septentrionales, miror utique nullam illius rei fecisse mentionem Olaum Magnum, qui cœteroquin prodigiorum, & incantationum satis ferax est.

Nescio an videris librum Gallicum typis editum Hagæ-Com. anno 1639. qui continet historiam Principum Arausion. ejusdemque Principatus; in eo nobis exhibentur tropæa Marii, quæ ego alibi picta & exscripta non memini me vidisse; sunt in iis tubæ ore ferarum magno numero, rectæ omnes, & nequaquam ad instar serpentum inflexæ; & apri vel porci (eos enim videntur repræsentare) insistentes ferculis vel hastis, nec non scuta, sagittæ, vexilla & alia arma, quibus tunc proculdubio pugnarunt Ambrones & Theutones, ad quos etiam arma & signa illa pertinent. Nec dubito, quin Plut. in Caii Marii vita recensuisset etiam serpentes, si iis pugnatum fuisset, quia alia populorum illorum arma nobis diligenter annumerat. Neque etiam adsentior Josepho de la Pise Dom. de Maucol editori, qui putat *porcorum* ideo figuras frequentes in tropæo illo cerni, quia erant tunc temporis signa fœderum, quæ inter gentes percutiebantur; sed puto vel *apros* vel *sues* esse, quibus Cimbri, Ambrones, Theutonesve pro signis usi sunt, id quod te examinare velle, summopere rogo.

Quæ de *Russia* scribis, mihi valde placent, uti etiam quæ mittis de Inscript. a Grutero edita, in qua *Galerius & Gratianus* memorantur uno eodemque tempore.

De *vexillis* nihil muto, sed tamen de iis non

amplius agam, ne nobis diutius contradicamus; fruamur sententiis nostris, & materiæ adhuc satis est, de qua subinde confabulari possumus. Ecce tibi integram a Fabretto editam Inscriptionem.

P. BESIO. P. F. QVIR. BETVINIANO
C. MARIO. MEMMIO. SABINO
PRAEF. COH. I. RHAETORVM. TRIB. LEG. X. G. P. F.
PRAEF. ALAE. DARDANORVM PROCVRATORI
IMP. CAESARIS. NERVAE. TRAIANI. AVG. GERM. DACICI
MONETAE. PROC. PROVINC. BETICAE. PROC. XX. HER. PROC.
PRO FIS. PROVINC. MAVRITANIAE. TINGITANAE. DONIS
DONATO. AB IMP. TRAIANO AVG. BELLO. DACICO. CORONA
MVRALI. VALLARI. HASTIS PVR. VEXILLO. ARGENT.
EXACTI EXERCITVS

Mittam ad Doctiss. Begerum, ubi ad eum scribo, quæ mones de nummo, quem Galli tam male explicarunt, nec dubito, quin amicitiam tecum colere velit; est enim, ut audio, integerrimus atque humanissimus: literarum mihi cum eo est commercium, & inde non secus ac ex variis ab eodem editis operibus perspicio, Virum optima fide cum Musis deduxisse rationem, & placidis atque amabilibus moribus esse.

Nunc tandem ad ultimam epistolam tuam pervenio, & illa mihi ansam præbebit de re quadam agendi, quæ, nisi me plane fallo, tibi veniet acceptissima. Scribis igitur te examinare scriptionem Gothicam veterem, quam alii Runicam dixerunt, & in ea designanda omnes aberrasse; & memini te aliis literis mihi significasse, eam tam antiquam non esse, quam Sueci tibi persuadent; hanc litem meam nequaquam facio, & eam tibi elucidandam & decidendam relinquo plane. Sed vidi Amstelædami cimelium instructissimum, nummisque rarissimis refertum, atque ineditis & in hunc diem a nemine visis; possessor illius est Jacobus de Bary, qui per XX. annos, nomine Consulis, res mercatorum Batavorum Hispali curavit, & per Hispanias musice est peregrinatus. Deportavit inde plusquam octo millia Numismata, quæ certe elegantia eximia sunt: multa inter ea inveniuntur in Hispaniæ oppidis percussa, quibus characteres incogniti inscribuntur; Punicos vel Phœnicios putarunt esse hunc usque in diem eruditi, sed illi quidem in nummis Gaditanorum, quos complures habet, conspiciuntur, verum reliquæ literæ longe diversæ multæque earum similes plane Runicis vel Gothicis, de quibus agere constituisti, sunt. Id quod ubi intellexi, continuo viro elegantis ingenii illud consilium tuum significavi, rogavique eundem, ut ad me ectypos ejusscemodi nummorum mittere velit, ut ita tibi occasio daretur in mysteria hæc inquirendi. Certiorem me fecit, illos nondum æri incisos esse, sed mihi descripsit literas, prout in variis nummis leguntur, iisque adjecit inscriptionem, similibus plane constantem. Mitto hoc omne ad te, & scias necesse est, unamquamque lineolam singulorum numismatum inscriptionem esse, & in nonnullorum etiam altera area similes characteres cerni, quos vides a latere adscribi. Hinc quæstio orta est inter eruditos hujus orbis, quo tempore hæc numismata potuerint esse signata. Alii ad Gothos referunt Hispanias Romanis eripientes, sed iis obstat plane nummorum elegantia, quæ vel Augusti sæculum loquitur, vel anteriora tempora. Alii putant Celtas Hispanias occupantes ante Carthaginensium & Romanorum imperia, hasce literas introduxisse, easque diu servatas ab Hispanis fuisse, adeo ut etiam ipsius Augusti tempore eas usurpaverint; sed objiciunt, unde constare certo possit, Celtas ejusmodi literas habuisse, atque adeo an habuerint ullas, dubitant valde.

Similes plane literas invenio in urnis sepulchralibus Etruscis, quas cum aliis monumentis edidit P. Bellorius; & quia illa sunt elegantiæ eximiæ, non videntur posse attribui temporibus, quæ fluxerunt ante Romam conditam, & statuendum forte est, Etruscos diu literis hisce usos esse, easque monumentis suis sepulchralibus inscripsisse. Quin & aliæ repræsentantur nobis in gemma antiqua apud Leon. Augustin tom. I. n. 152. in qua apparitores, ministri, vel ὑπηρέται Saliorum ancilia ex conto suspensa portant, quos & istud fecisse annotavit olim Dion. Halic. lib. 2. An igitur dicemus, Etruscos etiam hasce literas a Celtis accepisse, an vero Hispaniæ vel Etruriæ populis eas origines suas debere? Ego certe hic plane Davus sum, cumque tu in hisce vel aliis ænigmatibus Septentrionis explicandis Oedipus sis, enixe rogo, ut aciem & nervos ingenii tui intendere, atque adeo nos docere velis, quid de hisce obscuris rebus statuendum sit.

Cum Inscriptionibus autem, quas ad te mitto, nummorum nihil habere commune literas Phœnicias, patet satis superque ex variis Seleucidarum, quos videas licet apud Vaillant. p. 197. 200. 272. 307. 308. 332. ex alio perquam raro & eleganti apud Baudelotum p. 187. Historiæ Ptolemæi Auletis (in quo tamen illustrando non satis felix est vir diligentiæ & curiositatis singularis, cum gemma, in qua eum sculptum putat, repræsentet nobis Dantem poetam Italum, & nequaquam eum Ptolemæum) iisque addas licet alium Gazensium apud Vaill. in Nummorum Græcorum Appendice. Punicæ autem inscribuntur in nummo apud Fulv. Ursinum in Imagin. Illust. Virorum, qui nobis *Annibalem* repræsentat, quæ tamen diversæ sunt in alio apud D. de Bary, in quo eruditi harumque linguarum gnari invenerunt nomen Hannibalis; & ipse vel alius juvenis & imberbis exhibetur palliolo, an diademate? tectus caput: in altera area equus bibens vel edens ex vase, & literæ 7°h°)√JX.

Quod si jam tibi narrarem, Vir amplissime & amicissime, alia cimelia illius miranda, profecto rapereris in admirationem, & diceres eadem videns, cum Virgilio, *obstupui steteruntque comæ*. Adseverare tibi possum, illud multa alia superare, & servari in eo nummos omnis generis, Impp. Regum, populorum, Regionum, quos alibi frustra quæras.

Singulis fere hebdomadibus a viro horum mysteriorum intelligenti valde longas & ponderosas literas accipio cum Inscript. ineditis, plurimisque itidem ectypis nummorum ἀνεκδότων: ego vicem reddo pro modulo ingenii mei, & ambo annitimur omni ope, ut res abstrusas & reconditas, quæ in iis exhibentur, explicemus; inde justum volumen fieri posset; sique eruditos, qui mutuas hasce epistolas Amstelædami legerunt, audirem, jam illæ præla exercerent; Gallica lingua utimur, quia illa D. de Bary familiarior est Latina. Simul

ac ectypos nummorum, quorum Inſcriptiones nunc mitto, accepero, illos tecum communicabo continuo; annotavi mihi, cum Amſtelædami eſſem, unum elegantem, in quo hinc caput galeatum juvenile; a cervice litera a fronte altera area Leo currens, & quarum nonnullæ reliquis ſimiles ſunt.

Hæc cum ſcribo, iterum mihi in mentem venit *Candidatus in omnibus honoribus Imperatoris*; & vide, an non omnes honores, qui ibi recenſentur, beneficio Imp. ordine acceperit, atque adeo etiam ipſa Sacerdotia homo ille, quia dicitur etiam fuiſſe *Septemvir Epulonum* & *Sodalis Hadrianalis*. Nam & Sacerdotes ſæpe ab Imperatoribus creabantur, cujus rei illuſtre exemplum in lapide veteri apud Fabrett. p. 442.

IN. AEDE. CONCORDIAE. ADSTANTIBVS. FRATRIBVS. ARVA
LIBVS. EX. TABELLA. IMP.
CAES. VESPAS. AVG. MISSA. C. SALVIVM. LIBERALEM. N.
BASSVM
IN. LOCVM. C. MATIDII. PATRVINI. COOPTAMVS.....

Et etiam aurem mihi vellit VELATVS IN PRAET. quem mutandum eſſe te non invito putabam in RELATVS, id quod etiam nunc cenſeo, & videtur omnino poſtulare τὸ IN PRAETOR. vel *prætorium*, i. e. inter Prætorianos milites adlectus, quæ militia erat honoratior. Sed IN PRAET. poteſt etiam eſſe IN PRAETORIO, & celare te non poſſum, me invenire ACCENSVM VELATVM in Inſ. 1. CCCCLXXIX. 3. CCCCLXXXIII. 6. CCCCLXXXV. & 2. DCXXIII. apud Gruterum. Scaliger inter Magiſtratus eos recenſet, & certe videntur aliqua dignitate fuiſſe, & non meri apparitores, quia in 1. Inſ. idem vir etiam dicitur fuiſſe *Eques R. Pontifex*, *Ædilis & IIvir*: qualia etiam in aliis, quas laudavi, obſerves licet; ex quibus etiam patet, *Accenſos velatos* in municipiis vel coloniis, & forte etiam Romæ fuiſſe, ubi ultima Inſcriptio inventa eſt. Raphael Fabrettus alias nobis exhibet, in quibus *Accenſorum velatorum* fit mentio, putatque p. 433. vir doctiſſimus, meuſque, dum viveret, ſingularis amicus, fuiſſe *collegium ad ſacra pertinens*, quanquam paulo poſt etiam eos militiæ videatur adſcribere; id quod tamen ex illis Inſcriptionibus nequaquam mihi erui videtur poſſe; & cum iis *velatos* memoratos Feſto in ea voce, nihil habere commune puto; quippe qui fuerunt milites inermes, veſtiti tantum, abſque caſſide, ſcuto, gladio, & ſolis fundis ac lapidibus pugnantes; id quod etiam patet ex eodem in v. *Adſcriptitii*, nec non ex Varron. lib. 6. de L. Lat. p. 75.

Salmaſio cap. 14. de Re Milit. Roman. *Accenſi velati* videntur publici miniſtri fuiſſe Magiſtratuum cum aliquo honore & emolumentis, & inde in Gloſſis legi, *Accenſus* εἰσαγωγεὺς εἰσηγητὴς βȣλαρχος, & in aliis addit, eos ſimpliciter Accenſos nominari. Ego tria *Accenſorum* genera facerem; 1. militares, 2. alios qui Magiſtratibus apparebant, & tandem *Accenſos velatos*. De iis agit multis Salmaſius, & ex Aſconio patet, illos poſtea honoratiore loco fuiſſe. *Accenſi* Magiſtratuum nulli alii ſunt, quam apparitores, qui tamen honoratiores præ aliis fuerunt, & tandem *Accenſi velati* videntur aliquod in coloniis, vel municipiis geſſiſſe munus honoratum, quanquam non auſim eos cum Gloſſis appellare βȣλάρχȣς, ſed εἰσάγωγεὺς ad eoſdem pertinere poteſt, quia forte aliquem introducebant ad Conſulem, vel alium Magiſtratum, imo & Senatum.

Sed in Gloſſis legitur *Accenſor*; quem *delatorem* exponit Carolus Du Freſne Dom. Du Cange, eidemque εἰσαγωγεὺς idem ſignificat, quia Athenis ἀρχὴ vel Magiſtratus τῶν τὰ ἐγκλήματα εἰσαγόντων *eorum, qui crimina deferebant*, ita vocabatur, vel qui actiones ferebant πρὸς τȣ̀ς διαιτητάς Poll. 8. Et, id quod commodum mihi in mentem venit, an non *Accenſus* potuit dici *velatus*, quia aliqua re cinctum vel tectum caput habebat? certe de Feciali ita loquitur Livius 1. *Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen eſt) audi, Jupiter, inquit:* vel ut alii, legunt, *capite velato filo (* lanæ &c.)& ex eo aliiſque notat Scalig. ad Varron. *velatos* dici, qui caput cinctum licio laneo habebant.

Sed nimis diu patientia tua abutor, nec rationem habeo valetudinis tuæ. Vale quapropter etiam, atque etiam, & me, quod facis, amare perge.

Davent. 12. Dec. 1704.

Mitto ad te, Vir illuſtris, characteres, qui conſpiciuntur in lapide & nummis apud Jacobum de Bary.

Inſcription, qui ſe trouve ſur un Marbre dans l'Egliſe de nueſtra Senora del Cid dans le Royaume de Valence aux frontieres d' Arragon.

En voicy encore quelques caracteres, qui ſe trouvent ſur les Medailles.

Derriere la teſte

Der. la teſte

Litte-

Litteras ipsas non mitto, quia sunt longiores, & de aliis agunt rebus; illas tamen a me feres, ubi intellexero easdem in manus tuas pervenisse: annitere quæso, uti hosce characteres nobis explices, & da hoc Musis & Viris, quibus magna de tua eruditione & sollertia est expectatio.

LIX.

Amplissimo & Celeberrimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

SPero tibi redditas esse literas, quas XII. Decembris proximi die ad te dedi, Vir illustris, atque ex iis te perspexisse, me perpetuam tui memoriam servare.

Nunc equidem scire summopere desidero, an tantum tibi fuerit temporis, ut examinare potueris quæstiones a me positas, & imprimis litteras, quæ in Hispaniæ nummis & monumentis leguntur, quasque tecum ex cimelio Jacobi de Bary communicavi. Vir ille in eo est, ut edat complures ejuscemodi nummos, putatque sese invenisse viam, qua explicari poterunt; sed nihil tamen movere constituit, antequam sit edoctus, quæ tua de illis characteribus sit sententia; omnia enim prolixa de præclara tua sentit eruditione, & sperat te sublaturum omnem scrupulum, qui eum adhuc male habere posset.

Quare te etiam, atque etiam rogo, ut illud Musis, Viro Amplissimo, mihi denique dare velis, & ad me mittere, quid de abstrusis illis rebus statuendum sit, ut ita erudito orbi bona apponi possint, quæ possidet Jacobus de Bary, elegantis vir ingenii.

Nescio an ad te miserim, ante binos fere annos inventum esse in Siberia sepulchrum subterraneum concameratum, & in eo ossa humana, nec non binas icunculas aureas, quarum una referebat corpus avis, altera vituli, ambæ cum vultu humano. Adjacebat lanx ex metallo facta perelegans, cujus ad te ectypum mitto, si forte quid adferre possis, ad res hasce mirandas explicandas.

Ipse unam ex icunculis & lancem manibus tractavi meis apud Illustris. Witzenium Reip. Amstelædamensis Consulem & egregium literarum humaniorum cultorem, atque indefessum. Est inprimis dignum inquisitione, unde in Siberia sepulchra ejusmodi, & ad quam gentem relliquiæ illæ pertineant. Seres vel Chinenses aliquis advocaret, quia litteræ lanci inscriptæ populi illius litteras referunt; sed apud eum nulla talia simulacra, quæ potius Ægyptum, quam aliam regionem loquuntur.

Donum tibi etiam mitto dissertationem Adriani Relandi, qua Inscriptiones IV. Arabicas & nummum ejusdem gentis, perquam sollerter, uti testantur viri illius linguæ gnari, interpretatur; alia a viro egregie docto expectamus, & nunc explicat binos alios nummos Arabicos, quos ex paupere penu mea ad eum misi, quique videntur nobis servare res haud pœnitendas.

Ad Begerum mittere non potui ea, de quibus mecum egisti, quia ultimum valere dixit rebus humanis illo ipso tempore, quo id facere constitueram, & doleo vehementer virum tam insignem nobis raptum esse, id quod & te facturum, fidem habeo ingenium tuum præclarum & eruditionem, licet levis simultas vos paululum diviserit.

Nunc non agam de aliis rebus, licet satis magna earum mihi sit messis; & illud tantum addam, me, licet summam rationem habeam otii tui, rogare te summopere, ut litteris meis proximis respondere, & elucidare velis ea dubia, quæ iisdem fui complexus. Vale plurimum Daventr. 1. Maii 1705.

P. S. Doce me, quæso, insuper, quid sibi velit hæc inscriptio sigilli Regis Daniæ apud Menestrierium, qui fato functus est, p. 217. post paginam 240. De l'origine des Armoiries & du Blason: Le Sceau de Christophle, par la Grace de Dieu, Roy de France & de Dannemarck, des Esclavons & des Goths, Comte Palatin du Rhin, & Duc de Baviere. Nam *Francia* mihi crucem figit, & nihil tale in vita III. Christophororum, Regum Daniæ, apud Meursium reperio. Cum hasce literas ad te per hemerodromum curare vellem, ecce mihi adferuntur aliæ a Jacobo de Bary, illisque junctæ, quas Germanicas scripsisti 28. Martii proximi ad Nobiliss. Virum Ehrencronium.

Ex hisce non sine summa admiratione intellexi, te nondum accepisse literas, quas XII. Decembris ad te dedi anno elapso.

Scripsi tunc certe satis longas & verbosas, egiq; de variis rebus, quas mecum 25. Octob. communicasti; & misi simul characteres, qui in nummis Hispanorum scribuntur, rogavique serium te, Vir eximie, in modum, ut aciem ingenii intendere, & nos docere velis, quid mysteria illa significent.

Quod si autem epistola illa in alienas manus pervenit, vel intercidit, ego id edoctus continuo exemplum illius mittam: commendavi eandem, non secus ac hanc ipsam, Franc. Kilian mercatori Hamburgensi ex præscripto tuo. Vale iterum, 9. Maii 1705.

LX.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

TAndem aliquando binæ tuæ Epistolæ ad meas manus perlatæ sunt ambæ simul, altera XII. Decemb. prioris anni scripta, altera IX. Maii hujus, liberatæ tandem e carcere & custodia, quæ illos hactenus detinuit. Causa hujus tam diuturnæ moræ non fuit Mercator meus Hamburgensis, sed alter amicus, cui demandata erat hæc cura eas procurandi, qui morbo correptus interim excessit e vita, & obsignatis ejus bonis, ut hic moris est, illic tam diu delituerunt, donec heredes adire potuerint hereditatem, illasque inventas transmittere. Gaudeo salvas & integras ad me pervenisse, sed pudet me pigetque tam diu tuas sine responso relictas videre. Nescio an non consultum sit in posterum, tuas per amicos recta Hafniam tendentes, qui sæpe Civitatem vestram transeunt, huc mittere & inscribere: *inde oude Fortuyn, teghien oover het Wegerhuys*. Ita non opus est, ut diu me quærant; & certius ad me perferentur tuæ literæ.

De candidatis bene est, quod convenimus, & tecum sentio, quod a minoribus ad majores dignitates Romani processerint, quamvis non desint exempla, eos etiam saltum fecisse.

Hieronymi tempore milites quosdam aut cives alios adhuc candidis vestibus munera ambiisse, non puto amplius obtinuisse, & nihilominus Candidatos illos vocatos, qui munera petebant, sentio, ut hodienum solent.

Inscriptio ex Analectis Mabillonii, M. CAMVNI, qui videtur militaris fuisse, cur nullum Candidatum inscribere velit monumento suo, quod heredem non sequitur, causam nec tibi, Vir su-

me, nec mihi divinare licebit. Cauſas tamen ipſi fuiſſe, cur Candidatos diſerte excluſerit, aperit Inſcriptio, licet neſcire cogamur, quænam illæ cauſæ fuerint. Et apud Gruterum etiam exſtare Inſcriptiones aliquot memini, quæ prohibitiones tales continent, quibus arcentur hi vel illi, etiam cauſa addita, quod ingrati fuerint in Patronum, aut ſimile quid. Candidatus L. Fabii Cilonis in Gruteri Inſcriptione monet, etiam Illuſtribus Viris in civilibus & militaribus jus fuiſſe Candidatos habendi ſuos, quos data occaſione promovere poſſent & commendare.

De Serpentibus vivis in prœlium allatis nihil addo; poſſum in his errare, quamvis non occurrant mihi nunc, quæ quondam de his novi me notaſſe. Ipſe ſubminiſtras exempla Hannibalis & Phidaliæ cum Serpentibus vivis etiam pugnatum eſſe. Nec video cur non æque in campis projici potuerint ab incantatoribus in hoſtes, ibique ſtrages facere, nihil nocentes illis, a quibus projiciebantur. Incantatas fuiſſe has beſtias, jam in ſacris legimus & Pſalmis. Quamvis non viderim librum, qui hiſtoriam Principum Arauſionenſium tradidit, nec illa tropæa Marii, nihil tamen illa obeſſe mihi video; nam tubas rectas earumque ora alicujus animalis rictu præfigurari, non eſt cur ambigam aut negem, ut nec cornua, quæ ſæpe loco tubarum fuerunt. At illa, quæ in nummis cernuntur depicta, vix eo trahere poſſum, quod cornua plane non referant iſta curva inſtrumenta, ore nimis anguſto. In Trajani ſtatua apud Ciacconum obſervabis illos cornicines, & quanto hiatu illorum tubæ circa finem ſe aperiant ad clangorem maximum edendum.

Candidatus Imperatoris in omnibus honoribus, ſi ſubintelligatur, quos nactus eſt, eos omnes beneficio Imperatoris eum conſecutum eſſe, & ex tabella Imperatoris ipſum commendantis, prout elegans illa Inſcriptio loquitur, quam commode ex Fabretto ſuppeditaſti, optime ſic explicatur: non quod ſimul illos honores adierit, ſed ab inferioribus ad ſuperiores adſcenderit, Imperatore ſemper Candidatum ſuum commendante, Candidato quoque Imperatori ſuggerente, quoties vacabant munia, quæ ipſi placere poſſent.

Non magis quam tibi, mihi placet ſententia Dni. de la Piſe, qui apros illos, aut porcos in Marii tropæis trahere voluit ad fœdera, quæ apud Romanos porca cæſa ſanciebantur. Nulla ſane Cimbris interceſſerunt cum Romanis fœdera, nec, ſi fuiſſent, porcam illi, credo, cæſam attendiſſent. Sed illi porci in tropæis, apri ſunt in ſignis & vexillis Cimbrorum, quæ Marius & Catulus ceperunt, & exinde tropæis eorum ornandis circumpoſiti. Memini me quondam in ad te, Vir Ampliſſime, meis monuiſſe, apud Boutheroue exſtare in nummo Gallico tale vexillum apri. Hæc mea de illis apris eſt ſententia plane tibi conſentiens.

Adhuc urges me, vir Eruditiſſime, in controverſia de vexillis, Inſcriptione Fabretti, ubi legendum puto P. BESIVS P. F. QVIRinali (ſc. Tribu) BETVINIANVS C. MARIO MEMMIO SABINO &c. DONATO AB IMP. TRAIANO AVG. BELLO DACICO CORONA MVRALI VALLARI HASTIS PVRIS VEXILLO ARGENT. &c. Hanc Inſcriptionem pro me valde facere judico, non vexillo velo illum donatum eſſe, ſed vexillo plane argenteo, quod extra militiam vexillum dicebatur, in militia ſignum; illudque formatum fuiſſe ea figura, qua tale vexillum ſculpi curavit Gruterus cum Inſcriptionibus ſuis, bis, ſi recte memini, & ante in Epiſtolis meis ad te, Vir ſumme, recenſui.

Quod de accenſis velatis mones, dicam primo, Accenſos inde nomen traxiſſe, & proprie dictos eſſe, qui populum ad cenſum vocabant, inſtar præconum; neque enim præconibus omnibus idem officium, nec unus præco, ſed plures. Præcones pacis & belli Feciales dicebantur, ut noſti. Sed nemo velatos illos miniſtros rectius deſcripſit quam Livius, dum ait: *Jus ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc Feciales habent, deſcripſit, quo res repetuntur. Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato, (filum lanæ velamen eſt) Audi Jupiter, inquit*, &c. Ecce caput velatum, & Feciales velatos, ita quoque Accenſos & Præcones reliquos: ut unde *velati* dicti ſint, jam intelligamus, & Præcones & Accenſi. At non omnes Præcones & Accenſi velati erant, ſed digniores & præſtantiores & ſanctiores ſolum, ideo additur in Inſcriptionibus ACCENSVM VELATVM, ut hac dignitate diſtinguatur a reliquis Accenſis, quibus illud velamen geſtare non conceſſum erat. Mutatum illud eſſe puto ſub Imperatoribus, & loco velamenti in capite, velum vexillum illis datum eſſe geſtandum, ut diſco ex nummo Antonini Pii aureo, qui extat in Theſauro Brandenburgico Dn. Begeri p. 667. Averſa enim, ut videtur, Præconem Accenſum, imberbem, togatum, cinctu quoque Gabino, dextra teſſeram liberalitatis punctatam gerentem oſtendit; ſiniſtra haſtam, cujus medio velum eſt affixum parvum quod plane non convenit cum vexillis velis, quæ in apice haſtæ præferri ſolent, & majora ſunt. Uſos tamen hac ratione velis iſtis præcones, ut ſigno publico, quo dignoſcerentur & inviolabiles eſſent, manifeſtum eſſe puto. In circuitu hujus nummi inſcriptum, LIBERALITAS VII. COS. IIII. quam per Præconem vel Accenſum annunciari curavit, & diem, quo ad illam convenirent. Non obſervavi aliquod velamen in capite hujus accenſi, ſed velum illud loco velamenti fuiſſe judico, & Accenſum propterea velatum & illum dictum cenſeo.

Nunc ad Dn. Jacobi de Bary nummos, eorumque Inſcriptiones aliquid mihi dicendum impoſuiſti, & uno verbo dicam, adeo mihi peregrinas has eſſe literas, ut quo referam non habeam, nihilque illorum intelligam. Nam primo elegantiam illorum deprædicas, quam ſane in Gothicis aut Vandalicis deprehendere nequaquam licet, qui rudi admodum Minerva & Moneta ſuos expedierunt, ut Antonius Auguſtinus olim eos urnis potius, aut monſtris ſimiles eſſe judicaverit, quam nummis, ut propter hanc elegantiam Gothicæ, aut Vandalicæ judicari non poſſint. Et nunquam ſane Gothicæ ſunt hæ literæ, quas mihi miſiſti, quod Inſcriptiones omnes Hiſpanicæ & Gallicæ teſtantur, quotquot ſuperſunt, & mihi hactenus viſæ ſunt; nam aut monogrammatis, aut illis literis, quas hodienum retinemus, & quibus quotidie ſcribimus ac imprimimus, uſi ſunt; & Alphabetum minus vocantur. Hæ enim literæ ex majoribus Græcis & Latinis a Gothis transformatæ ſunt in minores illas, quibus hodienum utimur, ut neſciamus nunc Gothico more nos ſcribere, quum Græca vel Latina ſcribimus. Ulphilas Gothorum Epiſcopus primus Arrianæ Sectæ, primus fuit, qui literas Græcas majores in parvum illud Alphabetum redegit, quo nunc pingimus. Quinam in Italia Alphabetum illud minus ex majori Gothos docuerit primus, non æque novimus. Sacerdotes illorum Arrianos hoc etiam monſtraſſe, non eſt, quod dubitemus. Hæc autem vera eſt ſcriptio Gothica antiqua, nulla alia; quam nos hodie & quotidie calamis noſtris exercemus, neſcientes illam a Gothis pri-

mum in Italia, Gallia & Hiſpania manaſſe: quod tamen verum eſſe docebo in opere meo, ſeu opuſculo de vera ſcriptione Gothorum. Runicæ illæ literæ, quæ in his terris primum magicæ notæ fuerunt, non ſcriptio aliqua, a Normannis in Gallia primum in Alphabetum quoddam ſunt redactæ, & invenies eas a Rabano Mauro Normannicas dictas, apud Goldaſtum in Alemannicis, quæ plane noſtris conveniunt & figura & nominibus. His ergo Gothi nunquam ſunt uſi, nec Vandali, qui cum Gothis diu ſociam vitam egerunt, quandiu ad Mæotin ſederunt, poſtea hoſtes facti, ex Gallia & Hiſpania a Gothis pulſi ſunt, ut in Africam transmigrare cogerentur. An ibi natæ ſint Vandalis iſtæ literæ, quæ in nummis iſtis Dn. de Bary proſtant, haud affirmem, aut negem; Gothicæ ſane non ſunt, nec cum Runicis noſtris conveniunt, nec per illas explicari poſſunt. Reperiuntur tamen in ſubmiſſis quædam literæ, quæ Runicis noſtris non ſunt diſſimiles figura, an poteſtate quoque eadem ſint, neſcio. Nam in his occurrunt ⱶ quod in noſtris Runis eſt o litera. At ſi pingatur ⱶ eſt F. quæ & ita pingi ſolet ≠ & ᛚ. ᚠ eſt l. ᛋ eſt s. ᛘ eſt M. in principio ac medio vocis, in fine vero R. ᛏ eſt T. quod etiam ᛏ ita pingitur. Annotavit ad hanc literam ᛏ Gudmundus Andreæ in Lexico ſuo Islandico, *Runice* ᛏ. *pingi, Tyr appellari. Sed Tyr Auſoen, ſeu Deaſtrum unimanum notat: alteram enim manum morſu lupi amiſit: vide Eddam. Ideo hic truncus quaſi unimanus pingitur. Verum & alia hujus Runæ figura ſæpius decurrit, nempe* ᛏ. *quæ utramque manum refert: atque ita quidam geminum T. nimirum T T ſcribunt leguntque. Certam porro de hoc Regulam ignoro.* Sed aliud mihi circa has literas incidit, & nummos illos quos perhibetis eſſe elegantes, illorum Inſcriptiones eſſe veteris Hiſpanicæ linguæ & ſcriptionis minime dubito. Obverſatur menti meæ locus Strabonis, qui de Turdulis Hiſpaniæ populo annotavit, penes eos ſcripta eſſe ſex mille annorum hiſtorias complectentia. Illud ſaltem jactaſſe illos verum eſſe poteſt: at ſcriptionem inter Hiſpanos viguiſſe peculiarem, ante quam Romanis ſubjugati fuerunt, certo docet. Neque enim Strabo tam longe abfuit ab illis temporibus, ut neſciret, an Hiſpani ſcriptionem aliquam ſuo tempore habuerint, illorumque figmenta confutaſſet, ſi ſcriptionem nullam illis eſſe reperiſſet ſuo tempore, quam potius confirmavit, ut ſuperſtitem adhuc ſuo tempore. Antonius etiam Auguſtinus ſexta diſſert. affirmat has eſſe veteres Hiſpanicas literas, quas tamen fatetur aliquoties ſe non intelligere, ut mirum non ſit, nos adhuc hodie cœcutire. An vero nummos etiam habuerint his literis inſcriptos ante Romanorum adventum & cohabitationem, alia quæſtio eſt. Et nihil hac in re definio. Sed Dn. de Bary hæc penſitanda relinquo, qui tantum illorum numerum collegit, & nos docere poterit, an omnes illi nummi Romanæ ſtructuræ ſint. Ego enim omnem illam ſcriptionem veterem Hiſpanicam non diu poſt Romanorum Colonias illuc deductas exſtinctam, & Romanam ſcriptionem Hiſpanis receptam fuiſſe judico, prout tot nummi teſtantur apud Ant. Auguſtinum latinis literis expreſſi. His ita poſitis facile liquet, Hiſpanicam ſcriptionem illam multo Gothica fuiſſe antiquiorem, & Runicis Alphabetis omnibus, nec illam ad iſtas ullo modo referendam eſſe. Evolvat vero Dn. de Bary Afranii nummum apud Urſinum, & Ant. Auguſtinum Dial. 6. ejuſque legat explicationes; videbit ibi multas figuras ſuarum literarum inſcriptas illi nummo, quas licet Græcas eſſe putet Urſinus, ego tamen veras Hiſpanicas antiquas eſſe ſentio: nam cum Græcis literis non admodum conſentit hæc ſcriptio, niſi in ΛΟΡΛ. Nam Inſcriptio averſæ longe recedit ∇ΝόΡΛ∇. Conveniunt autem cum literis, quas ſubmiſit Dn. Bary. Si Petreii & Varronis nummos, quos ſimilem ſcriptionem habere monuit ibidem Urſinus, non ſculpſit tamen ſuis locis, inſpicere liceret, qui eodem tempore Legati fuerunt Pompeii cum Afranio in Hiſpania, jam facilius & propius forſitan accederemus ad lectionem harum literarum, quas non dubito Hiſpanicas veteres eſſe dicendas. Et quoniam denarii pondere ac magnitudine eſt hic nummus, obtinuit Afranius in ſuum honorem hos nummos ab Hiſpanis cudi, qui Latinam ſcriptionem nondum didicerant, ideoque ſuam adhibebant. Eſt mihi quoque nummus æreus cum Equite tali, ſed detritus, in quo literæ ejuſmodi deprehenduntur inter pedes equi, quæ vix legi poſſunt, ſimiles tamen ſunt literæ prioribus; & Romani aſſis formam in omnibus nummus ille habet, nam & caput in primo latere alicujus Dei eſt, galeatum, juvenile. Unde ſcire cuperem, an nummi Dn. de Bary argentei his literis inſcripti denariorum magnitudine ſint, ut Romanis æquales, vel ſuperent iſtam magnitudinem. Deinde, num ærei quoque Romanam formam & pondus referant; ſentio enim, ſi Romana forma eſt his nummis, eos cuſos eſſe, ex quo Hiſpania Romanis ſubdita eſſe cœpit. Ego, ſi conjecturam meam addere licet, legerem ∇ΝΡΡΛ∇ *Obulco*, civitatem ſatis notam in Hiſpania, ubi nummus hic in Afranii honorem cuſus fuit. Sed hæ conjecturæ ſunt, quibus nec ipſe fido, nec alios fidere cogam. ᚼ eſt H. ᚹ eſt G. P. litera, quæ ſæpius inter ſubmiſſas comparet, in Anglicis nummis veteribus ſignificat W ut obſervavi in Canuti M. nummis, in cujus prima facie Effigies CNVT. REX ANGLORVM. In averſa crux & inſcriptio in circuitu PVLFRIC ON LVNDE. Wulfricus Lundenſis ſc. Monetarius. Et ſic ea litera in pluribus aliis Anglorum nummis ſemper W. ſignificat. In noſtris Runis ſimilis eſt quædam, ſed ita ſcribitur. ᚦ & ſignificat TH. quam in impreſſis libris Islandicis reperies etiam per P. expreſſam, quod careant Typographi illa littera ᚦ. Nullum eſt diſcrimen, niſi quod apex ille longior deſit, quam in ſcriptione adhibent Islandi, illamque ſolam literam ex Runicis adhibuerunt, quod multa eorum nomina & verba cum TH. peculiari ſono incipiant & finiant, quam in aliis linguis non repererunt, niſi in Anglo-Saxonica, ubi quoque perſeverat, ut in voce Mouth, quod eſt os oris, & ſimilibus. Enotavi in Schedula adjuncta, quot diverſas literas & figuras in ſubmiſſis repererim, ſunt 39. numero. Reliquæ literæ ignotæ plane ſunt mihi, nec cum Runicis noſtris ullo modo conveniunt, ita ut Oedipum requirant iſtæ, quum ego in illis Davum me profitear. Runicum noſtrum Alphabetum ejuſque figuras & poteſtatem reperies in Olai Wormii opuſculo de Runica literatura, & in notis Stephanii ad Saxonem Grammaticum, ex quibus facile poterit dignoſcere Dn. de Bary, quænam conveniant, quæ ſecus. Ad mentem noſtrarum Runarum plane explicari non poſſunt ejus inſcriptiones, prout ipſe deprehendet facile, ſi ad illas examinare velit ſuas.

Ad alteras tuas IX. Maii ſcriptas & datas, Vir illuſtris, jam puto, tibi reſpondi, quid ſentiam de monumento Siberiæ. Icunculas iſtas aureas

A facie humana, tam avis, quam vituli, esse Deastros & Idola gentium illarum; sed quam tu lancem esse credis Dn. Vizenius speculum chalybeum, ego clypeum votivum potius affirmarem fuisse, sed nihil statuere possum certi, quod figuram & formam ejus non viderim, an aliquid concavi habeat, prout specula, & lances solent habere, & clypei quoque, & an illa pars concava rasa sit, minusque polita, quam convexa: neque enim hæc ex figura submissa mihi liquent. Sed quia Inscriptionem habet in circuitu, clypeum potius esse judico, quam lancem, aut speculum. Et quia avis & vitulus simul juncti jacuerunt, ex Ægypto illa per mercatores allata suspicor, ubi colebantur hæc animalia. Velim etiam scire, an lanx illa, vel clypeus non sit majoris moduli, quam prout exprimitur in ære. Nam clypei votivi raro ad eam magnitudinem accedunt, quam habent veri clypei; idque docui Dn. Woodwardum in Anglia Medicum insignem, cui quoque talis clypeus paulo major ferreus insignitus, sed sine inscriptione. Nosti in nummis Augusti & aliis tales clypeos votivos occurrere, in quibus amplitudinem veri clypei desideramus; tam exiles illic sculpuntur.

Pro dissertatione Dn. Adriani Relandi submissa plurimas tibi debeo gratias; acceptissima mihi fuit, quod valde curiosa protulerit. Exstat apud Tristanum tomo, nisi fallor, secundo talis nummus Arabicus Cosrhois, Regis Persiæ, argenteus, tuo non dissimilis, quem Tristanus egregie explicavit. Effossi sunt & effodiuntur adhuc apud nos, in Gotlandia insula præcipue, & alibi, multi nummi Arabici argentei, Chalipharum tempore percussi, in quibus in medio conspicitur formula illa solemnis, *Non est Deus, nisi Deus unus, & legatus ejus Muhammed*, in circuitu, Epitheta Dei ex Alcorano, *Bonus, misericors, fidelis*, &c. utrinque literis talibus cusi, sine ulla effigie. Hos nummos Mercatores nostri secum ex Africa quondam attulerunt, & morientes sepelire curarunt secum, quoniam eorum nullus hic usus, aut valor, quamvis sint argenti fere puri. Eo numero reperti sunt in aliquibus locis defossi; ut exinde cochlearia argentea & globulos tunicarum confici curaverint effodientes. Aliquos eorum penes me servo nummos in memoriam temporum illorum & nostrorum commerciorum.

Errasse Dn. de Menestrier in describendo sigillo Christophori 3. Regis nullum est dubium. Exstant enim ejus Regis varia sigilla, quæ post Resenii vitam Friderici II. Regis tab. ultima in ære sculpta legere & videre poteris. Nulla ibi Franciæ mentio, sed regem Daciæ, Norvegiæ, Slavorum, Gothorumque se scribit, Comitem Palatinum Rheni & Ducem Bavariæ. Sed Menestrier Norvegiam præteriit, atque pro ea legit Franciam, quam Daniæ postponi non sivit, sed in primum locum transtulit.

Habes nunc, Vir Perillustris, ad tua quæsita meam qualemcunque sententiam. Et quoniam sub manu crevit Epistola, ignoscas quæso, quod tam prolixis tuas curas obruam. Et vale diutissime a tuo

Vir Perillustris & Magnifice

Dabam Hafniæ a. d. XXIX. Augusti CIƆIƆCCV.

Humillime addictissimo
Cultore & Servo.

LXI.

Amplissimo & Celeberrimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

B Gaudio haud communi perfusus fui, ubi acceptissimæ & eruditissimæ litteræ tuæ mihi fuerunt redditæ; faciebat enim diuturnum silentium tuum, ut suspicarer te valetudine nondum uti satis prospera, imo graviora mihi in mentem veniebant. Sed bene, imo optime habet, quod videam te valere, & bona adhuc fide cum Musis rationem feliciter deducere. Certe ejus rei documentum illustre est epistola tua, ex qua non modo singularem voluptatem, verum etiam ingentem fructum, credas velim, percepi; & propterea facere non possum, quin tester, me plurimum eo nomine tibi debere.

C *Candidatis* igitur tecum nuntium remitto, nec illi in posterum argumentum præbebunt litteris meis, nisi forte quid occurrat attentione, & eruditione tua dignum. Eadem sors maneat *serpentes & vexilla, & signa*; quamquam etiam nunc in sententia mea maneam, & putem etiam, *vexillum argenteum* non exponi posse, nisi de velo ex panno argenteo, vel ex argentea lamina facto, quod propter formam *vexilli* nomen tulit; quomodo *chartam plumbeam* dixit Suet. Ner. c. 20 ad quem locum videri potest Casaubonus, cui addatur Laur. Pignorius Epist. 18. ubi idem evenisse voci *paginæ* docet.

D *Accensus Velatus* etiam satis illustratus est, & convenit inter nos eum ita appellari, quia aliquo velamento tectum habebat, vel cinctum caput. Neque tamen puto, talem cerni in nummo Antonini Pii apud τὸν μακαρίτην Begerum p. 667. Thes. Brand. cum mihi figura illa militem, & forte ipsum Imperatorem repræsentet coronatum corona laurea; cui tamen conjecturæ obstat juvenilis vultus figuræ, quæ LIBERALITATEM repræsentat. In variis certe nummis hinc cernitur Imperatoris προτομὴ, inde ipse stans paludatus, & hastam tenens, uti vel patet ex uno Severi p. 691. ejusdem Thesauri, neque tamen propterea meam

E hallucinationem alii obtrudere velim, neque adeo tuam illam explicationem rejicere; sed istud mihi præcipue notandum videtur, LIBERALITATEM hoc in nummo repræsentari figura virili paludata, in reliquis vero omnibus, quos editos vidi, muliere tenente tesseram, & cornucopiæ plerumque. An dicemus, hanc liberalitatem in milites erogatam esse, reliquas vero in cives urbis Romæ? nam Capitol. ita loquitur de Pio: *Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea, quæ pater promiserat*; id quod te examinare velle etiam, atque etiam rogo, vir præstantissime.

F Velatus autem ille *Accensus* mihi in memoriam revocat Sacerdotes capulatos, quos observavi in Inf. apud Reinesium, I. CCCIX.

—————————— EX
ANNVO. VECTIGALI. HAERES. DIE. NATALI
EIVS. III. KAL. SEPT. PERACTIS. SACRIS. DATO
EPVLVM CAPVLATIS. SACERDOTIB
AVG. CVM. HIS. ET. SAMNIIS. CAETERO PO
PVLO. NOSTRO. ALLIF. CRVSTA. ET. MVL
SVM. EX XXV. SI. NEGLEXERIT. DOLOVE. MALO SVMPTV
PEPERCERIT. FRVCTVS. ET MVNICIPIVM
CAPVLATI. SACERDOTES. FVNDI. ADEVNTO

an non verisimile eos ita appellari, quia caput tectum habebant aliquo tegumento?

Cinctum autem *Gabinum* in figura Liberalitatem repræsentare te, nequaquam possum videre, egoque animadverto tantum tunicam cinctam, & paludamentum fibula more solemni in humero junctum dextro; & vix est, uti dubitem, quin idem existimaturus sis, postquam cognoveris ex Ferrarii lib. I. c. 14. de Re Vestiaria, in cinctu Gabino *togam* habuisse locum. Quæ ad nummos Consulis, ut vocant, de Bary notas, pulchra sunt, eaque omnia cum viro amplissimo communicabo, simul ac Amstelædamum venero, id quod, Deo si placet, fiet propediem; conaborque ab eo impetrare ectypos nummorum, quorum Inscriptiones ad te misi, ut ita rebus tam insolitis & oculos & animum exhilarare possis. Ecce tibi interim duos, qui in eo



dem cimelio servantur, quique quæ enigmata contineant, ego certe ignoro plane.

Ita est, Ursinus in Familia Afrania nummum vulgavit, quem recte Hispaniæ adscribis, id quod & facit cum Ursino Anton. Augustinus extremo dialogo VI. Sed illi Græcas literas ex inconditis illis & incognitis characteribus faciunt, quas tu longe melius veteres Hispanas esse conjicis. Augustinus etiam nomen *Afranii* ex litteris, quæ in una cavea sunt, facit, & testatur sibi binos esse, inque eorum uno clare legi ΑΦΡΑ. quæ certe literæ Græcæ sunt. Sed velim aliquis nos doceret, cujus caput sit, quod in nummo isto apud Ursin. & apud Augustin. p. 201. Versionis Italicæ, cui numismata inserta sunt, conspicitur. Virile certe est omnino, & tamen collum margaritis cinctum habet, quæ inter mundum muliebrem recensentur. *Deum Hispanum* videtur facere Ursinus, sed velim nos docuisset, quis & qualis, & an aliis ille similisve Deus fuerit celebratus. Gallos torques aureos gestasse patet ex Polybio, & Diod. Sic. lib. 5. iisdem sive Celtis tribuit: περὶ τοὺς αὐχένας κρίκους παχεῖς ὁλοχρύσους, & forte similiter Hispani colla auro circumdederunt, id quod & varios alios populos fecisse constat, potuitque hoc ornamentum ex auro in globulos formato fuisse, & ita margaritas referre, id quod adseverare nolo, potueruntque virorum colla etiam unionibus exornare.

Monumentum in Siberia repertum, cujus ectypum tecum communicavi, non puto clypeum esse votivum, sed lancem, vel potius speculum; nam Roma ad me missum est, Episcopum Rosaliensem, apud Sinas Vicarium Apostolicum, dixisse, matronas Sinenses uti solere similibus speculis, & esse characterum Sinicorum IV. genera, unum recens & usitatum, tria prisca & vetusta, & ab usu quotidianæ scriptionis intermissa; insculptos disco, vel speculo characteres referre potius illos priscos & inusitatos; esse tamen nonnullos hodiernis similes, maxime quatuor, quorum unus significat *Rem*, alius *Cælum*, alius *Solem*, alius *Imperatorem*; sed propter ignorantiam aliorum, se non posse scripturam interpretari; adeo ut hinc omnino videatur sequi, ad Sinenses speculum illud pertinere, licet nondum nobis constet, ejusmodi monstra, quæ simul in sepulchro inventa sunt, populum istum olim coluisse.

Neque etiam puto clypeos Romanorum votivos tam parvos, sed verorum clypeorum magnitudine fuisse, imo etiam majores, quia plerumque Augustorum aliorumque προτομαὶ in illis pingebantur, vel exprimebantur, uti patet ex Trebellio Pollione c. 2. Claudii, cumque illi ex parietibus, vel columnis suspenderentur, illud utique ut fieret necesse fuit, & ita apud Tacitum 2. A. 83. legimus Germanico decretum esse *clypeum auro, & magnitudine insignem inter auctores eloquentiæ*; & Capitolinus in vita Antonini Pii, id quod Lipsius annotavit, scribit Hadriano positum fuisse *clypeum magnificentissimum*. Ex clypeis, qui nummis Augusti aliorumque Principum sunt inditi, nequaquam, uti equidem mihi videtur, argumentum sumi potest, eos parvos fuisse; quia si simul figuras hominum consideres, easque referas ad vivos, sequitur utique clypeos parvos adeo non posse esse; & nescio an ille, quem medicus Anglus possidet, votivus sit, cum lanci Brenni historia potuerit esse insculpta; certe ille, quem publicavit Sponius, & qui memorabilem Scipionis virginem reddentis actionem continet, longe major est, duorum nempe pedum & duarum unciarum: & clypei, qui positi fuerunt CLEMENTIAE atque MODERATIONI Tiberii Cæsaris, satis grandes apparent in nummis apud Duc. Arschotanum tab. XVII. aliosque, & quanquam alii in Augusti nummis Tab. XV. non exhibeantur ea magnitudine, tamen credo eosdem justa etiam fuisse magnitudine, ad exemplum illorum, qui exhibentur n. 20 21. 22. & 23.

Nummus Arabicus a Tristano publicatus, & a me etiam in medium productus in notis ad Lactant. de Mort. Persecut. non est Chosrois, sed Giiathoddini, Dynastæ Arabis, qui mortuus est anno Christi 1242. & inscriptio illa ita debet explicari; *percussum in urbe Nisibi a Sultano potentissimo Gyathoddini, vel Giiathoddungi Wadd n Filii Cai Kobadi*, uti me docuerunt viri harum rerum intelligentissimi, Renferdus p. 23. periculi Palmyreni, & Relandus in epistola ad me initio hujus anni scripta, & inde cadit ratiocinatio mea de stapedis.

Nummos Arabicos, qui apud vos effodiuntur, eo delatos a mercatoribus fuisse nullus dubito; sed credo iis jungendos esse illos, qui superstitione a-

nimati terram, quam præsentia sua D. N. I. C. illustravit, ex Saracenorum manibus eripere bello, quod vocant, sacro conati sunt; & constat inter eos nomina sua Danos dedisse.

Menestrierum errasse, & male Daniæ Regi *Franciam* adscripsisse tecum plane statuo; & nescio, qui fieri potuerit, ut vir eruditus & diligens valde tam insignem committere potuerit errorem.

Lanx, cujus ectypum tecum communicavi, est ejusdem cum hoc magnitudinis, nisi memoria mihi imponit; nam eam anno elapso manibus tractavi meis; & cum nunc in procinctu sim ad iter Amstelædamum suscipiendum, iterum monumentum illud examinabo, & si qua differentia est, continuo te ejus faciam certiorem. Adr. Relandi dissertationem tibi placere, multum equidem lætor; est certe vir doctissimus & præterea orientalium linguarum, rituumque callentissimus; publicavit nuper & mihi donum misit Auctorem Arabem, qui conscripsit Compendium Theologiæ Mohammedicæ, & ea occasione examinat nonnulla, quæ falso Mohammedanis tribuuntur; nuncque in eo est, ut illustret varios nummos Arabicos, quorum nonnullos ex paupere mea penu eidem suppeditavi, quanquam nesciam, an hi nunc simul sint prodituri. Vale etiam atque etiam, Daventriæ 21. Sept. 1705.

Hasce litteras recipis opera reverendi plurimum & doctissimi Viri Joh. Alb. Fabricii, cujus fidei eas commisi, & ad quem ut scriberem, fecit Bibliotheca ejus Græca, in qua mei facit plus quam semel mentionem, quo nomine illi gratias ut agerem, postulant humanitatis jura.

LXII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Ad nos non pervenit Dn. Joh. Alb. Fabricius, cujus Bibliothecam Græcam jam mihi comparavi; curavit tamen literas Tuas XXI. Sept. datas ad me per tabellarios Hamburgenses. Quæ de capulatis Sacerdotibus ex Reinesianis Inscriptionibus attulisti, fateor me nullibi reperire, nec explicare posse, quid significet capulatus Sacerdos, quamquam diu quæsiverim. Solus Isidorus capulum vocavit funem aut capistrum, quo equus capitur & ducitur: an ad Tuam sententiam illud applicari possit, nescio, nimirum capulum esse vittam, quæ caput Sacerdotum capiat, ut ex Catholico, Josephi Laurentii Amalthea Onomastica refert, *Capululum, capedulum, mitra tegens caput*. Nec invenio Inscriptionem, quam annotasti apud Reinesium I. CCCIX. Tot enim Inscriptiones Classis illa prima non continet: nec quinta, quæ de Sacerdotibus &c. diserte agit. Nihil igitur de illa Inscriptione pronunciare potero.

Quos submisisti nummos binos ex thesauro Dn. de Bary, elegantissimi sunt, cum Vulcani capite & Palladis galeatæ, ideoque ad Gothicos referri nequeunt, sed ad multo antiquiores, Romanorum temporibus cusos, & quidem Augusti, vel Tiberii, nam vix ultra eam ætatem istius generis nummos reperies, quod Hispani postmodum Romanæ scriptioni se accommodarent, veteremque illam omitterent. Nec spero certum aliquod alphabetum veteris Hispanicæ scriptionis reperiri posse,

A quia Strabo illis temporibus suis quum in usu essent hæ literæ, non solum Turdulos, sed & alios Hispaniæ populos sua propria ac diversa γραμματικῇ (ita enim artem scribendi vocat) usos esse ait, quod & testantur illæ Inscriptiones submissæ a Dn. de Bary, unde plures quam viginti quatuor literas & figuras diversas annotavi. Parens meus p. mem. quum ex Hispania rediisset, olim multas literas ad amicos suos, si quid legi vel intelligi ab aliis nollet, his literis exarabat, sive Italice scriberet, sive Gallice, sive Latine, & memini illud Alphabetum ab ipso mihi relictum, sed inter tot schedas ejus nunc reperire non potui, alias submisissem etiam illud.

B Peringskiold Suecus, Præses Collegii Antiquitatum Stochkolmiæ, etiam nummum aliquem ex his Hispanicis produxit in Commentario suo ad Johann. Cochlæi Theodoricum Gothum editum Stockholmiæ 1699. 4. quem ex Juan. Lastanosa ejusque museo de las Medullas desconocidas Espanolas depromsit, p. 264. in cujus nummi prima pagina Caput nudum cincinnis brevibus alicujus Dei conspicitur, Leonem in altum repentem a tergo habens, in aversa vero equitem ostendens, manu sinistra frænum equi regentem, dextra accipitrem digitis tenentem, ut ad venationem exire videatur.

C Subtus hæ literæ sunt notatæ MEᛟIᛋD quas ille existimat ex Runicis nostris, & Punicis esse mixtas, & miserrime interpretatus est, ut significent MAR RESD h. e. EQVVS VEGETVS. Nihil alienius aut inconvenientius de illo nummo dici potuit. Lastanosa ipse ad Pompeii tempora hunc nummum retulit pag. 75. multo rectius quam Peringskiold. Sed Suecis hoc solemne est, omnia peregrina ad se trahere, & in suam laudem illa vertere, licet nihil in illo nummo, quod vel Suecicum, vel Gothicum sit, reperiam.

D Quæris, quinam sit ille vultus, qui in Afranii nummo isto apud Ursinum exstat. Esse Dei alicujus non dubito; sed cujus? aut Mercurii, aut Apollinis dicas esse; Hispanos enim Deos nudo capite præfigurasse, tot nummi, in quibus Dii apparent, commonstrant. Hinc Vulcani quoque caput in nummo, quem mihi sculptum misisti, nudum exstat.

At quid expetas examinari in verbis Capitolini, qui dixit, quod Ant. Pius *congiarium militibus ac Populo de proprio dederit, & quæ pater promiserat*, non satis mihi liquet. Nihil enim in illis difficile video. Liberalitatem Deam habitu fœmineo comparere semper in nummis verum est: sed in

E isto nummo, non liberalitatem Deam produxit inventor, verum futuram liberalitatem per præconem indicare voluit Imperator. De cinctu Gabino non admodum pugnem: cinctum enim Gabinum vocavi, quod bis in ejus indumento cinctura compareat.

Monile baccatum in collo Viri videre illis seculis omnino rarum est: nec cur huic suo Deastro dederint, penetrare possum. Nam quod de torquibus Gallorum mones, erat Gallis illud solemne, & cum Diodorus Siculus illos χρύκως παχεῖς vocat, monilia baccata non indicat, sed torques instar χρίκων factos, σρέπτοις tamen quibusdam, quæ ve-

F luti numellæ collum ambiebant, & ad cervicem claudebantur, ut ex aliis nummis ostendere mihi liceret, si super istis diffundere me vellem.

Jam de monumento isto in Siberia reperto disquiramus, an lanx sit, an Speculum, an vero Clypeus: facile vobis accedo, speculum esse, si ita politum sit, ut reddat imaginem quamvis oblatam, quod ideo vix afferere potui, quia varios angulos quadratos aut rhomboides simul repræsentat, quæ in speculis confusam imaginem reddant necesse

est. Quod Inscriptionem attinet, quam Sinicis literis consignatam esse Vos creditis, ego Sinicas nullas in iis animadvertere potui. Licet enim ipsis varia scribendi genera, & esse nunc, & fuisse concedam, haud tamen a propria ipsis scribendi ratione discedere eos facile observare hactenus potui, quæ est a summo ad imum procedere voculis collocandis, vel in figuram animalis alicujus, aquilæ in primis, literas ænigmatice disponere; quorum hic nihil in isto speculo apparet.

At quoniam hæ literæ, quæ apparent, mihi plane sunt ignotæ, certi nihil definire potero, aliis peritioribus hæc discutienda relinquens. Alias a Sinensibus hæc petere facile fuit Russis, qui pedestri etiam itinere ad Sinicas terras commercando procurrere potuerunt olim & hodie magni mercatores, ad Caspium usque mare suos fines extendentes.

Quæ vero de clypeis votivis mones & eorum magnitudine, alios aliis majores & magnificentiores fuisse, non negabo, ad veram tamen magnitudinem clypei nullum hactenus accessisse observare potui. Nam quem Sponius attulit, Tristanus etiam expressit, de Scipione illum explicantes, quod quam verum sit, haud locus hic disquirendi fuerit; illud saltem monebo, licet magnus sit duorum pedum cum duabus pedis unciis, ejus tamen magnitudo vero clypeo non respondet, & licet responderet, (sunt enim veri clypei aliis etiam alii minores) considerandum tamen etiam venit, hunc clypeum ex argento fabrefactum figuris insculptis, non exsculptis, delineatis solum, nulla arte præterea ornatis, quod de aureis Imperatorum clypeis dici non potest, magnificentissimis etiam, & ornatissimis, licet minores essent longe. Dari etiam scuta talia votiva ex una gemma posita, non magna, ut judicari facile potest, aliquando forte probabo, & plures etiam clypeos inspexi votivos in cimeliarchiis Principum hinc inde, qui verum clypeum magnitudine nullatenus æquabant, neque lances tamen referebant, aversa & concava parte sui plane scabræ & rubbidæ, ita ut dubitem valde, an ullus clypeus votivus in antiquitate detur, qui veram magnitudinem clypei referat; & præter illos clypeos ex votis publicis positos Imperatoribus, etiam privati homines militares suis votis gaudebant, quibus clypeos etiam Diis suis, compotes voti facti, reponebant, quos sane non adeo magnos nec pretiosos, ex ferro, vel ære dicabant & suspendebant templis, Diis gratos futuros, licet ea magnitudine non essent, qua veri clypei: ad quos pertinere clypeum Dn. Woodwardi in Anglia existimo.

Magnas ago Tibi gratias, Vir summe, quod Arabicum illum nummum apud Tristanum, quem, ipso explicante, Cosrhois esse credidi, quoniam Arabica vix attigi, doctissimorum virorum testimoniis, alterius Sultani esse circa Ann. 1242. cusi docere me voluisti. Expeto summopere, ut quid contineat Inscriptio, me porro doceas: non enim videtur iste nummus perplexis illis ductibus inscriptus, quibus Arabes plerumque sua involvunt; esse enim potest alia Inscriptio nummi Tristani, quam Tui nummi est; si recte memini, Cosrhois nomen in illo Tristani diserte satis reperitur. Nec me doces, an aureus sit ille nummus Tuus Gyathoddini, an alterius metalli. Desidero Arabicas voces latine scriptas videre, & quid Tuus interpres in prima pagina nummi legerit, ex qua lingua: sunt enim aliæ literæ. Accidit namque in peregrinis istis Orientalibus linguis, quot interpretes accedunt, tot interpretationes diversas prodire. Sed cur addis de stapedis sententiam Tuam corruisse? an ante Cosrhoem stapedas ephippiis junctas non fuisse censes? quid ergo fiet ἀστράβαις, & quantum illæ absunt a stapedibus? Hisce vale Vir summe, & me credas velim Tuo Nobilissimo Nomini omni cultu & officio addictissimum.

Dabam Hafniæ a. d. XVII. Octobris Ann. CIↃIↃCCV.

LXIII.

Amplissimo Præstantissimo Doctissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Placent mihi valde, quæ ex Catholico Josephi Laurentii vel Onomastica Amalthea ad illustrandum *Capulatum Sacerdotem* in medium adfers, & a mitra vel alio capitis tegumento eum habere nomen persuasus sum; quamquam, ut hoc obiter dicam, magis probem eos, qui capulum, quo mortui efferuntur, deducunt inde, *quod corpus capiat*, quam quod Isidorus tradit, *quod supra capita hominum feratur*: neque enim ita mortuos efferebant, sed eos imponebant *humeris*, vel cervicibus, uti notissimum.

Festinatione factum est, ut male numerum Inscriptionis Reinesianæ notaverim, est illa 269. classis I. & inde simul disces, Gruterum eam inter spurias referre, a quo tamen abire videtur Illustris Spanhemius, qui eam cum Reinesio ex Ligorii ms. communicavit, necnon Marquardus Gudius, qui eandem suis inseruit.

Quæ misisti ad explicandos Hispaniæ nummos, incognitis characteribus inscriptos, communicabo cum Consule de Bary; utinam invenire posses alphabetum, quod ex iis composuit & concinnavit ὁ μακαρίτης pater tuus; credo illud inserviturum mirifice præclaris ejus conatibus.

Non petii a te, vir egregie, ut examinares verba Capitolini, quæ nihil obscuritatis complectuntur, sed ea a me in medium adlata sunt, ut ostenderem, Antoninum Pium *donativum*, ut proprie loquar, militibus, *congiarium* populo dedisse, rogavique, ut me doceres, an liberalitas, quam repræsentat satis extraordinarie vir paludatus, referri debeat ad milites, quia cæteroquin illa picta & ficta est ad instar feminæ. Vidi iterum Amstelædami lancem illam; est aliquantum pictura major; sed dole mecum infortunium, quod illi objectum est. Illustris Witzenius eam ex museo in cubiculum, quo me recipere constituerat, intulerat, & antequam adessem, e manu ejus cecidit, fractaque est in 10. vel 12. frusta, licet caderet in tapetas ex junco molli factos; adeo fragilis erat, ex quibuscunque demum metallis (neque enim unius generis est) fuerit conflata & facta.

Significavi tibi Romæ Episcopum Rosaliensem nonnullos characteres explicasse, & illum rem acu tetigisse; patebit tibi ex integra fere inscriptione, quam Batavia Indorum acceptam mecum communicavit Amplissimus Urbis Amstelædamensis Consul, & spero me tibi rem gratam facturum, si eandem comitem dem huic epistolæ ex Belgica in Latinam linguam versam.

Clypeos votivos justæ magnitudinis fuisse persuasus sum, maxime cum iis sæpe inscriberentur longa elogia, vel imagines inderentur, quæ utique parvæ dignosci non potuissent; quanquam nec refragari velim, eos etiam parvos fuisse, præci-

A pue si ex gemma forent, uti factum fuisse me primus doces; & tunc puto eos in publico non fuisse positos, sed in privatorum ædibus suspensos, ad conservandam majorum vel clarorum virorum memoriam.

Arabica ego etiam nullo modo attigi, & iterum agam cum viris eruditis, mittamque te in Tristani nummo legere *Chosrois* nomen & communicabo tecum, quicquid ad me perscripserint. Quæris tandem ex me, cur addiderim epistolæ sententiam meam de *stapedis* corruisse, quia nummum Arabicum periti ejus linguæ referunt ad Chotadinum, non autem ad Chosroem, & interrogas, quid fiet *ἀστράβαις*, & quantum illæ absint a stapedibus?

B Ex iis, quæ ad Lactantium noto, perspexisti proculdubio, an non a Persis stapedarum usus sit repetendus, quia putabam illo in nummo Chosroem Justiniano æqualem nobis repræsentari, cumque in eo pictus sit longe alius & posteriorum temporum Rex vel dynasta, vides facile, opinionem illam plane corruisse, & parum numisma illud facere ad argumentum, quod ibi tractavi. Fateor, & ibi docui, *Mauritium*, quem doctissimus Schefferus judicat post annum 491. floruisse, sed si Imperator fuit circa annum DLXXXII. illorum instrumentorum facere mentionem, sed miror summopere, C in nullis illorum temporum monumentis, vel Græcis, vel Latinis instrumenta illa conspici. Certe non in nummis Joviani, Valentiniani, Theodosii, Theodosii Junioris, qui obiit an. 450. apud Du-Cangium, post quos *equites* non signati sunt in nummis, saltem ab eodem viro præstanti editis, stapedesque apud eum comparent in nummo Balduini, qui obiit an. 1272. adeo ut licet Hieronymus *bistapiæ*, & Mauritius ac Leo Imperator *scalæ* meminerint, non videantur illæ apud omnes in usu fuisse.

Ἀστράβας *stapedas* esse non credo, licet ita loquatur Isidorus in Glossis, *Astraba tabella ubi pedes* D *requiescunt*; & Illustris Salmasius eum ita explicet; sed ego vix dubito, quin vir magnus humani aliquid patiatur, quamvis & ex Glossis Græco-Latinis in medium adferat *Astraba σανὶς, ὑποπόδιον*. Nam primo nulla ibi equi, vel alicujus rei, quæ ad equum pertinet, mentio; deinde exponitur *σανὶς* & *tabella*, quæ certe stapedibus non conveniunt, quas ex ferro fuisse constat ex Mauritio & Eustathio; & denique tabella & *σανὶς* potius sunt scabella ex ligno, quibus pedes sedentes imponebant: nisi eo nomine designari velis *ὑποπόδια* mu- E lierum, quando equis insident hodie, cujus tamen moris nulla in vetustis monumentis reperitur memoria.

His adde Ἀστράβας esse *ligna* sellarum, vel ephippiorum. Hesychius: Ἀστράβη τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων *ξύλον ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι*, *lignum, quod equis imponitur, quod tenent insidentes*, id est clitella; & quæ alia apud Hesychium sequuntur, ne umbram quidem stapedum habent, uti nec illa, quæ annotat Pollux 7.33. 9. atque in Lexico suo Henricus Stephanus. Fateor Du-Cangium in Glossario Med. Latin notare etiam *Astrabas* secundum Isidorum fuisse stapedes, secundum Suidam vero sel- F læ arcum, quem *Arcion* vulgo dicunt, vel sellam ipsam, vel instratum sellæ; sed diligentia & eruditio singularis viri hujus illustris non faciet, ut sententiam meam mutem, maxime cum Helladius apud Photium p. 1589. testetur Demosthenem pro *sella* usum esse ea voce, & Tzetzes satis luculenter Chil. 9. c. 290. *Astraben*, ut sellam & partem currus describat.

Sed Gabriel Naudæus lib. 1. p. 223. de Re Militari probare conatur, Julium Pollucem horum adminiculorum, sive staphiarum & subjicum illorum meminisse, & ita Commodi tempore fuisse in usu, quia ita Pollux loquitur l. 11. 15. pag. 55. *Cum vero insederis equo, nequaquam femora ferias, sed pedes subleva, & stanti simillimus sis. Stapedes enim magis ad standum, quam insidendum parati sunt.* Sed si vir doctus vel inspexisset Pollucem ipsum, & verba legisset Græca, certe hoc argumento non fuisset usus: *καὶ γὰρ ἡ ἰσχὺς πλέον ἐπὶ τῶν ἑστηκότων ἢ ἐπὶ τῶν καθεζομένων*, *nam major fortitudo, vel vis est stantium, quam sedentium*, id quod ita explicari debere sum persuasus, eos qui equo insident, non ita debere vehi, tanquam sedeant, sed tanquam stent recto corpore, & pedes non curvare, sed demittere, quomodo certe in plurimis nummis equites pinguntur, & statuæ, quæ etiam nunc Romæ visuntur, idem plane docent. Si quid tamen me melius docebis & certius, haud gravate sententiæ meæ remittam nuntium, tibique multum debebo, si hoc argumentum excutere diligenter velis.

Catholicum Josephi Laurentii vel Amaltheam Onomasticam nunquam nominari audivi; doce me quæso, ubi liber ille, & quando typis descriptus sit; Polymathiam ejusdem viri possideo. Vale plurimum.

Dav. 29. Nov. 1705.

Excerpta ex litteris Illustris Witzenii, quas ad
GISB. CUPERUM
dedit XX. Octobris 1705.

Lanx Sinica vel speculum est magnæ antiquitatis, & linguæ gentis periti affirmant, monumentum hoc esse plus, quam octodecim centum annorum. Vulgus Chinensium Bataviæ nihil intelligebat, sed unus eorum doctrinæ spectatæ characteres explicavit.

Deus est purus, castus, & immaculatus totus, Deus est tam pulcher, uti clara, & liquida aqua.

Aliquis a Rege vel Principe delectus, & quo in multis rebus utitur, eum adspicere debet, ut suum Deum, & cavere, ne alios lædat: nam si illud facit, eveniet illi, quod aquæ ascendenti & descendenti. Sed quando Rex aliquem extollit honoribus, & conspicit, eum rem bene gerere, lætatur corde suo in tantum ac mare omne vel totum. Timemus Dominum nostrum, quando malefacimus, sed quando bonum facimus, & recte ambulamus, animus semper lætatur, ac tam pulcher est ac radii solis. Et tunc homines te respicient ut Deum in terra, quia nemo Deo similis (credo debere esse *similior*, certe id sensus postulat,) *est.*

Sunt nonnulli præterea characteres, quos vir ille capere non poterat; judicant plura præcepta moralia lanci illi inscripta esse. Illudque inprimis notandum, hosce characteres jam desiisse esse in usu ante annos plus quam mille, illosque nullo modo a vulgo intelligi posse; & hoc monumentum esse symbolum unius ex vetustioribus Imperatoribus Chinensium, circa tempus Confutii, viri docti valde & pii. Si placet Deo, anno proximo plura argumenta, & probationes ex India accipiam Sinicæ hujus sapientiæ; nunc ad me miserunt viginti aut triginta symbola Regum & doctorum virorum, litteris vetustis gentis illius, & hodiernis conscripta; sed tantum necdum mihi temporis fuit, ut illa examinare, vel inspicere potuerim.

LXIV.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

AD tuas xxix. Novembr. Anni elapſi ad me datas ut reſpondeam, cum votis primum feliciſſimis hujus ineuntis anni auſpicandum mihi fuerit, non ex more tantum, ſed ex animo toto, quoniam apprecor ſincere, ut tibi, Vir ſumme, totus decurrat cum valetudine proſpera & ſtabili, curaſque Tuas tam publicas, quam domeſticas omnibus lætitiis perfundat, Annes perennes numquam non proſperrime. Poſt vota, quæ Deus rata eſſe ſinat, reſpondebo primum de Liberalitate Antonini, ex nummo, non certo ſatis colligi poſſe, an congiarium populo datum ſignificare voluerit per Paludatum illum, quem Præconem fuiſſe exiſtimo, an Donativum militi; utrumque enim ad Liberalitatem pertinet: niſi quod Donativa militum in nummis vix unquam appareant; ſed LIBERALITAS, & LIBERALITAS I. II. III. ſemper ad populum referantur.

Doleo profecto non mediocriter fatum chalybis iſtius, ſive lancis, ſive ſpeculi Sinenſis, quod multas ob cauſas nollem interveniſſe. Sed conſolatur me ejus explicatio, quæ licet Kirckerianis valde ſimilia ſint, quæ in Œdipo ſuo tractat, dum artem combinandi docet, quoniam tamen veriora non poſſumus afferre, his contenti ſimus neceſſe eſt.

Lexicon illud Joſephi Laurentii titulum habet Joſephi Laurentii S. T. D. Lucenſis Amalthea Onomaſtica, in qua voces univerſæ abſtruſiores, Sacræ, Profanæ, Antiquæ, Antiquatæ, Uſurpatæ, Uſurpandæ, e Græcis Latiniſque Scriptoribus reperiuntur &c. &c. Lugdun. 1664. fol.

Quæ de ἀςράβαις docte literis Tuis inſeruiſti, vera ſunt; ſignificant enim ἀςράβαι non ſolum clitellas, quibus onera jumentis imponuntur, ſed & ὄνυς & ἡμιόνυς ipſos clitellarios, ut eſt apud Suidam in voce ἀςράβη. Omnia igitur, quæ ad iſta onera jumentis imponenda ſpectant, ἀςράβη dicebantur cum jumentis ipſis, ſed & partes iſtius ſellæ hoc nomine veniebant, ut *arcon* de *Sadelknoop*, quod etiam Suidas indicavit, ut Heſychius: atque ſic etiam ἀςράβη dictum eſt illud ὑποπόδιον, ſeu ſcabellum dependens a ſella ad unum latus jumenti, quo adſcendebant, & deſcendebant ductores jumenti & clitellarum, quoties opus erat defatigatis: ita ut Iſidorus in his non fallat, nec gloſſæ, quas adduxit Salmaſius. Inſidebant enim ductores non ſolum jumentis, ſed ipſis clitellis & oneribus impoſitis, ad quod opus erat iſta ἀςράβη, ſeu ſcabello, quod ſane ligneum fuit, ut tota ſella clitellas excipiens, funibus a ſella demiſſis ſcabellum illud continentibus. Hæc ἀςράβη ergo ſic concinnata cum ſuis cornibus anterius & poſterius ex ligno, ut onera capere poſſet, & ductorem aut inſidentem etiam, cum ſuo ſcabello adjuncto erat ruſticorum, & vilium ἐμπόρων, nec confundi debet cum ſtapedis, quæ ab utroque latere equi poſtmodum adjunctæ ſunt, & ex ferro paratæ, quas tamen ex his ἀςράβαις ſcabellis originem ſuam ducere, non diffiteor me credere. Nec te turbet,

A quod fœminæ ſolæ hodie ſic equitent, ad unum latus ſcabellum hoc habentes, in quo pedes requieſcant. Ruſtici enim noſtrates adhuc quandoque oneribus ſuis & jumentis ſic inſident ad forum venientes. Et in Anglia quoque ante annos 46. illud idem obſervavi, ruricolas, tam viros, quam fœminas oblique inſidentes iſtis ſuis clitellis ad nundinas, perrexiſſe, ſcabello dependente in latere, quo pedes ſuſtinebant. Hinc apud Athenæum Machon Comicus & Poeta eos, aut eas illiberaliter equitare dixit, qui ἐπ' ἀςράβης veniebant, ut Grathænium meretrix aliquando.

B

Εις πειραιᾶ κατέβαινε πρὸς ξένον τιναὶ
Εμπόρον, ἐράςην, δ' ἁπλῶς ἐπ' ἀςράβης.

Imponebantur enim aſinis non equis, unde palæſtrita minatur ibidem:

—— —— —— ὦ τρισάθλιε
Ονήλαθ' εἰ μὴ θᾶττον ἐκςήσῃ ποτε
Εκ τῆς ὁδοῦ τὰ γύναια ταῦτα κατ' βαλῶ
Σὺν τοῖς ὀναρίοις φησὶ καὶ ταῖς ἀςράβαις.

C Sellam præaltam ſic vocat oneribus capiendis ſufficientem. Clitellæ latinis, unde Clitellaria Plauti, Aſtraba etiam vocata eſt. Neceſſe vero fuit lignum illud ὑποπόδιον in ἀςράβαις adeſſe, quum alias adſcendere non poſſent aſinos, clitellis onuſtos, nec ſuos ſtratores aut ἀναβολεῖς iſti homines haberent, qui illos veluti nobiles, & divites equitantes equis injicerent. Erat enim ſuggeſtus quidam onerum in clitellis, quo adſcendere non poterant nec deſcendere, ſine hoc adjumento ſcabelli aſtrabici. Sic quoque vehicula Valerio Probo aſtraba dicuntur, & quidem vehicula paſtoritia, in quibus proD vehebantur, qui bucolica carmina cantabant, ex illis vehiculis, unde & illa carmina ἀςραβικὰ dici ſolebant, *a forma ſedilis*, ait, *quo advecti fuerant* iſti βυκόλοι ruſticani, *qui illa cantaturi erant*. Sed quod etymologiam ἀςράβης vehiculi deducat παρὰ τὸ μὴ ςρέφεσθαι, hoc quidem in vehiculis non congruit, ſed in jumentis, quibus clitellæ & onera ſic imponuntur, ut ad nullum caſum moveri poſſint, omnibus ita adſtrictis jumento, ut firma & ſtabilia maxime inſideant, & inhæreant. Sed & illud lignum, in quo pedes requieſcebant, proprio nomine Αςραβάειον dictum eſt, & *Aſtrabarium*, quod etiam reperies in Amalthea Onomaſtica præE dicti Joſephi Laurentii. Quin & Gloſſæ Philoxeni Αςράμα habent pro Αςράβα, & ξύλον ὑποπόδιον ac σανίδα explicant, ut annotavit Etymologicon Voſſii in voce *Aſtraba*, ita ut antiquæ ſatis ſint ἀςράβαι cum ſuis ἀςραβαρίοις, quæ ſane occaſionem dederunt biſtapiis inveniendis pro illis, qui divaricatis pedibus equis inſidebant, ab Hieronymi tempore jam notis. Recte ſatis explicas Pollucis locum; καθεζομένυς enim ille vocat, qui pede utroque ad unum latus porrecto aſinis aut jumentis inſident; ἑςηκότας vero, qui divaricatis cruribus jumentum utroque latere premunt. Illi enim ſtantes magis ſunt, quam ſedentes, ut recte PolF lux dicat, ἰσχὺς πλέον ἐπὶ τῶν ἑςηκότων ἢ ἐπὶ τῶν καθεζομένων. Plura quidem de aſtrabis afferre poſſem, ſed quia ſatis de illis conſtat, & ſolum de aſtrabario, ſeu ligno ſuppedaneo quæſtio ſit, an illud affuerit, quod puto ex prædictis ſatis liquet, nihil addam, niſi de *biſtapiis*, quas ab Hieronymi tempore omnes admittunt: quas non ſolum ferreas, ut credis, fuiſſe judicarem, ſed etiam ligneas & vimineas. Nam & ruſtici noſtri adhuc ligneis & vimineis ſtapiis ad equos ſuos utuntur. A quibus

autem hæ bistapiæ primum sint inventæ, an a Scythis, aut Parthis, aut Persis, non equidem definire potero. Ita ut Chosroem Cabadis Justiniani seculo his stapiis usum esse non pœnitere Te possit statuisse.

Observavi in sigillis Flandrensium Comitum, quæ apud Olivarium Uredium exstant, Robertum Comitem Flandriæ circa Ann. 1077. jam stapedibus usum equo insidentem, cum inscriptione SIGILLVM ROTBERTI COMITIS FLANDRIÆ; sed & in aliis sigillis sequentibus, sine illis stapedibus equo insidere conspicitur, adeo ut arbitraria res fuerit eo seculo stapedes adhibere, vel secus. Sic quoque seculo sequenti, Caroli Regis Daniæ filii sigillum semel sine stapedibus in equo comparet cum inscriptione S. CAROLI COMITIS FLANDRIE ET FILII REGIS DATIE, quod diplomati 1119. dato appendet. Sed in altero sigillo ad literas 1122. datas cum stapedibus insidet equo, & inscriptum habet CAROL, COMES FLANDRIE ET FILIUS REGIS DACIÆ. Antiquiores hactenus cum stapedibus non inveni. Nam & Daniæ Regum sigilla vetustiora cum his Equitibus comparent, & quidem Erici Lamb. circa Ann. 1140. ubi prima facie sedet coronatus sceptrum dextra gerens, orbem cum cruce, sinistra: cujus aversa Equitem cum stapedibus pleno cursu effusum ostendit; post quam ætatem omnes cum stapedibus equis insident: sed quod miraberis, fœminæ quæ etiam in imperio fuerunt, & sigilla sua nactæ sunt, equis etiam illa ætate insident oblique, sed omnes sine ullo suppedaneo. Inveni tandem Alphabetum Dn. Parentis mei p. m. quod hic in Schedula adjuncta submitto. Quamvis certo promittere nequeam illas literas respondere Alphabeti veteris Hispanici ejusque literarum potestati, quum pro lubitu nunc quilibet potestatem adsignare possit, quam velit. Hispanicis tamen illis, quæ submissæ sunt, mihi satis respondent figura. Finio igitur hac vice, Te, Tuamque valetudinem Deo Opt. Max. multis votis commendans, qui sine fuco & fallacia more majorum Tibi sum eroque cultu, & officiis addictissimus.

Dab. Hafn. ad d. XVI. Januar. MDCCVI.

LXV.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Singularem & incredibilem voluptatem cepi ex ultimis litteris tuis, utpote refertis rebus, quæ utique ad interiorem eruditionem pertinent omnino.

LIBERALITATES in nummis obvias *semper* ad populum referri scribis; nec obsto, cum plurimi nummi id satis clare testentur; & ita loquatur Sueton. Aug. 41. *Liberalitatem omnibus ordinibus per occasionem frequenter exhibuit*, & quæ sequuntur, facile evincunt, milites locum ibi habere nullum.

Sunt tamen nummi, qui contrarium suadent; in uno Maximini apud Mediob. p. 329. LIBERALITAS scribitur, & circumstat milites; & vir ille doctus alios Caracallæ p. 291. & ejusdem Maximini pag. 328. ad milites refert, licet LIBERALITAS in iisdem legatur; id quod forte & in aliis observare quis posset, si omnes examinaret ejusdem farinæ, id quod certe ego, ut nunc est, facere nequeo.

Quæ de Ἀστράβαις commentaris, mihi mirifice placent, & video te eo nomine etiam comprehendere scabellum dependentem a sella & clitellis ad unum latus jumenti, quo ascendebant, & descendebant ductores jumenti & clitellarum; & judicare, eo scabello opus fuisse, si homines insiderent, præcipue si ipsis oneribus insidere deberent. Mulieres certe equis, asinis, vel aliis animalibus insidentes pinguntur frequenter ab una parte pedes demittere; qua de re vide, quæso, quæ noto p. 201. Harpocratis mei. Et si suppedanea illa tunc in usu fuerunt, miror equidem nullum eorum in nummis vel marmoribus vestigium observari. Quin & in monumento veteri prope Mosellam invento mulier ita equo insidet, manu tenens calathum pomis plenum, sed nullum ibi ὑποπόδιον, uti videre licet apud Ortelium in Itinerar. Gallo-Belgico, & puto instrumenta ulla non neglecturas etiam præcipuæ dignitatis fœminas, si cognita fuissent, cum faciant utique ad pompam, & ostentationem, cujus fæmineus sexus ingenti amore tenetur; tantum abest, ut credam, Machonem poetam Comicum eas illiberaliter equitare dixisse, quæ ἐπ' ἀστράβαις veniebant, si modo per eas, id quod tamen mihi videtur, *suppedanea* illa intelligis. Neque enim eo respicit ille, nec carpit apud Athen. lib. 13. pag. 582. quod scortum ἀστράβῃ insideret, sed quod secum haberet tres asellos tantum, tres ancillas, & unam nutricem; cum cæteroquin ejusmodi publicarum libidinum victimæ magno incederent comitatu, uti ex eodem Athenæo patet, nec non Terentio, aliisque; per ἀστράβην autem ego hic mulum intelligo, cum ab eo ὀνάρια distinguantur, quibus proculdubio ancillæ & nutrix vectæ: posset etiam *clitella* vel *ephippium* exponi, quia mox legitur in plurali καὶ ταῖς ἀστράβαις. Inde, ut puto, nullum hinc argumentum pro *suppedaneo* mulierum, asinis vel equis insidentium, sumi potest: quin & miror summopere, nec Suidam, nec auctorem Etymol. Magni in v. Ἀστράβη annotare, eam pro tali instrumento sumi, & inde mihi argumentum ducitur, vel plane illud incognitum iis, vel in non frequenti usu fuisse, cum rationem comminisci nequeam, quare illius alias non fecerint mentionem. Scio illustrem Salmas. pag. 521. de Cruce scribere, *Videri & olim has tabellas suppedanei vicem in mulis & asinis usum habuisse*, & in equis, quibus fæminæ veherent; idque eum probare auctore Glossarum, qui Justiniano anterior fuit, qui *astrabam* exponit σανίδα & ὑποπόδιον, docetque ibi mulos & asinos σωματηγοὺς appellari, qui inscendebantur, qui dorso homines ferebant, & ab iis distingui *asinos clitellarios* mulosque, qui non sunt ἀναβατικοί: quia sarcinis tantum vehendis clitellæ aptæ sunt, fieri potuit, ut nonnunquam unum animal, uti putas, portaret sarcinas & hominem illis insidentem, quanquam non videam, cur hoc sit factum, quia ductor astrebelates juxta ibat & dirigebat; quin & doceri velim, quomodo homo sarcinis in altum extructis insidens, pedes suos imponere scabello potuerit, quod a latere versus terram & multum infra sarcinas dependere debebat; maxime si, uti annotas post Machonis versus, *alias ascendi non possent clitellis* onustis; addisque hæc verba: *Erat autem suggestus quidam onerum quo ascendere non poterant nec descendere, nisi hoc adjumento scabelli astrabici*: sed, uti monui, clitellarios asinos solis oneribus & sarcinis vehendis inserviisse Salmas. notavit, quanquam & hodie mulis, quæ sarcinas ferunt, viderim insedisse servulos, sed illi nullis scabellis vel astrabis ad ibi sese collocandos utebantur. Lege quæso Salmas. uti etiam Schef-

ferus lib.2.c.2. p.17. de Re Vehic. ubi putat *carmen astrabicon* non dici a vehiculo astraba, sed a *sedili*, vel *sella* cui insidebant, qui carmina illa cantabant; quanquam hæc verba, *quo advecti erant*, illi explicationi videantur quodammodo repugnare, quia ita de curribus loquebantur, sed cum & *equis* advehi dicamur & vehi &, ἀστράβη a nemine usurpetur pro *vehiculo*, explicatio Schefferi, viri doctissimi, non videtur rejicienda; idem pag. 24. adeatur.

In Pollucis loco explicando non loquutus sum de iis, qui pede utroque ad unum latus porrecto asinis vel jumentis insident &c. sed vocem eam iis equitibus credebam tribui, qui genibus curvatis, & pedibus subductis, id quod hodie Turcæ, licet stapedis utantur, faciunt, in equis sedebant; iisque opponi alios, qui pedibus demissis, id quod Græcos & Romanos fecisse ex nummis, aliisque monumentis constat, equitabant. Sed omissa obscura hac materia, & intricata, ad alia transeo; & quidem multum tibi debeo, quod mecum communicaveris alphabetum Hispanicum a doctissimo patre tuo compositum; misi illud ad Barium, qui tibi gratias agit, putatque rem sese aliter habere, & plerasque in nummis suis Hispanis non inveniri litteras. Vir elegantis & politi ingenii totus est in explicandis istis monumentis, & fidem facit, sese genuinum alphabetum, vel potius alphabeta invenisse, quia aliud fuit Cantabrorum, aliud Lusitanorum, aliorumque, id quod se certo monstraturum putat ope nummorum in Hispaniæ variis partibus cusorum; composuit dissertationem elegantem de primis Hispaniæ incolis, quam egregio cum gaudio Amstelædami evolvi; nunc variorum numismatum ectypos mecum communicavit, in quibus pictus est *Deus Endovellicus*, quem illustratum esse a Reinesio nosti; & in uno legitur clare, reliquis literis detritis.... OBOLIC quomodo deastrum hunc vocatum etiam esse ex una Inscript. patet; est puerulus, modo facem, corona radiata cinctus, modo clavam tenens, modo alatus cum arcu; & puto me originem illius invenisse, quam tamen conjecturam, ut ut probabilem, tecum non communicabo, antequam certior fiam, si placeat amico meo, cum quo tam frequens mihi est literarum commercium, ut jam binos idoneos tomos, quibus & responsa mea continentur, inde compingi fecerim, quibus tot inediti nummi & alia monumenta explicantur, ut ego thesaurum eruditionis in iis me possidere, præfiscine dixerim, credam.

De *Candidatis* prolixe olim egimus; nec hanc disceptationem revoco; sed doce me quæso, an in Inscript. 5. CCCCXXVIII. M. Metellus dicatur *Magister*, an vero *Magisterii Collegii Centonariorum candidatus*; prius sequitur Scaliger in Indice, & ita inquirendum foret, an *Candidatus* appelletur, quia a Principe collegio illi datus erat; & ex secunda interpretatione sequeretur, eum ambivisse illud magisterium, & mortuum esse, antequam illud adsequeretur.

In Inf.3 p.CCCCLXXXIV. Vononius dicitur fuisse EQ. R. EQ. P. *Eques Romanus*, *equo publico*, an non hinc clare colligitur, omnes equites Romanos non habuisse equum publicum? certe mihi id omnino videtur; nec dubito, quin istud, si ageretur, pluribus exemplis firmari posset. An unquam vidisti Dianam coronatam corona spicea? ὁ μακαρίτης Begerus ad Flor. p. 288. putat, tale Dianæ caput cerni cinctum delphinis, vel Arethusæ nymphæ; pisces tamen restringit ad Dianam, quia fons Arethusæ plenissimus piscium fuit, Cicerone teste, & pisces ibi Dianæ sacrati fuerunt, adeo ut si qui, bello grassante, in cibos convertere aliquos ausi fuissent, ira numinis continuo in calamitates magnas inciderent, docente Diodor. Sicul. lib 5.pag. 288. Sed an non potius *Ceres* erit, quæ in plurimis Syrac. nummis conspicitur? similem certe absque piscibus in Liparæorum numismate *Cererem* facit ipse Begerus, & certum mihi videtur, *pisces* addi, quia mari piscoso cincta erat insula, & Syracusæ ad littus positæ; quanquam videam Goltzium p. 18. Sicil. opinari, credibile esse caput Arethusæ piscibus circumdatum in nummis illis cerni; id quod forte verum est de iis, qui exhibent caput fæmineum aliter ornatum, & non cinctum corona spicea; sed *Dianam* ego utique plane exterminarem, si & tu, vir eximie, id pateris, quamvis pharetra & arcu armata, & comitata cane, venantis habitu in aliis ejusdem urbis nummis conspiciatur.

Sed nunc ad aliud quid progredior, & de præclaro Historiæ Ecclesiasticæ capite agere, pace quod fiat tua, constitui. Notum est, Scriptores illos narrare, Constantinum in somnio, vel vigilantem vidisse, cum Maxentium adoriretur, vel bellum contra eum susciperet, *crucis* figuram in cælo cum addita Inf. sive Græca, sive Latina, Ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vince*; & in nummo Constantii, filii Constantini Magni legi, HOC SIGNO VICTOR ERIS; id quod & occurrit in nummis Magnentii, quod continuo ad crucem trahitur, quæ utique optimo jure SIGNUM appellatur; sed cum Lactantius cap. 44. de Mortibus Persecut. dicat, Constantinum vidisse *Cæleste signum Dei*, jussumque esse in quiete, *uti notaret in scutis*, cum mox mox addat, *is transversa X. littera summo capite circumflexo, Christum in scutis notavit, & eo signo armatus* exercitus ceperit ferrum; cum in binis illis nummis non crux conspiciatur, sed Christi D. N. monogramma, cum Eusebius lib. 1. cap. 31. Labarum scribat fuisse duas primas litteras nominis Christi χιαζομένου τοῦ Ρ, qua de re multis ago ad Lactantium, ego quidem *crucem* amoveo, & loco illius repono sacrum monogramma; quod quamvis optime *signum* a Lactantio vocetur, tamen ego crediderim, si Constantinus tale quid conspexit, non ipsi ostensam fuisse *crucem*, nec eo ἐν τούτῳ νίκα, vel *in hoc vince* referri posse; sed significatum fuisse primo, neque enim Philippus memoratur, Christiano Imperatori, ut *in Christo*, vel *per Christum*, cujus decurtatum nomen illi exhibebatur, vinceret; & certe Ἐν pro *per* ponitur, Hebr. 3. ἐν υἱῷ ἡμῖν ἐλάλησε *per filium nobis loquutus est*: Ep. Judæ v. 23. οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, *illos vero per terrorem*, vel, *terrore injecto salvate*; & ita Grotius 1. Pet. 3. 19. ἐν ᾧ *in quo* explicat, *per quem Dei Spiritum*.

Sed revera hoc est φλυαρεῖν, & patientia tua abuti, sed tamen inde perspicies, me libenter tecum confabulari, idque certe optimo merito, cum semper a literis tuis abeam doctior, & illæ faciant, uti in res sæpe inquiram diligentius, quas vel me cognoscere opinabar ante, vel de quibus ne cogitaveram quidem. Vale quapropter etiam atque etiam, & me, quod facis, amare perge.

10. Aprilis 1706.

LXVI.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

QUas ad x. Aprilis hujus anni ad me perscripsisti, recte mihi traditas nunc percipere poteris. Quod Te meæ delectarunt, mihi unice gratulor; non minorem ex Tuis voluptatem capio, quoties ad me perferuntur, & illas relego, quod sæpius facio; ita enim merentur. Nam αγαθὴ ἢδ ἔρις βροτοῖσι. Liberalitates Imperatorum tam ad cives, quam ad milites pertinere, nullum est dubium; erant enim publicæ & omnium ordinum, quicunque partem desiderarent aliquam, ita tamen ut quandoque militibus peculiares liberalitates Imperatores impenderent, iisque solis dicatas esse vellent, post prælia feliciter gesta, nec alio nomine, quam Liberalitatis illa præmia complectebantur, si publica erant. Nam & erant alia, quibus milites donabant seorsim, pro illorum fide sibi confirmanda & favore, præsertim sub initia Imperii, quæ liberalitatem Principum non minimam requirebant; & qui toto horreo ac utraque manu liberales erant, eos optimos Principes, & gratissimos existimabant, dignosque, quibus fidem suam probarent. Hinc Dio circa Ann. Urbis 725. de Augusto dicit, eum militem donis, quæ interpretor, torquibus, armillis, aliisque phaleris, populum muneribus, gladiatoriis forte ludis, spectaculis, atque annona sanatum pecunia delinivisse & allexisse.

De Astrabariis & scabellis illis suppedaneis videris reluctari, quod non sperabam. Certum enim est, illa adfuisse, tot autoribus, tot glossis testantibus. Non quod affirmaverim, aut adhuc affirmare velim, omnibus clitellariis asinis, aut jumentis illa addita fuisse, sed quod addita tamen fuerint nonnunquam, pro arbitrio ἀστραβηλάτων, qui commodas vehentibus sedes cupiebant, & firmiores cum astrabariis, suppedaneis, quam sine illis. Adduxi exempla ex Uredio, ubi sine illis astrabariis equitant mulieres; sed & exempla hodiernorum ἀστραβηλάτων astrabariorum usum antiquum confirmant. Aliud enim est omnino, sine clitellis & oneribus equitare, quam illis circumdatum in asinis aut equis hærere; illi facilius & sine suppedaneo poterant jumentis insidere, hi difficilius; ita ut suppedaneo & astrabario opus habuerint, ne, clitellis succussantibus, fedibus excuterentur. Tu, Vir Optime, plane taces de astrabario, quod tamen antiquum est, & ab ἀστράβη deductum, ita ut ἀστράβη illud etiam includat & comprehendat.

Jam quod scribis Te nescire, quomodo suggestibus onerum, & clitellarum insidere potuerint, responsum feres hoc, quod locus inter clitellas vacuus sit relictus & aptatus, ut insidere potuerint facile, & licet ἀστραβηλάται sæpius ambularint ductantes suos asellos onustos, ea tamen loca, ubi aquæ & uliginosæ viæ occurrebant, eos cogebant tantisper insidere, donec illa transiissent sicco pede: ut propterea astrabariis opus fuerit & suppedaneis illis, quibus inter clitellas & strues onerum se collocare possent, prout hodie quoque fit, & sæpius vidi fieri & video in rusticis nostris, jumenta ad oppida dirigentibus cum sarcinis suis. Unde nec Salmasii sententia, nec Schefferi nos ferit: possunt enim subsistere invicem, quosdam asellos & mulos & jumenta, solis hominibus destinata fuisse, sine sarcinis & clitellis, quosdam vero etiam cum sarcinis, una cum hominibus: nisi credas illas mulieres, scorta, nutrices & ancillas sine sarcinis vectas esse, in asellis suis, quas nosti cum magnis impedimentis semper ire, ut vix exercitus asellorum sufficiat, nisi inter clitellas suas se abderent sedili præparato, cum ὑποποδίῳ astrabario, ut securæ & firmæ sederent: in quibus glossæ nos non fallunt, quæ has σανίδας & ὑποπόδια scabella & tabellas in ἀστράβαις sæpius memorant, atque hodienum usum suum ostendunt, quod & doctissimus Salmasius concedit; nam Schefferi sententia mihi non placet, qui propter sedilia in curribus, etiam ἀστράβας currus dictos esse voluit. Nihil minus quam hoc; sed quod ista plaustella vilia asino uno aut altero traherentur, & onera ac clitellas impositas haberent, una cum homine per carmina emptores mercium alliciente, ideo ἀστράβαι etiam cœperunt illa vehicula vocari, & astrabarium illud carmen, quod ex illo plaustello decantabatur; ab equitantibus enim ad vehicula ἀστραβικὰ tandem res illa pervenit.

Locum Pollucis aliter intelligere nequeo, quam quod stantes in equis dicantur illi, qui, divaricatis pedibus, ad utrumque latus equitant, sive pedibus dimissis, sive subductis hoc fiat; cœteri qui pedes ad unum latus demittunt, καθίζειν ipsi dicuntur.

Gestio videre Dni. Bary nummos Hispanis literis procusos, ejusque commentarios, tum quod magnæ antiquitatis sint, tum vero etiam quod hactenus ignoti fuerint omnibus. Prædixi Alphabetum Hispanicum, quod submisi, non esse authenticum, sed a Parente meo p. m. congestum ex Hispanicis literis, quas illic invenit. Optime enim sentit Vir ille optimus, quod diversa fuerint illis regnis Alphabeta, idque Strabo jam suo tempore annotavit. Interim felix es Tu, Vir Amplissime, qui tales thesauros colligere potes, & in ipsa eruditionis luce versari, quum nos velut in tenebris Cimmeriis hic versemur, nec quid eruditio sit, sciamus pene: non quod invideam, sed quod mihi gratuler, esse tibi thesauros eruditionis omnis, ex cujus fontibus rivulos etiam quosdam ad nos decurrere finis, quibus inopiam meam irrigare dum studeo, lætitiis omnibus perfundor.

Candidatos suos qua ratione commendarint olim Imperatores senatui, disces optime ex Cassiodori Epistolis, quas Theodorici Regis nomine scripsit, illosque mores felicissime imitatus est prudentissimus ille Rex, qui, dum petit, imperat. Inscriptionis vero, quam petis explicari, paginæ numerum haud recte notasti festinans forte, quod solet fieri, non enim reperitur p. CCCCXXVIIII. prout scribis, sed p. CCCCXXXVIII. unde illam anxie quæsivi, donec illam reperi p. jam dicta 438. Est Inscriptio ipsa valde obscura, nec secundum leges Grammaticæ, aut Inscriptionum polita: quod & in aliis multis observatur. Meo enim judicio exscribentium incuria depravatam, sic primo conceptam fuisse credo. M. METELL. HADRIAN. SIBI MAGIST. COLLEG. CENTONAR. CANDIDAT. EX DECR. EORVM LOC. EM. Sic enim Inscriptiones fere omnes cum abbreviaturis proponebantur in lapidibus ipsis. Accessit exscriptorum interpretatio minus congrua, illam sic explicantium prout nunc jacet: cum debuissent ad morem Inscriptionum fere omnium illam sic explicasse.

DEC. VER. M. METELLO HADRIANO SIBI MAGISTRO COLLEGII CENTONARIOR. CANDIDATO EX DECRETO EORVM LOCVS EMTVS. Literas ad latera interpretor D.V. Decurioni Veronensi. M.F. Marci Filio. Aut ita; DECVRIO VERONENSIS M. METELLVS M. FILIVS HADRIANVS SIBI MAGISTER COLLEGII CEN-

TONARIORVM CANDIDATVS EX DECRETO EORVM LOCVM EMIT. Sic puto recte sibi constabit illa inscriptio. Quo posito, jam satis intelligitur Collegium Centonariorum suo Decreto huic Metello Decurioni Veronensi & candidato Magistro electo sui Collegii locum sepulturæ istum emisse, aut L. Metellum locum sibi emisse. Magisterii Candidatum vix admittere possum, quod illa voce Magisterii raro utantur inscriptiones, Magistro Collegii sæpissime; ut Patroni Collegii sæpius occurrunt, sic quoque Magistri Collegiorum, nec reperi in toto Inscriptionum corpore Magisterii vocem, nisi semel Inscript. 6. p. 256 ubi Magister Collegii Fabrum lignariorum Q. Lollius Herma in Magisterio defunctus adducitur. Hæc mihi ratio & causa est, cur non Magisterii Candidatum putem legendum in M. Metelli Inscr. sed Magistro Candidato Collegii.

At quod quæris de Inscrip. 3. p. CCCCLXXXIV. T. VENNONIO T. F. STELL. AEBVTIANO PATRONO ET MVNICIPI COL. AVG. LAVR. EQ. R. EQ. P. &c. posita, nihil certius est, quam Equites Romanos distinctos fuisse ab Equitibus equo publico solum donatis, & qui equo publico meruerant. Equitibus enim Romanis jus erat aureorum annulorum, quod non erat Equitibus Equo publico donatis & merentibus. Sæpe tamen hæc concurrebant in unum hominem, ut & Equestris ordinis esset, quod est Equitem Romanum esse, & equo publico simul mereret, ut hæc inscriptio videtur indicare, T. Vennonium fuisse Equitem Romanum Equo publico, h. est & Equestris Ordinis, & Equo Publico donatum. Multi autem erant etiam Equo publico donati, qui non erant Equestris Ordinis. Hunc autem T Vennonium equestris ordinis fuisse, etiam indicant inscriptionis verba sequentia; ubi Judex ex V. Decuria selectus appellatur. At penes Equites Romanos judicia fuisse, a C. Gracchi Tribuni plebis temporibus, & Anno Urbis 630. non puto te ignorare. Is enim legem tulit, ut sexcenti Equites Romani in Senatum adsciscerentur, qui judicia administrarent: quod quamvis deinceps limitatum sit sæpius, nunquam tamen judicia ab Equestri ordine recesserunt penitus etiam sub Imperatoribus ipsis confirmata. Et quia non minimus honor erat Equo publico donari & merere, etiam Equites Romani multi hunc honorem ambiebant, inter quos etiam fuit hic T. Vennonius, Eques Romanus & Judex. Nescio an adquiescere velis in hac explicatione mea, vel an aliud tibi videatur, docte Trebati. Mihi quidem aliud de hac inscriptione judicare nondum licuit.

Quæ Dn. Begerus ad Florum suum p. 288. ex nummo Syracusanorum de Diana interpretari voluit, & abire a cæterorum explicatione, de Arethusa flumine, jam pridem legi, nec sine censura dimisi, eum hic errasse, ut in aliis multis. Nunquam enim Dianæ caput tali figura in nummis aliis usquam apparet, multo minus cum corona spicea. Ipse vultus latus & amplus, fluminis esse caput illud satis demonstrat, si consideres, quam amplo corpore flumina in aliis nummis repræsententur, capite arundinibus, aut aliis regionis, quam interfluunt, fructibus cincto. Ita ut neque Ceres, neque Diana illo capite in nummis istis Syracusanis effigiatæ sint, sed Arethusa flumen, quod caput etiam spiceam coronam circumdatam in Sicilia accepit, quoniam illic fœcundissima frugum terra: unde etiam pisces circa caput illud conspiciuntur, quod illud flumen non minus piscibus abundet, quam terra frugibus. Nec obstat, quod Diana cum pharetra & cane in aliis Syracusanorum nummis compareat. Deos enim Deasque plures coluerunt Syracusani, quibus honores etiam in nummis suis exhibuerunt, non soli Arethusæ. Aliter sane in Liparæorum nummis Ceres coronata spicis conspicitur, quam Arethusa; different multum illi vultus a se invicem, ita ut confundere cum Begero non possim Cererem, Dianam, Arethusam, quoniam satis illas distinguere primo intuitu licet.

Constantinum M. vidisse aliquando veram crucem in cœlo nullus ego dubito, quam arrepto omine, suis deinde victoriis applicare voluit variis modis, non solum in signis illam præferendo, sed etiam in labaro, vexillo Imperatorio. Quin & illud ἐν τούτῳ νίκα vel IN HOC VINCE, sive PER HOC puto adscriptum fuisse cruci cœlesti, quam vigilans vidit, sicut Artemius Præfectus Augustalis tempore Juliani, sed exutus illo officio, quod Christianus esset, aperte ad Julianum Apostatam hac de re disserens dicit, se & crucem in cœlo radiis solis splendidiorem & vidisse, & literas illas aureas legisse, quin & totum exercitum illud contemplatum esse, & multos in exercitu Juliani superstites hujus rei testes esse posse: ita ut non videam, quomodo huic testi, qui interfuit bello, quum hæc fierent, qui suis oculis vidit, & legit literas illas aureas, reluctari aut possimus, aut debeamus. Paucissimi tamen nummi Constantini M. cum illo signo crucis notantur, nulli cum cruce sola, sed cum ☧ nomine Christi & P χιαζομένῳ, inter quos excellit aureus ille apud Hemelarium tab. 51. ubi capite laureato prima facies ostendit Constantinum: Aversa vero solum illud ☧ habet, & ad latera A. Ω. & in circuitu VICTORIA MAXVMA, scil. qua Maxentium vicit. Haud est incredibile illud, Deum hoc signo Constantinum pertrahere voluisse ad Christum, a gentilibus & fanaticis superstitionibus, quibus hactenus indulgebat; nam & Paulum sic Apostolum suum reddidit, lumine ipsum circumdante divino, & voce dehortante, ut desisteret a persecutionibus. Opus erat homines tales invenire, quibus religio Christiana stabiliri posset, qui sine miraculo vix perduci potuissent, & excitari ex veterno, quem a patribus traxerant jam longo tempore. Unde ego hanc historiam de cruce Constantino visa & de literis adjunctis, ac lectis sive Græce, sive Latine, mihi persuadeo verissimam esse. Nunc ad nummum tuum Arabicum accedo, & nondum satis percipio, an cum Tristani nummo conveniat in omnibus. Neque enim indicasti, an argenteus sit, prout Tristanus indicavit; cum conjecerim ex tuis illum aureum esse. Deinde nec illud significasti, an prima facies nummi caput illud galeatum præferat totum radiis quibusdam serratum & circumdatum cum literis illis peregrinis in circuitu, & cum cruce a tergo, quales Tristani nummus exhibet. Nam aversa facies nihil nisi literas Arabicas vel Persicas continet, quæ fere, non tamen in omnibus, conveniunt cum Tristanicis. Interim verum est, multos Cosrhoes Persarum Reges fuisse, ita tamen, ut ad quem referri debeat, ego non dubitem. Primus sane de quo legitur fuit Cabadis filius, qui Anno 531. Justiniano imperante, Patri defuncto successit in Persiæ regno, & annos 48. imperium tenuit, ut Procopius annotavit, cui successit Hormisdas filius Anno 579. Huic filius rursus fuit Cosrhoes, qui 591. imperio Persarum præfuit, usque ad 628. qui trucidatus est a filio Siroe. Plures in Persia Cosrhoes Sultanos & Reges non invenio; certum igitur est, nummum & Tristani & tuum ad Cosrhoen primum Cabadis filium Persiæ Sultanum pertinere. Nam licet alii Cosrhoes fuerint, Sultani minores, haud tamen Ca-

badis filii plures fuerunt, quam hic Cosrhoes Persarum Imperator, ad quem nummus omnino referendus; quod indicat moneta ista percussa in Nisibi, & galea ista radiis ferrata, qua se solis filios Persarum Reges esse significare voluerunt. Rectius enim Dn. Relandus interpretatus est, *percussus in Nisibi Urbe*, quam Tristanus. Illo igitur tempore stapedes ad ephippia in usu fuerunt, quo Cosrhoes Cabadis filius Rex Persarum fuit, sub Justiniano Romanorum Imperatore. Quid illud KAI. sit, quod & Cabadi additur & Cosrhoi, non explicare potero: titulus sane aliquis fuit Persarum, qui Regibus Persicis dari solebat, de quo consulere poteris ulterius Dn. Relandum, qui nodum hunc facile solvet.

Et tandem etiam memini, me in prioribus meis de serpentibus vivis in aciem productis aliquid commemorasse, cujus rei tunc non occurrebant exempla. Sed nunc duo se mihi præbent ex Livio. Primum est l. 7. circa Annum Urbis 400. ubi Tarquinienses M. Fabium Ambustum Cos Romanum vincunt, ejus militibus territis, quod facibus & serpentibus armati hostes suos impeterent. Livii verba sunt: *Falisci Tarquinienſesque alterum Consulem prima pugna fuderunt. Inde terror maximus fuit, quod Sacerdotes eorum facibus ardentibus, anguibusque prælatis incessu furiali insueta turbaverunt specie* &c. Idem Livius, Hannibalem Pœnum, quum Prusiæ Bithyniæ Regis Classi Præfectus esset, etiam navali bello classe educta, serpentes fictilibus inclusos in hostium naves projecisse scribit. Erat autem hostis Eumenes Pergami Rex, atque hoc stratagemate victoriam obtinuit circa Ann. Urbis 570. Plura possem obducere ejusdem commatis, sed parcendum est & chartæ, & tibi; ne nimis prolixa Epistola fastidium tibi pariat. Quapropter desino hac vice, me meaque tuo favori commendans.

Dabam Hafniæ ad d. v. Maii A. MDCCVI.

LXVII.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Summa cum lætitia epistolam tuam legi, cum quia inde perspexi te valere, tum quia agis in ea de rebus, quæ utique inserviunt eruditioni augendæ mirum quantum.

Quin & eo gratior, atque acceptior mihi fuit, quia reddita mihi est in ipsis castris, ad quæ summa cum potestate cum aliis Legatis ab Ordinib. Generalibus missus eram; qua de re multis tecum non agam, quia non dubito, quin fama ad te detulerit honorem mihi habitum, & quin acceperis splendidissimam illam victoriam, tot urbes captas, tam ingentem terrarum fertilissimarum tractum se Regi Carolo submisisse, ordinatam Brabantiam & Flandriam, quibus nunc addo, me post VII. mensium absentiam, salvum & sanum, lætumque rediisse domum, & nunc me bona fide incipere cum Musis primum oblectare.

Cum igitur versarer continuo inter armorum, tubarum, & salutantium strepitus, & doctas virgines vix salutare toto illo tempore possem, hinc facili opera perspicis, non nisi gratas valde lite- A ras tuas fuisse; unde & eas plus quam semel legi. Quæ igitur de *Liberalitatibus* Impp. notas, mihi placent, & inde patet, te probare, vir eximie, meam sententiam, & ea voce designari in genere ea, quæ militi & populo donabant.

Erudita etiam sunt, quæ de Astrabariis & scabellis suppedaneis scribis, sed tamen ita etiam videtur mihi hæc materia difficilis & non satis elucidata esse, quia semper occurrunt, quæ majorem deliberationem videntur exposcere. Nam & Salmasius *stapias* nostras non tribuit Græcis & Romanis, & *suppedanea* vel *astrabas* tantum mulieribus B suo more, & viris in mulis & asinis sedentibus, additque, *Videntur & olim hæ tabellæ* &c. adeo ut dubitaverit, quæ dubitatio forte inde orta, quod nulla hujus moris vestigia apparent in monumentis antiquis, licet sæpe in iis conspiciantur mulieres muliebri more variis animalibus insidentes, uti patet ex iis, quæ noto in Harpocrate. Quin & Vossius tradit in Etym. *Astrabam* in Glossis Isidori exponi *tabellam, ubi pedes requiescunt*; sed Græcis Ἀςράβην aliud esse videri, idque patere ex Hesych Eustath. & Plauto, qui Comœdiam Græco nomine *Astrabam*, latino *Clitellariam* inscripsit. De explicatione verborum C Pollucis, nihil muto, quia ante verba, de quibus inter nos non convenit, loquitur de viris equis insidentibus proculdubio; & miror doctissimos nuperos editores illa etiam vertere: *Stapedes enim magis ad standum, quam insidendum parati sunt*, cujus equidem interpretationis vellem ut reddidissent rationem.

Sed huic disputationi finem & colophonem impono, & puto personas nostras non decere, nimis diu ferram super tali re ducere, illudque contrarium esse humanitati, & amicitiæ, quæ est inter nos singulari meo cum gaudio.

Barius in eo est, ut digerat nummos suos, His- D panicis characteribus insignitos; Joh. Clericus nonnullos Gaditanos explicavit tom. XI. de sa Bibliotheque Choisie, & inde disces etiam conatus amplissimi Consulis Barii.

Recte laudas thesauros, quos ille possidet, & quorum ectypos mittit ad me, & si non tot fluviorum terrarumque divortiis separaremur, ego certe eos tecum communicarem ea, qua sum, præfiscine dixerim, facilitate & humanitate.

Nactus Bruxellis sum binos mss. plurimis ineditis antiquis monumentis refertos; est inter ea Alphabetum Hetruscum hoc titulo: *Les lettres* E *Hetrusches que Don Diego de Mendoca Ambassadeur de l'Empereur à Rome, m'a envoyé par Ximenes a Isprug*, 1552. quæ nescio an editæ sint, vel an Inghiramo, cujus libro careo, originem debeant; adjiciuntur multæ Inscriptiones iisdem litteris constantes, & aliæ latinæ in Hispania repertæ, quas Lucas Torrius in Flandriam attulit 1638. quæ num apud Reinesium, Gruterum, vel alios reperiantur, videbo, ubi plus otii nactus fuero.

Non displicet explicatio tua Inscriptionis 5. p. 438. sed tamen, pace quod fiat tua, existimo eum, qui Candidatus appellatur, rei alicujus, quam F ambit, omnino *Candidatum* dici debere: quare ego quidem has quatuor siglas D. M. V. F. explicarem *Diis manibus vivus fecit*: tua illa *Decurioni Veronensi* & *Marci filius* amplecterer omnino, nisi a lateribus posita forent; & non video, quare *Candidatus Magisterii* rejici debeat, cum ultima vox alibi in ejus generis monumentis occurrat non modo, verum etiam apud Ciceronem, Plautum, Tibullum, aliosque, uti nequaquam ignoras; tandem ex te quærere libet, an aliquis *Magister* factus, postquam munus illud ambivit, possit

recte dici *Magister Candidatus*, nisi statuas, eum hanc dignitatem a principe accepisse, quomodo *Prætores Candidatos* jam dignitatem illam obtinentes in variis marmoribus legimus, quia scilicet eam absque ambitu & prensatione populi a Cæsare acceperant.

Quæ de *Equitibus* mittis, probo plane, & manibus pedibus eo in tuam sententiam; sed non memini me alibi legere, C. Gracchum legem tulisse, ut sexcenti Equites Romani *in Senatum adsciscerentur*, qui judicia administrarent. Nam ex Appiano, Vell. Paterculo, Varrone apud Nonium, quorum loca jam annotavit diligentiss. Sigonius, constat, judicia quidem a Senatu per Gracchum ad *equites* translata esse, sed tacent omnino de eorum electione in Senatum, quin imo clare opponunt ordinem Senatorium vel Senatum, & Equestrem ordinem; & clarius Florus 3. 12. *Unde regnaret judiciariis legibus divulsus a Senatu eques*... ecce divulsum dicit, quia scilicet a Senatu erant separati & divisi, qui etiam videatur cap. 14. & 17. libri ejusdem, ex quibus opinio mea mirifice invicem firmatur; quare te, vir eximie, etiam, atque etiam rogo, ut me docere velis, quis vetus auctor memoriæ mandaverit, sexcentos equites a C. Graccho in Senatum lectos fuisse.

Arethusam facile tibi largior cerni in nummis Siculis; certe Dianam cum Begero, viro docto valde, non puto locum, nisi in aliis, quod bene animadvertis, habere posse; quanquam ego nec *Cererem* propter coronam spiceam rejicere ausim, maxime cum & Harduinus p. 428. eam amplectatur, & pisces signum atque indicium esse possunt piscosi maris, Siciliamque eo undique cingi, ut in nummis cingunt caput Deæ summa religione in insula illa cultæ. Neque enim ego videre possum, nisi coronas in nummis illis ex aristis earumque herbis vel foliis constantes; non autem folia arundinum, quæ tibi videris notasse. Adde his, similes vultus occurrere in Messanorum, Thermitarum, Panormitanorum, Menanitarum & aliorum Siciliæ populorum nummis, qui Cererem absque dubio venerabantur, & ab Arethusa pro cul erant.

Nec quicquam facit opinioni tuæ firmandæ *latus vultus*, cum constet omnem deorum gentilium turbam majorem longe pictam & fictam esse forma humana; sed uti capita coronis spiceis ornata ad Cererem referre malo, ita dubium mihi, an alia vel nuda, vel mitris aliisque tegumentis ornata ad eandem pertineant deam; quod si res ita sese habet, statuendum est, Gentiles pro lubitu suo nonnunquam deorum suorum insignia & ornamenta mutasse; quam in rem si inquirere velles, magnopere certe me devincires; & forte illa Arethusam repræsentant, cujus fontis pisces Dianæ sacros fuisse notat Lud. Nonnus, qui tecum eam nympham in Syracusanorum nummis repræsentari credit.

Quod ad *Crucem* vel Monogramma D. N. J. C. pertinet, lætor te mecum veram eam historiam judicare; alia omnia sentit perfectæ vir eruditionis Joh. Alb. Fabricius in Dissertat. Critica, in qua contendit Crucem, quam in cœlis vidisse se juravit Constantinus, fuisse naturalem in halone Solari, & Ἐν τούτῳ νίκα, non fuisse in ære lectum, vel a Constantino in somnis visum, sed designatum esse per *coronam*. Ego sententiæ isti manus dare non potui, & egi hac de re cum illo multis, responsumque exspecto. Credo te eandem dissertationem legisse, & avide desidero cognoscere, quæ tua sit sententia.

Nummus meus Arabicus æreus est, & nequaquam convenit cum illo, quem post Tristanum edidi in notis ad Lactantium; in una area Sultanus sedet in equo non radiis cinctus, sed tegmine ad instar tulbandi, margine latiori; sceptrum tenens dextra vel clavam, quia superior ejus pars latior, ab utraque parte corporis stella, ita ut sint binæ numero, tertiaque est sub ventre equi, stapedibus fulciuntur pedes; & alteram aream implet inscriptio Arabica, quam non intelligo, nec mihi a Relando exposita est, si memoria mihi non imponit; quare equidem huic materiæ nuntium remitto.

Quod ad serpentes in prælium ad pugnandum cum hostibus productos attinet, ego certe sententiam meam mutare nequeo. Hannibalis fraus nihil cum ea re commune habet, cum Vasa figlina serpentibus onusta facile in hostiles naves potuerint dejici, sed inde nequaquam argumentum duci potest, ullo modo bestias illas venenatas in præliis terrestribus alicujus usus fuisse. Demus, vir egregie, eas vel eo, vel alio modo in hostes jactas; an putas, feras illas cognovisse istos, a quorum partibus stabant? ego quidem talem in iis, ut ut ab ea laudentur, prudentiam & sollertiam non agnosco, & persuasus omnino sum, utrique parti æquale periculum fuisse. Neque me movet Faliscorum Sacerdotum factum, cum tantum facibus ardentibus anguibusque ad instar furiosorum & Bacchantium fuerint horridi; neque inde sequitur, angues in hostilem aciem fuisse immissos, & ita contra Romanos una cum Faliscis pugnasse. Quid quod Florus 1. 12. non *Serpentes* iis tribuit, sed *discolores serpentum* in modum vittas, & *furialem morem*, & factum non Faliscis tribuit, sed Fidenatibus? at contra cum Livio facit Front. 2. 4. 18. & potuerunt illi fictitios serpentes appellare *serpentes*, quomodo vexilla Dracones nominantur.

Atque hæc quidem reponenda fuisse duxi epistolæ tuæ acceptissimæ & eruditissimæ, & spero te exemplo meo non ægre laturum, me omnibus consensum meum non posse tribuere; neque tamen eo minoris facio singularem tuam eruditionem, quin potius eam valde æstimo, & inter eruditæ felicitatis meæ notas numerare soleo litterarium, quod mihi est tecum, commercium.

Singulares omnino res in expeditione observavi, & si earum nonnullas edere vellem, vix dubito, quin magnam apud omnes eruditos gratiam inirem; nummos, Inscriptiones, mss. ectypos icuncularum nactus sum, de quibus forte alio tempore agam tecum. Facere tamen non possum, quin tecum communicem, ad me missum esse nummum raritatis eximiæ, in cujus una area cernitur figura sex alis insignis, quales nosti occurrere in Gnosticorum fœdis mysteriis, & similes angelos describi a Patribus & Judæis; additur urbis, in quo signatus, nomen; sed manum de tabula, ne publicem ea citius, quam par est, & quam a me erunt illustrata. Vale plurimum.

Dav. 18. Febr. 1707.

Fieri posset, ut in recensendis Arabicis nummis me non satis clare explicaverim; quare recte me facturum existimavi, si sequentia adderem.

Ille, quem edidi in notis ad Lactantium, a Tristano vulgatus est, & quid de eo sentiant eruditi, ex iis, quæ antea misi, patet. Quem in hac epistola laudavi, penes me est, elegans & tenuis, vel non valde crassus ex ære.

Possideo etiam illum, quem Princeps de Ligne referebat ad Gordianum pium, sed male; in ejus una area est caput diademate vel corona cinctum, ab occipitio enim fasciæ dependent, ante pectus

ftella cum Inf. Arabica, qualis etiam alteram aream implet integram.

Illius, quem eidem Imperatori tribuebat Barius, ectypum humanissimi viri beneficio possideo; & in una area cernitur προτομὴ viri capillo crispo & capite nudo, tenens manu dextra clavam vel aliud instrum. bellicum, humero impositum; sinistra clypeum, cum Inf. Arabica, qualis etiam alteram aream implet, & hunc ad Coth Coddinum referebat Relandus.

Atque hinc perspicies, hosce nummos nihil habere commune cum eo, quem Chosroi, qui Justiniani tempore Persas rexit, tribuis, licet Rhenferdus & Relandus eant in alia omnia. Ego hic auditor tantum sedeo, & nihil reponere possum, quia linguæ illius plane ignarus vivo. Lituris quæso ignosce.

LXVIII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Quod serius tuis XVIII. Febr. hujus anni Daventriæ datis respondeam, Optime Vir, factum esse credas, quod sero ad me perlatæ sint. Intellexi ex Dn. Generali Rantzovio, te Castris interfuisse, ibique jussu Ordinum Generalium negotia publica procurasse. Beata est Resp. patria, quod tali Viro, tam militiæ, quam pacis negotia committere possit, quibus tu, quasi ambidexter, dexterrime satisfacias. Et ex tuis gratissimis idem percipio, sed ita, quod nec inter arma, ubi silent alias Musæ, illas neglexeris, sed omni cultu ornatas, & auctas in domum tuam retuleris. Hoc est Ennium Scipionis agere, Ulyssem ad Trojam cum Achille comitari, cum Ajace & Diomede Nestorem. Sed nolo laudibus, & honoribus tuis immorari; non epistola, sed Panegyricus illis scribendus esset. Sufficiat, me gaudere, me plura optare incrementa.

Verum esse, equitantes tam Græcos, quam Romanos veteres stapedis non usos esse, antiquitas & Monumenta satis docent, nec ideo ἀστράβας, aut ἀστραβαίρια produxi, quod ultra clitellas veteribus usui fuerint, sed quod posteritas ex iis exemplum sumserit, a clitellis ad equos, & equitantes, illud commodum tandem transferre, ut, sicut hodie, & firmamento & sublevamento equitantis inservirent. Semper enim repertis aliquid superadditur facile, quod melius & perfectius sit. Stapedes sane dicuntur, quod pedes equitantium in illis stent, & per illos erigere se possint, ut & firmius sedere.

De Alphabetis Hetruscis in mss. quæ nactus es, non multum mihi promitto genuini; fallere nos solent talia Alphabeta, neque Inghiramum in his satis edoctum judico. An Hetrusci ante Romanos scripserint, magna quæstio est, & an peculiaribus characteribus usi sint tam longe diversis a Græcorum literis, quæ totam fere Italiam, præter Latium vetus, occuparant, quibus Evander, & Nicostrata peculiares literas, ex Græcis tamen petitas, primum monstrarunt.

De *Candidatis* Augustorum nunc Tecum amplius serram trahere nolo; est enim res intricatissima. Sed de Equitibus Romanis Senatui adjunctis a Graccho, nullum est dubium; non quod lecti fuerint Senatores, sed quod ad judicia Senatui per Gracchum ademta lecti fuerint, ut cum Senatu in Senaculo sederent, & ex iis multos in Senatum deinceps lectos fuisse, nemo refragatur, & sexcentos tunc a Graccho judiciis in Senatu, aut Curiæ Senatus adscriptos fuisse, & ex eo retulisse Calvisium ad A. U. C. 639. Magnum vero numerum Equitum Nobilium Romanorum fuisse, vel exinde patet, quod Sylla multos eorum proscripserit. In Syracusanorum nummis, sive Arethusa, sive Ceres, sive utraque conjunctim effigiata fuerit, non multum dissentimus; Syracusanis enim utraque colebatur, & utriusque Deæ insignia uno eodemque vultu in honorem earum Syracusanos exprimere voluisse, certum esse puto; Dianam vero Begeri in iisdem nummis non admittam facile, quod nullum plane insignium illius Deæ in illis appareat; nam pro Arethusa faciunt pisces capiti circumdati, & corona mixta ex foliis arundinum & aristis utramque Deam referunt, non vero Dianam.

Non quidem legi dissertationem Fabricii de Cruce Christi, quæ Constantino Magno & Maximo apparuit in aere. Sed illa crux, quocunque modo apparuit, apparuit tamen ita, ut a gentilitate & Ethnicismo, cui primum deditissimus erat, plane revocaret ad Christianam religionem, eique firma fide adhæserit, usque ad finem vitæ & imperii. Absque illa Cruce forte Christianam religionem amplexus non esset, sed cum victoriam de Maxentio, illa cruce, quam viderat, confisus, etiam tulisset, jam animum obfirmare cœpit, in nulla re alia salutem esse, quam in Christo, ejusque cruce. Quid ergo in illa historia videri possit adeo mirum, ut credi nequeat, ego nondum video, quamvis circumstantiæ ipsæ in omnibus non consentiant; illud tamen omnes dixerunt, signum illud crucis visum esse Constantino, & vocem forsan auditam, ἐν τούτῳ νίκα. Nam nec ego plane sentio, hæc verba lecta, aut cruci circumscripta fuisse in aere, ubi signum illud crucis vidit.

Ex nummo tuo Arabico æreo hoc saltem disco, jam duos istos nummos Tristani & tuum sellam stapedibus appensis munitam nobis ostendere. An ejusdem Sultani sint, vel alterius, non multum laboro, ætate saltem illos non magna discrepare ab invicem sentio.

De serpentibus in aciem productis ab antiquis pugnatoribus & militibus, miror equidem te, summe Vir, contradicere, quum clara sint exempla, quæ produxi ex probatissimo authore, in acie contra hostes cum anguibus, serpentibus & Draconibus olim populos stetisse. Num frustra? Sæpius in fugam conjecti sunt hostes illis anguiferis machinis, & victoriam adversæ parti pepererunt, Hannibalis exemplo. Quid ergo tergiversaris? Num credis, aut Faliscos, aut Fidenates, aut Hannibalem solos cum anguibus contra hostes suos pugnasse? Nolo credas. Ipsæ te Furiæ docere poterunt serpentibus vivis armatæ; ipsa Pallas Medusæ capite anguibus horrente ad pugnas quando prodibat. Quæ quamvis figmenta sint Poetica, illud tamen ostendunt, olim ita bella gesta esse, & ex iis, quæ gesta sunt, Poetas fingendi occasionem sumsisse. Erant sane tempora omnibus populis, priusquam arma vera cognita habuerunt arte comparata, qui armis utebantur natura datis, clavis, saxis, quidam etiam anguibus & serpentibus; nam furor bellicus arma ministrabat, quæ nunc arma non sunt. Nec te moveat, quod tam suis nocere possent serpentes, quam hostibus; edocti erant omnino serpentes, incan-

incantationibus tum frequentibus, dormire apud suos, & placide versari, hostibus vero, quum immittebantur, nocere, ipsa Scriptura Sacra teste. Et quid a barbaris aliud exspectare possis, quam iis armis eos occurrisse hostibus, quæ natura eos docuit, & furor ipsorum? Nihil amplius addam, quoniam sententiam mutare non proposuisti, & frustra, sexcenta etiam si afferrem exempla, tecum agerem.

Quiescant ergo hæc; nam & ego te dissentientem amo, nec eruditioni meæ, quæ valde tenuis est, tantum tribuo, ut tanti Viri amicitiam minima sui parte lædi cupiam aut velim. Cedo lubentissime.

Aliud nunc est, quod doceri me velim de nummo L. Scipionis Asiatici, quid sentias, an Asiagenes legi debeat, quod in quibusdam ejus nummis reperiatur ASIAG. quod & Antonius Augustinus, & Fulvius Ursinus legerunt, & in iis viderunt; sed Ursinus ita, ut illud G. separet ab aliis literis, hac ratione ASIA. G. Nolim contradicere magnis illis viris, quin ita inscriptum nummum illum viderint, & A. Augustinus explicarit ASIAGETES. Ursinus judicium suum suspendit, nec rationem addidit, cur illud G. separavit ab ASIA. Novi quid Sirmondus, quid Gronovius ex Diodori excerptis, & ex Sidonio attulerit pro illo ASIAGENES defendendo, quos secutus est Spanhemius in Dissertationibus suis. Sed sunt mihi duo nummi istius Scipionis Asiatici, in quibus illud G. nequaquam apparet. Ambo sunt serrati, & iisdem figuris prædìti, sed in literis differunt. Unus eorum prima facie Jovis caput habet laureatum, barba densissima circa genas præditum, mystacibus etiam tenuibus dependentibus. Aversa quadrigam habet, cui insistit aut Jupiter, aut Scipio ipse dextra fulmen vibrans, sinistra sceptrum, aut scipionem ardentem, qua simul regit fræna. Superius inter caput & scipionem litera F. infra L. SCIP. ASIA. nec ullius literæ vestigium amplius. Alter meus nummus easdem figuras utrinque ostendit, sed ante scipionem ardentem, aut fumantem litera K. clare conspicitur cum puncto crasso addito, & inferius legitur L SCIP. ASIA, quæ ultima litera adeo est obscura, & detrita, ut distingui nequaquam possit: & si conjecturæ locus sit, T. potius, quam G. legi debere, contenderem. In Brandenburgico Museo exstare unum hujus Scipionis per alios mihi relatum est, qui viderunt, ubi clare & diserte legatur expressum ASIAG. Ego sane capere nequeo, quomodo illud ASIAGENES in Latinis, & Romanis nummis sculpi potuerit de homine Romano: nec cur novissimi editores Livii in ipsum textum Livii unico saltem loco l. 39. cap. 34. intruserint ASIAGENES, ex manuscripto forte, cum plura MSta. ASIATICVS etiam ibi habeant, & in omnibus aliis locis Livii, ubi de Scipione isto loquitur, non ASIAGENES, sed ASIATICVS reperiatur. Sit ita, apud Græcos L. Scipionem ASIAGENES dictum, quasi natum pro Asia domanda, & subjuganda: quomodo tamen nummis Romanis hoc inferi potuit, quum Livius diserte testetur, eum ad exemplum Fratris P. Scipionis, dicti AFRICANI, studuisse nomen accipere ASIATICI, non ASIAGENIS? quod nec populus Romanus aut vulgus Romanum, nec Senatus ipsi tribuit, sed passi sunt Asiaticum vocari, & in nummis procudi. ASIAGENIS enim vox Romana non est, sed Græca. Hic mihi, fateor, hæret aqua, & scrupulum non parvum injicit, quem si expediveris, lætabor valde. Qua spe nunc finio, meque tibi commendo. Dabam Hafniæ a. d. XXIII. Maii MDCCVII.

LXIX.

Amplissimo Celeberrimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Ego sæpenumero putavi, te vel gravi & diuturno morbo laborare, vel ultimum valere dixisse, id quod Deum veneror, ut sero fiat, rebus humanis, quia abhinc binos annos nullas a te literas accipio. Ultimas ad me dedisti a. d. v. Junii, anno 1706. iis respondere non potui, nisi postquam a splendidissima legatione & castris redux laribus meis redditus fui, idque factum 18. Febr. anni proxime elapsi. Inde nullæ a te, Vir amplissime, literæ; & in gravibus illis cogitationibus etiam nunc versarer, nisi eas mihi exemisset Rantzovius Comes, cum ante aliquot hebdomadas castra Fœderatorum petens & per hanc urbem transiens me inviseret. Vir generosissimus & studiorum amator ac fautor egregius, me certiorem fecit, te vivere & valere, mirabaturque te per tam longum tempus tacuisse, & quasi abrupisse literarum commercium. Addebat tamen, sese credere id fieri, non oblivione mei, sed ob litem, quam nescio quis tibi intulerat: id quod certe doleo vehementer, quia pestes illæ faciunt, ut quietem tuam turbent, utque non possis tam alacriter operam dare, quam ante est factum, Musis, quæ sibi otium & secessus quærunt. Recte tamen facturum me putavi, si exsuscitarem morientem quasi amicitiam & familiaritatem, testarerque apud te, me plurimum tua causa velle, & gravissimum mihi esse diuturnum illud silentium, quia ex literis tuis singularem semper tuli fructum, & voluptatem, & etiamnum capio, si quando eas iterum, id quod sæpe facere soleo, lego: nam *lectio lecta placet*, vel, ut Horatius canit: *Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit*.

Cæterum magnopere me devincires, si tollere velles scrupulos, & dubia, quæ tecum communicavi ultimis literis meis; vales enim ingenio, & nonnulla eorum digna sunt, nisi me plane fallo, in quæ aciem illius intendas, & nihil est quod dubites, quin rem mihi sis facturus acceptissimam, & quin illi daturus sim diuturnum tuum silentium.

Comes Rantzovius tradidit mihi Boreæ laudes, & Commentarium tuum, De summo Regio Nomine & Titulo Septentrionalibus usitato KONING, & ejus apud Danos Origine. Irascor primo mihi, meisque negotiis, quod oblitus fuerim tibi eo nomine gratias agere, & quod iis factum sit, quo minus officio illi satisfacere potuerim. Magnopere deinde testor, me curas illas tuas oblectasse, meque eas legisse inexhausta cum aviditate. Utque perspicias me vera narrare, patere, ut mittam me putare hæc verba Herod. lib. 1. cap. 21. pag. differt. tuæ 21. πάτοις

His quidem solis sacrificant ab antiquo, non ad solos *ventos* referri debere, sed ad *Solem* etiam, *Lunam*, *Terram*, *Ignem* & *Aquam*; quia sequitur apud Herod. ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ Οὐρανίῃ θύειν, *postea vero didicerunt Uraniæ etiam sacrificare, ab Assyriis, & ab Arabibus edocti*.

Socrates, de quo agis pag. 24. non coluit *Nubes*, nec eas *Deos* esse existimavit; verum Aristophanes eum ita ridendum in scena propinat, quia posthabita multitudine deorum & contempta, Deum in sublimi quærebat, uti patet ex veteribus, & ex oratione, qua anno proximo celebravit Socratem Lipsiæ Christ. Frieder. Boernerus.

Achates Tiberianus, cujus meministi pag. 46. explicatus etiam est a Jacobo le Roy, Libero Barone S. R. I. nec non Alberto Rubenio, & inde patebit, non *Jul. Cæsarem* in summa arce poli, vel cælo cerni, sed *Augustum*, & infra eum in terra sedere Tiberium, & Liviam, illis addi reliquam familiam Augustam, & infra eos jacere captivos.

Commodi & Crispinæ nummus pag. 49. editus est a Patino pag. 267. & quanquam explicatio tua suas veneres habeat, tamen rogo, ut legas ea, quæ eruditus Eques commentatur; & tibi do insuper considerandum, an Augusta primo imperii anno potuerit optare, ut in Lunam & Cœlum reciperetur; & digna etiam sunt, ut legantur, quæ Tristanus commentatur tom. 2. pag. 234. ubi utramque elegantis hujus nummi aream exhibet.

Atque hoc tuum argumentum, vel *Boreæ laudes* mihi eo magis placuerunt, quia in iis etiam agis de cultu ventorum apud gentiles, de quo multa annotavi, quæ tecum communicarem, nisi certo scirem, nihil eorum te ignorare. Sed tu in primis *Boream* illustras, idque longe copiosius, quam ante fecerat Holstenius, qui Romæ in Ædibus Quirinalibus *laudem Boreæ* dixit; editam anno 1676. cum vetere pictura Nymphæum referente.

Smyrna ad me missæ pulcherrimæ omnesque ineditæ Inscriptiones Græcæ, aliasque inde, & nonnullos nummos Græcos Constantinopoli expecto, quales anno proxime elapso rarissimos, & itidem ἀνεκδότους accepi. Et fidem tibi facere possum, tot ad me veteris ævi relliquias vel pictas, vel æri incisas mitti, ut mihi latissimus aperiatur campus de variis rebus disserendi, quæ utique pertinent ad interiorem eruditionem.

Anno proxime elapso fui Amstelædami, Trajecti ad Rhenum, & aliis in locis, atque in iis notavi mihi elegantes & non obvios nummos, resque præclaras alias, unde mihi natum Itinerarium, quo illas explicare conatus fui. Estque inter eas clypeus æreus operis admirabilis, qui Londino missus in emporio nostro celeberrimo æri incisus, continet Romam a Gallis captam; nec non Deæ statuam, quæ comitem habet gruem, quamque propterea *Vigilantiam* credo esse, aliis omnibus auctoribus, ut deam, ne memoratam quidem: quanquam virtus illa, quæ pace & bello plurimum prodest, digna fuerit, ut cum aliis virtutibus, quæ non sunt ejus utilitatis, a gentilibus coleretur. Hæc monumenta mihi ansam præbuerunt de variis iisque haud protritis antiquis ritibus agendi.

Mabillonius in Galliis diem obiit supremum, Cellarius & Tentzelius, uti proculdubio nosti, in Germania, Magliabequius in Italia, si modo verus nuntius Amstelædamo ad me est adlatus; nam eundem rebus humanis ereptum fuisse fine anni proximi mihi significavit Ill. Leibnitzius, sed revixit, & binas vel tres inde literas a viro eleganti, & diligenti accepi. Montfauconius dabit nobis propediem Palæographiam Græcam incredibili eruditione refertam; similique operi in Helvetia incumbit vir doctus, cui tamen non credo tot subsidia fore, ac priori.

Anselmus Bandurius Dalmata, itidem Benedictinus, parat Antiquitates Constantinopolitanas, a Du-Cangii illis longe diversas; est mihi cum eo literarum commercium, & inde, uti etiam ex breviario libri, video virum esse doctissimum. Suppeditavi eidem paucula, & quidem nummum *Theophanonis Augustæ*, nunquam editum; dies te totos detinerem, si plura alia ad te mittere vellem; sed habeo rationem otii tui. Vale.

Dav. Jun. XI. die 1708.

LXX.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

EXhilararunt me summopere litteræ, quas septimo Julii proximi die ad me dedisti, & summa ex iis cum voluptate intellexi, te nobis superesse, & diligentem humanioribus studiis operam dare. Doleo autem vehementer, alteras ad me nondum curatas esse, quas nunc primum edoceor traditas esse Ephoro nobilissimi juvenis De Knuth, & quibus testaris, te respondisse omnibus quæsitis meis; cumque annus elapsus sit, & ita spes omnis decollaverit easdem adipiscendi, ego te, vir illustris, etiam atque etiam rogo, ut exemplum illarum ad me mittere velis, uti earum lectione eruditionis usuram, id quod semper facio curas tuas legens, extendere possim.

Digna profecto disquisitio est, an L. Scipio, *Asiaticus* absque dubio cognominatus, etiam dictus sit *Asiagenes*, vel *Asiagetes*. Memini me nescio cum quo erudito de eadem re egisse ante aliquot annos, sed nomen mihi excidit, neque etiam memini, qualia ad illustrandam quæstionem illam literis fuerim complexus. Non est autem absque ratione, quod dubites de nummis, quibus inscribitur ASIAG. quanquam Vaillantius etiam tales ut genuinos agnoscat, existimetque, eos denarios signatos esse in Asia a Quæstore ad solvendum militibus stipendium, & L. Scipionem *Asiagetem* dictum esse pro *Asiatico* Græca voce, & illius cognominis extare vestigia apud Livium, & in carmine quodam Sidonii Apollinaris; quæ eadem est sententia Antonii Augustini, quam vir eruditus se sequi fatetur.

In Livii libro IX. *Asiagenem* non invenio, nec vacuum mihi tempus est ad reliquos lustrandos, & ipse diserte 37. 58. narrat, L. Scipionem, ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluisse; & vellem equidem cognoscere, quo loco cognomen *Asiagenis* apud Livium reperiatur. Non invenio

in Excerptis Peireskianis utrumque, tam P. quam L. Scipionem fratres Ἀσιαγενεῖς dictos esse; sed licet plurali numero utatur eorum Excerptorum Auctor, constat tamen, eundem ad unicum Lucium respicere pag. 381. *P. Scipio Nasica Consul* (Latina enim tantum suppono) *vir fuit, & virtute & generis splendore eminentissimus: quippe ex ea familia erat oriundus, ex qua Africani, & Asiatici & Hispali prodierunt: quorum hic subacta Africa, ille Asia, tertius Hispania domita cognomen ex rebus gestis retulit*. Diodorus utitur voce Ἀσιαγενεῖς, notatque Valesius, L. Scipionem majoris Africani fratrem in nummis dici ASIAG. & Ἀσιαγενὴς Græce idem esse, quod *Asiaticus*, & probat ex Athenæo, Ἀσιαγενεῖς dici homines in Asia natos, quos Romani vocabant *Asiaticos*, quanquam mihi videntur non satis bene hæc sese habere. Nam L. Scipio non est dictus *Asiaticus*, quia in Asia natus, id quod etiam verum non est, sed quia eam devicerat, adeo ut vix capere queam, quomodo Diodorus Græca illa voce uti potuerit; & inde est, ut quid de nummis illis statuendum sit, ignorem plane. Neque mihi placet Ἀσιαγέτης, licet formatum sit, ut Μουσαγέτης, quod cognomen Apollini & Herculi datur, quia personis, quo loco Musæ sunt habendæ, optime convenit, non autem regionibus, qualis fuit Asia, idemque est, ac si dicas, *comites ducesque Musarum*. Illud insuper mihi valde mirum videtur, in latinis nummis, si modo genuini sunt, scribi Græcam Latinis literis vocem, *Asiagenes*, quæ si in Græcis Asiæ urbium nummis exstaret, certiora de Latinis pronuntiare possemus; sed ut illud factum est nunquam, ita persuasus fere sum tecum, tutam fidem illis haberi non posse, in quibus scribitur ASIAG. vel Asiagenes. Boreas tuus mihi placuit mirifice, & eleganter, atque erudite hoc argumentum exornasti; & lucubrationem istam me cum attentione aliqua legisse ex iis, quæ proxima epistola misi, proculdubio perspexisti. Et quia animadverto tibi non displicere libertatem, quam mihi sumpsi, inde credo non ingratam me tibi rem facturum, si insuper de aliis nonnullis agam locis, ut ita magis a te possint illustrari.

Pagina igitur 130. subiratus videris Varroni, quod apud Nonium dixerit *phreneticos Septentrionum filios*, quasi ex Borea nil, nisi mancum & mutilum, & monstrosum prodire possit.......... Sed ego te optimo & doctissimo viro conabor amicum reddere, & ita pacem inter vos stabilire. Neque enim Varro loquitur de hominibus Septentrionalibus vel Borealibus, sed de *ventis*, eosque *phreneticos* vocat, quia ad instar phreneticorum videntur insanire, dum omnia sursum deorsum ferunt: ecce tibi locum integrum:

Ventique frigido se ab axe eruperant

Phrenetici Septentrionum filii

Secum ferentes tegulas, ramos, Syrus.

Nec dubito, quin ipse jam existimaturus sis, nulla injuria præclarissimas fortissimasque gentes a Varrone affectas esse.

Pag. 139. *Quaternos senosque equos transilire solitus*, uti Florus loquitur, optime a te explicari puto. Salmasius pag. 168. ad Hist. Aug. aliique hæc verba explicant ex more desultorum, qui in circo duos vel plures equos ducebant, & mira A agilitate sese de uno in alium conferebant, & ita de uno in alium transiliebant.

Sed mihi tua illa explicatio magis arridet, quæ num firmari possit aliunde, tuum erit judicium. Certe si Teutobochus ad instar desultoris equis usus fuit, necesse est, ut ipse quatuor vel plures equos frenis & manu tenuerit; quod utique nequaquam est verisimile, imo potius ridiculum, cum hoc foret infra Majestatem Regiam, & ejusmodi personæ servos sibi habeant, qui equos ducunt, ut conscendi a domino possint, fesso illo, cui insidet. Rex igitur lassato vel propter ingens corpus, vel ob iter longius, vel in præliis equo, solitus B fuit in alios equos, unum post alium, transire, qui a servis ducti ipsi ad manus erant; id quod per *transilire* exprimit Florus, quia scilicet cursu sese in equos stapedibus carentes injiciebant, adeo ut *transilire* idem hic sit, *op het peert Springen*, vel *insilire in equum*, saltu sese in eum subjicere; quo sensu eadem vox usurpari videtur Solino. *Quidam populi Indiæ adeo proceri, ut elephantos veluti equos facillima insultatione* TRANSILIANT, id est, *insiliant, conscendant*; quam meam conjecturam firmat omnino Mela 3. 7. *Ita proceri, & corpore ingentes, ut elephantis etiam, &* C *ibi maximis, sicut nos equis, facile atque habiliter utantur*; vides, vir eximie, Melam dicere, *elephantis uti*, i. e. iis insidere, in iis equitare, & hoc Solinum exprimere per *elephantos transilire*, quæ bina loca me tibi debere fateor, cum eadem laudes p. 168. & *transilire* videntur usurpasse, quia pede sinistro transilit equum, qui in equum insilit, vel eum conscendit.

Quod pag. 198. ex Jobi 22. notas, *Ex Septentrione aurum provenire*, diu quæsivi; cum illo capite non viderem agi de auro Septentrionali, sed memorari in vulgata versione v. 24. *torrentes aureos* apud Septuaginta ὡς πέτρα χειμάῤῥου Σώφιρ, D nec non apud Belgas, *gout van ophir*. Sed tandem tamen cap. 37. v. 22. repperi locum, quem credo te ante oculos habere, *Ab aquilone aurum venit*; & pulchre quidem locum illum argumento tuo illustrando inservire facis, idque patiuntur leges panegyricorum; sed tamen mihi vix verisimile, latere thesauros immensos posse in ultimo Septentrione; & nosti, plerosque interpretes aliter longe hæc verba radiantia explicare, & eos, qui non putant sensum hic metaphoricum esse, decurrere ad Pannoniam, Bohemiam, Austriam, & interiorem Germaniam: quanquam mihi mirum videatur ad regiones ignotas, tam quoad si- E tum, quam quoad fructus & genium terræ, Eliu, Jobi amicum, posse respicere; & cum orientales per *aurum* designaverint omne, quidquid pulchrum & excellens, crediderim Boream laudari a serenitate, & puro splendidoque aere, quem ventus ille depulsis nubibus efficit; atque ita etiam hic locus inservire potest laudibus Aquilonis.

Pag. 214. Memoras *maximas in Septentrione aquilas, gryphos robustissimos, hominibus ac equis metuendos*. Doce me, quæso, quales aves sint gryphi; nam fabulosi plane sunt, quos pictos videmus in nummis, & qui nobis alati descri- F buntur a veteribus. Et cum multi eos putent *magnas aquilas* esse, & tu, vir eximie, *maximas* celebres, ego capere non possum, quales profecto *aves robustas & magnas* habeas ante oculos.

Atque hinc vides, me haud tralatitie perelegantes libellos tuos legere, illosque subinde mihi occasionem præbere de locis nonnullis disserendi, idque eam solum ob causam, quia omnium opti-

me dubia tollere, & ita auctores veteres, qua vales ingenii felicitate, illustrare potes, id quod te nunc etiam facere velle, summopere peto.

Clypeus, cujus ectypum Woodwardus mihi misit, ferreus est, nec dubito, quin idem sit, quem tecum communicavit diligens ille naturæ mysta. Video autem, me male eum *æreum* facere in proxima ab hac epistola; nec certe in eadem dixi, in clypeo illo *gruem* nobis exhiberi, sed me, præter ectypum ejus, etiam nactum esse ectypum Deæ, quam propter gruem comitem credo VIGILANTIAM esse; inspice quæso verba mea, & videbis, non aliter hanc rem sese habere posse.

Recte autem tarditatem meam accusas, & neglectam, qua Reipub. literariæ me obstrinxi, fidem; aliter factum, fateor, oportuit, & jam nonnullæ mearum lucubrationum debuissent adspicere lucem publicam, & in celebritate, si modo id merentur, versari. Sed tamen nunc id operam dabo sedulam, ut typis describantur, & spero procul a nobis fore, quod addis, *cum me mors oppresserit, credo*. Nam vel tua causa opus maturabo, uti cognoscere & emendare possis, quæ horis subcisivis, & minime perpetuis commentatus sum.

Nosti inter lucubrationes meas esse Historiam Gordianorum retractatam & auctam mirifice, meque etiam varias illi adjicere dissertationes, quibus multi illorum aliorumque temporum ritus illustrantur cum Historia. Una earum agit de nummis Gordianorum & Tranquillinæ, qui mihi videntur non satis accurate explicati esse; & ea occasione examinavi etiam illum Augustæ illius, quem pulchre explicasti, & in quo cerni existimas *Tranquillinam nudam*. Ut verum fatear, hoc mihi contrarium esse videtur pudicitiæ ejus, nec credo, unquam aliquam Augustarum ita pictam esse, nisi quando stulta superstitio easdem, ut *Veneres* repræsentavit. Multæ mihi rationes sunt, ut persuasissimum habeam, *Apollinem* in tuo illo pereleganti nummo cerni, quas tecum communicare equidem vellem, si huic desiderio meo & petitioni, qua es summa facilitate, annuere velis. Magliabequius non dixit ultimum valere rebus humanis, sed post gravissimum morbum in lucum, unde dejectus erat per illum, restitutus est, ita tamen, ut diu oculis laboraverit, & forte adhuc laboret; magna autem scenæ mutatio & conversio facta est, is qui antea in ædibus nonnisi libris plenis, & nulla alia fere supellectile exornatis degebat, nunc in aula Magni Ducis, & cubiculis splendide excultis vitam agit, senexque optimus carpento vel curru pensili Serenissimi Magni Principis in palatinas ædes accitus est, ibique agit vitam beatam, uti me certiorem fecit Fontaninus: qua occasione, in responso ad eum dato, facere non potui, quin celebrarem hanc in viros eruditos Principis juventutis propensum & prolixum animum.

Montfauconii Palæographiam Græcam ferunt jam typis descriptam esse, non secus ac Bandurii Antiquitates Constantinopolitanas exceptis nummis & aliis magno numero figuris. Joh. Clericus nobis dabit propediem post illustratos V. Mosis libros, commentarium suum in omnes reliquos Veteris Fœderis libros Historicos; & Josias Barnesius, edito Anacreonte clarus, totus est in illustrando Homero, uti ambo illi eruditionis excellentis viri, mihi commodum significarunt. Manibus ipse meis tractavi nummum æreum, cujus in una area eques longam tunicam indutus, pedes stapedibus fulciens, & humero dextro gerens clavam, quam nos vocamus *een Margensterne*, quod instrumentum bellicum proculdubio cognoscis, additur Inscriptio RVS COME, & post eum stat alia persona itidem tunicata ultra genua: in altera area picta est Maria Jesum brachiis tenens puerum, & sedens, cum hisce literis MTE∴ N... reliquis detritis. Quid hæc ænigmata sibi velint, juxta cum ignarissimis scio, quanquam τὸ RVS. suadere aliquo modo videatur, in *Russia* vel *Muscovia* eum signatum esse, nisi in ea parte Poloniæ hoc sit factum, quæ etiam *Russia* vel *Rus* dicitur. Intende, quæso, felicis ingenii tui nervos, & me ex difficultatibus eripe: nunc hisce fruere & vale, atque me, quod facis, amare perge. Vale.

Dav. 10. Aug. 1708.

P. S. Sidonium video Carmine 7. v. 8. vocare L. Scipionem *Asiagenem*, notatque Savaro, eam vocem dici simili compositione, qua Agrætio *Indigenes*, quæ quidem terminatione sibi similes sunt, sed *Indigenes* is dicitur, qui in loco natus est, at Scipio in Asia non fuit genitus. Sirmondo pariter, ac tibi, nummi, de quibus agimus, suspecti sunt; interrogatque Lecturos, *unde enim in nummo Romano & Græcum & insolens vocabulum?* quo eodem argumento me usum esse perspexisti; quin & idem vir doctissimus notat, se in libris Livii aliud hactenus Scipionis cognomen non invenisse, quam *Asiaticus*. Neque tamen dubitandum, quin Sidonius τὸ *Asiagenes* invenerit apud aliquem ex veteribus, vel *Asiagetes*, vel *Asiagenetes*, quomodo etiam scribere potuisse Sidonium putat Sirmondus; & certum est, Diodorum L. Scipionem appellavisse *Asiagenem*, quod cognomen Græci videntur illi dedisse, quia Latinorum *Asiaticus* etiam eum designet, qui in Asia natus est, qualis cæteroquin iis appellabatur Ἀσιανός, uti ex Strabone, & Stephano, nec non Cicerone patet; quomodo etiam Quintilian. *Asianos* vocat oratores, qui sequebantur genus dicendi Asiaticum, qualis Character Ἀσιανός dicitur Straboni, uti pridem notatum eruditis.

Sed cum Septentrionalium rerum peritus sis inprimis, doce me quæso, quando Moschoviæ nomen regioni, quam nunc incolunt, datum sit; nam *Moschi* laudati Melæ, Plinio, Lucano, aliis, & quos Cn. Pompejus scribitur debellasse ex Plutarcho, huc non pertinent; hic tamen tantum p. 637. memorat *Montem Moschium*, sed *Moschorum* non meminit, gentesque ad illum montem sitas Iberosque a Pompejo victas narrat. Nam *Moschi* illi fuerunt positi inter Caspium mare & Pontum Euxinum, unde an in *Moscoviam* penetraverint, & vastæ illi regioni nomen dederint, uti nonnulli statuunt, ego quidem incertum plane esse duco; cum & in eo Septentrionis tractu ejusdem nominis mons, fluvius, vel populus potuerit fuisse, quomodo & Moschus fluvius Ptolemæo memoratur in Mysia Superiore; quod etiam a variis sæculis obtinuit ille, cui Moscoviæ Metropolis imposita est.

Atque ita etiam doceri equidem summopere vellem a te, vir amplissime, quando primum *Russiæ* nomen innotuerit, si forte inde nummo, de quo egi, aliqua lux accendi posset: in eo clare legitur RVS, & Polonis *Russia nigra* appellatur *Charna Rusz*, ad differentiam *Albæ*, sive Moscoviæ; & cum nesciam, an Moscovitæ usi sint unquam literis Latinis, nescio quantopere mihi blandiatur

Russia Nigra, quia Poloni diu easdem adoptarunt. *Russos* memorat Mamertinus in panegyrico, sed nescio, an ausim eos mutare in *Russos*; & ita nomen illud satis vetustum foret.

Sed *Boreas* tuus iterum me vocat, quem Ovid. alicubi ita adloquitur,

At tu de rapidis immansuetissime ventis.

& qui ipse lib.6. Metam. sese describit,

Et freta concutio, nodosaque robora verto.

cujusque violentiam pulchre cecinit Virg. 3.Georg. ver. 196. Hic igitur *Boreas*, in arca Cypseli apud Pausan. lib. I. Eliacor. vel lib. v. fuit sculptus Orthyam rapiens, & habens loco pedum caudas anguium; οὐραὶ δὲ ἀντὶ ποδῶν εἰσὶν αὐτῷ, quod quare sit factum, mihi equidem latet, nisi ad damna, quæ sæpe vehemens nimis infert agris, arboribus, tectis, respiciatur.

Quæcunque tandem hujus picturæ causa sit, ego equidem optarem, ut Boreas hic flaret placidus & nubila depelleret, licet imbre nostro Africa, vel alia regio dives fieret; quomodo scis pulchre de ea docta loquendi ratione differere Gevartium, virum certe præstanti eruditione, in Electis. Nam media æstate, & sidere caniculari fere nisi nubes, & pluvias experimur, & anni tempestates videntur plane mutatæ atque conversæ esse. Boreas apud Ovid. sese effert hac laude:

Apta mihi vis est, qua tristia nubila pello.

Et si Deus per eum differre humida nostra vellet nubila, magnas, imo maximas profecto eidem gratias ageremus. Sed quo provehor? vides me libenter tecum confabulari; sed modus in rebus debet esse. Vale quapropter iterum.

Commodum ad me adferuntur *Vindiciæ Veterum Scriptorum contra J. Harduinum S. J. P. Additæ sunt viri eruditi Observationes Chronologicæ in Prolusionem & Historiam veteris Testamenti*, Roterod. 1708. La Crosius Sereniss. Regi Borussiæ a Bibliothecis auctor pulchræ istius est lucubrationis, qua destruit ingens ædificium penitus, quod Harduinus male sanis cogitationibus & ratiocinationibus super imposuit. Opusculum illud vir insigni eruditione & modestia mihi dedicavit, quo nomine multum me illi debere confiteor; & hic honor mihi in memoriam revocat alium, quem mihi itidem habuisti olim, quoque me (licet ab omni jactantia alienus sim plane) subinde efferre soleo, quia inter sæculi hujus eruditos primum locum occupas; cumque jucundum sit laudari a laudato viro, ego facere non possum, quin novas tibi gratias ea de benevolentia agam. Chronologicæ Epistolæ Auctor, Alphonsus Des-Vignoles Verbi Divini Minister Dorotheopoli. Vale tertium. 12. Augu. Da veniam lituris.

A

B

C

D

E

F

LXXI.

Nobilissimo, & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Gaudeo Te salvum & incolumem videre, Vir Consultissime, in literis Tuis, quas ad me dedisti XII. Aug. hujus anni. Ex quibus video, meas priores nondum tibi traditas esse, quas perferendas tradidi Ephoro Nobilissimi Domini de Knuth, Petro Cluverio, homini docto; miror illas neglectas fuisse Tibique nondum traditas. Difficile erit omnino earum exemplum Tibi mittere, quoniam soleo literas meas ad Viros doctos, & Tui similes, in chartulas conjicere tanquam in folia Sibyllæ, quæ nunc mihi disturbata jacent, propter migrationem, & mutationem domus, quam hoc anno facere coactus fui. Quamprimum illas repererо, exemplum Tibi mittam: deperditæ enim esse nequeunt, nam prolixiores sunt, & alicubi in schedis meis latitant, quas perquirere Tui causa, Vir Optime, non desino, licet tanti non sint, ut ad ultimas Tuas respondere propterea ulterius differre debuerim.

Quæ de L. Scipione Asiagene commentatus es, valde mihi placuerunt, quod meæ sententiæ ὑπερασπισταὶ sint, & quod Vaillantium monuisse scribas, talem nummum in Græcia alicubi, vel in Asia procusum esse, ubi degebat, & res gerebat L. Scipio. At quod Latinis literis illic locorum expressi sunt nummi isti cum ASIAG. non miror; Græcia tota & Asia maritima jam Romanis subacta, illorumque litteras illic frequentatas esse oportuit, inprimis in nummis, quos tunc libenter Latine loquentes accipiebant Græci & Asiatici; neque enim sine illis stipendia militibus solvi poterant, & milites tales denarios erogabant populis devictis, ut victum iis quærerent, quos recusare isti populi subacti non poterant, Romanis moribus jam adsuescentes post victorias illorum. Locus Livii, quem indigitabam, est l. 39. c. 44. ex editione Gronovii Amstelodami 1664 8. ubi exstat: *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus equus*, quibus verbis hanc notam addidit, *Legendum esse ex scriptis L. SCIPIONI ASIAGENI defendimus Observat. l. 4. 25.* Reliquæ omnes editiones præferunt L. SCIPIONI ASIATICO. Sed cur hoc uno loco ASIAGENI legendum sit in Livio, nondum video, quum Livius idem quamplurimis locis aliis eum *Asiaticum* constanter scripserit.

Vix enim credo, L.Scipionem eo tempore, quo equus ipsi ademptus, adhuc in ASIAM missum fuisse, aut res ibi gessisse: nec puto Livium ita a se ipso discessisse, ut omnibus aliis locis ipsum Asiaticum vocaverit, sed eo solo loco *Asiagenem* scripsisse, ita ut per πρόληψιν forte quandam eum Asiaticum illo loco vocasse, quod cognomen postea adquisivit in Asia.

Gratias ago Tibi maximas, quod Varronem mihi conciliaveris, & de ventis eum locutum, quod phrenetici filii Septentrionum sint, probaveris, sed non adeo phrenetici sunt isti venti, quin tales esse debeant, contra austros immanes, ipsis ingruentes, ut a se illos majore vi repellere possint: non ideo phrenetici vocandi, sed propugnatores suarum regionum, ne ab Austris pluviis mergantur, & Austrinis locis suum auxilium mittant, quibus

ſunt maxime πνιγώδεις hi venti, optantque incolæ Boreæ venti auxilia, quibus recreentur, quod memini me docuiſſe adeo, ut ſive de ventis, ſive de hominibus phrenetici illi filii apud Varronem intelligantur, injuria fiat Borealibus ventis, qui Eteſiis ſuis tantum beneficium cum Africanis & Æthiopicis communicant, ut contra æſtus illos auſtrinos ſubliſtere, ſpiritumque liberiorem ducere queant.

De tranſiliendis equis apud Germanos & alios populos, qui extra Romam & Græciam parum edocti erant de more deſultorum, tuæ plane ſententiæ ſum, illud tranſilire eſſe a feſſo in alium equum recentem tranſcendere; quod & hodie obſervant militares Viri, qui dextrarios ſecum eo fine in aciem & prœlia ducere ſolent, ut tranſcendere & tranſilire poſſint in alios, cum opus eſt.

At quod aurum tantum ex Septentrione ultimo videaris negare provenire, legas Paracelſum, legas itineraria Septentrionalia, quæ hoc affirmant, tantum auri in Septentrione latere, quantum haud alibi. Vix enim metallum aliquod illic locorum ſine auro gignitur, aut effoditur, quod hoc anno, dum hæc ſcribo, Italus quidam Grimaldinus docuit; qui ex mineris æris Norvegici tantum auri via ſeparationis, ut vocant, eduxit, ut his motus Auguſtiſſ. Rex noſter eum Præfectum minerarum & metallorum ſupremum in Norvegia conſtituerit. Incredibiles ſane ſunt auri theſauri in Septentrionalibus, modo ſufficerent metallarii illis quærendis & effodiendis & exercendis. Ex argento hactenus aurum habuimus præſtantiſſimum magna copia, ex quo quoque Ducatos Hungaricis pares procudimus, quod ille nummus confirmat, cujus mentionem injeci. Ex ære nunc quoque aurum diſcimus extrahere magno cum fructu. In Auri mineras puras nondum incidimus: non quod non ſint, ſed quod mineris aliis multiplicibus metallarii ſint intenti & occupati, nec ſufficiant aliis quærendis. In Itinerariis memini me legiſſe Forbiſſerum incidiſſe in ultimo Septentrione noſtro in montem aureum, ex quo 22. tonnas impleverit, & ſecum abduxerit; qui mons licet obvius fuerit, ab incolis tamen neglectus jacuit & jacebit, quod mineras illi tractare neſciant, nec curent, quod auro non indigeant in ſuis permutationibus & commerciis: adeo ut Jobi verba, Ex aquilone aurum provenire, ſimpliciter ſint intelligenda, & experientia hodierna magis magiſque vera eſſe probentur.

De Gryphibus præterea, Vir Excellentiſſime, dubitas, an ullibi ſint aut fuerint. Noli dubitare; ſunt nobis in Septentrione ultimo tales aves diſtinctæ & magnitudine, & pennis verſicoloribus ab aquilis, quæ ſubfuſci coloris in Septentrione noſtro capiuntur, magno ſatis corpore, quarum una ad huc alitur in aula Auguſtiſſ. Regis noſtri viva. Et quamvis raro capiantur Gryphes, tamen veteres Græci, qui illos ex Septentrione habuerunt, non alio nomine quam Septentrionali γρύπας appellarunt, & finxerunt Apollinem ſuum redeuntem ex Septentrione gryphibus currum ſuum junxiſſe; Eſt enim plane Septentrionalis linguæ nomen *Gryphes* Danis; nam *Griffn* a *Gribn*, quod eſt unguibus capere & tenere, quod faciunt gryphes iſti, ut aquilæ, ut accipitres, & aliæ aves rapaces, niſi quod gryphes majori robore polleant & capiant, quam aquilæ & accipitres. Quin & Belgica vox *grypen* ab illis avibus deſcendit, & Saxonica inferior, quæ *gripnu* inde retinuit, ut & Germanica ſuperior, quæ hanc avem *ein Greiff* vocat; & *Greiffen* tali modo apprehendere, ut ſolent illæ aves robuſtiſſimæ, hominibus & equis metuendæ, idcirco non faciles captu. Tota tibi antiquitas contradicit, illas aves non fabuloſum quid eſſe, ſed revera extitiſſe & exiſtere, quum illis plenæ ſint antiquorum hiſtoriæ, omneſque ex Septentrione illas producant. Non ego quidem gryphes unquam vidi; ſed & Septentrionalium hiſtoriæ illas ſæpius & ſæpiſſime adducunt, ut fruſtra illud nomen eſſe nequeat, aut fictum. Unde etiam qui aves deſcripſerunt, non omiſerunt Gryphes illas annotare, Geſnerus, Aldrovandus, Jonſtonus, & alii plurimi. At quod in nummis non ſua magnitudine repræſententur, aut robore, aut colore, quod fieri non potuit in nummis, illud tamen non obſtat, quo minus eas eſſe & fuiſſe ſentiant.

Bene & optime facis, Vir Magne & Maxime, quod lucubrationes Tuas publico non amplius invidere velis, & quidem mei cauſa, qui ſilicernium nunc eſſe cœpi; agnoſco amorem, quo me proſequeris, non vulgarem. Deus Tibi largiatur, ut poſſis commode, nihil enim mihi gratius accidere poteſt, quam tua legere, ad quæ nunquam accedo, quin inde doctior diſcedam: ſunt enim plena eruditionis omnis Tua. Et ſi imperrare a Te poſſem, Vir Optime, ut Catalogo quodam deſignare mihi velles, quæ hactenus abs Te edita ſunt, gratiſſimam mihi rem faceres, & curarem, ut omnia Tua Bibliotheca mea cum oſculis & gaudiis tanquam κειμήλια veneraretur, quamvis raro ad nos talia perferantur.

In nummo Tranquillinæ meo, non Apollinem, ſed fœminam vides ad citharam ſtare, nudam ut Venerem ipſam, qua dotes formæ Tranquillinæ, & ob citharæ divinos cantus, illam ut Deam & Venerem ipſam colendam præfigurare voluerunt nummi inventores & ſculptores. Nec Te plane ab illa ſententia alienum eſſe Tua verba teſtantur. Si minus figura nummi fœminam repræſentat, originale illud, quod habeo, Te ſatis docere poterit, fœminam ludere cithara, non Apollinem; nam & capitis ornatus fœmineus eſt, & membrorum compages tenerrima illud demonſtrant.

Jam quod quæris de Moſcovitis & Ruſſis, memini me Tibi, Vir eruditiſſime, in prioribus meis declaraſſe, Ruſſos primum in Aſia habitaſſe, non procul a Moſchis, illis Aſiæ populis, atque ΡΩΣ Cedreno vocatos eſſe. Sed cum conjuncti Græcis Imperatoribus Religionem Græcam ſuſciperent, in Bulgariam primo ſemet infuderunt, ubi diverſati imperium ulterius verſus Septentrionem, ubi nunc habitant, extenderunt, & Livoniam Lithuaniamq; uſque ad Poloniæ limites occuparunt, unde Ruſſia Alba & Nigra exortæ ſunt. *Charna* enim Polonis nigrum ſignificat, ut *charna Bock niger Deus* ipſis eſt. An Moſchos Aſiaticos ſecum comites habuerint in ſuis migrationibus, ut videtur, non equidem negem, nec ſatis affirmem, quum illorum monumenta ſint obſcura; ego tamen fluvium Moſchum, ad quem hodie Moſchua civitas principalis Ruſſorum ſita eſt, a Moſchis in Aſia Ruſſos concomitantibus, nomen accepiſſe non dubitem aſſerere, eoſque Moſchos illic ſedes poſuiſſe primas, unde hodie Moſcovitæ dicuntur omnes Ruſſi: nam in Septentrionalibus hiſtoriis noſtris illud nomen fluvii, aut gentis Moſchorum non reperitur, ſed ab ipſis Ruſſis & Moſchis, illorum ſociis, hoc nomen fluvio & civitati datum eſſe ſequitur, idque poſt annum Chriſti 1200. quando Ruſſi, & Moſchi has oras uſque ad mare Balthicum occuparunt, & Poloniæ quoque partem ſibi ſubjecerunt, adeo ut in hunc uſque diem Poloni univerſales ſuos conventus, non aliter, quam *Poſpolite Ruſſenie*, nominent, quando omnes Nobiles totius Poloniæ conveniunt: de quibus Herberſteinius, & Matthæi Prætorii Orbis Gothicus

consulendi sunt, aliique Polonici Scriptores, quos nunc non vacat evolvere, & particulas illas excerpere, quæ ad Russos & Moschos pertinent.

Quod Tu autem, Vir Politiss. apud Mamertinum legere voluisti *Russos* pro *Ruffos*, in tuam plane sententiam condescendo, ita legendum esse: sunt enim Russi satis antiquus populus apud Scythas, nunc Tartaros, progenitus, & in Asiam ac Europam hoc suo nomine diffusus, nomenque Asiaticum adhuc retinens, & ad Pontum Euxinum ac Caspium fines suos hodienum extendens.

Cæterum multo plura mereris, Vir Magne & Illustris, quam meam pauperculam dedicationem, si scire posses, quantum Te amem & æstimem, ob studia Tua eruditionis omnigenæ semper plena, non dedicatio una vel plures Tuis præconiis sufficerent.

Jam quod quæram abs Te, Oraculo meo plusquam Pythio, superest de Alexandri M. nummis, quos Goltzius in suaGræcia nobis expressit,& num ad Alexandrum M.ejusq;tempora referantur,valde enim mihi suspecti sunt ob Νεωκόρυς Macedones, qui in illis reperiuntur, Civitates enim Νεωκόρυς, ad illam ætatem minime pertinere posse judico, quas ultra Imperatores Romanos vix initium accepisse hactenus credo; nisi Tu quid dissentias, docte Trebati.

Nihil etiam me monuisti de Adriani Relandi & Joh. Bapt. Ottii Dissertationibus de nummis Samaritanis, ubi meam de Judæorum nummis sententiam, nunquam illos nummos procudisse, aut procudere voluisse, ex Samaritanis illis impugnare voluerunt. Legi illorum dissertationes & perlegi hisce diebus monitus ab aliis; & sciant, multa mihi esse, quibus sententiam meam tueri possem, sed nolo doctissimis illis Viris, me sane doctioribus in Orientalibus linguis, adversari. Ad nos jam quoque nunciatum est, Jacobum Gronovium, Virum eruditum & Magnum Magni Parentis filium, in agone jacere, aut jam subito decessisse: doleo tantos Viros nobis eripi in flore ætatis, meque superesse debere his jacturis. Tu vero vale diutissime, Vir illustris, meque semper ama, qui somni fratrem in dies expecto, ad hospitium nunquam rediturus, quod muto & relinquo. Iterum iterumque salve & Vale. Dabam Hafniæ a. d. 27. Octob Anni CIↃIↃCCVIII.

Si Tuas ad me rectius curare velis, inscribas illas sub involucro ad Dn. Goes Legatum Residentem Ordinum Hollandiæ in hac aula, qui Tuas & meas se curaturum promisit.

LXXII.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

IN manus meas pervenerunt literæ, quas ad me Hafnia dedisti septimo & vigesimo Octobris proximi die; & quo minus iis citius respondere potuerim, fecit Conventus Ordinum hujus regionis, habitus mense Novembri, & inde alia suppullulantia negotia.

Multum autem tibi debeo, quod tam accurate quæstiunculis & dubiis meis responderis, & lætor earum nonnulla tibi non displicuisse. Mirum profecto est, Livium loco a te mihi suppeditato vocare Scipionem *Asiagenem*, & aliis omnibus *Asiaticum*, idque per prolepsin, quæ omnino tecum admittenda est. Sed tamen Gronovius lib. 4. observ. testatur, in optimis mss. ita ibi legi, sive scripturas eo alludere corruptas parumper, & multis iisque eruditis hanc lectionem defendit, illiusque judicium sequitur Ill. Spanhemius p. 526. Differtat. edit. Amstel. cumque ille nummos, in quibus ASIAG. vel ASIAGENES scribitur, judicet genuinos esse, ego malo viro tanto accedere, quam diutius hæsitare, vel ea in re disputare; & Gronovius, uti dixi, mirifice hanc defendit scripturam in Observationum libro IV. qui editus est Daventriæ a. 1652. 12. unde & illum ut singulare munus a me accepit Abbas Passioneus, insigni eruditione, & comitate præditus, quem summo meo cum gaudio per decem dies mense Decembr. ædibus meis excepi, cum mei visendi causa hanc in urbem sese contulerit. Quod si tibi narrare occiperem, quam erudite, & quam pulchre dies eos transmiserimus, mirareris profecto, unde tam exquisita doctrina ad octo, & viginti annorum Juvenem, & quidem Illustrem, opibusque Romæ abundantem, pervenerit. Te cum Varrone in gratiam rediisse, & probare expositionem phraseos *transilire equos*, summopere lætor; inde incidi in alium auctorem, qui non aliter loquebatur, & mirifice opinionem nostram confirmabat; sed numeros memini, verba non teneo.

Concedo tibi, in ultimo Septentrione, Norvegia, & finitimis regionibus auri metalla inveniri, sed mihi persuadebitur difficulter, Jobum eo respexisse, cum totus ille tractus proculdubio viro pio fuerit ignotus, unde nec Germaniam, vel Pannoniam &c. admittere possum, quas advocant præstantes eruditione Viri.

Atque ita quidem agendum hac in re esse existimo, ut primo videamus, quæ regiones auriferæ versus Septentrionem Arabiæ sint, & quos tractus designare S. Scriptura soleat per Septentrionem. Non puto me erraturum, si existimem, Colchida & vicinas regiones posse huc pertinere; notus satis superque Phasis Auriferus, & inde absque dubio nata historia aurei velleris; nec a ratione alienum, istius regionis mercatores negotiatos esse per Syriam, Arabiam, vicinasque regiones. Deinde S.S. per *Septentrionem* animadverti denotare Babylonem, regnumque totum, quod illius Regi parebat, cujus magna pars versus Septentrionem fuit remota, & mare Caspium, uti patet ex Ezech. 46. 10. & 24. 26. 17. & ita Persæ attribuuntur Septentrioni respectu Babyloniæ Jerem. 53. & 9. Jam ne dubitandum quidem est, quin in illis terrarum tractibus fuerint aurifodinæ; quam in rem si quis evolvere, vel scrutari vellet auctores veteres, non dubito quin illas, & forte etiam fluvios auriferos inveniret.

Gryphes, id est magnas aves facile admitto, & nomen ipsum Scythicum Germanicumve esse concedo itidem; sed volo meras aves, non talia monstra, qualia sibi finxit credula antiquitas; nempe rostris crassis, alis, & posteriore corporis parte leones referentia, quomodo pinguntur in nummis & veteris ævi aliis monumentis.

Edidi, quia & hæc te cura sollicitat, tres libros observationum, & inde aliis typis quartum; Harpocratem, Apotheosin Homeri, Notasque in Lactantium de Mortibus Persecutorum; & credo me hoc ipso anno alios nonnullos publicaturum, ut tandem tibi aliisque satis faciam amicis, qui illud a me convitio quasi efflagitant. Libri autem editi omnes alteram fere partem auctiores sunt, & notæ illæ facile in ordinem redigi, & typis describi possent; sed typographi bellum & exemplaria nondum distracta omnia causantur.

De Tranquillina nihil muto, & persuasus sum

Apollinem loco illius nobis repræsentari, quia mihi parum pudicum videtur, & a Majestate Imperii alienum, Augustam castam & prudentis optimique Misithei filiam ita exhibere, nec puto aliquem ex Gordiano Pio facturum Candaulem. Sed nolo hac super re tecum, vir Illustris, ferram reciprocare, quanquam mihi rationes complures sint, ut id sentiam, & ut loca nonnulla aliter explicem, quam factum est. Quæ de Moscovitis, & Russis mones, perplacent, & lætor summopere ultimos reddendos esse Mamertino etiam ex tua sententia.

Alexandri Magni numismata varia sub Imperatoribus Romanis φιλαλεξάνδροις signata sunt, quales fuerunt Caracalla, & Alexander Severus; & recte eo refers illa, quibus inscripti sunt Νεώκοροι, quia is mos non videtur antea obtinuisse; quanquam ex Apostolorum Actis pateat, quodam modo urbes a diis magna religione, & sumptuosis templis cultis in iisdem, sese ita appellasse; & inde hanc adulationem ad Imperatores defluxisse.

Et certe nummos Alexandri Magni sub iisdem percussos esse, patet satis superque ex picturis, quæ tam illis, quam hisce insculptæ sunt; id quod nos docent Regis illius, & Imperatoris Caracallæ, apud Patin. pag. 12. & 306. quam in rem etiam videri potest illustris Spanhemius pag. 382. Dissertat. edit. ult. nec non in epistolis ad Morellum.

Gronovius diem non obiit extremum, sed vivit valetque. Dicitur manus admovisse novæ editioni Minutii Felicis, accensus a Davisio Britanno, qui haud illepide auctorem eundem vulgavit anno proxime elapso.

Relandus parat novam editionem Dissertat. Miscellanearum, & Nummorum, quos vulgavit, Samaritanorum, nec non dissertationem de Nummis Hebræorum, qui ex Gallia ad eum sunt missi.

Scis proculdubio, doctissimum la Crozium Regi Borussiæ a Bibliothecis dejecisse plane Systema Harduini, edita dissertatione, qua veteres auctores vindicantur, quamque mihi dedicavit; sed hoc antea significavi, & oblivioni veniam da.

Egimus ante binos, vel tres annos de *Serpentibus militibus*; tu illos fuisse adfirmabas, ego negabam, nec muto sententiam, licet Spartianus ita loquatur cap. 6. Carac. *Dehinc per Cadusios fines, & Babylonios ingressus, tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit*, FERIS *etiam* BESTIIS *in hostes* IMMISSIS. Nam quamvis eo nomine *serpentes* venire possint, tamen ego puto, designari leones, pantheras, ursos similiaque animalia, quæ Romæ in noxios immitti solebant, & quales forte secum habuit monstrum illud Imperatoris, ad edendos in ipsis castris, vel in urbibus, quas transibat, ludos sive spectacula. Vale summopere, & rem Literariam feliciter gere & promove.

Davent. ipsis Nonis Febr. 1709.

LXXIII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

LÆtatus fui summopere, literas Tuas ad me salvas pervenisse, quas Nonis Februarii hujus anni ad me perscripsisti. Nam filius ipse Dni. de Goes eas ad me apportavit, ut non dubitem, hac via securius literas nostras in posterum commeaturas.

Quæ vero de L. Scipione Asiagene mones, jam legi, & in literis meis deperditis ad Te me memini adduxisse, ita ut sententia maneat, Nummos illos cum ASIAG. non Romæ, aut in Latio procusos esse, sed alicubi in Græcia Asiatica, vel Europæa, & Græca lingua illum Ασιαγενῆ vocatum esse, qui Latinis semper est ASIATICVS. Unde Livium male correctum puto unico illo loco, quem indicavi, cum in quamplurimis exemplaribus etiam illo loco ASIATICVS legatur; licet unum, vel alerum MStum. Asiagenem forte præferant Græcanico more. Sed non invenio rationem ullam hujus vocis Ασιαγενῆς a Græcis ipsi contributæ; & adhuc hæreo, cur illum Græci sic vocare voluerint, qui non fuit natus in Asia, quod illud nomen omnino significat: nam propter res gestas in Asia L. Scipio Ασιαγενῆς dici non potuit. Voluit quidem Gronovius in Observat. causas reddere, sed mihi non satis facit. Maneat itaque Eruditis sua sententia, ipsum Ασιαγενῆ dictum esse, sed Græcis, non Romanis: nec audiatur Ant. Augustinus, qui ASIAGETES legi voluit; nec Fulvius Ursinus, qui ASIA. G. divisit, & ASIAT. G. N. F. esse legendum in Nummis credidit.

De transiliendis equis nulla nobis amplius controversia. De auro ex Septentrione vera quidem sunt, quæ affers, Eruditissime Virorum, omnes illas regiones auriferas intelligi, quæ Judææ ad Septentriones fuerunt, sed ita, ut Septentrio noster non excludatur. Nam & illæ regiones ad Septentrionem maxime sitæ sunt Judææ & Arabiæ, ita ut illas auro fœcundas nostro tempore dicere liceat. Quis enim adhuc illas satis rimatus est? dicit Tacitus de Germania. Indicia quidem nobis sunt insignia, aurum in Septentrione nostro fœcundari; sed nondum in horrea ista incidimus, quæ plena messe aurum nobis offerant.

Tempori & posteris hæc relinquuntur excutienda, cum Deo placuerit. Nam si cum ære & argento illic aurum est conjunctum non parva copia, ut tempora nostra docent, cur venas auri puri illic quoq; reperiri posse desperemus? Adduxi exempla, etiam in ultimo Septentrione Gronlandiæ hæc auri metalla fuisse effossa: latent adhuc; aperientur proculdubio, si non nobis, at posteris. Quænam loca intellexerit Jobus, non adeo laboramus, an vicina Judææ, an ulteriora; locutus est de toto Septentrione: *Ex Septentrione aurum*, quod tam de nostra, quam de aliis Septentrionis partibus intelligi potest & debet. Et Septentrionis nostri partibus, secundum illud effatum, aurum nunquam deerit, sed horreis plenis & messibus aliquando protuberabit, si industria nostra accedere poterit. At quod de Phaii aurifera scribis, fateor me nusquam legisse, Phasidos amnem isto metallo clarum fuisse. Cholchidem quidem cum Phasi conjunctam auro pullulasse conjecturare possumus ob aureum vellus inde

inde adductum, sed Phasidem aurum undis suis lavasse, nondum mihi occurrit, ideoque me doceri peto.

De Gryphibus avibus illis magnis & noxiis adhuc dubitas an fuerint; licet non fuerint illa figura, qua in nummis effinguntur posteriori parte leones referentes, fuerunt tamen, & sunt adhuc in Septentrione nostro, & aliis partibus Septentrionalibus, veramque illorum effigiem nobis dedit Philostratus in vita Apollonii Thyanæi pag. m. 152. edit. Parisin. cum versione Morelli, quæ licet sit mendosissima, typis tamen elegantissimis excusa prodiit. Ibi Brachmanes magicis artibus inquinatissimi, & omnia Indica scientes, Apollonium docent, ubi illæ aves versentur in India, qua corporis compage sint, & forma: quibus ignorantiæ culpam adscribere non possumus, utpote magis omnia callentibus. Quin & in Æthiopia illas reperiri idem Philostratus memorat p. m. 258. Si Stymphalides aves adducere liberet, quas Hercules ex Arcadia profligavit, & in insula Martis Ponti Euxini ab Argonautis sunt repertæ, atque pariter pulsæ; si Harpyias Phinei, & quæ sunt aliæ veteribus cum stupore memoratæ, nihil nisi Gryphes fuisse intelligere debemus, aut possumus, fabulis licet involutas, quas etiam Apollonius Rhodius σιδηροπτέρυς in Argonauticis vocavit, quod in alis suis magnam lædendi vim possederint; quæ sane indicant, tales aves monstrosæ magnitudinis semper fuisse, & non nisi ad Gryphes pertinere, antiquis & hodiernis raro quidem visas, ut pote quas nemo optat sibi occurrere, sed propterea inter non Entia ponendæ minime fuerint.

Quod in Tranquillinæ nummo Apollinem velis repræsentari, facile patior hoc Tibi videri, quoniam nec habitum, nec gestus fœmineos agnoscere dignaris, qui illam satis distinguunt ab Apolline. Neque enim ullibi Apollinem talem invenies, credo.

Quod edita Tua, Vir summe, mihi petenti recensere volueris, gratias ago; oblitus es Gordianos Tuos addere, quos dono Tuo, possideo; sed & liber quartus Observationum mihi deest, ut & Harpocrates, & Apotheosis Homeri, & Lactantius de Mortibus Persecutorum. Utinam otium Tibi detur, tam felix, tam pingue, ut reliqua Tua, quæ semper, ut eruditissima suspicio, elaborare possis, & cum orbe Erudito communicare, quam beatos nos faceres, & doctiores! Gaudeo quoque Gronovium adhuc vivere, Virum eruditionis non vulgaris, modo calamum non aceto nimio tingeret contra alios doctos. Relandi dissertationes recusas iri scribis, ut & dissertationem de nummis Hebræorum prodituram. Nihil puto aget, Samaritanos vocando nummos, qui a Samaritanis nunquam profecti sunt. Alia sane mihi est sententia de Samaritano codice, & literis, quas Samaritanas vocant, illarumque ætate, quam quæ doctis hactenus placuit. Sed hæc inter nos. Nec ad forum meum illæ pertinent, qui satis habeo negotii in Septentrionalibus illustrandis.

Gaudeo quoque, quod meam sententiam de nummis Alexandri M. tam illustri Tuo testimonio approbaveris.

Tandem redis ad serpentes in aciem quondam productos, quod affirmavi, & affirmo, Te licet negante, & Livii locis apertis contradicente. Decreveram equidem nihil his respondere, quoniam tam severe Livio oblocutus es, Vir illustris & Doctissime, in Tui tamen gratiam adhuc certamen illud Tecum inibo. Nescio sane quid Te moveat; ursos, pantheras admittis immissos; canes etiam in acie steterunt contra hostes, & faces eo pertinent, & laquei quibus hostes circumretire, & capere consueverant, ut Aeetes Colchorum Rex Iphin Argonautam apud Apollonium Rhodium lib. 4. & ejus Scholiasten legere poteris, nullam causam video, cur serpentibus solis inter rabida, & noxia animalia illas pugnas deneges. Fustibus, & saxis bella antiquis gesta novimus, arma quamdiu defuerunt alia, cur non serpentibus nocere hostibus etiam studuissent? Quid putas Cadmi fabulam indicare, qui Draconem productum in aciem cum militibus suis interemit, ejusque dentium dimidiam partem donatam accepit a Marte, dimidiam alteram Aeetæ Regi Colchorum dono missam? quos dentes seminatos jussu Martis Viros armatos produxisse legimus, qui in seipsos arma vertentes consumti sint, præter quinque, quos in civitatem Thebanam Cadmus recepit. Num quid aliud, mea quidem sententia, inde colliges, quam, antequam arma sint inventa, etiam dracones, & serpentes in aciem contra hostes productos esse? Fabulas has esse meras respondebis: concedo, sunt fabulæ; ita tamen, ut res & nomina ficta non sint. Cadmum fuisse non negabis; serpentes fuisse, & cum iis pugnatum esse, ita ut catapultas etiam contra eos producere necesse habuerint, quis, quæso, negabit? Fabulæ sane sic sunt comparatæ, ut res & nomina vulgatissima, & omnibus notissima, veteres fabulis vestiverint, & ex veris rebus ac nominibus petitæ sint fabulæ omnes. Valeant fabulæ, discernantur a veris rebus, & nominibus, quid remanet veri, nisi serpentibus etiam pugnasse veteres contra suos hostes? Num frustra Medusæ caput anguibus armatum fuisse fingitur? Num Erinnyes, & Furiæ loco capillorum, anguibus frustra dici debent, aut possunt circumdatæ fuisse? Non puto. Quamvis enim hæc figmenta sint Poetica, petita tamen sunt omnino ex moribus veterum, qui quum ad bella pergerent gladiis nondum inventis, & reliquis armis, clavis, & fustibus, & lapidibus ac saxis hostes opprimebant, quin & serpentibus sibi familiaribus redditis, & omnibus, quæ natura furorque subministrabant, in hostem grassabantur: furor enim quoties non arma subministravit, & ministrat? Sic etiam Hecate Dea anguibus caput coronatum habuit, apud Apollonium Rhodium l. 3. Argonauticor. v. 1213. *πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες*, & statim etiam canes ipsi adjunguntur subterranei *ἀμφὶ δὲ τήν γε ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο*, quæ omnia huic Deæ tribuuntur contra hostes suos, qui incidere possent. Quod etiam Sophocles ante dixerat de Hecate, ut est ibidem in Scholiaste Apollonii. Hinc Lucretius l. 5.

Arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt,
Et lapides, & item Sylvarum fragmina rami,

Potuisset addere serpentes, nam & illæ tunc pro armis erant. Sed quod rarius adhiberentur, nec ita frequenter, ut cœtera, omisit, 963. Sed nolo omnia ista arma veterum in medium adducere, sufficit de serpentibus dicere, quod illæ quoque hostibus opponerentur, a bellantibus. Severi Imp. tempore cum bellum ipsi esset cum Atrenis populis prope Armeniam barbaris, & eorum Regem Barsenium, scribit Herodianus lib. 3. pag. mihi 150. edit. Boeclerianæ 8. eos se defendisse venenatis quibusdam bestiolis immissis in milites Romanos obsidentes: *σκεύη*, inquit, *κεράμου πεποιημένα πληροῦντες πτηνῶν μικρῶν μὲν, ἰοβόλων δὲ θηρίων ἐπέβαλλον αὐτοῖς. τὰ δὲ ἐμπίπτοντα ταῖς ὄψεσι καὶ εἴ τι τοῦ παραγεγυμνωμένου τοῦ σώματος λανθάνοντα καὶ παρεισιόντα τιτρώσκοντά τε αὐτοὺς ἐλυμαίνετο.*

Quis dubitare potest etiam aspides venenatos his vasis reconditos jacuisse, ut hostibus nocerent? Nam si venenata quævis inter volucria conquisiverant, cur non obvios magis in illis terris serpentes, & colubros etiam immisissent? De Marsis in Italia ἀσπιδοθήραις & ὀφιδιώκταις Philoxeno dictis, legere potes Gellium lib. 16. cap. XI. unde Pomponius in Pistoribus fœminas Marsas serpentes incantasse prodidit: *Mirum ni hæc Marsa sit, in colubros callet canticulam*. Has venationes, & capturas serpentum intelligis facile non eo fine a Marsis institutas, ut incantationibus illos rumperent, aut somnos inducerent, quod faciebant illi, qui serpentes fugare, aut ne se præpedirent, quiescere tantisper vellent; sed ut in bellum contra hostes educti, incantati rabiem suam in hostes efficacius exercerent. Sed & illas serpentes bestias assuefieri posse & cicurari apud homines sine magicis artibus, aut incantationibus docet exemplum Ajacis Locrensis, de quo Protesilaus narrabat apud Philostratum in Heroicis p. m. 680. εἶναι αὐτῷ καὶ χειροήθη δράκοντα πεντάπηχυν τὸ μῆκος, ὃν συμπίνειν τε καὶ ξυνεῖναι τῷ Αἴαντι καὶ ὁδῶν ἡγεῖσθαι καὶ ξυνομαρτεῖν οἷον κύνα.

Num etiam cum & pro Ajace pugnasse hunc draconem in tot ipsius prœliis negare quis velit? Afferam aliud exemplum domesticum Parentis mei p. m. qui dum in Italia non paucis annis versatus fuit, viperam secum in cubiculo suo educavit & nutrivit, ex ipsius manu cibos, & aquam lubentissime accepit, colla & sinum perreptabat, sed majoris securitatis causa illam exarmabat dentibus, quibus lædere posset, linteo quodam in fauces viperæ misso, quo retracto cum impetu, dentes sequebantur isti linteo infixi, quod, quoties repullulassent dentes, repetebat. Tandem apud ipsum mortem oppetiit, & exenteratam illam adhuc post ipsum in museo meo rariorum sic servari credo. Hæc non affero, quasi cum illis bestiis pugnatum sit contra hostes, sed ut videas, illas mansuefieri posse, & versari cum hominibus, illisque libenter servire, etiam pugnis se offerendo cum opus erat. Audi vero etiam Lucianum in libello: πῶς δεῖ ἱστορίαν γράφειν p. m. 685. Μέμνημαι γὰρ ὦτα ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα γράφοντί μοι ἃ εἶδεν οὐχ ἃ ἤκουσε καὶ ὅπως ἀκριβῶς ἅπαντα ἑωράκει, ὥστε τοὺς δράκοντας ἔφη τῶν Παρθυαίων, σημεῖον δὲ πλήθους τοῦτο αὐτοῖς, χιλίους γὰρ οἶμαι ὁ δράκων ἄγει ζῶντας δράκοντας παμμεγέθεις εἶναι γεννωμένους ἐν τῇ Περσίδι μικρὸν ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν. τούτους δὲ τέως μὲν ἐπὶ κοντῶν μεγάλων ἐκδεδεμένους ὑψηλοὺς αἰωρεῖσθαι καὶ πόρρωθεν ἐλαυνόντων δέος ἐμποιεῖν. ἐν αὐτῷ δὲ τῷ ἔργῳ, ἐπειδὰν ὁμοῦ ἴωσι, λύσαντες αὐτοὺς, ἐπαφιᾶσι τοῖς πολεμίοις, ἀμέλει πολλοὺς τῶν ἡμετέρων οὕτω καταποθῆναι καὶ ἄλλους περιπειραθέντων αὐτοῖς ἀποπνιγῆναι καὶ συγκλασθῆναι. Ταῦτα δὲ ἑστὼς ὁρᾶν αὐτὸς, ἐν ἀσφαλεῖ μέν τοι ἀπὸ δένδρου ὑψηλοῦ ποιούμενος τὴν σκοπήν. Illa quidem Luciano non falso narrata puto, & veri illud continere, qua ratione a vivis draconibus Scythæ tandem ad textiles illos in acie pervenerint. Prima enim ætas serpentes & dracones in aciem contra hostes eduxisse non semel legitur vivos. Et cum illud non semper succederet, nec vivi tanto numero haberi possent, tandem ad texta illa artificia draconum delapsi sunt, quibus terrorem incuterent contra se pugnantibus. Quæ sane melius credi posse mihi persuadeo, quam Isidori originem, quam ad Apollinem Pythium draconem interimentem refert, l. 17. *Draconis*, inquit, *signa ab ipso Apolline morte draconis incboata, debinc a Græcis, & Romanis in bello gestari cœperunt*. Et recte Lipsius hæc carpit, dicens Græcos nunquam dracones inter signa sua habuisse, nullumque Scriptorem hoc commemorasse. De Romanis vero constat, iis dracones in exercitu gestatos in usu fuisse, sed quos non ab Apolline Pythio, sed a Dacis, ut sentit Lipsius, post Trajanum, vel ut alii, a Persis adhibere didicerunt. Nolo adducere, quæ S. Scriptura passim alludit ad illos dracones, inimicos & hostiles, ab Eva incipiendo, quæ a dracone & serpente victa, malum nobis omne attulit, nec bellum cum dracone Michaelis Angeli Apoc. 12. quæ satis ostendunt bella cum draconibus olim gesta, & ad cœlestia applicata cum aliis, quæ passim in S. Scriptura occurrunt. Sed Tu, Vir Magne, in his antiquitatibus nimis es scepticus; ac decet nonnunquam esse, sed ita ne σκάμματα ὑπερπηδᾶν arguamur, aut antiquitatem ipsam cum suis radicibus evellamus. Vale itaq; Vir illustris & Magnifice, & me Tui cultorem observantissimum esse credito, licet Epistolæ modum in his excedere Tui causa coactus fuerim. Salve & Vale diutissime.

Dabam Hafniæ a.d. VII. Aprilis Anni CIƆIƆCCIX.

LXXIV.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Epistola, quam ad me plenam humanitatis, amoris, & doctrinæ præclaræ misisti VII. Apr. proximi elapsi singulari me itidem lætitia affecit, quia videbam ultimam meam recte curatam esse, & me nonnulla fuisse eadem comprehensa, quæ tibi placuerunt. Quæ de Scipionis cognomine differis, optime sese habent, & tecum omnino persuasus sum, Græcos *Asiaticum* Romanorum expressisse per *Asiagenem*, quamcunque tandem rationem habuerint illud nomen ita vertendi, cum proprie *in Asia natus* dici non possit Scipio.

Quod attinet ad regiones auriferas Septentrionis, credo facile in illo tractu metalla talia olim fuisse, & nunc etiam esse, sed nec dum persuaderi possum Jobo cognitum fuisse Septentrionem nostrum, & inde credo non potuisse eum habere ante oculos, cum dicit: *Ex Septentrione aurum*; ne jam dicam, alios eruditione præstantes viros locutionem eam aliter interpretari.

Fluvios Colchidis auri feraces fuisse olim, docet nos præclare Strabo p. 499. inter quos Phasin etiam numerari debere persuasus sum omnino; & inde putabam Lucano Phasin lib. 3. v. 271. appellari *ditissimam*, non quod fœcundandi agros vim obtineat, ut Euphrates, Nilus, aliique fluvii, uti commentantur viri eruditi. Certe omnes, quando ripas suas egrediuntur, id faciunt; sed nollem tamen illis annumerare *Nilum*, quippe cujus fœcundandi agros modus nihil commune habet cum aliis fluviis.

Gryphes fuisse & esse aves magnas facile concedo, sed contendebam fabulosam esse earum formam, qualem nobis repræsentant nummi, atque alia veteris ævi monumenta, necnon auctores veteres. Quin & illis non attribuerem tantam magnitudinem, uti avi *Ruc* dat M. Paulus Venetus lib. 3. c. 40. Region. Orient. quam scribit *elepbantem* in sublime

A tollere potuisse, qualia & Arabes memoriæ mandare docuit Bochartus. Fabulosa plane esse, quæ apud Philostratum p. 152. narrant Brachmanes, vel inde patet, quod aves illas *non plumatas* fuisse scribat, *ἀλλ' ὑμέσι τὰς ταρσὰς ὑφανταὶ πύρσοις*, sed habuisse alas constantes ex pelle rubra; neque idem pag. 258. *gryphes* attribuit Æthiopiæ, sed narrat, Indorum gryphes & Æthiopum formicas, licet sint forma dissimiles, eadem tamen facere, & aurum utrobique custodire, & terram auri feracem adamare.

In Tranquillinæ nummo puto omnino Apollinem pictum esse; & Gallandus, vir monumento-B rum ejuscemodi felicissimus interpres, idem sese annotasse nuper ad me misit.

Libellos, quos a me petis, mittam, simul certior factus fuero, qua via tuto ad te curari possint; honorificum enim mihi erit opellas meas servari in tua bibliotheca.

Aveo summopere cognoscere, quæ tua sit sententia de literis Samaritanis, & multum imo plurimum me devincies, si illam, licet breviter, mecum communicare velles: nova mihi illa plane videtur, & cum valeas ingenio & doctrina, errarem profecto, si quid aliud, quam limatum, & dedolatum a te expectarem, vir præstantis-C sime.

Exemplis serpentum, cum quibus pugnatum est, addere posses draconem, quem gigantes in pugna contra deos dicuntur objecisse Minervæ, quem illa arreptum & contortum ad sidera jecit, & ad ipsam arcem cœli fixit, ut loquitur Hyginus in Poet. Astronom. cujus historiæ, vel fabulæ potius etiam meminit Schol. Germanici. *Hunc alii Jovem astris intulisse dicunt, ob memoriam virtutis Herculis Minervæ objectu, quem illa contortum cælo immisit & inter Septentriones collocavit*; qui locus proculdubio corruptus, & licet Munkerus scribat recte *objectum*, tamen nec sic satis bene sese D habet, quia duæ narrationes non distinguuntur, & Minerva nihil hic commune cum Hercule habet, unde credo excidisse post τὸ *Herculis*, *alii a gigantibus Minervæ objectum, quem....* Nam fabulatores narrabant signum illud cæleste esse serpentem, qui aurea Hesperidum mala servabat, & qui ab Hercule est interfectus; alii vero draconem, quem, ut dixi, gigantes, objecerunt Minervæ.

Sed pace quod fiat tua, ego hasce fabellas rejicio plane, nec credam unquam, acies rite dispositas serpentibus in hostes immissis rem egisse. Livio non tam obloquutus sum, quam eundem ex-E plicare conatus ex Floro; & serpentes ex muris jactos, atque fictilibus vasis inclusos in naves missos ostendi nihil ad rem facere, quæ originem dederat nostræ amicæ disputationi. Cadmi fabula similesque nullo apud me loco sunt, nec capio, quomodo aliquis inde possit concludere, veteres serpentibus pugnasse. Aliud longe est serpentes armis, lanceis, catapultis occidere, uti fecisse Cadmum mythica, & Romanos in Africa, vera historia docet; & non video, quo sum stupore, ullum inde argumentum peti posse, ad probandam opinionem tuam. Nam & hodie talia monstra ho-F mines occiderent, & tibi do considerandum, an posteri inde argumentari possent, serpentibus in acie fuisse pugnatum.

Nec mihi satis idoneus testis, Medusæ caput, vel Hecatæ draconibus cinctum, licet & Sophocles apud Scholiastem Apollonii 3. 1213. idem antea cecinerat, quod Poeta ille; qui ambo, si dixissent Hecatem iis serpentibus in hostes jactis pugnasse, aliquid certe dixissent, quod argumento suo posset inservire.

Nec me movet Lucretius, imo non video, quomodo in hunc censum venire possit, cum primorum hominum obvia arma recenseat solum, nec de *serpentibus* vel minimam faciat mentionem; potuisset, ais, addere eos, quia tunc pro armis erant; sed hoc est, vir egregie, petitio principii, uti ajunt, & ego meliori jure ex omissione serpentum concludo, feras illas nunquam in acie pugnasse. Atrenorum factum apud Herodian. nihil certe *cum acie* habet commune, cum illi fictilia vasa volucribus quibusdam venenatisque bestiolis plena jecerint in Romanos ex muris, & bestiolæ illæ nihil commune itidem habeant cum serpentibus.

Marsorum, Psyllorumque incantationes, nec non cicurationes serpentum nihil ad rem, in qua disputamus, faciunt; neque enim illa facta, ut serpentes instruerentur, & servarentur ad prælia, sed voluptatis, vel medicinæ faciendæ causa; quomodo & hodie nostri circulatores medici ejusmodi feras secum ferunt; & quomodo *serpens draco* in oblectamentis fuit Tiberio Cæsari apud Sueton. c. 72. Atque huc omnino pertinet mansuetus draco, quem Philostratus scribit, una cum Ajace Locrensi bibisse, versatum esse, eundemque sequutum ad instar canis; si modo tota hæc narratio non plane fabulosa est.

Ea quæ apud Lucianum leguntur in Libro, cui titulus, Quomodo Historia scribenda sit, non tantum acer, & elegans ille scriptor ludibrio habet, verum ut falsissima refert, perstringitque historicum Corinthium, quod tam splendida mendacia memoriæ prodiderit; nec video, qua ratione inde argumentum duci possit ad probandum, serpentibus olim pugnatum, vel Scythas sive Parthos a vivis draconibus ad textiles inde pervenisse, eorumque memoriam ita in signis suis militaribus conservasse; illud autem mihi utique pulchrum in loco illo videtur dictum, *δράκοντας* Parthorum signa esse, & unum draconem *ἄγειν χιλίους ζῶντας δράκοντας mille vivos dracones*, id est milites; nam inde patet affabre, milites *dracones* vocari, quale nomen & hodie nonnullis, qui pedibus & equo pugnant, datur.

Atque ita quidem epistolæ varias pulchrasque res complexæ respondi, & facere non possum, quin addam me exemplis certis, & perspicuis equidem discere velle, *primam ætatem serpentes & dracones in aciem contra hostes eduxisse non semel; & S. Scripturam passim alludere ad illos dracones inimicos & hostiles*, ac denique *serpentem, a quo Eva devicta, & bellum Michaelis cum dracone satis ostendere bella cum draconibus olim gesta*, id est, uti tota illa epistola, & aliis defendis, homines in acie constitutos, & se invicem aggredientes etiam serpentibus immissis rem egisse. Illud quidem ego credam nunquam, sed facile concedo, bella ab hominibus gesta esse cum draconibus, id est, homines eos occidisse; id quod utique hodie etiam fit toto terrarum orbe.

Nunc ad alia descendam, & primo quæram, quia serpentes me occuparunt, an non putes *θηρία* apud Herodot. 2. 36. verti debere *serpentes*; ubi Ægyptii dicuntur *ὁμοῦ θηρίοισι conversari*, & una cum iis vivere ac vesci: *τοῖσι μὲν ἄλλοισι ἀνθρώποισι χωρὶς θηρίων, δίαιτα ἀποκέκριται, Αἰγυπτίοισι δὲ ὁμοῦ θηρίοισι δίαιτά ἐστι, cum feris* redditur vulgo; & quamvis serpentes eo etiam nomine veniant, tamen puto solos serpentes designari, quia erant in maxima apud Ægyptios veneratione, & instar deorum colebantur ibi.

Inde significabo tibi, Palæographiam Græcam Montfauconii tandem hasce in oras deportatam esse, meque perspexisse, illam singulari eruditione

esse refertam, & dignam, quæ locum suum teneat in omnibus Bibliothecis, cum optime ornaverit argumentum, quod elucidandum susceperat. Harduini etiam opera publici juris facta sunt, sed tot paradoxis & admirabilibus opinionibus referta, ut mirari subeat, ejuscemodi commenta proficisci posse a viro eruditæ & multæ lectionis. Misi, ejus systema, de fictis & suppositititiis auctoribus utriusque linguæ & tam Ecclesiastici, quam profani ordinis, refutatum esse a doctissimo Crosio Serenissimi Regis Borussiæ Bibliothecario; nunc addo, eundem perfrictum esse Attico & erudito sale a Cardinale Norisio, cujus opusculum posthumum editum est in Batavis, hoc titulo, Henr. Norisii S. R. E. Cardinalis Parænesis ad V. C. Joh. Harduinum S. I. P. & in quo summus ille vir & amicus meus ostendit, non modo cespitasse, verum etiam graviter errasse Jesuitam, qui tot paradoxorum promus condus est; & qui venditat, se enormes lapsus, tam Cardinalis modo laudati, quam aliorum felici Minerva correxisse; cum illud longe secus sese habeat, & ipse rimarum, ut cum Terentio loquar, plenus sit.

Cornelius de Bruyn, qui ante octo annos publicavit Itinerarium suum lingua Belgica, & inde Gallica, novum parat ejusdem farinæ opus, & dabit nobis, quæ per septem annos observavit & pinxit in Moscovia, Persia, Indiaque Orientali. Vidi Amstelædami pulchra spolia, quæ ex iis regionibus deportavit; quorum facile primum locum tenent ruinæ Persepoleos. Sex hebdomadas impendit iis perscrutandis & pingendis, egoque maximam voluptatem cepi ex tabulis, quibus complexus est tam stupendum opus, cui utique ipsa VII. orbis ac decantata miracula nequaquam comparari possunt. Diei, imo plurium res esset, si eas tibi annumerare vellem; illud tantum dicam, Inscriptiones apud ipsum inveniri, quarum characteres plane incogniti sunt, &, quod mireris, omnes fere ejusdem formæ & simplicissimi, ita ut, si bene memini non nisi punctis quibusdam distinguantur. Habebunt hic orientalium linguarum curiosi, in quo se bona fide exercere poterunt; quanquam ego plane desperem, nobis aliquem literas illas explicaturum. Nosti, a Grutero & Sponio editam esse Inscriptionem Palmyrenam, in qua mentio fit deorum Agliboli, & Melachbeli; illa perdita credebatur, sed Romæ nuper, me hortatore, inventa est, misitque ad me Illustris Blanchinus illius ectypum accurate æri incisum; & inde patet, literas Syriacas longe alias esse, quam quas bini antiquarii Gruterus & Sponius nobis dederunt. Rhenferdus magno tenebatur illius monumenti desiderio, & ab eo rogatus amicos Romanos impuli, ut inquirerent diligenter in illam inscriptionem; spero eum tam felicem fore, ut nos doceat, Syriacis illis litteris contineri eadem, quæ in Græcis inveniuntur, vel aliud earum argumentum esse. Addidi & aliam Inscriptionem, quam mecum communicavit Illustris Witzenius in iisdem ruinis repertam. In Græcis mentio fit ΘΕΟΥ ΑΡΣΑΚΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ; sed reliqua obscura sunt, licet illa illustrare conatus fuerim. Literæ incognitæ plane diversæ sunt ab illis, de quibus egi, & magis ad Syriacas accedunt, facitque singularis Rhenferdi eruditio, ut credam, eum nobis hæc mysteria aperturum.

In Aristophane vertendo & illustrando multum profligavit Kusterus, cum quo viro eruditissimo collocutus nuper fui Amstelædami. Clericus, vir indefessæ diligentiæ & doctrinæ singularis, agit cum typographis de edendo Elephante meo, & aliis opusculis; num iis manus admoturi sint, nondum certior factus sum. Sed patientia tua abutor. Vale quapropter & vive feliciter.

Daventriæ 16. Junii 1709.

LXXV.

Salve Vir Nobilissi. & Amplissime & Consultiss.

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

AD tuas XVI. Junii scriptas, & recte satis traditas prius respondissem, nisi Te hac æstate negotiis publicis & bellicis implicatum credidissem, sicq; lares Tuos Te relinquere tantisper coactum, ut prioribus annis solitus eras; Nunc quoniam hyems ingruit, & cessare negotia illa Tua ad castra mihi persuadeo, Teque domi fore, quum hæ perferentur, ad Tuas, sed breviter, respondeo.

De Scipione Asiatico a Græcis ASIAGENES dicto, quoniam convenimus, nihil est quod addam.

De regionibus Septentrionalibus auriferis, facile concedo, Jobum nostras regiones forsan tunc ignorasse, nec ad illas respexisse, cum scriberet EX SEPTENTRIONE AVRVM provenire, sed proximas sibi regiones ad Septentrionem intellexisse; quoniam tamen absolute Septentrionem indigitavit, omnes Septentrionales terras auro fœcundas esse dicere voluit, quod verissimum est. Quo enim magis ad Septentrionem terræ vergunt, eo fœcundiores auro deprehenduntur esse, quidquid alii eruditi de auro Septentrionis sentiant. Neque enim illis Septentrio, aut Asiæ, aut Europæ, tam cognitus fuit, aut hactenus est, ut de illis melius statuere possint, quam nos, qui in Septentrionalibus vivimus, & quotidie experimur, Jobi dictum verissimum esse. Sic quoque statuerunt viri docti innumeri, inter quos Paracelsus, & alii. Nostra Septentrionalis historia eadem ubique profitetur, veteres Septentrionales colles suos sepulchrales ex arenis auriferis extruxisse in ultimo Septentrione. Sed illi aurum tunc non æstimabant, aut uti nesciebant: de quo contemtu auri in Septentrione nostro, & Scythico omni, plurima mihi notata sunt.

De Gryphibus & Serpentibus in acie nihil amplius scribam, quoniam contradicis strenue, quamvis rationes Tuas haud ita validas deprehendam, ut a mea sententia discedere me oporteat. Sola avis *Ruc* in Africa Te monere potuit, multo magis in Septentrione avium talium fœcunditatem dari, quæ magnitudine ad rapinas vivunt. At quod scribis, quæ apud Philostratum leguntur, fabulosa esse, unde hæc nosti? ad veritatem accedunt maxime, quamdiu nihil in contrarium afferre potuisti, nec sufficit fabulas vocare, quæ de Serpentibus & Gryphibus annotata reperimus. At quod Gryphes non ea figura sint, & forma, prout in nummis aliisque monumentis exprimuntur, haud ego statim illas formas damnabo, qui Gryphes nunquam vidi, nec Te vidisse existimo, ut quid differant, judicare possimus Plenæ sunt historiæ nostræ Septentrionales de illis avibus, & earum magnitudine & vi, quibus contradicere semper metuo. Nullum igitur verbum de his amplius a me exspectabis.

De Tranquillinæ nummo, an Apollo sit, qui citharam pulsat, an vero Tranquillina, nummus

ipse hanc litem facile sopiet: nihil enim Apollini simile in illo, sed fœminam repræsentat, quem si videres, facile meam sententiam approbares; nam ectypus non adeo est accuratus, ut discerni queat, adeo ut cuique credere liceat, & judicare, quod velit.

Jam etiam meam sententiam audire cupis de Samaritanis literis, & illam paucis tibi aperiam. Sentio namque, Codicem Samaritanum ejusque literas, non esse a Deo Mosi traditas, sed Hebræas illas, quibus hodienum utimur, simplices illas, & quadratas, ac convenientissimas divinæ institutioni; quamvis ab Esra illas post captivitatem Babylonicam inventas multi docti statuant, & Samaritanas literas illas veras esse, quas Deus Mosi monstravit, nullo certo in hanc rem argumento subnixi. Ego Samaritanas literas cum Cuthæis ex Persia in Samariam pervenientibus, illamque occupantibus, Samaria a Persarum Regibus devicta, & Samaritanis in captivitatem abductis, natas existimo, atque a Cuthæis, illorumque Sacerdotibus, quos Persarum Reges eo miserunt, ut illos informarent, qui Judaicam aut Samaritanam religionem amplectebantur, codicem Samaritanum illis literis Cuthæorum exaratum; ab illis Cuthæis quoque nummos istos, quos vocant Samaritanos, procusos esse. Neque enim Samaritani captivi, prout Judæi, in patriam suam rediisse leguntur, sed Cuthæorum posteri Samariam tenuerunt longissimo tempore: adeo ut quid de nummis Cuthæorum, non Samaritanorum, literis inscriptis sentiendum sit, hinc facile manifestum fiat. Vides ergo, quid de Samaritanis literis sentiam, & earum ætate in Samaria.

Dn. Harduinus ita se gessit in suis scriptis, ut mirum sit, eum non plures dissentientes nactum esse; nimis supra eruditionem omnem sapere voluit. Sed audio, eum jam multas opiniones suas revocasse, & ad saniorem mentem redire quotidie.

Cuperem istas literas ex inscriptionibus Dn. de Bruyn videre, an aliquid mihi subnasci posset, quibus illas dilucidiores redderem, & quo pertineant significarem. Nondum illud studium linguarum depono; despero tamen me quidquam solidi afferre posse, quum tam docti Viri in illis adhuc hæsitent, & innumeræ sint Orientalium literæ, quarum originem, aut usum nescire cogimur. Elephanti tuo bene sit, ut quamprimum prodeat. Et cum illo voto finio, ut diu salvus sis & valeas, quo multa tua videamus & legamus. Vale iterum iterumque.

Dabam Hafniæ a. d. v. Octobr. Anni CIϽIϽCCIX.

LXXVI.

Amplissimo Præstantissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Exemplum tuum sequar, Vir Celeberrime, & nuntium remittam disputationibus, & ratiocinationibus de auro Septentrionis, de Serpentibus in aciem eductis, de Gryphibus, & de Apolline vel Tranquillina ipsa nuda picta in nummo, quem illustrasti, vetere; ita tamen, ut rite omnibus & accurate perpensis statuam plane, hasce materias ancipitem, post nostram amicam

A litem, efflagitare omnino deliberandi curam, nec me nondum sententiarum mearum pœniteat.

Plurimum tibi debeo, quod mecum communicaveris ea, quæ spectant nummos Samaritanos; & video te, vir egregie, statuere, si bene mentem tuam capio, 1. Deum Mosi tradidisse literas Hebræas illas, quibus hodie utuntur Judæi: 2. Samaritanas venisse a barbara manu, atque a Cuthæis, quos Persarum Reges in regionem eam miserunt: 3. Cuthæos habuisse Sacerdotes, quos itidem iidem Reges eo jusserunt ire ad Cuthæos informandos, qui Judaicam, aut Samaritanam religionem amplectebantur: & 4. Ab illis Cuthæis
B nummos, quos vocant Samaritanos, percussos esse, non autem a Samaritanis, qui captivi, prout Judæi, in patriam suam non redierunt. Et quod ad primum caput attinet, dum statuis, Mosen accepisse literas Judaicas, quibus hodie Biblia Hebraica exarata sunt, a Deo, videris etiam iis accedere, qui Prophetam illum Magnum judicant Literarum esse inventorem, vel saltem ante legem latam literas in usu non fuisse. Clarissimus Ottius stat pro prima illa sententia; at mihi contrarium sedet, arbitrorque, diu antea apud varios populos in usu fuisse literas, & quidem apud Ægyptios e-
C tiam, quin & Abrahamum Chaldaicas non ignorasse, easque posteris suis reliquisse, quemadmodum ex iis perspicies, quæ ad præstantis eruditionis virum nuper scripsi: 2. Samaritanas esse a Cuthæis, quos colonos in Samariam misisse Assyriorum Regem constat, verisimile admodum est, maxime si iis assentimur, qui Abrahamum easdem, quibus hodie quadratis literis utuntur Judæi, statuunt ex Chaldæa acceptas ad posteros suos transmisisse, vel si Deus easdem Mosi dedit, quæ tua est sententia; vel etiam si illæ sunt ab Hebero, id quod varii existimant. Mihi humanum genus & quidem priorum hominum longævam vitam per-
D pendenti, nequaquam videtur a veritate & ratione alienum statuere, ante diluvium literas vel characteres etiam cognitos fuisse, ut ita dispersi, si non per omnem, attamen per magnam, & forte maximam partem orbis terrarum, ad sese invicem animorum sensus perscribere possent. Neque tamen ad id probandum in medium adducere sustineo columnas a posteris Zethi juxta Josephum inscriptas artibus, & quidem Astronomicis ab ipsis inventis, quia proculdubio illæ fabulis propiores sunt, & Vossius, Huetius, nec non Pezronius eas positas putent a Cananæis in regione, quam Josephus *Seriadicam* vocat, quamque illi se pu-
E tant reperisse in Palæstina; sed mihi vix fieri potuisse videtur, ut res tam utilis lateret longævos homines, & in id unice intentos, ut invenirent & excogitarent res, quæ posteris essent profuturæ. 3. Cuthæos habuisse Sacerdotes facile credo, sed nequaquam capio, *tales a Rege Assyriorum* missos fuisse ad colonos, quos ex regionibus suis deduxerat ad inhabitandam Samariam, & agros, e quibus Israelitas vel decem tribus captivas deportaverat. Quin imo, si bene capio locum, qui invenitur 2. Reg. 17. v. 25. 26. 27. 28. hic sacerdos, neque enim plures memorantur,
F fuit unus abductorum Israelitarum, qui Cuthæos proculdubio docuit morem colendi Deum Israelis, qualis ante captivitatem iis fuerat in usu. Nam quamvis illi haberent sibi *vitulos*, imo & alios deos colerent, tamen venerabantur simul verum Deum, quem legimus pro summa sua benignitate præcipuos Profetas ad Israelem misisse, absque dubio propter fœdus, quod cum Abrahamo, aliis Patriarchis, & Mose, imo cum tota gente percusserat. Et licet novi incolæ didicissent a Sacerdote illo Israelita Deum vereri & colere, tamen

unaquæque gens suos sibi parabat & colebat deos, uti satis superque patet ex dicto capite; quanquam mihi historia mulieris Samaritanæ videatur suadere quodammodo, multos ad meliorem mentem rediisse. 4. Nondum persuaderi possum nummos, quos vocant *Samaritanos*, a Cuthæis percussos esse; licet non negem eorum literas, quibus signati sunt, fuisse proprias. Nam mihi eorum Interpretes, viros utique doctissimos, legenti, videntur omnes Macchabæorum tempore signati esse; quanquam necdum capere possim, quare Judæi usi fuerint, in signandis nummis, populi literis, quem cane pejus & angue oderant; quam utique difficultatem vellem utique, ut aliquis mihi tollere posset: scio nonnullos loqui duo alphabeta, sed eorum rationes mihi non satisfaciunt, & si illa admittuntur, statuendum simul est, Literas Samaritanas Judæis etiam ante captivitatem fuisse usitatas, & quadratas illas introductas ab Ezra, quibus scilicet Sacerdotes & alii tempore captivitatis erant assueti.

Atque hæc sunt, Vir præstantissime, quæ non potui non reponere curiosis, & jucundis tuis observationibus, & spero te non accepturum in deteriorem partem, quod libere tecum agam, & absque ambagibus mittam, quid mihi de iisdem videatur.

Ecce tibi Inscriptionem, quam ex ruinis Persepoleos attulit Bruinius; similem plane edidit



Thomas Hyde, pereruditus Anglus in libro de *Religione Veterum Persarum* pag.... eritque mihi magnus Apollo, qui cuneos hosce, vel cuneatas literas explicare poterit. Recte autem puto statuere Illustrem Leibnitzium, hanc literarum illarum simplicitatem signum esse vetustissimæ Linguæ; & certe omnes sibi fere similes sunt, & non nisi numero, vel collocatione distinguuntur. Adfert eodem loco aliam, inventam in alio loco, ubi etiam magnificæ ædificiorum relliquiæ, quæ a Persis hodie tribuuntur Rustano; sed miror, eum *Alexandrum* substituere in locum *Arsacis* Regis, cujus nomen clare legitur, & quorum Monarcharum tempore Græca lingua erat valde ibi usitata, uti vel ex nummis eorum patet, quorum unum argenteum, eumque pulcherrimum possideo. Cum autem forte Inscriptio juncta alteri Græcæ, ejusdem argumenti sit, nervos intende præclari ingenii tui, ut characteres illos nobis aperias; quo nomine certe plurimum tibi debebit Respublica Literaria.

Elephanti meo tandem bene precaris, & multum propterea tibi debeo; credideram eum jam subiturum præla, & egi per Clericum cum typographis, sed bellum grave causantur, nec ego is sum, qui illos ambire possim, maxime cum sat patriæ Priamoque dederim, & mihi susque deque sit publicare libellos meos, aut eos servare, & ita intus, atque mihi canere.

De Columnis posteris Sethi tributis egi obiter; sed multis de iis differitur in libro, qui inscribitur Gallice, *Bibliotheque Critique, ou Recueil de diverses pieces Critiques, dont la plus part ne sont pas imprimées, ou ne se trouvent que trés difficilement, publiées par M. Sainjore*, vel Simonem, tom. 2. p.341. Dissertatio a Justello est composita, qua ostendit, eas fabulosas esse, & inquirit, quare Judæi illas sibi finxerint, rejicitque Vossii & Huetii sententias.

Feci mentionem in ultimis meis literis avis *Ruc*, fateor, sed nec Arabibus, nec Græcis, nec aliis auctoribus accedo, qui prodigiosam illi tribuunt magnitudinem; & non modo Bochartus, verum etiam Jobus Ludolfus eam germanis fabulis accenset; licet ex variis Itinerariis opportune hic doceat, singularis magnitudinis aves in Africa & America esse; quanquam & putem, vera fabulosis permisceri a Peregrinantibus. Facile credo, avem in Africa simiam cum cippo x. vel xii. Librarum in aerem e terra rapuisse; sed quod ibi aliæ fuerint in magnitudine duorum elephantorum junctorum, id quidem ego plane fabulis annumero. Atque licet illis auctoribus, quorum testimonia nobis exhibet Ludolfus, largiar, magnas, quas describunt, aves fuisse & esse in Africa & America; tamen mira utique res est, nostri temporis peregrinatores ejuscemodi volucres non observare. Batavi a promontorio Bonæ Spei penetrarunt in Africam, montibus, sylvis, lustris ferarum, & commodis illorum portentorum habitaculis propterea refertam; Galli aperuerunt Americam Septentrionalem, saltibus immensis onustam, & Angli a mare Pacifico per terram Firmam in oppositum littus Duce Dampiero pervenerunt, ubi montes, sylvæ opacæ, anfractus horridi magno numero; sed nemo eorum vel minimam mentionem facit tam enormium avium: an dicemus, earum genus interiisse? id quod vix fieri potest; an vero aliis & in remotis rupibus, sylvis, & montibus agere? sed nec hoc ita sese habere potest, cum eædem regiones, in quibus olim visæ dicuntur esse, etiam nunc frequententur. Quare ego quidem hæreo dubius, an omnia, quæ tam splendide narrantur, ita sese habeant; quanquam negare nolim avium rapacium magnitudinem notabilem, modo ne in elephantos & montes, ut sic loquar, excrescant.

Quin & mihi commodum in mentem venit, ante 10. vel 12. annos, Batavos tentasse terram Australem; vidisse ibi magno numero balænas, cygnos nigros plane, & alias aves; sed de monstrosis illis ne verbulum quidem faciunt, cum horridæ & parum habitatæ istæ regiones, videantur iisdem præbere optima & certa receptacula. Hæc in sinu tuo depono, & persuasum habeas omnino rogo, me postea hanc materiam omissurum plane, & tecum acturum de aliis, quæ ad veterem eruditionem spectant, rebus.

De variis aliis rebus nunc tecum agere possem, ex quibus non dubito, quin singularem voluptatem sis capturus; sed occupatione excludor, insuperque cogor Hagam-Comitis excurrere, quod iter jam tertium suscipio intra trium, vel quatuor mensium spatium. Properanti & sordidæ manui ignosce, & Vale.

Dav. ipsis Cal. Decemb. 1709.

A Excerpta ex literis, quas ad Clarissimum Ottium scripsi 12. Octob. 1709.

ET quanquam sciam te occupatissimum esse, & non modo inquirere in res altioris momenti, & frequenter populum adloqui, & ipsi pandere sacraria Magni Nostri Servatoris, tamen spero te non ægre laturum, quod te adloquar, & agam paucis de re, quæ inter nos est controversa, & plena amicæ dissensionis. Sane Mercurius a multis dicitur fuisse literarum vel characterum inventor, & si idem Moses est, uti multi probare
B conantur, utique hinc argumentum peti potest opinioni tuæ stabiliendæ, Mosem primum literas invenisse. Sed mihi difficulter id, quod altera epistola etiam testatus fui, persuaderi poterit, Chaldæos, Phœnices, Ægyptios, aliosque Orientis (Neque enim Occidens hic locum suum tueri potest:) politos & sapientes populos ante Mosem ignorasse rem tam necessariam. Sacerdotes Ægyptii aliis tradebant sua Theologica & Philosophica Mysteria, mihique omnino probabile videtur, illud ore, & scriptis librisque factum fuisse, sive illi compositi fuerint literis Hieroglyphicis, sive
C aliis, & certe characteres erant, quibus animi sensus exprimebant, quomodo & hodie Chinenses Characteribus, & Hieroglyphicis, quasi notis, utuntur & libros conscribunt.

Annulus Pharaonis a me in medium adductus est, quia illo obsignavit proculdubio literas & diplomata, quæ ad Præfectos & alios mittebat; nec puto gemmam illi insertam fuisse nudam, sed nota aliqua insignitam, sive illa ex literis, sive ex alia re constiterit, exempli gratia, ipsius Pharaonis vultu, animali terrestri vel aquatico, sive alio quodam symbolo; sed si aliquid, uti omnino verisimile, illi insculptum fuit, cui, quæso, rei inservire potuit nisi obligandis mandatis? Et quare
D eundem daret Josepho, nisi ut idem nomine Regis literas ad Præfectos missas eo clauderet & obsignaret? Atque hæc consideratio & animadversio fecit, uti verba fecerim de Pharaonis annulo, non quod putaverim illi literas, vel characteres fuisse inditos, quæ quantopere a sese invicem discrepent, ipse facili opera, Vir Præstantissime, qua vales ingenii sagacitate, perspicere potes.

Scio Eupolemum apud Clemen. Alexandr. lib. 1. Pap. 343. Mosem fuisse scribere sapientem, & Grammaticam primum tradidisse Judæis, & Phœnices eam accepisse a Judæis, Græcos autem a Phœ-
E nicibus. Sed an illi fides sit adhibenda valde dubito, quia alii ejusdem auctoritatis scriptores longe vetustiores literas faciunt. Quin & ipse Clemens loco laudato commemorat Mosem didicisse Arithmeticam, Geometriam, Rythmicam, Harmoniam, Medicinam, Musicam & Philosophiam: ἐν ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν, & mox addit, eundem didicisse Ægyptiorum γράμματα καὶ τὴν ὀρανίων ἐπιςήμην παρά τε χαλδαίων (id quod tamen quomodo fieri potuerit, non video, nisi statuas tunc temporis Chaldæos eruditos in Ægypto fuisse:) παρά τε Αἰγυπτίων. Videntur ibi γράμματα distingui a literis Hieroglyphicis, & indicari, Mosem
F vulgares etiam didicisse Ægyptiorum literas, quæ proculdubio ab iis, quibus Judæi jam inde ab Abrahamo utebantur, erant diversæ, sive illæ fuerint Assyriæ vel Chaldææ, sive Chananææ; qua in re, uti nosti, disputant eruditionis præstantis Viri. Et ante Abrahamum fuisse literas mihi omnino verisimile videtur, doctissimusque Huetius non dubitat pronuntiare Propos. 4. cap. 19. num. 9. falso plerosque existimare Mosem, atque Abrahamum literarum inventores esse.

Cum autem Moses didicerit proculdubio omnes scientias, quæ Sapientes Ægyptii excolebant, uti vel patet ex Apostolorum Actis, & illæ videntur absque literis doceri vix potuisse, & characteribus, utique omnino sequitur, Ægyptios sensus animi per literas, qualescunque illæ fuerint demum, expressisse. Erant præterea in Ægypto Sacerdotes & Sapientes multi, & in magno honore, uti vel patet ex matrimonio Josephi, & agris eorum, a quinta fructuum Regi tribuendorum parte immunes; qua de immunitate mihi etiam verba videtur facere Herodotus 2.168. nec non Diodorus Sicul. lib. 1. ubi præclare Sacerdotum in Ægypto ordinem, qualis fuit antiquissimis temporibus, describit, eosque scribit, ἐκ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένων. *ex iis, quæ scripta erant in Sacris Libris, res utiles, & profuturas prælegisse*. Et hoc est, quod ex Sacerdotum reverentia & multitudine inferre volebam, eos nempe alios docuisse etiam ante Mosem, imo & ante Josephum, nisi me plane fallo, & ideo literis uti debuisse, maxime cum essent Regum Consiliarii, & res gestas memoriæ consecrarent.

Hæc, Vir eximie, mea de literarum antiquitate est sententia, quas utique Mose vetustiores fuisse suadent longævæ hominum vitæ, qui in id summopere incumbebant, quod sibi, amicis & posteris esset profuturum; & inter omnia inventa nihil certe præstantius literis, quarum ope tot fluviis, montibus, terris, tractibus, maribus disjuncti colloqui possunt: id quod mihi nunc evenire tecum confabulando equidem summopere lætor.

LXXVII.

Nobilissimo, Amplis. & Consultis. Viro

DN. GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

CUm Novo Anno tibi, Vir Excellentis. novas & stabiles valetudinis vires, & quæ ad felicia & prospera quævis spectant, non vulgaribus ceremoniis intentus, sed toto animo sincere apprecor & voveo. Deus Opt. Max. hæc vota secundet.

Quæ deinceps in literis tuis eruditissimis ad me datis Calendis Decemb. de Hebraica scriptione veteri, & ad Amplis. Dn. Ottium significasti, novi jam eruditos multos tecum sentire, qui non solum scriptionem antediluvianam, sed & integras Bibliothecas collegerunt ante diluvium institutas fuisse. Sed, ut pace tua dicam, si illos sequi animus tibi est, infirmis illi argumentis nituntur. Nihil tale S. Scriptura nos docet, quam ut amussim verissimam omnibus præferre nos decet. Quidquid enim extra illam nos docere voluerunt tot eruditi homines, ea facile suis spongiis incumbunt, utpote meris conjecturis suffulta, & ex profanis Scriptoribus petita, quæ quam longe in antiquitate discedant a veris scriptis S. Codicis, ipse nosti; quoniam aliis opinionibus imbuti super sacra illa, & sanctissima prima scripta sapere voluerunt, tenebris meris offusi, ut si illa unquam legerunt, nec intelligerent, nec se credere posse aut debere contenderent, cum tamen sint θεόπνευστα, & divino instinctu scripta. Illa sane divina scripta nihil de antediluvianis scriptionibus

nos docent, nihil ante Mosen scriptum prodiderunt, qui in tabulis binis, edoctus a Deo ipso, has literas, quibus hodie utuntur Hebræi, consignavit, & omnes omnino literas Hebræas in illis tabulis reperies, si attente consideres & numeres. Et quamvis primæ tabulæ confractæ sint, repetitæ tamen sunt a Mose eadem scriptione, quæ ipsi a Deo monstrata fuerat, nec apicem quidem ullum addidit, aut omisit. Hæ literæ in tabulis istis non aliæ fuerunt, quam quibus hodienum utuntur Hebræi. Nam quod de Abrahamo credis, eum ex Chaldæa, & Ur secum attulisse literas & scripsisse, nullum ejus scriptionis vestigium in Sacris Literis apparet, sine quibus & nos tacere oportet, & non sine illis loqui. Jam quod Ezram mutasse literas credis, & has, quibus nunc utuntur Hebræi, introduxisse post captivitatem Babylonicam, multorum quidem Doctorum sententiam fuisse fateor, sed nullo plane fundamento ex sacris literis nixam. Ezra enim laudatur ubique, quod legis peritissimus fuerit, quod librum legis Mosaicæ secum habuerit, quod illum populo prælegerit, ut ex Ezræ & Nehemiæ libellis accurate satis constat. Num igitur Ezram tam perfrictæ frontis fuisse dicere possumus, ut ausus fuerit literas semel a Deo, & Mose traditas mutare, quæ divinæ erant, & ea autoritate munitæ, ut in iis sine pœnis gravissimis impendentibus quidquam mutare, vel apicem unicum sibi sumere voluerit? Ne credas, quæso, nec te a sacris literis abduci patiaris, quibus hæc omnia contraria sunt, quæ tam docti Viri de hac mutatione garrire cœperunt. Loquuntur enim absque literis sacris, ideoque facile refelluntur. Ego nullam scriptionem in toto orbe ante Mosen fuisse satis firmiter credo, quoniam ante eum Prophetam magnum & maximum nemo, quid scriptio esset, didicerat, quum divinum maxime institutum sit scriptio, nec in humanas cogitationes aut mentem illud cadere potuit ante Mosis tempora. Nullus hic Ægyptiis Sacerdotibus locus est, cum suis Hieroglyphicis, nullus aliis populis ullis: non est humanum inventum scriptio. Deo soli manum Mosis informanti & ducenti tribuendum hoc est: sin secus statuimus, a veritate & literis sacris longissime aberramus. Post Mosen varias scriptiones orbis totus, inprimis Oriens, excogitavit, & omnes fere scribere studuerunt, sibique literas proprias effinxerunt, tam Ægyptii quam alii; ita tamen, ut Mosi hanc gloriam præripere non potuerint, eum primum omnium hominum Deo jubente in scriptionibus suis omnibus reliquis præivisse. Etiam ad Heberum respicis cum aliis, quasi ille scriptionis Hebraicis literis autor fuerit ante Mosen; sed nec illud consonum est sacris literis, quæ nihil omnino de Heberi scriptione memorant, licet verum sit, eum linguam Hebræam post confusionem ad Babylonicam turrim restituisse & propagasse, totamque gentem Hebræam, & Hebræos a se denominasse. Locuti enim sunt Hebraice ante Mosen, sed scribere ante Mosen plane nesciverunt, Deo primum hoc mysterium Mosi revelante,tanquam mere divinum. Hæc consona sunt sacris literis, quibus unice nitor & multi docti mecum. Dilaberis deinde ad verosimilia, haud esse nimirum verosimile, tot ætates hominum & secula ante diluvium scriptione caruisse; quum negotia & commercia rerum omnium inter ipsos floruerint, quæ sine scriptione literarum haud facile potuerint exerceri. Quidni mi Cupere, Amice doctissime? Nonne supersunt hodie tot populi tam Americani, quam Orientales, qui scriptione nulla utuntur? qui, quid literæ sunt,nesciunt? qui literis scriptis aures admovent, ut audiant, an illæ loqui possint? tantus est illorum stupor in scri-

A ptione. Non igitur olim aut hodie commercia populorum omnium in scriptione, quam plane nesciunt, constituerunt, sed in vendendo & emendo, & permutando. Nec obstat, quod etiam ante tabulas Mosi traditas a Deo, Deus Mosen jusserit scribere & annotare victoriam contra Amalekitas, Exodi 17. v. 14. Nam hic primus locus est S. Scripturæ, qui de scriptione loquitur. Intelligi enim debet ille locus, tunc scribendam & annotandam esse illam victoriam, postquam Deus Mosi monstraverat literas, quibus scribi quid posset, quod non ante factum est, quam Deus tabulas scriptas Mosi tradidisset, ipsumque legere docuisset. B Nam & lex ipsa tabulis scriptis comprehensa, a Deo oretenus prius Mosi declarata fuerat, quam tabulis commendata fuit, ut patet Exodi vigesimo capite. Nam Exodi vigesimo quarto v. 12. primum Mosi præcipitur, ut adscendat ad Deum, & accipiat tabulas illas scriptas, quæ continebant leges, quas populum docere debebat Moses. Et tamen ante v. 4. etiam extat, Mosen tunc scripsisse omnia effata Dei, quod, ut prius dixi, factum fuit, postquam de scriptione a Deo primum edoctus fuerat. Nam cum scribere juberetur Moses victoriam Amalekiticam, nihil sequitur de C scriptione Mosis tunc facta, sed altari tantum erecto, in signum & memoriam victoriæ. Quin & v. 7. c. 20. liber fœderis adducitur, ex quo omnia populo prælegerit, quæ Deus jusserat, antequam Montem Sinai adscenderet, ut tabulas acciperet. His argumentis jugulare nos student, qui scriptionem ante Mosen statuunt, nec cogitant, libros Mosis diu post acta ista omnia & colloquia cum Deo suo tempore primum conscribi cœpisse, ubi hæc, quæ Deus jusserat scribi, fideliter a Mose scripta & annotata legimus, non quod isto momento, quo res gestæ sunt, Moses scribere potuerit, sed quod edoctus primum postea scripserit. D Nam si ante Mosen scriptio ulla viguit, cur Aaronem, cur Sacerdotes Mose disertiores & doctiores, nihil scriptis mandasse legimus? Mirum sane, Mosen solum hanc artem scribendi coluisse, Sacerdotes Dei nequaquam. Quidquid sit, ante Mosen neminem scripsisse quidquam, sive ante tabulas datas scripserit, sive post eas acceptas, Mosen primum esse, qui scripsit literas, satis manifestum esse credo ex sacris literis, quibus antiquiores nullæ dantur. Nam & Ægyptii, ad quos provocas, Mose sunt posteriores, nihilque scripserunt, sed post Mosen peculiarem sibi scriptionem effinxerunt, ut & alii populi Orientis, quas E scriptiones Mosen præcessisse, & ejus scriptionem, nequaquam dicere possumus, quum S. Scripturæ nequaquam consentiant. Vides itaque, summe Vir, nihil esse in scriptoribus, quod illam sententiam Mosen primum fuisse scriptorem negare possit, nec tua verosimilia locum nullum invenire. Quotquot sunt qui scripserunt, post Mosem omnino sunt, sive sint Ægyptii, sive Syri, sive Chaldæi & populi alii, omnes in scriptione Mose sunt posteriores. A Mose omnis scriptio cœpit, illam omnes populi, qui scribere voluerunt, imitati sunt, Chaldæi, Ægyptii, Syri, suo quilibet modo; quis enim omnes illos scriptionis modos satis F enumerare sibi sumat? sunt vetusti omnes, sed ita vetusti, ut Mosen nequaquam præcesserint. Is autor scriptionis omnis manet, utpote divinitus de illo edoctus primum. Divinum est enim inventum scriptio, non humanum, nec aliunde quam a Deo originem scriptionis repetere possumus; quam si ante Mosen volumus, fallimur quotquot sumus. Quod dum facile te videre judico, qui penitius omnia soles dijudicare, illis antiquis scriptione, quam ignorabant, nec in mentem unquam

illorum

illorum venerat, opus non fuiſſe ad commercia tunc exercita ſtabilienda, ſed ſine ſcriptione ulla inter gentes eſſe propagata. Video, te in literis ad clariſs. Ottium urgere de annulo Pharaonis Joſepho Patriarchæ tradito, quaſi ille eo fine traditus eſſet, ut eo obſignaret literas ad Præfectos dandas. Hoc nullibi in ſacris literis memoratur, ideo datum eſſe Joſepho annulum Pharaonis, ut eo ſcripta obſignaret, nec Pharaonem aut Joſephum unquam ſcripſiſſe, ſacræ literæ ullo verbulo teſtatæ ſunt; ſed ut torques aureus, Rege dante, ipſi circumdatus fuit, ut veſtibus Regiis ornatus fuit Joſephus, & curru proximo Regio, aliiſque honoribus inſignitus, ſic quoque annulo Regio donatus fuit, ut conſtaret omnibus, ipſi poſt regem ſummam autoritatem totius Regni concreditam, ipſiuſque mandatis obſequi debere ſubditos omnes Pharaonis. Hæc enim omnia conjunguntur Geneſ. 41. v. 42. & ſeqq. Num inde annulum ſignatorium exculpere potes ulla ratione? indices majeſtatis & honoris ſingularis? Primus annulus ſignatorius in ſacris occurrit Jerem. 22. v. 24. non quod ſtatuam annulos ſignatorios non ante fuiſſe; ſed quod poſt Moſen primum orti ſint iſti annuli ſignatorii ad literas obſignandas. Et quamvis Exodi 28. v. xı. Sculptores gemmarum primi memorentur, qui onychas binos ad ornatum Aaronis cum nominibus duodecim tribuum Iſraelis exſculptos reddere debebant, haud tamen exinde ſequitur, iis Aaronem auro, licet incluſis, obſignaſſe literas ullas ſcriptas, ſed in veſtibus Aaronis affixos ſediſſe. Neque enim omnia ſignata, & ſculpta annuli erant ſignatorii, qui ἀποσφραγίσματα reddere debebant. Sed quidquid de his gemmis ſculptis cum nominibus tribuum eſſe poterit, etiam illæ artes infuſæ erant iſtis hominibus a Deo, prout teſtatur Moſes eod. cap. v. 3. Cœtera quæ ad Dn. Ottium ſcribis, Vir antiquitatum amantiſſime, non ejus momenti ſunt aut ponderis, ut contra ſacras literas valere poſſint, quæ veram originem ſcriptionis cum Moſe nobis tradiderunt. Hæc omnino præferre debemus omnibus aliis ſcriptoribus, qui,quia Sacram Scripturam non ſequuntur, omnino in errores ſe præcipitarunt: quum quælibet natio ſtuduerit humanis & ſuis inventis ſcriptionem attribuere, quæ ſolius Dei eſt Opt. Max. & digiti Dei omnes homines ea de re primum informantis. Ubi enim Chaldæorum aut Ægyptiorum ſcriptio ante Moſen in ſacris literis commemoratur? ubi, quæſo? Ipſi ſibi hanc gloriam tribuunt, ſe Moſe priores ſcripſiſſe, quod falſum eſt, quique illos ſequuntur, falſi ſunt. Mihi ſufficit divinam Scripturam pro me loqui: cœteri videant, quomodo ſua tueantur, qui nec volam, nec veſtigium ullum eorum, quæ dixerunt vel ſcripſerunt, proferre poterunt ex ſacris literis; quæ norma ſunt & amuſſis, ad quam omnes hiſtoriæ referri debent. Quidquid cum S. Scriptura conſentit in ſcriptoribus ſacris, aut profanis, illud accipio, & veneror; at quidquid contra ſcribitur, illud peſte magis fugio, nec me unquam aſſentientem habebunt. Et quoniam multi pertinaces ſunt ſuæ ſententiæ propagatores, ſuis erroribus relinquendi ſunt, nec cum illis diſputandum novimus, qui principia negant, quorum caput eſt S. Scriptura.

Converto me ad Samaritanas literas, de quibus in literis tuis ad me ſcribis te capere non poſſe, quomodo Judæi, qui Samaritanos & omnia eorum cane pejus, & angue oderant, iſtius populi literis in nummis ſignandis uti voluerint. Nodum hunc facile tibi ſolvam, iſtos nummos æque ac Hebraicos ſiclos, non cuſos fuiſſe eo tempore, quo regnum ullum Judaicum ſtetit, quin & diu

A poſt, diſperſis jam Judæis & Samaritanis per Romanos, non ante nummos illos ſive Judaicos, ſive Samaritanos cuſos eſſe, quam Chriſtiani peregrinationes ſuas in illas terras inſtituerunt. Tunc enim illæ fraudes nummorum primum prodierunt, magnum inde lucrum captantibus Judæis & Samaritanis propter Chriſtianos, qui nummos illos maxime deſiderabant produci. His nummis illi illinebant, quidquid vellent, & quæ antiquitatem ultimam ſtantibus etiam regnis Judææ & Samariæ præferebant. Hæc jam B. Wagenſeilius multis nos docuit in ſuis ſcriptis. Vides ergo, cujus fidei ſint hi nummi, effičti omnes lucri cauſa, quod B inter Chriſtianos liberales, & credulos liberaliter piſcabantur.

Sed & illud notandum occurrit de Samaritanis illis novis literis inter Cuthæos &c. uſitari cœptis, eas vix illis temporibus, cum Eſra & Nehemias cum Judæis ex captivitate Hieroſolymam redierunt, extra colonias illas Samaritanas novas inter reliquas gentes vicinas notas fuiſſe, nec uſum ullum, ut peregrinas & barbaras habuiſſe. Eam namque ob cauſam ad Regem Perſarum & Aſſyriorum Syriace ſcribere coacti ſunt, quod illorum linguam & literas in aula Regia non intelligeC rent, ut patet ex Eſræ 4. cap. niſi fallor. Syria enim, & illorum lingua ſe late extendebat, & omnibus Orientalibus erat notiſſima præ cœteris, quæ ſatis demonſtrant, Samaritanorum Cuthæorum linguam & literas tunc temporis inter ignotiſſimas fuiſſe: ita ut Pentateuchum Samaritanum, quod tantæ antiquitatis perhibetur fuiſſe, tunc valde novum fuerit, & ex Pentateucho Moſis deſcriptum illorum Samaritanorum novorum literis barbaris, ut populi Coloniæ illud intelligere, legere, & capere poſſent. Quod iſtorum Sacerdotum adjumento, quos Rex Perſarum illuc miſit, ex Hebraico textu literis Samaritanis conſcripto ſucceſſit. Nam D quamvis unus tantum Sacerdos ex captivis Samaritanis eo miſſus ſcribatur, ut populum illum novum doceret de veri Dei cultu ſecundum Samaritanorum veterum religionem, facile tamen intelligimus, unum ſolum Sacerdotem his non ſuffeciſſe, ſed ſecum alios aſſeclas complures eo duxiſſe ejuſdem veteris religionis Samaritanæ peritos, qui non ſolum Cuthæos, ſed & Sephaſvoiim & alios illam coloniam conſtituentes informarunt de divino cultu, ut Eſræ tempore dicere potuerint Judæis, ſe unum verum Deum cum illis colere, eandemque religionem fovere, ideoque cum Judæis ad ædificandum templum admitti ſe petere. E Hæc mea de Samaritanis & illorum literis eſt ſententia, quam S. Scripturæ nullo modo contrariam arbitror, quum de Samaritanis literis ante illam ætatem nihil exſtet.

Inſcriptionem Bruynii ex ruinis Perſepoleos adductam quod miſeris, gratias tibi debeo maximas, Vir perilluſtris; nec in illis niſi tres literas, diverſas a ſe invicem obſervo: turritæ aut pyramidales ſunt omnes, quædam erectæ ſtantes, quædam inverſæ, quædam jacentes ad latera, poſitura quidem diſtinctæ. Gaures pop. fuerunt Perſiæ, & Gauram mons ibidem apud Plutarchum, illorum religionem & ſcriptionem Perſas olim obſervaſſe F multi ſcripſerunt, donec tandem ab Arabibus edocti illorum literas aſſumſerunt, quibus hodienum utuntur Perſæ. An autem hæc inſcriptio ad Gauricam ſcriptionem pertineat, dicere nequeo. Oedipus enim non ſum, mihique plane ignotæ manent: ſed dubitandum maxime relinquitur, an hæ literæ ſint legibiles, quoniam uno tenore plures ſe invicem ſequuntur, nullamque vocem efficere poſſunt, an potius ornamenta monumentorum iſtorum ſint, a ſculptoribus addita, ut ſo-

lent: nam & ejusmodi signa in Gothicis, quæ vocant, monumentis reperiuntur, & in cornu nostro Danico aureo, ne plura similia adducam, quæ pro cordibus novem Jutlandicis interpretati sunt, novem ejus districtus *Syssselas* significare debentes, quum non sint nisi ornamenta sculptorum in fine operis addita. Hæc saltem monenda duxi ad illas Inscriptiones, si veræ Inscriptiones sunt, & non potius ornamenta. Thomam Hyde Anglum de religione veterum Persarum in mea Bibliotheca non habeo, ut quid ille sentiat de his Inscriptionibus, animadvertere non potuerim. Nihil igitur ex his literis simile mihi quidem occurrit, sed inter ornamenta monumentorum Persicorum ista omnia repono, quum sine circumstantibus omnibus ad me pervenerint, & pro Inscriptionibus literatis habeantur solum: dixi igitur quid sentiam.

Cœtera tua de avibus magnis & ingentibus non tango, sufficit eas reperiri, & in rerum natura existere; licet parce admodum sint notatæ & descriptæ, quoniam raro hominum oculis occurrerunt, & occurrunt. Finiam igitur hanc longam Epistolam, tibi tædio futuram etiam perlegendo, quod tibi ipsi imputare potes, qui in tam varia & erudita me conjicere voluisti; ne chartæ meæ ad te, Vir summe, inanes redirent, feci. Valeas igitur & vivas diutissime ac felicissime.

Dabam Hafniæ a. d. xxv. Januar. 1710.

LXXVIII.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO
S. D.
GISB. CUPERUS.

GRatias tibi, vir eximie, ago ingentes pro voto, quod facis initio acceptissimæ epistolæ tuæ, & quod in eadem ultima repetis pro salute, felicitate & prosperitate mea. Ego equidem spero, Deum illud exauditurum, & si mihi, qua est clementia & facilitate, annuit, eris certe longævus, & adjicientur anno septimo tuo & septuagesimo complures, quia Majestatem illam sacrosanctam multum sæpius veneror, ut te diu incolumem servare velit.

Certe istud meretur singularis tua, atque recondita eruditio, cujus tot specimina dedisti tam publice, quam privatim; & spem hanc mihi augent oculi tui, quos nondum adjuvare perspicillis cogeris. Rara profecto felicitas; & ego te imitor, natusque annos sexaginta quinque iisdem instrumentis non utor, nullaque tam parva, & tam intricata scriptura est, quin eam legere ipso vespere adpropinquante possim.

Nunc ad reliquam epistolam tuam accedo, & tecum plane sentio, quicquid extra S. Scripturam nos docere voluerunt eruditi, illud facile in spongiam incumbere. Sed vide, vir amplissime, an non ipse hanc in legem pecces, cum verba Mosis Exod. 17. 14. ita interpretaris, ut quod Deus jubet, ut scriberet & annotaret victoriam contra Amalekitas, hoc primo faciendum esse, postquam Deus Mosi monstrasset literas, quibus id scribi posset... Ast ego S. Scripturam sequutus ita ratiocinor: Deus ante legem latam clare, & absque ambagibus jubet, ut Moses victoriam de Amalekitis partam consignaret literis, & inde sequitur, tunc temporis Mosen scivisse scribere, & Deum postea iisdem literis legem scriptam eidem tradidisse: quid quod & ante legem a Deo inscriptam tabulis lapideis Moses dicitur 24. 4. scripsisse universos sermones Domini, & v. 7. sumpsisse volumen Fœderis, illudque legisse audiente populo; id quod ego non aliter interpretari posse confido, quam Mosen continuo scripsisse, quæ a Deo acceperat. Deus nihilominus ipse legem decem præceptorum scripsit postea, ut ita scilicet rebellis, duræque cervicis populo major erga eam foret reverentia, quin & visum ipsi fuit easdem aliis tabulis indere, postquam indignatus vitulum aureum Moses, priores solo illiserat.

Plures deinde putas a Rege Assyriorum (Persarum scribis) missos Sacerdotes ad novos Samariæ incolas, cum tamen S. S. claris & disertis verbis *unum* tantum memoret, & te ipsum judicem fero, si hoc non est oppositum plane pulchræ tuæ sententiæ, atque, si fas mihi ita loqui, extra oleas vagari. Comites absque dubio habuit Sacerdos ille, sed nihil necesse est, ut fuerint Sacerdotes, & ego certe a Scriptura, quando præcipue tam clara est, imo nunquam, abire vellem. Aliud tamen longe mihi videtur esse, pace quod dictum sit tua, ratiocinari de rebus obscuris, quæ licet distincte non narrentur, tamen verisimile est, fuisse olim & diu in usu ante Mosem. Et omnino animadvertendum est, si ratiocinatio tua procedit, statui debere, nihil fere ab hominibus antediluvianis, & iis, qui ante Mosem vixerunt, actum esse, nullas nisi paucas artes inventas, quia earum Moses non facit mentionem; cui scilicet tantum propositum fuit seriem seminis Abrahami nobis ostendere, & quomodo per Patriarchas ab Adamo illud sit repetendum, & inde est, quod sicco pede transeat multa, imo plurima, quæ illis sæculis proculdubio acta sunt.

Ex illarum rerum numero sunt literæ, quas verisimiliter omnino ante Mosem in usu fuisse cum multis eruditis credo, licet id præfracta fronte, id quod credere videris, defendere nolim, sed exercitationis causa me in hanc commissionem & disputandi campum contulerim. Et certe *annulus Pharaonis* mihi alicujus ponderis videtur, nec puto errare viros eruditos, qui illum non de simplici annulo, sed de tali, cui notæ insculptæ, & quo Pharao literas suas signare solebat, exponunt; moris enim erat Orientalibus Regibus illos ipsos gestandi, uti patet ex Historia Alexandri Magni, aliorumque Principum: quanquam Assuerus annulum suum servandum tradiderit Hamani, & ab eo ablatum Mardochæo, quemadmodum Historia Estheris nos docet. Et certe non video, cui alii rei inservire potuerit annulus Pharaonis, estque ingens inter eum & alia ornamenta differentia, uti proculdubio ipse, qua es cognitione, perspicere poteris. Inde addis, vir præstantissime, primum annulum signatorium in sacris occurrere Jerem. 22. 24. nec statuis, tales antea non fuisse, sed eos post Mosen primum ortos esse ad literas obsignandas.

Ratiocinatio hæc secundum hypothesin, cui omnia tua superimposita sunt, de literis per Mosem inventis pulchre procedit, si statuamus annulo, cujus Jeremias Propheta facit mentionem, literas insculptas fuisse; sed nonne res aliæ in eodem sculpi potuerunt, cum constet artem illam diu ante Mosem cognitam fuisse, uti equidem mihi omnino videtur? Quicquid sit, bina sese mihi præter eum, qui Josephum spectat, loca offerunt, in quibus non dubito, quin fiat diu ante Jeremiam mentio annulorum signatoriorum. Nam legimus Gen. 38. 17. Judam Thamari dedisse arrhabonis loco *annulum*, quem fuisse signatorium & habuisse σφραγῖδα vel χαρακτῆρα observant Interpretes; & quidem

A post eos Clericus notat Hebræam vocem *hhotamcha* certissime sigillum denotare, & LXX. vertere δακτύλιον vulgatumque *annulum*, quæ voces absolute positæ tam Græcis, quam Latinis significant annulum signatorium. Et certe Thamar non habuisset extra annulum talem firmum testem concubitus, cum Juda dicere potuisset, annulum nulla nota insignem suum non esse.

Alter locus occurrit Exod.28.36.ubi quidem vulgatus interpres ita loquitur: *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris*... sed LXX.vertunt ἐκτύπωμα σφραγῖδος *expressionem sigilli*, & alii contendunt,eandem vocem occurrere v.21. atque significare *sculpturam annuli*, id est,

B ut sculpantur sculptura annuli, sive ut characteres vel figuræ incisæ sint, uti in annulis signatoriis, non autem exstantes.

Jam video te dicturum, nullum ex ultimo loco argumentum certum duci posse, quia artes illæ habitus infusi erant a Deo, prout testatur Moses v.7. ejusdem capitis (imo cap.31. v.3.) viderisque ita mihi statuere, artifices istos antea ignorasse has artes, & Deum ipsis tunc temporis primum illas dedisse. Sed ego puto, viros hosce cælaturam jam cognovisse in Ægypto, & annulis signandis aliisque rebus operam dedisse, singularique Dei

C beneficio excelluisse in arte illa, aliisque, quæ ibi memorantur: id quod per Clericum pulchre firmatur verbis Senecæ lib.4. de Benef. c.4.

Quin & clarior locus occurrit cap.28. v.11. *Opere sculptoris & cælatura gemmarii sculpes eos*: & idem vir doctus mecum facit, notatque hic sculptorem debere intelligi & opificem lapidis, & sculpsisse indicari non eminente scalptura, sed excavata gemma, ut in sigillis fieri solet; tandemque ab antiquissimis temporibus usum increbuisse gemmarum sculptarum, quæ sigilli loco essent, hinc posse colligi.

D Atque ita quidem puto me defendisse, & elucidasse opinionem meam, literas nempe ante Mosem in Ægypto & alibi cognitas & in usu fuisse; id quod mirifice firmatur narratione Sacerdotum Ægyptiorum apud Diodor. Sicul. lib.1. quæ nos docet, *Regi sub auroram experrecto literas undecunque scriptas datas esse, ut ita cognosceret regni negotia*; & ἱερογραμματεῖα consulta quædam postea & facta legisse ex commentariis sacris clarissimorum virorum, ad vitam conducentia. De antiquissimis Regibus loquuntur Sacerdotes, & si hæc ita sese habent, præclarum utique nobis suppetit literarum testimonium; nam quamvis libri illi potuerint scripti esse Hieroglyphicis literis,

E tamen nullo modo verisimile est, alios in literis suis iisdem usos esse. Multa similia in medium afferre possem, sed hæc, uti equidem reor, sufficient, & inde me ad reliqua epistolæ tuæ capita confero.

Notas igitur, *divina scripta nihil nos docere de antediluvianis scriptionibus, & nihil ante Mosem scriptum prodisse*, Mosemque ipsum edoctum a Deo in binis tabulis consignasse hasce literas, quibus hodie utuntur Hebræi. De ultimo hujus assertionis capite nunc non agam, sed ante legis Tabulas Deus jubet Mosem, ut scriberet; dein-

F de Moses non consignavit literis legem, sed ipse Deus manu sua, uti patet ex cap.31. v.18. & 34. 1. Exodi. Neque certe ex S.S. probari potest, neque etiam in id enitar unquam, Heberum scriptionem Hebræam invenisse; quia nihil tale Divinum illud volumen nos docet; sed illud agitur, an non plane verisimile sit, illum vel alium utilissimam rem invenisse, & an non Moses edoctus omnem Ægyptiorum sapientiam sciverit etiam scribere & literas alphabeti cognoverit, antequam Deus ipsi legem tradiderit; nec profecto video, quare hac super re disputari non possit, & insuper salva maneat S. Scripturæ auctoritas.

De siclis Judaicis, atque de Samaritanorum literis non amplius agam, cum in illo stadio desudaverint tot præstantes viri, & cum statuas, siclos signatos esse dispersis tam Judæis, quam Samaritanis per Romanos, cum Christiani peregrinationes suas in illas terras instituerent, atque mittas idem doctissimum Wagenselium sentire, ancipitem profecto requirit hæc materia deliberandi curam: quanquam verosimile sit, Simonem usum esse indulgentia Regis Antiochi, quam nobis conservavit Auctor libri 1. Machabæorum. De characteribus Persepolitanis agis tandem, putasque illos non esse literas, sed ornamenta; id quod forte verum est, & nonnulli alii etiam statuunt.

Sed cum mihi hæc ornamenta simplicia nimis sint, & alia pulchriora, præcipue in columnis, ruinarum illarum observaverim, mirum mihi equidem videtur, artifices tam simpliciter sese hic gessisse, & splendidis ornamentis posthabitis, Regiam tam magnificam, tam levidensibus nulliusque ordinis rebus exornasse.

Fateor tecum, omnes istos characteres ejusdem fere formæ esse, sed hæc simplicitas videtur nobis ob oculos ponere scriptionem antiquissimam; & diversa illorum positio, uti etiam varius numerus, potuerunt denotare literas alphabeti, quod populo illi erat in usu.

Sed tandem materiæ hæ intricatæ & perplexæ relinquendæ sunt; ego certe iis libens lubens nuntium remitto, nec in posterum super iis tecum, vir amicissime, & præstantissime, contendam, sive permaneas in sententia tua, id quod & me facere vides, sive eandem mutes.

Nunc ad lætiora me convertam, & per Britanniam, Hispaniam & Ægyptum peregrinabor; neque tamen de rebus gravibus, sive illæ Geographiam, sive antiqui ævi reliquias, spectent, agam; sed breviter tantum monebo, illis in regnis obtinere mores, qui ante millenos annos etiam fuerunt apud alios in usu.

Nosti Anglos vel Britannos, si quid publice peccatum a Rege est, non Regem reum facere, id quod tamen neglectum fuit in Carolo I. sed ejus consiliarios, atque id olim apud Ægyptios obtinuit, uti præclare testatur Diod. Siculus lib.1. pag.64. ed Rhod. *Hæc multaque alia* (latina tantum mitto) *his affinia ubi peroravit Antistes, ignorantiæ ad extremum peccata* (a Rege nempe commissa) *execratur*, Regem quidem culpa eximens, sed & noxam & pœnam in ministros & doctores malorum retorquens.

In Hispania Regi vivendi modus præscriptus est, uti vel patet ex lepida narratione Comitis d'Aunoy, quæ sollers fæmina illam legem pulchre describit. Idem olim statutum Ægypti Regibus, idem Diod. loco laudato: *Sacerdos consulta quædam & facta clarissimorum virorum prælegebat, ut princeps Reip. honestissimorum rationes consiliorum animo consideratas, ad præscriptam singulorum administrationem simili modo accommodaret. Non enim agendi ad populum & judicia obeundi tantummodo, sed etiam deambulandi & lavandi, & cum uxore dormiendi, omniumque adeo per vitam agendorum, tempus definitum erat. Simplici præterea nutrimento uti, & vitulorum anserumque carnibus vesci, & certam bibere vini mensuram*, & quæ alia ibi sequuntur; ubi vides veram Hispanorum Etiquette, uti legem illam appellant.

Non ignoras tandem, hodie in Ægypto pullos gallinarum, & aliarum volucrum produci ope

furnorum calefactorum; & hoc ante bis mille & plures annos eodem in regno fuit obſervatum. Neque enim dubito, quin hoc nobis breviter narret Diod. lib. eod. pag. 67. *Et quod admirationem propter ſummam in hiſce rebus induſtriam in primis meretur, gallinarum altores, anſerumque paſtores animantium horum procreatione, natura cæteriſque hominibus pervulgata non contenti, ſuo ipſi ingenio infinitam avium (hujus generis) multitudinem congregant. Non enim aves incubare ſinunt, ſed ſuis ipſi manibus (quod mirum eſt) fœtus excludunt, & ſic efficacitati naturali ingenio & arte nihil concedunt.* Continuo mihi veniebat in mentem Livia, poſtea *Auguſta* Auguſto nupta, quæ ex *Nerone* (peſſime in notis ad Sueton. Pitiſci ſcribitur *Cæſare*) *gravida, ovum in ſinu fovendo, atque eum deponendum haberet, nutrici* PER SINUM *tradendo ne dimitteretur tepor*, pullum vel gallum gallinaceum excluſit, teſte Plinio 10. 55. vel illud nunc *ſuis, nunc miniſtrarum, vel ancillarum MANIBUS fovit, donec gallus inſigniter criſtatus excluſus eſt*, uti rem hanc narrant Sueton. c. 14. Tib. & Joh. Sarisb. 1. 13. de Nugis Curial. Nec quicquam ad rem facit differentia *manuum*, & *ſinus*, cum utrumque fieri potuerit, & inde docemur, ova ita excludi poſſe, id quod omnino firmatur per Diodorum, apud quem gallinarum altores, & paſtores anſerum dicuntur *ſuis ipſi manibus fœtus excludere*. Græca ſunt, *καὶ αὐτοὶ παραδόξως χειρουργοῦντες*, & cum loquatur Diodorus de infinita avium multitudine, quæ ita excludebantur, ego exiſtimo, artem illam & augurium Liviæ locum habere nullum poſſe, maxime cum & ita ingens hominum multitudo ad producendos pullos nocte, dieque requireretur: *χειρουργεῖν* & *χειρουργία* de omni actione dicitur, ad quam perficiendam manibus opus eſt, cumque illæ præcipue deſiderentur in pullis per calorem excludendis, ego nullus dubito, quin tunc temporis Ægyptii ejuſdem artis fuerint periti, quanquam mirari ſatis non poſſim, Diodorum eandem non deſcribere, maxime cum fuerit in Ægypto.

Hiſce nunc fruere, & ſi quam nauſeam ex prima epiſtola acceperis, ſpero te ultimam recreaturam & exhilaraturam. Vale.

Daventriæ 10. Feb. 1710.

LXXIX.

Nobiliſs. Ampliſs. & Conſultiſs. Viro Dn.

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

ACcedo nunc, Vir Ampliſs. ad literas tuas 10. Feb. Daventriæ datas, ut reſpondeam, ad quas reſpondere prius debueram, ſed variis impeditus non potui. Urges primo & arripis argumentum, quod Moſes juſſus ſit ſcribere victoriam de Amalekitis ante legem ipſi traditam. Ergo eum potuiſſe ſcribere ante legem. Non attendiſti, Vir Conſultiſſime, quæ addidi de hac Moſis ſcriptione, eum nimirum expleviſſe mandatum Dei; ſed quando? poſtquam res omnes geſtas conſignavit in Pentateucho ſuo. Quod ſane poſt legem ſcriptam traditam primum ſucceſſit, nec ullum verbum in ſacris literis de victoria contra Amalekitas ſtatim ſcripta a Moſe reperitur, ſed lapides ſolos erectos, in quibus hæc victoria deinceps annotari debuit. Qua ratione facile hoc argumentum tuum eliditur.

Nec ego a Scriptura Sacra abeo, dum unum Sacerdotem miſſum ad novos Samariæ incolas dixi, ſed huic Sacerdoti plures, ſi non Sacerdotes ſummos, Clericos tamen adjutores & comites iviſſe nullum eſt dubium, ex quibus, Sacerdote illo mortuo, alius Sacerdos ſucceſſit, qui gentem novam informare potuerit doctrina Samaritanorum, quod neque rationi, neque S. Scripturæ repugnare ſatis certus ſum.

Quæ deinde de antediluvianis mones, haud ego ſentio ante diluvium nihil actum eſſe; imo plurima ſunt acta, geſta, & peracta; quorum tamen nulla novimus, niſi per Moſen: quare? quia nulla ſcriptis conſignata ad nos pervenerunt, niſi quæ Moſes de illis in Pentateucho ſuo nobis reliquit, & quæ ille ſufficere credidit, ut ſciremus. Si quæ ille tranſiit, nos ſupplere non poſſumus, nec Judæorum traditionibus extra Moſen & Sacram Scripturam inhærere licet, cum futilia plerumque ſint quæ tradunt, ut & ipſe Joſephus, quando illis addictum ſe ſæpe monſtrat.

Urges quoque de annulo Pharaonis Joſepho Patriarchæ tradito, & Judæ oppignorato meretrici, illumque ſignatorium fuiſſe tibi aliiſque doctis videri credis. Credas licet, Vir Eruditiſſime, ſed alia mihi ſententia ſedet; iſtius Pharaonis aut Judæ annulum non fuiſſe ſignatorium, neque hoc Scriptura dicit, ſed utitur verbo טבע *Tabaab* a verbo טבע *Tabah*, quod ſignificat *immergere, demergere, ſubmergere, figere, infigere*, quod digitus annulo cuicunque immergatur, & infigatur annulus digito, quod ſane fit etiam ſine ſculptura; ſufficit iſtum annulum, qualiscunque fuerit, Regium fuiſſe, qui Joſepho traditus eſt.

Nam ſignatorium fuiſſe, nec Sacra Scriptura dicit, nec ex ejus verbis hoc elici poteſt, aut ſequi. De Annulo Judæ, quem pignori oppoſuit apud Thamar Geneſ. 38. v. 18. & ſeqq. verum eſt illum חתם *chotam* vocari annulum ſignatorium, nam חתם *chatam* ſignavit & obſignavit Hebræis dicitur. Sed Moſes ſcribens illud per *πρόληψιν* Judæ aſſignaſſe videtur, quod poſtea in annulis commune erat, poſtquam gemmas ſculpere didiciſſent. Nam Moſis tempore poſtquam ſculpturæ gemmarum in uſum veniſſent, omnes annuli *Chotam* tanquam ſignatorii vocabantur, ut & *Tabach* pro annulo ſignatorio cœpit uſurpari, ut Eſther 3. v. 12. adeo ut de quovis annulo deinceps & *Tabaa* & *Chotam* dicerentur, licet ſculptæ non eſſent. Facile igitur tibi concedere poſſem, gemmas etiam inſertas annulis fuiſſe, at non ſculptas, ſed emolitas in quaſdam figuras, quadratas, aut rotundas, quas artifices Belgicæ linguæ *Steenſlyper* vocare ſolent, ſi tales S. Scriptura ante Moſen nominaſſet, quod nunc non memini in ſacris occurrere. Nam quod Gen. 2. v. 12. de gemma Onyche, quæ reperiatur in regione Hevilah, illud non ſtatim præſupponit ſculptores. Sed poſt illum locum de gemmis in uſum converſis nihil S. Scriptura dixit, memoravit, priuſquam Exod. 35. v. 30. & ſeqq. ubi Bezaliel dicitur impletus a Deo ſpiritu Dei, ut poſſit artificioſiſſime elaborare omnia tam in auro, quam argento, & ære & lignis, ut & gemmas ſculpere, & inſerere. At quid opus fuiſſet peculiari ſpiritu divinos illos homines inſpirare, ſi jam ante Moſen ſculptura experimentis confirmata fuiſſet? adeo ut emoluberes multum diſtent a ſculptoribus gemmarum, qui primo cum Moſe cœperunt, ſi S.

Scripturæ credimus. Deus enim & Moses ingenium hoc sculptoribus primum insinuarunt, ut non solum animalium figuras, sed & literas gemmis insculpere possent, ut patet ex textibus sacris. Sed locum quem adducis Exod. 28. v. 36. & repetitur Exodi 39. v. 30. de frontali aureo: quod artifices secundum jussa Dei & Mosis effecerunt, & quod cœlatum fuit, imo Luthero vertente, etiam literis insignitum, sculptis, und grubenschrifft darein, hoc non facit contra me, sed post Mosen aut Mosis tempore illas sculpturas primum prodiisse significatur, cui non adversari me decet: neque enim ante legitur sculptura auri, aut gemmarum in sacris. Quæ de Ægyptiis, & illorum scientia ex profanis scriptoribus adducis, talia sunt, quæ longe post Mosen intelligi debent. Semper nos S. Scripturam illis præferimus, quæ non tacuisset, si alia scriptio prius cognita fuisset, quam Deus illam Mosi revelavit.

Quod de indulgentia Regis Antiochi, qua concessit Judæis nummos signare & cudere, tu credis illud a Simone Macchabæo, ut beneficium quoddam, acceptum esse, non ego; hancque rem in meo de Nummis non cusis dilucidius proposui, & magis propendeo Simonem non Antiochi arbitrio adquievisse, & nummos cœpisse cudere, quoniam hoc erat contra patrios mores. Sed hæc missa faciamus. In cœteris, quæ de Regum actionibus ad examen vocandis disseris, Tibi, Vir summe, consentio, nisi quod *Etequette* Hispanor. non approbem, quæ præscripta servari nequeunt, nec servantur, quoniam ridicula magis sunt, quam seria; ut & de pullis in Africa sine incubatione ovorum producendis, est enim illud clima huic rei aptissimum, quod sole perpetuo, & ferventi illustratur; de qua re quoque diserte Leo Africanus egit, novique Doctorem Medicinæ hujus loci, qui annos ante paucos idem hic tentare voluit furno suo extructo; successit quidem res in paucis ovis, sed in plerisque temperamentum illud, quod requirebatur, defuit. Sub finem abs Te quæram Vir Eruditiss. an unquam videris Isaaci Pontani Glossarium Celticum, quod citat Menagius aliquoties. Mihi sane hactenus ignotum est, qui libenter illud inspicerem & legerem, sed nullibi apud nos reperitur. Non dubito, quin in Belgio sit pro cusum. Si quid de illo libro nosti, mecum communices, oro, & si Tecum est ille liber, quid doceat & quomodo, paucis me doceas enixe peto. Sicque valeas & vivas diu ac felicissime.

Dabam Hafn. a. d. XVIII. Aprilis CIƆIƆCCX.

LXXX.

Clarissimo Celeberrimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Recte curata est epistola, quam hoc ipso anno ad me dedisti, & qua complexus es res utique elegantes & præclaras. Gaudeo autem, nos frequenter dissentire salva amicitia, cui ego, licet in alia omnia ire pergamus, nunquam remittam nuntium; id quod & te facturum, fidem, & sponsorem habeo pietatem tuam, & humanitatem, atque adeo singularem tuam erga me benevolentiam. Et ne quid veteres nostras contrariasque de variis eruditis rebus sententias revocem, origo literarum vel alphabeti novam nobis materiam eamque elegantem suppeditat; cum tu, vir eximie, Mosen primum facias earum auctorem, ego vero illas credam & defendam longe antiquiores esse.

Speraveram rationes meas tibi satisfacturas, sed id aliter evenisse animadverto; & quanquam vix deceat amicos continuo serram reciprocare, tamen veniam, uti equidem spero, dabis mihi, si viam, quam sequutus sum, insistam, & breviter nonnulla tibi reponam.

Mittis igitur ad me, non esse necesse, ut existimemus, Mosen continuo post Dei mandatum consignasse literis cladem Amalekitarum, eum id fecisse post scriptam legem, & postquam consignavit res omnes gestas in Pentateucho, nullum verbum in S. S. de Victoria hac statim scripta, sed lapides solos erectos, in quibus illa deinceps annotari debuit.

Fateor hæc aliquam habere speciem veritatis, sed tamen multa iis opponi possunt. Nam 1. ego Exod. c. 17. nullos invenio *erectos lapides*, sed *altare*; quod si factum fuit ex præscripto Dei cap. 20. v. 34. certe illud fuit ex terra. 2. ne vestigium quidem ullius inscriptionis in lapidibus, si altare ex iis fuit constructum; vel præter illud lapides fuerunt erecti, de quibus plane silet S. S. 3. Deus non jubet, ut Moses rem istam memorabilem lapidibus inscribat, sed *libro*, v. 14. cap. 17. Et 4. mihi nequaquam fit probabile, Deum ad Mosen loquuturum de *scriptura*, & de *libro*, si ille res tales non cognovisset, neque illæ fuissent in usu; & a sapientia atque benevolentia Dei mihi omnino alienum videtur, ut ageret cum Mose de rebus ipsi plane incognitis; & mihi persuadeo, Mosen interrogaturum Deum, quid illa *scriptio*, quid *liber* sibi velint, uti de aliis antea, & postea rebus cum summa illa & æterna Majestate egit. 5. Multa sunt, quæ docent libros, scripturam, literas in Ægypto ante Mosen cognita fuisse. Nosti vir præclare, quæ auctores antiquissimi de Thoth, vel Mercurio Trismegisto tradant, quem verisimile est Mose, & ipso Josepho antiquiorem esse, quanquam multa supposititia illi tribuantur, & alii eundem faciant Mosen, & quot libros illi tribuant; quæ insuper de pyramidibus, quibus res gestæ inscriptæ Regum, & de cavernis, vel syringibus narrant veteres; quæ certe omnia sibi invicem juncta, haud leve mihi videntur argumentum præbere, literas Ægyptiis cognitas fuisse. 6. His adde Mosen edoctum fuisse omnem gentis illius scientiam, vel sapientiam; & mihi equidem mirum, ne dicam absurdum videri, credere, illud fieri potuisse absque literis, & absque libris, sive illi hieroglyphicis, sive aliis characteribus, vel literis fuerint conscripti; neque enim fieri fere potest, ut gens sollers & vafra, artiumque inprimis diligens aliis literis usa non sit, quam hieroglyphicis, quæ solis sacerdotibus erant in usu, ad velanda mysteria sua. 7. Mihi certum fere est, Phœnices & Palæstinos literas diu ante Mosen habuisse; quod si probatum & effectum dedero, utique illæ negandæ non sunt Ægyptiis, quorum illis temporibus magna potentia, magna fama, & scientia. Legimus, uti nosti, amicissime Sperlingi, Josuæ 15. 15. & Judic. 1. 11. memorari urbem *Kiriath-Sepher*, quam etiam vocabant *Debir*, & linguarum Orientalium peritos viros nomina ea exponere, *urbem librorum*, & judicare in illa fuisse scholas, & conservata gentis scripta, sive ea historiam, sive sacra, sive philosophiam illustraverint. Et hac occasione mihi venit aliquid in mentem, quod te celare nequaquam possum, licet certe Paradoxum quodam modo videatur. Consentiunt Chronographi Cadmum circa Mosis, vel Josuæ tempora literas Græciæ in-

A tuliſſe; illæ habent eadem fere nomina, quæ Hebrææ; jam mihi nullo modo eſt veriſimile, Cadmum, & Phœnices eas a Judæis accepiſſe, quippe quos odio proſequebantur, & cum quibus nullum ipſis erat commercium. Hinc utique ſequi debet, Phœnices ante Moſem ſuas ſibi literas habuiſſe, nec non vel Phœnices illas ſumpſiſſe a Chaldæis & Abrahamo, vel Abrahamum ejuſve poſteros, quia per longum tempus in terris illis verſati fuerant, eadem alphabeti nomina uſurpaſſe; ſi ex patria ſua alia ſecum detulit trans Jordanem. Alia hanc in rem adjicere poſſem, ſed vereor annumerari viris paradoxarum, & admirabilium opinionum ſtudioſis.

B Fieri poteſt, & veriſimile omnino, Sacerdotem a Rege Aſſyrio miſſum habuiſſe comites, & ſocios; ſed cum S. S. tam clare *unum* memoret, nihil neceſſe eſt, ut credamus, illos etiam fuiſſe Sacerdotes; potuerunt eſſe ſervi, potuerunt eſſe alii Iſraelitæ; ita ut ego mallem cum Scriptura loqui, quam plures Sacerdotes memorare.

Nihil certi de Antediluvianis libris, & literis affirmari poteſt; ſed ſapientia Adami, amor & impetus ejuſdem bene merendi de poſteris ſuis, vita longæva tam illius, quam aliorum, mihi videntur omnino ſuadere, artem utiliſſimam, & neceſſariam, tunc inventam fuiſſe: quanquam vel tibi, C vel alii hanc nolim obtrudere ratiocinationem

Quæ de annulo Pharaonis, & Judæ miſi, non muto, & mihi nunquam fiet veriſimile, ante Moſem non cognitam fuiſſe artem ſcalpendi; nec quadratas tantum vel orbiculatas figuras, vel alias, verum etiam literas, animalia, & alia iis indita fuiſſe perſuaſus omnino ſum; ſed quicquid fuerit, parum refert, dummodo ſtatuamus, annulis iis literas obſignatas fuiſſe, id quod omnino veriſimile eſt a Joſepho nomine Pharaonis factum eſſe. Neque enim probabile, ſolius ornatus cauſa Patriarcham illum annulum geſtaſſe, cum alium & pretioſiorem ipſi Rex tradere potuiſſet; literæ, mi Sperlingi, D diplomata, leges ad ſubditos miſſæ illo debebant obſignari, ut inde præfecti, aliique cognoſcerent, Regem id jubere.

Quin & veriſimile omnino, artes tales in Ægypto cognitas fuiſſe, & Aaronis *vitulus aureus* mihi firmum indicium eſt, fuſoriam Ægyptos edoctos, quæ certe ſcalpturam ſimileſque ſibi videtur depoſcere. Neque puto omnia, quæ dicuntur de Ægyptiis, poſt Moſem acta fuiſſe debere intelligi, licet Legiſlator ille nullam faciat eorum mentionem, id quod utique facere nihil neceſſe erat, cum Deus memoriæ mandari voluerit ea maxime, quæ faciebant ad conſervandam memoriam originis, & ſucceſſionis populi ſui, & Eccleſiæ Judaicæ; & mihi omnino licitum videtur, ratione agere in ejuſcemodi obſcuris, & intricatis rebus, atque ex uno facto alterum deducere.

De nummis beneficio, & indulgentia Antiochi a Simone Macchabæo ſignatis, nihil eſt, quod amplius agam, cum materiam hanc exhauſeris in præclaro opere tuo; quanquam ego nihil cauſæ videam, cur id non facere potuerit Simon, nec quidquam inde de patriis moribus videtur fuiſſe derogatum, ſi ſacros ritus, quorum erant Judæi tenaciſſimi, non autem ſi nummos antea non cuſos ſpectes.

Lætor te probare, quæ miſi de Regum actionibus; & ego etiam non probo morem Hiſpanum, ſed illam comparationem inſtitui, ut pateat, eandem ſemper in mundo hiſtrioniam agi. *Pullos* etiam tibi placere gaudeo, ſed ego male tibi exhibui artem, qua hodie illos producunt Ægyptii. Furni ſunt igne modico calefacti, uti ex nonnullis Itinerariis conſtat, in quibus etiam totius ædificii figura nobis repræſentatur, ſi modo ad vivum, ut loquuntur, fuit efficta. Sed vetuſtis temporibus Ægyptii ope fimi nobis animalia illa dabant, uti ex Ariſtotele docet Caſaubonus ad Vopiſci Saturninum, ubi Adrianus Imp ita loquitur in epiſtola: *Nihil illis opto, niſi ut aſicis pullis alantur, quos quemadmodum fœcundant, pudet dicere.* Et profecto ſcitu dignum eſt, cognoſcere, quo tempore Arabes, vel Ægyptii modum excludendi per furnos pullos invenerint; quod ſi me docere poſſes, utique plurimum tibi deberem.

Cum autem vacuum ſpatium ſuperſit, conſtitui tecum communicare Inſcriptionem elegantem ineditam, quales plures olim, & nunc ex Oriente accepi, mihique perſuadeo, tibi eam non ingratam futuram.

ΑΦΙЄΡΩΤЄ
ΑΙΜΙΛΙΩ. ΡΗΓΕΙΝΩ ΤΩ
ΕΞ ΟΥΛΠΙΑC ΡΗΓΙΛΛΗC ΚΑΙ
ΑΙΜΙΛΙΟΥ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ CΤΡΑ
ΤΕΥCΑΜΕΝΩ. ΕΤΗ. Ε. ΒΟΗΘΩ. ΚΟΡΝΙΚΟΥ
ΛΑΡΙΩΝ ΥΠΑΤΙΚΟΥ. ΖΗCΑΝΤΙ. ΕΤΗ. ΚΑ. ΜΗΝΕCΔ
ΜΕΧΡΙ ΠΑΝΕΜΟΥΚ. ΤΟΥ ΓΜC ЄΤΟΥC.

Atque inde perſpicies, hunc *Æmilium Reginum* filium fuiſſe, niſi me fallo, *Ulpiæ Regillæ* & *Æ*E*milii Ptolemæi*; mirorque ſummopere matris nomen præponi nomini patris, id quod quare factum ſit, ſcio juxta cum ignariſſimis; nec alia exempla annotavi, quæ tamen vix dubito quin exſtent. Id quod certe leve eſt præ illis, qui μητρόθεν appellabantur, omiſſo plane Patris nomine, quod *Lycios* feciſſe docet Nicol. Damaſc. in Excerptis Hiſt. Univerſ. ubi videri poteſt Valeſius; id quod etiam obſerves in appellativis, unde *Cepheus* Arato *Jaſides* vocatur, quia ab Io ducebat originem, teſte ejus Scholiaſte: 2. hunc Æmilium fuiſſe *Adjutorem Cornicalariorum*, qui etiam in quadam Latina Inſ. occurrit apud Gruterum, Conſularis: 3. vixiſſe eundem annos 21. menſes IV. & inſuper attigiſſe vigeſimum diem Menſis Macedonici & proinde Seleucidarum, & obiiſſe anno illius æræ 243. niſi ſtatuamus, Panemum fuiſſe menſem quartum. Vale vir Præſtantiſſime, & hiſce fruere.

12. Aug. 1710.

LXXXI.

Nobiliſſimo, & Ampliſſimo Viro

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

PErlatæ ſunt Tuæ, Vir Excellentiſſime, XII. Auguſt. hoc anno exaratæ per Amicum quendam

Hamburgensem a Domino Fabricio ipsi traditæ, sed serius omnino, ut solet, quæ per manus Amicorum curantur. Non opus erat excusare, quod dissentiamus; nam hæ dissensiones, ut in amoribus, sunt amoris redintegratio, nec propterea amare Te, Vir eruditissime, unquam desinere possum.

At verum ut fatear, licet septem argumentis oppugnare sententiam meam conatus sis de scriptione cum Mose primum nata, & per omnes populos deinceps communicata, tanquam divini, ut fuit, operis; nondum Tu satisfecisse mihi videris, quum illa solum recenseas, quæ post Mosen gesta sunt, apud Phœnices, & Ægyptios in illorum scriptione: quæ sicut ego nullatenus reprobo, ante Mosen tamen illos scripsisse necesse est fateri Te debere, nisi S.Scripturæ plane velis adversari, quæ mihi pluribus modis anteferenda reliquis commentis & commentariis videtur. Nam licet Historici profani infinitam ætatem Phœniciorum, & Ægyptiorum scriptionibus tribuant, haud tamen illis tuto credere licet, quum nihil sit vulgatius, quam quorum ætatem ignorant, ea ad prima initia mundi trahere, vel Deum aliquem sempiternum, qui etiam ipsis ante mundum conditum vixerit. Quo ipso inviti quoque fateri coguntur, a Deo scriptionem primo traditam esse, qui nullus alius est, quam Deus ille verus noster cœlestis & æternus, quem illi non agnoverunt; sed ad suos Deastros factitios omnia retulerunt. Hinc agnosces profecto, de illorum scriptionibus ante Mosen, neminem, nisi falso, pronunciare posse, vel scribere potuisse, sicque cadunt pleraque argumenta Tua ex profanis Scriptoribus petita. Quod vero ex S. Scriptura urges, Mosen jussum esse non lapidibus, sed libro inscribere victoriam de Amalekitis reportatam, hoc sane præstitit Moses, & valde pro me facit, Mosen hæc non ante consignasse, quam libros suos scriberet. Nec opus erat Deum de libro peculiariter interrogare, cum eo ipso, quo jussit Deus, libro hæc inscribere, etiam quali libro uti deberet, monstraverit. Urges præterea, Vir Eruditissime, locos ex Josuæ 15. v. 15. Judic. 1. ver. 11. ubi *Debir* urbs prius *Kiriath Sepher* dicta fuit, quasi *urbs librorum*, ubi scholæ fuerint, & scripta gentis conservata. Næniæ sunt hæc, & pace Tua dicam nullius momenti; neque enim ספר prima sua significatione liber fuit, sed narratio quædam, & enumeratio gestorum, ut ejus radix ostendit ספר *saphar*, quod non significat, scripsit in libro, sed Numeravit, Annumeravit, Dinumeravit, Enumeravit, Narravit, Recensuit; quæ omnia sine scriptione succedunt, & succedere potuerunt: adeo ut *Kiriath-Sepher*, non sit civitas librorum, ne libri quidem, sed urbs numerationis, quod in illa civitate forsan tribus Israelitici populi primum numeratæ sint; sed nec scriba ullus occurrit in sacris, qui ex radice ספר Sopher dictus est, quam 1. Sam. 8. v. 17. *Serasah erat Scriba*. Non quod existimem tunc primum scribas, aut scriptionem usitatam fuisse Hebræis, sed quod *Scribæ* nomen diserte non ante occurrat in sacris. Nam Judicum 5. v.14. calami scriptorii mentio fit, qui sine scriba officium facere non potuit. Quin & ante sub ipso Mose quosdam ad scribendum edoctos fuisse censeo, per quos scriptio ad omnes propagata fuit inter Hebræos: atque tunc tabulæ, in quibus scribebant, primum libri dictæ sunt, Hebraice סֵפֶר *Sepher* in singulari, & סִפְרִין *Sephrin* in plurali, translata scil. voce illa *Sepher* ad eam quoque significationem libri scripti, post Mosen. Hoc enim modo inter Hebræos scriptio se habuit sic exorta, inter gentes vero serius. Nam nulla scriptio historica ante Mosen inter eos occurrit, sive Taauten

A Ægyptium, sive Sanchoniathonem, cui inter principes scribendi actu tribuitur, sive Cadmum Phœnicium, aliosve allegare velis: neminem sane eorum ætatem Mosis scribendo antevertisse dicere poteris, aut probare. Omnes post Mosen eum imitati sunt peculiares sibi scripturas efformantes, ne a Mose, aut Hebræis hanc artem divinam se didicisse faterentur. Quod miraris, quomodo tot sæcula ante Mosen sine scriptione subsistere, & transigi potuerint, non miraberis, quoniam adhuc hodie multi populi sine ulla scriptione res suas gerunt omnes, nec scriptionem ullam adhibere curant, ut Lappones, in India utraque perquam multi, qui B per Christianos discere potuerant, nisi neglexerent & contemnerent, ut olim Celtæ omnes.

Quæ de scalptura, & sculptura gemmarum per literas tanto studio asseris, ita sunt comparata, ut persuaderi te sinam, sculptores gemmarum, quod nec ego negavi, ante Mosen fuisse, sed literas ullas, aut figuras iis insculptas negavi, nec me pœnitet ita statuisse, quoniam Deus hæc peculiariter mentibus sculptorum Hebraicorum se inspiraturum Mosi promisit: quibus magis credo, quam affaniis istis, quibus Scripturam Sacram alii offuscant. Alia est ars fusoria imaginum, alia vero sculptura gemmarum, quæ confundi minime debent. Tuum C enim argumentum eo spectat, si imagines producere potuerunt per artem fusoriam, etiam gemmas sculpere potuerunt figuris, & imaginibus. Non video hoc consequi. Nec quidquam Scriptura sacra de his sculpturis ullibi ante Mosen dixit, nec Deus opus habuisset artem hanc sculpendi inspirare hominibus populi sui, si prius illa nota fuissent. Vides ergo facile, Vir summe, quantum aberremus, quando sine Scriptura sacra loqui conamur.

Quando Arabes, & Ægyptii hunc modum excludendi pullos ex ovis invenerint, mihi sane nunc D non liquet; vetustam esse inventionem hanc ex eo patet, quod Diodorus Siculus Augustei ævi scriptor ejus meminerit. Dispiciam tamen, num ad authores primos pervenire mihi liceat; & monebo.

Pro elegantissima Inscriptione, quam mecum communicasti, infinitas Tibi gratias ago. Explicasti illam dexterrime, ut soles, sed ad æram Seleucidarum illos annos referri posse dubito adhuc. Nam centum post Seleucum annis purius adhuc & loquebantur, & scribebant Græci, quod prima vox Αφιέρωτο ostendit, quæ scribi debebat Αφιερώθη. Deinde quod Cornicularii Milites, quibus Ad- E jutor fuit, in illa nominentur, qui seriorem Seleucidarum ætatem indicant, quam 143. annorum. Panemus mensis Macedonicus nostro Julio mensi respondet: cujus feria 7. incipiebat, & 29. diebus absolvebatur, secundum Chronologos accuratiores, Scaligerum ac Calvisium. Si ergo miles hic mortuus est 20. die Panemi, ad nostrum mensium calculum obiit 27. Julii. Seleucidarum æra cœpit ab Anno Urbis conditæ 442. secundum Vaillant. Vide sis igitur, num illius Inscriptionis textus conveniat illi ætati, qua purissime Græci & loquebantur, & scribebant. Ego potius eam referrem ad æram Diocletianam, quæ incepit secundum F Chronologos Anno Chr. 284. 29. Augusti, quibus si addas 143. annos æræ Diocletianæ, prodibit Annus Christi 427. sub Theodosio Juniore, incipiens 29. Augusti, sicque mortuus esset hic miles Æmilius Ptolemæus Anno Christi 1426. m. 7. Julii seu Panemi 20. antequam Annus Christi 1427. æræ Diocletianæ 143. cœpit 29. August. sub Theodosio Juniore, quibus & Inscriptio Græca minus correcta, & Cornicularii eorumque Adjutor optime conveniunt. Sed liberum esto Tibi, Vir Excel-

lentissime, de his sentire quæ saniora credideris esse. Nam in his ego falli possum.

Si quando ad Dn. Ottium, aut Relandum scribes, inquire quæso ab ipsis, quando Samaritanus Codex primum in has oras nostras illatus sit, & quis attulerit.

De Glossario Joh. Isac. Pontani oblitus es mihi respondere. Nactus interea fui istum libellum, ab amicis in Holsatia forma, ut loquuntur, duodecima impressum Lugd. Batavor. 1606. Præmisit Itinerarium suum Narbonense, cui subjecit notas suas; & postea Glossarium suum Prisco-Gallicum addidit, nec Celticum vocat, ut Menagius illud adduxit, quamvis eodem res recidat; nam scriptores omnia Celtica Gallica vocarunt, quod Gallia ipsis esset omnium proxima. Legi doctissimum illud scriptum, & avide, & magna cum voluptate, mihique non pauca ex illo sepofui, & notavi.

Postremo commendo Tibi Juvenem non indoctum, & jam scriptis suis clarum, Thomam Bartholinum, qui has Tibi tradet meas, Thomæ filium, Thomæ Nepotem, qui passim Orbe literato notissimi fuerunt & æstimatissimi. Eum si qua re juvare poteris, quod soles, facito. Desiderat Eruditis Viris per Te commendari, nec novi præter Te, qui commendare possit efficacius, cui tantus numerus doctorum Virorum assurgit. His valeas, & diu felicissime vivas Vir omnium Eruditissime.

Dabam Hafniæ a. d. XXVIII. Octobris Anni CIↃIↃCCX.

LXXXII.

OTTONI SPERLINGIO

Viro illustris, & præstantis eruditionis.

S. D.

GISB. CUPERUS.

Multis tecum egi XII. Augusti proximi die, nec dubito, quin acceperis literas illas, atque ex iisdem perspexeris, me semper tui meminisse, & egisse de variis rebus, præfiscine dixerim, haud protritis; atque adeo spero te illas, qua vales eruditione, illustraturum. Non jam agam pluribus de tempore, quo alphabeti literæ sunt inventæ, sed pulli olim fimo, inde igne exclusi, vellunt mihi aurem.

Gonzales de Mendoza tradidit nobis, ali in China anates maximo numero, exstrui caveas super aquas, in quibus quatuor millia ali possunt, ova, quæ pariunt, fimo excludi, altoresque ea pertundere stato tempore, & frigidiore tempestate stramen fimo suppositum accendi, ut ita ova magis calefiant; pullos includi alii caveæ, usque dum cum majoribus ambulare, ut sic loquar, possint; in illa cavea anates edoctos alere pullos & fovere, servari; mane emitti anates ad pascendum in agris oriza consitis, horum dominos possessoribus anatum dare certam pecuniæ summam, quia agros purgant a bestiolis noxiis, & convenire subinde ex diversis caveis 20000. anatum; eos sono tympani, vel tintinnabuli audito redire vespere in caveas, & unamquamque ita in suam redire.

Atque hoc idem affirmat nobis Niehovius p. 156. descriptionis Chinæ, editæ una cum illius legatione ad regni illius splendidissimi Imperatorem, traditque in regione Quantung anates excludi, vel furno, vel fimo equino. Qui factum sit, ut remotæ hæ nationes eadem arte excluserint pullos, equidem in quisitione dignum est; cumque absque dubio Ægyptus prima sit inhabitata, non videtur haud absque ratione statui posse, morem illum inde in ultimum orientem pervenisse, idque eo magis, quia & characteres Serum ex doctorum sententia Ægyptiis originem suam debent. Quanquam fatear fieri posse, ut binæ gentes, præcipue valentes ingenio, eandem artem invenire potuerint, nec una alteri eam propter rem aliquid debeat. Illud autem notandum, Mendozam non meminisse furni, sed eum memorari Niehovio, nec non Kirchero pag. 198. Chinæ illustratæ, quomodo & tempore Aureliani fimo tantum utebantur Ægyptii. Utinam, utinam cognoscere certo possimus, quis tam apud Chinenses, quam Ægyptios, primus invenerit furnos excludendis pullis & anatibus; multum profecto ego sagaci viro deberem, quia valde cognoscere desidero auctorem pulchræ hujus, & utilis inventionis.

Memini, nos olim egisse de literis Etruscis, Runis, Celtibericis, similibusque; observavi in Cambdeni Britannia alios pag. 126. edit. majoris Janssonianæ anni 1659. uti & pag. 141. Ego vix dubito, quin, priores saltem, debeant originem suam populis Septentrionalibus, qui alterum illum orbem per vices occuparunt; & inde te etiam atque etiam rogo, ut mihi hæc mysteria, quorum promus condus es, aperire velis.

Mihi semper memorabilis visus est Index, qui apud Poliænum quotidianam Regis Persarum mensam continet: sumptus illi mihi videntur immensi, & non forent verisimiles, nisi statuamus in Aula plurimos magnates, plurimas concubinas, &, qui ipsis apparebant, aulicos, nec non prætorianum militem sustentatos fuisse; id quod etiam credo de Salomonis mensa 1. Regum 4. sed hoc non ago; verum video Poliænum distinguere inter ξύλα, & ὕλην, cum ita loquitur. *ξύλων διακόσιαι ἅμαξαι, ὕλης ἑκατὸν ἅμαξαι, lignorum ducenti currus; sylvæ, vel materiæ centum.* In confesso est, Græcos ὕλην Latinos *materiam* appellare arbores rudes, vel non dolatas, ex quibus cæsis & scissis ædificia fiebant; & notum est, Ictos ita has voces Latinas distinguere; id quod & facit Plinius ad Trajanum scribens lib. 10. ep. 50. *Est in Nicomediensium finibus amplissimus lacus, per hunc marmora, fructus*, LIGNA, MATERIAE, *& sumptu modico & labore, usque ad viam; inde magno labore, majore impendio, vehiculis ad mare devehuntur.* Neque enim dubito, quin eodem plane sensu voces illæ hoc loco sumantur, & inde occurrit in veteri lapide apud Fabrettum NEGOTIANS MATERIARIVS, qui nempe vendebat ligna extruendis ædificiis, aliisve operibus, uti vel patet ex adpicta decempeda, qua scilicet ligna illa metiebantur. Sed hæc explicatio nullo modo apud Poliænum recipi potest, quia loquitur de lignis, quæ singulis diebus in aula Regis Persarum comburebantur, tam in conclavibus, quam culinis, quas complures fuisse nihil est, quod dubitemus. Et tamen Poliænus ξύλα & ὕλην distinguit absque ulla ambage, nec dubium mihi etiam relinquitur, quin debeant distingui. Quid igitur? memini me olim audivisse, in Westphaliæ, vel Germaniæ grandibus monasteriis atque Abbatiis, hyemali præsertim tempore, arbores cædi, & ramis nudatas foco cum aliis lignis in culina imponi, & illas a radice, vel summitate combustas machina quadam protrudi, usque dum totæ sint consumptæ. An hic mos etiam in culinis Persicæ Aulæ obtinuerit, tuum erit judicium, tua existimatio.

Mihi

Mihi certe ξύλα apud Polyænum videntur omnino designare ligna scissa, ita ut commode comburi potuerint, per ὕλην vero arbores integræ, quæ una cum aliis focis culinarum imponebantur. Vel per eam vocem intelligenda sunt virgulta, sarmenta, ramique arborum, in fasces colligati, quales nos Tackebossen, vel Rysbossem appellamus, qui rami etiam potuerunt esse inconditi. Sed & hoc addendum est, fabros lignarios *materiarios* appellari. Glossæ: *Materiarius* τέκτων, & in aliis legi: ὕλη ξύλων ἢ ἑτέρων *Materia*, ὕλη ἐν τοῖς ὄρεσι, *silva*, *nemus*, & eo sensu MATERIARIVS in Inscript. 7. pag. 460. apud Gruterum.

Quid sibi volunt hæc loca in Excerptis Pithœanis? *Bestiæ*, *Majæ*, *Trojæ*: iterum, *Bestemiæ Trojæ*, supra *Bestæ*, *Majæ*, *Trojæ*. In Glossis Isidori legitur, *Bestemiæ*, *Trojæ*, & *Bistimiæ Trullæ*.

Hæc cum scribo, amplissimus Goesius per hanc urbem transiens per famulum significat, se tempore excludi, quo minus me adeat, sed illud facturum redientem post tres hebdomadas; nec credo te dubitare, magnam te, vir illustris, colloquutionis, & confabulationis nostræ partem fore.

Quin & inde post pauculos dies, doctissimus juvenis Thomas Bartholinus mihi reddidit literas, quas ad me dedisti 28. Octobris proximi die; eumque & tua causa & propter eruditionem ipsius amice, & benigne excepi. Ostendi eidem parvam meam penum nummariam, & bibliothecam, & persuasus omnino sum, eundem me reliquisse contentum, maxime cum varia κειμήλια viderit, sive numismata, sive libros spectes, quæ, præfiscine dixerim, alibi vix obvia sunt; ne jam loquar centum ad minimum volumina epistolarum, quas ab eruditis tuli, & quas ad illos misi, inter quas tuæ egregium, & principem obtinent locum.

Dum interim Goesium transeuntem expecto, respondebo ultimis illis. De auctore literarum non est animus ferram diutius reciprocare, cum quia hæc materia a variis præstanti eruditione viris diligenter tractata est, tum quia non satis virium argumentis tuis inesse video, ut me a sententia mea depellant. Neque hoc est *Scripturæ adversari*, sed eam debita reverentia sequi, cum ego ne latum quidem unguem ab ea recedam, & credam Deum dicentem Mosi, *scribe hæc in libro*, non voluisse testari, istud eum facturum, postquam eundem literas docuisset.

Quid quod absque dubio Moses cognovit Ægyptiorum characteres, vel scribendi morem, & ita iis uti potuisset, si non alios didicisset? Quæ de voce *Saphar* notas, pulchra sunt, sed cum non constet in illa civitate tribus Israelitici populi primum numeratas esse, cumque ejusmodi res scripto proculdubio fuisset mandata, ego non video firmam satis probationem illi explicationi inesse, maxime cum *Debir* ante adventum Josuæ videatur omnino illud nomen obtinuisse; & ipsa illa vox *Debir*, id quod velim diligenter notes, non *numerationem*, sed *literas*, *eruditionem & scripturam* significet.

Sed *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ*. Ego huic nuntium remitto disceptationi, & pati possum, te tuis inhærere placitis, dummodo non feras ægre, me nullo modo in tuam sententiam facere posse discessionem. Atque hæc etiam dicta puta de artificibus, quos ego artem sculpendi credo in ipsa Ægypto novisse, & nihilominus singulari favore, & ope Dei eam egregie calluisse; neque video, quomodo istiuscemodi explicationibus convenire queat tuum illud, *sine Scriptura loqui*, a qua ego puto me ne latum quidem unguem decedere.

Utinam vel apud Sinas, vel potius apud Ægyptios invenire, & detegere posses originem artis per furnos excludendi pullos! nam altera via, vel fimus tam vetus est, ut de illius auctore conclamatum sit reperiendo.

Recte abis ab *æra Seleucidarum*, nomen mensis *Panemi* me properantem induxit in errorem; quem *Cornicularius* profecto corrigere debuisset. Multum igitur tibi debeo, quod me reduxeris in viam, nec me æræ Diocletianeæ opponam, sed tunc statuendum simul erit, militem hunc fuisse Christianum. Error enim insignis est virorum doctorum, qui tradunt, Diocletianum sub initium Imperii, prisco per Consules numerandi more abolito, ab annis Imperii sui Epocham duci voluisse, quæ *Diocletianea* appellata est. Neque enim id fecit Diocletianus, & æra illa, *Martyrum* etiam dicta, Christianis originem suam debet, nec unquam gentilibus usitata fuit, eamque amplexi sunt Alexandrini & Orientales, & Scaliger, at quantus Chronologus! in Prolegomenis ad Libr. de Emend. Temporum norat, eam nullis nationibus in usu fuisse, & unicam dumtaxat Ecclesiam Alexandrinam, & quæ illi subditæ sunt, hac Epocha usam esse. Sed & eam amplexos esse Christianos Asiaticos, nisi alia sit, patet omnino ex Inscriptione, de qua ago, nec non ex variis aliis, quæ apud me sunt ineditæ, & Christianam Religionem præ se ferunt, in quibus omnibus etiam nomina mensium Græca signantur, ut *Loos*, *Dystros*, *Hyperbereteos*, *Panemus*, *Xanticus*, & forte alii; & tecum plane facio, Seleucidarum æram in iis locum habere non posse, neque etiam in altera, quam ad te misi; & miror ipse in tam supinum errorem me potuisse incidere. Negotia, tumultus curiæ, & properatio sæpe talium errorum causæ sunt.

Scribam libenter ad Ottium & Relandum, ut mihi significare velint, quando credant Samaritanum Codicem primum in has nostras oras adlatum esse, & quæ plura eo pertinent a te annotata.

Ita est, oblitus fui monere de Glossario Joh. Isaaci Pontani; illud cæteroquin forulos bibliothecæ meæ exornat, & gratulor tibi de eo accepto amicorum tuorum opera; est enim libellus nitidus atque eruditus. Vix dubito, quin legeris Pezroni lucubrationem, cui titulus, *Antiquité de la Nation & de la Langue des Celtes, autrement appellez Gaulois*; cui addit tres Indices, 1. de Vocibus Græcis, 2. de Latinis, 3. de Teutonicis vel Alamannicis, quæ ex veteri Celtarum lingua sumptæ sunt.

Dum expecto responsa ab Ottio & Relando, incidi forte fortuna in Smegma Orientale Hottingeri, & video eundem agere epistol. 304. & sequentibus, de tempore & anno, quo Pentateuchus Samaritanus in Europam adlatus sit, quamque tum illud tum alia exemplaria fortunam sint experta: puto istam doctissimi Viri Lucubrationem tibi paraturam satisfactionem; quanquam, ut verum fatear, vix dubitem, quin ea tibi cognita sit; unde mihi suspicio nascitur, te, vir egregie, pro diffusa tua eruditione, in eadem annotatione non acquiescere; quod equidem cognoscere vehementer cupio.

Sed & dum expecto Goesium, ecce ea quæ ad

A

me Relandus mittit antepenultimo Decembris proximi die.

Codex Samaritanus, de quo Sperlingius quærit, circa annum 1616. a celebri viro Petro della Valle, cujus Itinerarium extat, emptus est (aut certe obtinuit eum a Samaritanis) & hic postea pervenit ad manus Achillis Harlæi, D. de Sancy. Hunc codicem typis describi curavit Joh. Morinus, & cum aliis mss. contulit Prima editio prodiit Parisiis an. 1632. & deinde inserta est Polyglottis Londinensibus.

B

Cum videam me frustra opperiri adventum Goesii, & mihi persuadeam, te subirasci meo silentio, idque non immerito, constitui ad virum amplissimum scribere Hagam-Comitis, illiusque fidei committere hasce, quas vides, literas; earumque tarditatem satis defendent illa ipsa, quæ iisdem complexus fui.

Accepi Florentia literas a Brenkmanno, Curiæ Batavæ Advocato, juvene quidem, sed pereruditio, & optimas artes edocto. Is magnum opus molitur, & reddet omnes leges per Corpus Juris sparsas libris suis, titulis, & auctoribus, eamque collationem pulchre procedere me facit certiorem.

C

Antonius Schultingius Antecessor Frisius significavit mihi, sese notis illustraturum Fragmenta Ictorum, quæ extra Corpus Juris edita sunt, egoque id ago, ut amici Parisienses inspiciant, & conferant manu exaratos, si inveniantur, ejus generis libellos, & inquirant in notas nondum editas Cujacii & Pithœi.

Eghinhartus de vita Carol. M. prodiit in lucem cum notis Goldasti ineditis, Besselii, & novis Schminckii Hassi, qui pulchram hanc nobis dedit editionem.

D

Cum autem hæc prima hujus anni sit epistola, quam ad te mitto, recte me facturum credidi, si tibi eum faustum, & felicem precer. Vive igitur prosper, & hilaris, atque adeo mei memor. Vale plurimum.

Dav. ipsis Nonis Feb. 1711.

LXXXIII.

E

Viro Per illustri Amplissimo & Consultiss. Dn.

GISBERTO CUPERO

OTTO SPERLINGIUS

S. P. D. & Sc.

F

Literas Tuas Nonis Feb. hujus anni recte perlatas, per Secretarium Dn. de Goes hic relictum mihi traditas, Vir Excellentissime, nunc nuncio, & quoties ad Te scribo, etiam gaudeo: sunt enim Tuæ, ut plenæ omnigenæ eruditionis, ita quoque jucundissimæ, & gratissimæ. Quæ de ovis non solum gallinarum, sed & anatum apud Sinenses observasti, fimo exclusarum, ego quævis ova sic excludi posse in calidis regionibus sentio: sed auctorem hujus inventi primum nullibi reperio. In Æthiopia primum experimentum naturæ natum credo, ubi in calidis arenis posita ova, solo solis calore, non incubantibus matribus, illum nimium calorem non sufferentibus, excludi, nos docent Itineraria varia. Hoc animadvertentes Ægyptii fimum præstare posse, quod radiis Solaribus ibi deest, idem tentarunt efficere, loco arenarum. Successit illud feliciter, & in consuetudinem illis abiit. Nec puto alios, quam privatæ conditionis homines, primum huic arti operam dedisse; nam si illustris quidam vir ejus rei auctor fuisset, non omisissent scriptores ejus nomen huic rei prænotare. De fimo enim vix illustres Viri cogitant, sed ad rusticos plerumque homines hæc cura spectat, quibus ingenium est in talibus. Frustra quocirca fuerit nunc post tot secula de primo inventore quærere, quem tot scriptores antiqui nesciverunt, aut referre indignum historia judicaverunt, ut rem illorum temporibus vulgatissimam, & omnibus illic locorum obviam. Sed hoc addere possum, etiam in his nostris terris matres rusticas, si quando gallina incubans ovis immoriatur, aut alia ratione ab ovis diffugere cogatur, ova a fœminis istis cum nido colligi, & cineribus calidis focum circumdari, ac superne probe contegi, sicque pullos feliciter excludi, ut ne unus quidem ea cura desit.

Quod de literis nostris Runicis Septentrionalibus quæris, illas quidem initio magicas fuisse, nullum est dubium, & cum diris incantationibus gladiis, hastis, vestibus, vexillis, tabellis amatoriis insculptas fuisse, constat, unam, duas, tres, implicatas sibi invicem, aut distinctas, prout res videbatur poscere; sed in nullum ordinem Alphabeti, aut Scriptionis redactas, quod istæ magicæ artes non requirebant. Postquam vero religio Christiana per Pontificios in hunc Orbem Septentrionalem fuit introducta, & cessare debuerunt istæ magicæ Runæ ac notæ cum incantationibus suis, vulgus difficillime, inprimis rusticum, ab illis magicis, quibus tantopere adsueverant, abstrahi poterat, aliquid divinum latere in illis existimantes; hinc clerici, ut manifestum redderent in illis Runis nihil divinum esse, illas notas ac Runas magicas in Alphabetum certum, & ad scriptionem idoneum, redegerunt, ac vulgo concesserunt, ut illis sua Calendaria ac Inscriptiones funebres a peritis illarum Scriptionum confici curare possent, quod diu in ipso Christianismo apud has gentes obtinuit: quod ideo factum, ut vel sic abstraheretur vulgus ab immanibus illis superstitionibus, in quibus versabatur, & tandem ex usu illarum discerent ab incantationibus solitis abstinere. Hinc tot Inscriptiones lapidum apud ipsos natæ, vulgares omnes; nam vix ullum saxum reperitur nobilibus, aut melioris conditionis hominibus inscriptum. Hæ sunt illæ Runæ nostræ, quas adhuc scribendo exercemus, quoties Runicis delectamur, adeo ut etiam nummos argenteos, & aureos his Runicis literis signatos in honorem Natalitiorum Regiorum ante paucos annos oblatos habeamus.

De Hetruscis literis nihil habeo, quod dicam, cum mihi sint ignotæ; quamvis Pezronus Abbas, in suis Celticis Antiquitatibus, & Umbros, & Hetruscos, & Sabinos Celtas fuisse, postquam Saturnus in Italiam, & Mercurius Majæ filius ex Jove eo pervenerunt ac Italiæ præfuerunt, nobis persuadere voluerit. At cum Celtæ scriptioni operam non dederint, ut ipse fatetur, aliunde has literas Hetruscas, quam a Celtis ortas esse necesse est. Nam ex Septentrione

nostro non sunt accitæ, sed inter ipsos Hetruscos credo inventas, postquam Græcos & Romanos scribere viderunt.

De Hispanicis aut Celtibericis literis nos puto clare docebit Dn. de Barry, cujus explicationes nummorum Hispanicorum ardentissimo cum desiderio nunc exspecto, antequam moriar.

De Polyæni loco περὶ ξύλων καὶ ὕλης, non male differis, Vir eruditissime; distinguenda enim sunt ξύλα καὶ ὕλη, ligna, & materia. ξύλα ad focum pertinent, & culinas, ὕλη ad ædificia reparanda. Neque enim frigus tantum in Persia, ut arboribus integris ramis detruncatis indigere potuerint, prout in Westfalia aliisque locis Septentrionalioribus fieri solet. Nam dum in Livonia versabar, vidi arbores integras ita detruncatas, in fornaces maximas, quas illic exstruunt, mitti, & comburi, quod & in Norvegia nostra, ubi picearum copia est, fieri consuevit; atque ita intelligendum locum Polyæni existimo, ut ξύλα pertineant ad culinas, & caminos; vix enim fornaces in Persia mihi more nostro persuadeo fuisse; ὕλην vero ut arbores integras ad ædificia reparanda reposita fuisse credo, ut in promtu haberent semper, quæ palatiis reparandis inservire possent. Unde facile patet, quid Materiarii fuerint apud Romanos, nimirum illi, qui arbores varias vendere solebant ad ædificia construenda, vel reparanda, lignarii nobis nunc dicti. Mercatores *holt Kooper*, qui tales arbores in promtu habent varii generis, quas vendant desiderantibus.

De Bestemiis, Maiis, Troiis, quæ in Excerptis Pithœanis & Isidori Glossis legisti, nihil Tibi scribere possum, nisi quod ex *Trojæ* vocabulo adjuncto ludos peculiares colligam eos fuisse: nam neque Excerpta Pithœana mihi sunt, neque Isidori Glossæ, ut inspicere possem antecedentia, & consequentia, & lexica mea omnino de illis tacent.

Et quoniam ita vis, de scriptione prima silentium mihi imponam, sed neque Tu, Eruditissime Vir, neque alius quisquam docere poterit, Ægyptios ante Mosen vel de scriptione cogitasse, ne dum γρύ quoddam scripsisse: solus Deus hanc artem Mosi aperuit, hoc congruit Scripturæ sacræ, cætera profana sunt, & nullius argumenti, vel ponderis. Non ægre fero quidquam, quod a Te procedit, sive mecum sentias, sive secus. Eruditionem Tuam semper æstimo, nec quidquam ingratum mihi potest in illa occurrere. Scribas quidquid in buccam venit, mihi placebit; scribas contraria, & illa placebunt: nam jam a tot annis consuevimus contendere invicem, sine rixa, sine turbis ac tumultu, ut animum, quo te diligo, afficere nequaquam possint aut invertere: semper idem, Tuusque sum & ero, dum spiro, quocunque Te vertas.

Jam & gratias Tibi debeo maximas, quod Thomam Bartholinum egregium & doctum Juvenem tam humaniter & benigne susceperis, meisque commendatitiis tantum ponderis & momenti addideris.

F Nunc cum hæc scribo, & antequam Tuas nactus sum, Pezroni Abbatis Antiquitates Celticas perlustro, ejusque Indices. Quid dicam? in totum dissentio ab ipso, qui mihi Gomerum Japheti filium obducit, qui a confusione linguarum apud turrim Babel, Celticam linguam cum ipso ortam scribit, quam secum in Bactrianam & Margianam, ubi sedes illum fixisse vult, postquam dispersi fuerunt filii Noæ, attulerit, & Sacas, qui ipsi vicini fuerunt, eam linguam Celticam do-

A cuisse, qui Armeniam invadentes & Phrygiam, iis locis Celticam linguam propagarint; Sacis in Phrygia successisse Titanas, Uranum, Saturnum, Jovem, qui quoque Celticam linguam in Græciam traduxerint, & cum Saturno in Italiam migrasse eam linguam, ut & cum Mercurio Majæ filio ex Jove, sicque Celticam linguam in Gallias penetrasse, ex Gallia tandem in Germaniam deduxerunt. Hæc ejus est sententia. Sed nullis auctoribus, licet omnia ista ipsi concederem, docere potuit, Celticam linguam Gomerum locutum esse, aut Sacas, aut Titanas: nemo de Celtis, aut Celtica lingua inter illos ullum verbum B protulit ullibi. Hinc ad voces ipsas Sacarum, & Titanum se convertit, & illas voces Celticas esse magna vi coacte, & affectate satis pertrahit, idque ex Britonum lingua ostendere voluit, ubi vetus Celtica lingua adhuc vigere statuit. Ex ea lingua Titanas Celticam vocem esse docet, Uranum, Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, Mercurium Celtica esse vocabula, & quæ non? in quibus confutandis, quantum merentur ista, jam bonas horas tero, & plusquam merentur, consumo. Dicas mihi, Vir Excellentissime, & Eruditissime, quid Tu de illis Pezronianis sentias. Mihi satis absurda & alienissima a Celtis omnibus C videntur.

Smegma Orientale Hottingeri, quod putabam in mea Bibliotheca esse, non invenio; curabo tamen afferri mihi ab Amicis, ut videam & legam, quid de Samaritano Codice sentiat. Interim gratias ago maximas, quod Domini Relandi sententiam, & verba ad me transcripseris. Morini quidem editionem primam istius Codicis allegavit, sed cum Morinum cum aliis mss. illam suam editionem contulisse simul scribat, fuerunt procul dubio alia ante hoc manuscr. Petri de la Valle msa cum quibus conferre potuerit. An post Petrum D de la Valle alia fuerint allata, scire percuperem. Nam Morini editionem nondum nancisci potui.

Quæ de Brenkmani laboribus in Jure ex Pandectis Florentinis mss. scribis, sunt valde necessarii; speroque elegans & doctum opus futurum, quamvis jam gustum aliquem Anton. Augustinus nobis dederit. Eginhardi vitam Caroli M. apud Bibliopolas nostros quæsivi cum novis illis notis, sed nondum huc allata est.

Sicque finio, quoniam nihil restat ad quæ respondeam, nec nova quædam scribere possum, quoniam hic literæ omnes silent hac tempestate E belli ingruente. Edidi tamen dissertatiunculam quandam de festo *Juul* Septentrionalium antiquorum, & hodiernorum, quam Tibi misissem, nisi occasio mittendi defuisset. Valeas igitur, Vir excellentissime, propitio Numine suaviter & diu.

Dabam Hafniæ a. d. XXXI. Martii Ann. 1711.

LXXXIV.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

NOn dubito, quin acceperis ultimam epistolam meam, quam scripram ipsis Nonis Februarii proximi commiseram curæ amplissimi Goesii, & cum ille nunc per hanc urbem transeat, repetiturus aulam Serenissimi Danorum Regis, a me impetrare non potui, ut eum vacuum dimitterem, nec te non solum viri voce, verum etiam, nigellarum Cadmi filiarum ope, certiorem facerem, me semper tui meminisse, & magno multoque apud me esse præclaram tuam eruditionem. Hæc tibi proculdubio pluribus annumerabit illustris amicus noster, cum quo multa de studiis tuis, & nostra amicitia loquutus sui. Spero autem te responsurum propediem epistolæ illi, & soluturum dubia, quæ mihi crucem figunt. Et quanquam nunc sim occupatior propter comitia, quæ Ordines Transisalaniæ hac in urbe agunt, tamen, ut antiquum obtineam, de paucis & leviusculis rebus agere tecum constitui.

Inspexi nuper doctissimi Schefferi libellum de Torquibus, & video virum eruditum agere in eo, de loco Juvenalis Satyr. 15. verbisque Scholiastæ.

Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro.

Corrigiam parthicam, unde solet BULLA pendere, signum ingenuitatis; vir egregie doctus putat, corrupta omnia esse atque talia, quæ exponi, nisi melioribus codicibus intervenientibus, haud possunt; nec quidquam ad eum locum notat diffusæ lectionis vir Joh. Nicolai; id quod equidem summopere miror.

Mihi continuo occurrebant *Parthicarii*, quos memineram me legisse corrigias, vel lora... confecisse ex pellibus parthicis; & ubi eam in rem inquiro, incidi in τὸν πάνυ Salmasium, qui ad Treb Pollionem notat, parthicarum pellium, unde Par thicarii dicuntur, qui pelles illas curabant, multam apud veteres mentionem esse, & *parthicum lorum* memorari Scholiastæ Juvenalis ad illum locum; sed cum corrigiæ illæ, vel lora, vel potius pelles essent pretiosissimæ & pulcherrimæ, ego vix video, quomodo corrigiæ inde factæ potuerint convenire *pauperi* veterum Romanorum *loro*; quare ego quidem existimo, Juvenalem loqui de bullis suo tempore ex loris ordinariis factis, quas gerebant pauperes, & libertini: hinc Scholiastes, *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, signum libertatis*: & Asconius: *Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis prætextatis solebat aurea, libertinis scortea*; ast eundem Scholiastem memorando *corrigiam parthicam* respicere sua tempora; cum autem bullam scribat esse *signum ingenuitatis*, dicendum forte posteriorum temporum pueros gestasse bullas ex corrigia parthica, pretiosa admodum, suspensas, licet antea habuerint torques aureos τὰ χρυσοῖ περιδέραια. Multum me devincies, si me fluctuantem hac in re, firmare & stabilire velis.

Itinerarium Equitis Chardini typis describitur Amstelædami tribus volum. in 4. & 10. in 12. exornaturque multis tabulis æneis. Simul ac absolutum erit, ad me mittetur; desidero enim valde illud legere, tum quia prior pars ante, ut nosti, edita, mihi valde placuit, cum quia ipse ille χαρίεντος & nunc ἐν ἁγίοις peregrinator mihi olim Hagæ-Comitis narravit, unam sui Itinerarii partem agere de moribus Asiaticorum hodiernis, & ex iis sese feliciter (ita loquebatur) varia elucidasse S. Scripturæ loca.

Illustris Witzenius etiam Tartariam suam diutius non premet, & Brunii in Itinerario multum profligatum est; quæ tria si hoc anno, id quod credo fiet, prodibunt, habebunt eruditi, unde se oblectare, & quibus, affixi Museis suis, Orientem peragrare, & Septentrionem periculorum expertes commode possint.

Homerus Barnesii factus est publici juris, sed nondum in Batavos deportatus; ferunt editionem esse nitidissimam, & quæ omnibus aliis palmam sit præreptura. Banagii Historia Judæorum novis typis auctiorque in folio, ut loquimur, prodibit.

Massonus manus admovet secundo tomo dissertation. Illustrissimi & Excellentissimi, heu quondam mei, Spanhemii, certiorque fio, gravia, quibus obrutus erat, Regalia negotia ex manibus viri excussisse alteram partem notarum in Julianum & Cyrillum; id quod utique summopere est dolendum. Leibnitzius fidei meæ credidit ante paucos menses variorum nummorum pulchritudinis & raritatis eximiæ ectypos, quos destinaverat Spanhemio alte natus Princeps Swartburgus; illos ego Londinum curavi, & cum eo perlati sint, nullus dubito, quin Massonus præclarum illud opus iis sit exornaturus; est enim vir variæ pulchræque eruditionis, uti non modo cognosco ex libris ab eodem editis, verum etiam expertus sum ex ejus colloquio, & ex literis, quas subinde haud protritas ad me mittit.

Historia Chingis-Chani edita est Parisiis ab Interprete Regio, Petis la Croix, concinnata ex variis orientalibus auctoribus tam editis, sed rarioribus, quam manu exaratis; laudaturque valde illud opus, quo victoris Orientis, imo alterius Alexandri res gestæ continentur; unde & fit, ut magno ejusdem tenear desiderio. Bellum, quod tota Europa geritur, & quod Asiam etiam, ut videtur, implicabit, Musis inimicum est, & facit, ut vel non, vel tarde ejuscemodi deliciæ ad nos devehantur.

Ego multa moveo, sed pauca promoveo, tot me circum vallant negotia; & unicum fere, quod præstare possum vacuis horis, est, respondere literis eruditorum amicorum, quæ augentur in dies. Et quanquam facile videam, me, commercio illo posthabito, varia inchoata & affecta opera absolvere posse, tamen facere non possum, quin antiquum obtineam, & ita doctis atque adeo mihi ipse morem geram. Delector enim summopere hisce adlocutionibus, iisque tempora & curas distinguere soleo; cumque animadvertam responsiones meas, præfiscine dixerim, gratas & acceptas esse, peccarem certe in Musas, in amicitiam & in benevolentiam, qua præcipuæ dignitatis & eruditionis vivi me prosequuntur, si iis negligerem vicem reddere.

Hæc scripseram, cum ecce mihi tuæ redduntur, quibus respondes magna mea cum voluptate ultimis meis literis. Placent illa, quæ de excludendis pullis fimo, aut igne insuper observas, & miror, in regione vestra similem artem non ignorare rusticos; & sane gallinarum ova aliter, quam calore naturali, excludi posse firmat etiam ovum apud Suetonium in Augusto: placent etiam ea,

quæ observas de Runicis literis, atque adeo de Antiquitatibus Celticis Abbatis Pezroni. Ego sic semper statui, virum illum eruditione fuisse præstanti, ingenioque valido, & inde eum talem historiam ex fragmentis parvis & dispersis instituisse componere; sed nunquam talia probare potui, putavique, imo etiam nunc existimo, suaviter nobis illudi, nihilque veri ejuscemodi commentationibus inesse.

Neque displicent, quæ ad Polyænum observas; sed tamen, ut verum fatear, non video, quomodo ligna ad ædificandum hic locum habere possint, cum loquatur Polyænus de iis, quæ desiderabantur singulis diebus ad parandum prandium & cœnam Regi. Et certe non video, quomodo requiri potuerint singulis diebus ὕλης ἑκατὸν ἁμάξαι, ad ædificandum, maxime cum palatia Regia ex lapidibus cæsis & marmoribus fuerint constructa, uti vel nos docent ruinæ Persepoleos, quas, uti nosti, publicabit Brunius. Neque tot lignorum currus desiderabantur ad se calefaciendum in regione non admodum frigida; sed vide atque inspice culinas, apparatusque in prandium & cœnam diurnos, fateberisque ad coquendum, assandum tam varia edulia opus fuisse tanta lignorum copia. Si regum illorum palatia ex lignis fuissent, uti sunt hodie Moscorum multa, admitti posset tua illa explicatio; sed cum id contrarium plane sit, non video profecto, quomodo *materia*, vel ligna ad ædificandum locum hic habere possint.

Non a ratione est, quod ex *Trojæ* & *Majæ* vocabulis conjicis, ludos peculiares fuisse, cum *Trojæ lusus* veteribus sit cognitus, & posterioribus *Majumæ festum*. Egit in Ephemeridibus Trivultianis de priore ludicro vir eruditus quidam, sed se tam turpiter dedit, ut ego omnia examinaverim, & constituerim ea mittere ad illustrem Bignonium, certum harum elegantiarum judicem: & nosti Rivinum *Majumam* illustrasse multis. Quæ in Glossis Isidori, & in excerptis Pithœanis sequuntur & antecedunt loca illa, nihil faciunt ad illa illustranda, nihilque cum iisdem habent commune; & forte, id quod nunc commodum occurrit, pro *Bestemiæ* scribi debet *Bestemajæ*, vel *Bestæ Majæ*; sed quid vox illa sibi velit, juxta scio cum ignarissimis.

Desidero valde legere dissertationem tuam de Festo vestro, cui nomen JVVL, & memini multis de eodem agere Rudbeckium tomo I. Atlanticorum. Vale plurimum.

Daventriæ 10. Aprilis 1711.

LXXXV.

Perillustri Nobiliss. & Consultiss. Viro

DN. GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

QUas 10. Aprilis hujus anni currentis ad me destinasti cum Præpotentium Ordinum legato Dn. Goesio ad nostram aulam recte mihi redux tradi curavit, quibus nunc tibi, licet occupatissimo in negotiis publicis, respondere, & interpellare, nolui prætermittere, ut quando interjungere potes a publicis, quum otium fuerit,

A meas etiam ineptias legere possis, illisque inter tot doctorum virorum consultationes animum, velut in pocœniis & repotiis quibusdam, oblectare, summe Vir.

Primum quod quæris, est de loco Juvenalis Satyr. 15. mihi vero 5. v. 163. ejusque *signo de paupere loro*. Possem tacere, post tot doctos viros, qui nihil inde potuerunt elicere, quod ad rem faciat; ipse Scholiastes videtur in avia pergere, dum lorum illud pauperculum interpretatur corrigiam Parthicam, ex qua bulla pendere solet, scilicet aurea, signum ingenuitatis. Nam ut aurum erat metallum nobilissimum, sic quoque lorum, ex quo
B aurum illud pendebat, non debuit esse vulgare, sed ex delicatioribus, quale erat Parthicum: sicque abit Scholiastes a Juvenalis paupere loro. Juvenalis namque de corrigia Parthica nihil ibi dixit, sed versus ejus sic se habent; quis enim tam nudus, ut illum Virronem sc. aut *illud*, vexationem, rasuram & alapas

Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro?

Loquitur illa Satyra de Parasitis, qui, aliena qua-
C dra ut viverent, circum cursitabant, & divitum cœnas quærebant, ubi quam contemti haberentur, exponit; quoniam nihilque minus quam cœnas illas lautas degustabant, quas videbant quidem, sed attingere vetabantur, & contumeliis plurimis afficiebantur, quas nemo ingenuus, licet pauperrimus, bis ferre vellet. Hæc mens est Juvenalis, dum ait, nec nobiles ingenuos, qui auream bullam gestabant prætextati, nec pauperiores ingenuos, qui, loco bullæ aureæ, nodum saltem bullæ similem collo ferebant, aut saltem signum aliquod ingenuitatis suæ de paupere loro præferebant, has contumelias bis passuros esse,
D quas parasiti quotidie sufferre cogebantur, quoties divitum cœnis se ridendos & male tractandos ingerebant. Neque enim soli libertini scorteas bullas gestabant, sed etiam ingenui multi, quibus res angusta domi. Loquitur autem Juvenalis de Parasitis, qui licet ingenui non essent, libertate tamen donati erant, unde versu præced. 161.

Tu tibi liber homo & Regis conviva videris.

Qui non merebatur tam indigne tractari, quum nec pueri ulli, sive nobiles essent, sive ingenui pauperiores, illa ludibria bis ferre possent, quæ
E parasiti τρεχεδεῖπνοι quotidie in illis divitum cœnis sustinent, & sustinere cogebantur. Hanc puto mentem esse Juvenalis, nec quidquam ibi corruptum, sed omnia recte se habent, si per interrogationem legantur: quæ si tibi quoque placeant, Vir summe, gaudebo me tibi satis fecisse. Nam quod de Parthicariis, qui parthicas pelles conficiebant, & ut mercatores Romanis etiam afferebant, alio spectant, ad calceos, ad vestimenta, & alios usus, prout nobis hodie sunt pelles, quas *Seemsleder* vocamus, subtiles, & elaboratissimæ.

Pro editionibus doctorum scriptorum, & ad-
F huc edendis, quæ submisisti, plurimas gratias tibi debeo; delectant enim me scripta illa curiosa, quamvis illa legere vix ætas mea jam mihi permittat, morti vicina, cui me jam quotidie præparo: nihil enim mihi superest, quam illa philosophia mortis.

Optime judicas de Pezroni Abbatis scripto. Tentavit equidem doctus ille Vir, Celticas antiquitates illustrare, sed principia nimis ἀρχαῖα, fatua, & fabulosa substravit, ideoque fundamentis illis nihil inædificari potuit solidi;

nam neque cum sacris, neque cum profanis scriptoribus ipsi convenit, aut convenire potuit. Si Celtica mea, quæ summo studio collegi, quod ad Septentrionem nostrum maxime spectent, & primas Celtarum migrationes, aliquando videre lucem poterunt, puto meliora & certiora in illis legi posse; sed tineis & blattis ea me scripsisse potius video, quam ut profutura sint vel nunc viventibus, vel posteris. Quis enim hæc curat? Prætor nullus, Consul nullus, Mœcenates nulli. Iis vivimus temporibus, ut Musas relinquere satius sit, quam iis impallescere.

Quod Polyæni locum aliter tibi placeat explicare, & plurimas illas vehes arborum integrarum etiam culinæ destinatas velis, non video procedere posse. Nam Polyænus optime distinxit ξύλα ϰ) ὕλην, ideoque manet mihi sententia, ὕλην illam in alios usus in aulam apportatam. Quamvis enim lapidibus & marmoribus structi ac incrustati parietes ac muri fuissent apud Persas, nosti tamen etiam ligna non pauca ad ejusmodi ædificia coagmentanda interius requiri, trabes nimirum, januæ, valvæ, asseres, tecta, pontes. Sed & domunculæ multæ palatia ipsa cingebant, ut stabula equorum, boum & similia, quæ fere quondam lignea tota solebant esse, & quæ sine lignis solidis subsistere nequeunt: ne igitur illa unquam deessent, copiam talem arborum advehi necesse fuit, ut ex illis ruinosa & labefactata restaurari possent, quoniam quotidie in tam spatiosis aulis & palatiis aliquid reparandum occurrit; & tamen certum est, ex illis arborum περιτρίμμασι, quæ ad ædificia parabantur, multa focis & culinis quoque serviisse, eoque conducta fuisse; modo non statuas, totas arbores in Persicis culinis igni injectas, prout in Septentrione ultimo, ubi frigora immensa non ξυλίδια aut ramenta, sed integras arbores requirunt.

Quod tu, Vir Excellentissime, conquereris, te obrui literis doctorum Virorum, quibus non respondere inhumanum esset, sed publicis negotiis, & his amicis furibus temporis te præpediri, ut affecta opera multa relinquere cogaris, hoc ego quoque jam pluribus annis sensi, unde cœpi contrahere vela, & illas quas vocant *correspondentias* invitus quidem desero, sed ad paucas jam illas redegi, (quamvis novæ semper non desinant se offerre) ne tempus omne, quod breve superest, totum mihi pereat, & quietem, quam desidero, turbent.

Inveni tandem in Bibliotheca mea Hottingeri locum illum de Samaritano Codice, quem in prioribus allegasti, in Bibliotheca ejus Orientali, quæ est Smegmatis liber tertius. Contuli caput illud cum Dn. Relandi verbis, quæ mihi summisisti. Dissentire quidem video, sed ita, ut facile conciliari possint. Si expiscari posses a Dn. Relando, quam sententiam de illius Codicis, & earum literarum ætate foveat, rem mihi feceris gratissimam. Est hic inter Professores nostros, qui disputatione publica illud argumentum tractare promittit, quod diu promisit, sed nondum explevit promissa. Sed vereor, ut me assentientem habeat, quum, quantum intellexi, veterem Doctorum sententiam amplectatur, Samaritanas literas & codicem antiquiores esse Hebraicis & codice, quem nunc legimus, & sane in multis discrepat Codex ille a textu Hebræo, quod & Hottingerus animadvertit.

Dedi exemplar dissertatiunculæ meæ de festo Juul Domino Legato Residenti de Goes, Amico nostro, ut si occasio ferat, illud tibi mittere curet, quoniam nunc ex Amicis meis neminem novi, qui ad vos hinc contendat; nam sumtus tabellariorum ordinariorum non meretur illud scriptum. Sicque vale diutissime, atque iterum salve.

Dabam Hafniæ a. d. xxx. Maii A. 1711.

LXXXVI.

Amplifs. & Celeberr. Doctissimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

SEX fere menses elapsi sunt a receptis literis, quas ad me ultimo Majo proximo dedisti, & miror ipse, me tam diu siluisse, atque adeo defuisse officio meo. Sed occupatione mea perpetua fit, ut obliviscar respondere amicis, quanquam eorum, & præcipue tua singularis eruditio mihi semper ob oculos versetur; id quod te, vir eximie, velle habere persuasissimum, etiam atque etiam rogo.

Legi cum voluptate & fructu dissertationem tuam de Nomine & Festo *Juul*, & quanquam laboriosus Rudbekius etiam egerit de eo in suis Atlanticis, tamen facile video, te novam lucem affundere materiæ illi eleganti & intricatæ. Patere autem ut mittam, te, vir egregie, non satis caute pag. 23. istius doctæ Dissertationis Hesychium Milesium facere auctorem Lexici pulchri & eruditi. Sunt enim omnino diversi, alter Milesius, hic noster vero Alexandrinus; hic omnino Christianus fuit, uti ex plurimis locis constat, nec non ex Evangelistis & Apostolis, quorum testimoniis utitur, uti patet quam clarissime ex Indice Pricæi, qui tamen variis omissis auctoribus potest augeri. Milesium illum etiam diceres fuisse Christianum, quia *Christi* meminit in v. *Sibylla*, quam nescio quare cum Antiocho faciat vocem ῥωμαϊκὴν *Romanam*, nisi forte respiciat ad Græcos, qui labente imperio *Romani* dicebantur; est enim absque dubio vox Græca. Meursius autem Suidam putat mutilum esse p. 110. & excidisse ex eo hæc verba Διογένην τὸν Λαέρτιον μιμησάμενος, quod mihi secus videtur, & puto Suidam narrare, Hesychium Milesium scripsisse ὀνοματολόγον, quo complectebatur viros eruditione insignes, illiusque majoris operis fuisse epitomem libellum, quem Suidas habebat. De his autem Hesychiis præclare agit amicus noster Joh. Alb. Fabricius in exercitatione de Lexicis Græcis, uti absque dubio nosti.

Atque hæc quidem occasione elegantis illius lucubrationis; nunc accedo ad epistolam tuam, quæ mihi profecto venit acceptissima, & quam exarasti xxx. Maii, quo tempore nondum tibi potuit tradita fuisse illa, quam xxix. Junii ad te dedi. Spero te illi & huic responsurum, ubi otium nactus fueris, teque adhuc in vivis agere, licet tam gravis pestilentia Regni Danorum caput affligat, quam ut Deus Opt. Maximus sedare & tollere velit, multum eundem veneror. Mihi profecto videris, vir πολυμαθέστατε, optime explicare Juvenalem Sat. 5. v. 165. & lætor te etiam ibi non invenire *lorum parthicum*, non secus ac tibi placere, quod de Abbatis Pezroni Celticis tuli judicium. Utinam, utinam publicare posses, velle

enim te habeo plane persuasum, Celticas migrationes, ut ita genti magnæ & olim perquam celebri etiam major lux accendatur! Recte deploras calamitatem temporum nostrorum, quibus vix unus, aut alter amat artis severæ effectus; quæ de Magistratibus narras, eadem observes licet in tota fere Republica Fœderata, in qua, mirum dictu, pauci admodum sese oblectant studiis humanioribus, quamvis velint videri eadem amare, imo si non primas & secundas, attamen aliquas partes obtinere.

Non agam amplius de loco Polyæni, tibique, vir amicissime, sententiam tuam relinquo libens lubens, idque te mihi etiam benevole concessurum, nihil est, quod dubitem.

Spero te adhuc diu nobis fore superstitem, quamvis facile credam, commercia literaria tibi in illa ætate molesta esse; & inde fit, ut rogem, te, nisi quod commodo fiat, mihi respondere velle; neque enim soleo amicis molestus esse, sed frequentiores literas mitto, ut videant, me illorum non oblivisci: id quod certe tibi testari debeo, a quo tam frequentes, & tam eruditas accepi, quamvis subinde nos ita infelices fuerimus, ut alter in alterius sententiam non potuerit facere discessionem.

Relandus non satis prospera utitur valetudine, & inde fit, ut nondum mihi significaverit, quæ ejus sit sententia de Codicis Samaritani & illarum Literarum ætate; iterum virum clarissimum compellabo, & quæcunque ad me mittet, continuo tecum communicabo. Intentus valde est Geographiæ Sacræ & Ecclesiasticæ, & inde ferunt fieri, ut propter perpetuas lucubrationes se non satis bene habeat. Quod si ingens hoc opus fuerit absolutum & publici juris, credo nos pauca, quæ ad utilem eam materiem pertinent, desideraturos; ipse vidi cum singulari voluptate curas & labores ipsius, & fateor, mihi illos arrisisse & placuisse summopere.

Ego etiam in ea sum opinione, Samaritanas literas antiquiores esse quadratis illis, quibus hodie Judæi utuntur; uti desidero legere Professoris vestratis, idem sentientis, ratiocinationes, ita nihilominus tuas etiam in contrarium abeuntes sedato & quieto animo examinare vellem; & si tibi volupe est meas audire, quanquam varias miserim, faciam certe istud absque ullis ambagibus, & aperte, uti inter bonos agier oportet.

Celeberrimus Perizonius edidit Origines Ægyptias & Babylonias, profunda & accurata refertas eruditione; has olim publicaverat disputationum modo, illæ plane novæ sunt. Nonnulla viri placita adverterunt animum meum, nec ægre feres, ea me tibi proponere: putat igitur Israelitas a migratione Ægypti per annos 430. Ægyptiis serviisse, sequiturque nihilominus Chronologiam Hebraicam, sed putat non omnes generationes in S. S. memorari, verum præcipuas tantum 2. No-Ammon Prophetæ Nahum non esse Thebas, sed Diospolim in inferiore Ægypto vel Delta sitam, cui optime descriptio prophetæ conveniret; id quod certe verum est, sed velim equidem doceri, an illa Diospolis tam magna fuerit, ut Ninivæ possit æquari, an tam vetusta, an aliquis veterum eam nobis describat tam amplam, & an non descriptio illa Nahumi sit itidem descriptio Ægypti, quia Thebas nemo pervenire poterat, nisi periculis se maris objiceret & Nilum superaret. 3. Confusionem labii non fuisse subitam complurium novarum linguarum confusionem cum veteris oblivione, sed veram & propriam sermonis confusionem; illam fuisse non perpetuam, sed usque ad secessionem durasse, qua facta homi-

A nes loquutos esse haud dubie, uti soliti erant, eademque lingua, qua ante usi erant, sed quæ tractu temporis per varias & separatas jam gentes adulterata fuit, &c. quod ultimum legitur p. 274. & 275. Orig. Babyl.

Accepi Smyrna Inscriptiones Græcas pulcherrimas; & illæ, quas possideo ineditas, nec non quas ex variis raritatis eximiæ & parum cognitis libris collegi, idoneum volumen constituerent. Sed cum te res Septentrionales delectent, accipe etiam illustrem Witzenium mecum communicasse Inscriptiones in Siberia saxo inditas, vel insculptas, quarum characteres tam mirifici, in-
B flexi & contorti sunt, ut nulli similes in hunc usque diem visi sint; quanquam possint esse veterum Chinensium, quos constat in castris Impp. Tartarorum victos militasse. Spem tibi facio eruditum orbem visurum Xenophontis Ephesii Ephesiaca, & Charitonis Aphrodisiensis Erotica, quæ Ms. me impulsore inventa tandem sunt in Bibliotheca Florentina, quæque edere constituit Salvinius, Græcæ Linguæ omnisque elegantioris studii peritissimus, si modo Typographum in Batavis reperire potest, quam rem nunc serium ago in modum. Vale, vir amplissime, atque adeo præstan-
C tissime, & me, quod facis, amare perge.

Daventriæ a. d. v. Id. Nov. 1711.

Cum in eo essem, ut hasce literas vellem mittere, ecce mihi aliæ a Relando. Quid mecum communicaverit vir egregie doctus, ex Excerptis cognosces. Mihi illa videntur continere varias quæstiones, uti, 1. An Samaritanæ literæ non sint antiquiores Hebraicis quadratis. 2. Quomodo Judæi impedire potuissent Samaritanis usum literarum, quas a majoribus acceperant. 3. An Judæi stante templo 1. signarint nummos. 4. An in iis
D usi sint characteribus Samaritanis. 5. An duplex alphabetum habuerint sacrum & profanum. 6. An Samaritani acceperint Pentateuchum a Judæis: & aliæ, de quibus quid statuas, ego profecto cognoscere cupio, ubi tibi erit commodum.

Vale iterum Id. Nov. 1711.

LXXXVII.

E

Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

NON dubito, quin amplissimus Goesius reddiderit tibi literas, quas fidei ejus commiseram, & quin inde perspexeris, quo lo-
F co apud me sit tua elegans eruditio. Non displicebat mihi conjectura tua de ludis, quos te invenisse putabas in Excerptis Pithœanis, & in Glossario Isidori; sed nunc video nos humani aliquid passos esse, & non de *ludis*, sed de *porcis* nobis fuisse cogitandum. Statues proculdubio id ipsum, ubi legeris notam, quæ sequitur, Grævii. Is enim vir eruditus novæ editioni Lexici Philologici Martinii subjecit Glossarium illud, & pulchre illustravit difficillima etiam loca; ita igitur loquitur: *Beste-*

miæ trojæ; sed non longe post, *Bistimiæ* trullæ, ut & Salomo Constantiensis, *Bestimiæ trullæ Salomonis*. At in excerptis Pithœi, *Bestimiæ*, *trojæ*. Sic & Papias *Bestimia troja*. Sed in Pithœanis statim illud, quod modo attuli, præcedit, *Bestiæ majæ*, *trojæ*. Fortasse hæc vera lectio est: *Bestiæ* majæ, trojæ, ut *bestia maja* dicta sit, pro bestia majali. Majales dici porcos castratos, quod deæ Majæ sacrificentur, noster Isidorus docuit inferius, & Onomasticum: Majales χοῖροι τομίαι. Jam vero *troja* est scrofa, ut docuit Pomponius Sabinus ad 5.Æn. *troja*, *quo nomine in Latio scrofa appellatur*. *Bestia* igitur *maja*, est troja, seu sus castrata. Inde addit nonnulla, quæ quidem non pertinent ad hanc rem, sed tamen sunt elegantia: Cur in excerptis dicantur ζωοφόρος *trojæ*, id alii exputent. Hesychio ζωοφόρος est Salamandra, est Sarcophagus seu capulus feralis, in quem cadaver reponitur. Sed nihil hoc ad bestiones, aut trojas. Difficilia certe hæc sunt; & *trojas porcas* esse etiam ex Regesto quodam notat DuCangius; sed si porci castrati ita perpetuo dicuntur, unde in Excerpta irrepsit ζωοφόρος *troja*, nam diceres, ita appellari porcam ferentem uterum, quæ & inde hodie Gallis nominatur *une truye*, si modo vox ζωοφόρος ita usurpatur, id quod prima fronte videtur, cum sit *animalia ferens*. Notant eruditi, Varroni *porcum castratum* dici *majalem* lib.2. de Re Rustica, & ex Ducangio patet, eodem sensu eam vocem occurrere in Glossis, & apud Ugutionem, qui etiam notat, quosdam putare *Majalem* dictum, quod ad Majumæ festivitatem nutriretur & saginaretur, reservareturque ad solemnes epulas; unde aliquo modo conjecturæ nostræ adstruuntur. Quod si porca uterum gerens admitti posset, dicendum foret eam *majam* appellari, quia *maja* est obstetrix & nutrix. MEIA eodem sensu occurrit in Inscript. vetustis apud Gruterum 9. IↃCCCCXXXIII.

MEIA FVI FELIX SEPTEM CIRCVMDATA NATIS

quanquam ibi potius mihi videatur vox illa usurpari pro *matre*, quod num alicui fundamento innitatur, tuum erit judicium.

Quid, quæso, sentis de poesi Hebræorum, an metro, an vero rythmo constitit, variant inter sese viri docti, uti optime nosti omnium, & Joh. quidem Clericus multis, iisque eruditis contendit, posteriorem sententiam veram esse Artic. 8. Biblioth. Universalis anni 1688. Eum nuper impugnavit Italus anonymus edita Italica epistola ad amicum; qui tamen est, ut certior fio, Raphael Rabenus, Rabbinus, qui Patavii Medicinam publice profitetur, & inter claros Mathematicos, Philosophosque habetur. Biagius Garofalus anno 1707. Romæ de eadem materia librum conscripsit, in quo probare conatur, Hebræos usos fuisse versibus Rhytmicis, qui tamen difficulter admodum inveniri possunt in veteri Testamento, quia illud mutatum & corruptum librariorum ignorantia, maxime cum Judæi uti incœperunt lingua Chaldaica, uti me docent Acta Trivultiensia art. CXL. anni 1710.

Eidem itidem se opposuit Raphaellus Rabenus sub nomine Barnabo Scacchi, isque & ibi putat cum Hieronymo, Judæos habuisse *Hexametros dactylo spondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum*, præfat. in librum Jobi.

Augustinus Calmet, Benedictinæ Familiæ in Galliis singulare ornamentum, contendit, *Que la poësie Hebraique ne reconnoit aucune versification reguliere, & la fait consister dans un style plus élevé & plus figuré que le style ordinaire, dans son Commentaire Literal sur tous les livres de l'Ancien & du Nouveau Testament*, uti me docent iidem eruditi art. 26. extremi anni 1709.

Atque hinc perspicis, tres esse ea de materia opiniones, aliosq; putare Hebræos versus esse metricos pedibusque alligatos, alios rhytmicos, tertios vero binas illas sententias rejicere, & amplecti ampullas, ut sic loquar, & septempedalia verba.

Cum autem valeas eruditione omnigena, & Orientis etiam possideas opes, plurimum profecto tibi debebo, si me doceas, quid de hac quæstione sentias & statuas. Nam quamvis linguæ Hebrææ ignarus sim, tamen vehementer cognoscere desidero, quid tandem statuendum & amplectendum sit, teque optimum phosphorum esse habeo penitus persuasum.

Nihil adderem, quia scio te occupatum, sed cum egerimus olim multis de *Serpentibus militibus*, patere, ut addam, tempore Luciani historicum fuisse, qui eosdem Parthis tribuit, sed eum mendacii convictum hic acri sale perstringit, docetque in libro, quomodo Historia sit scribenda, eum male ex signis Draconem referentibus facere Dracones vivos; & interpretis insuper errorem animadvertit Lambertus Bos cap. 9. observat. Criticar.

Quin & memini, me tunc in iisdem epistolis annotasse Juriæi errorem, qui Interpretem sequutus, Suidæ verba Græca non satis recte in Gallicam linguam transfuderat; id quod correctum plane non esse in ultima & pulcherrima ejusdem Lexicographi editione equidem valde miror.

Atque ex Luciano & Suida patet, ejusmodi Draconibus, uti vexillis, usos esse Parthos, & Scythas, quibus nunc addo & *Indos*, ex eodem Suida in vocibus Ἰνδοὶ & χιλιοστύς, quibus in locis optime draco hic fictitius describitur. Sed hæc quidem hactenus, & scis, de hisce signis plura notare pereruditum Lipsium lib. IV. Dial. V. de Militia Romana, ubi & putat per *Indos* illos intelligi debere *Sindos*, populum Scythiæ Europææ; quod utique mihi eo firmari videtur, quia ii, qui res Alexandri memoriæ mandarunt, nullam ejuscemodi draconum faciunt mentionem, & quia Suidas alibi eos *Scythis* attribuit.

Hæc cum scribo, adferuntur ad me literæ, quas Hafniæ ad me dedisti XXX. Maii die, una cum perelegantі dissertatione de Festo Septentrionali, cui nomen IVVL, quod etiam datum fuit Natali D. N. J. Christi. Singularem profecto ex illius nec non epistolæ lectione cepi voluptatem, & fructum; sed occupatione mea fit, ut nunc illis respondere nequeam. Fiet id alio tempore. Multum debeo amplissimo Goesio, quod meas recte curaverit; hasce autem ad te curabit communis amicus noster Joh. Alb. Fabricius, cujus fidei illas commisi. Saluta quæso excellentem Ablegatum verbis meis amantissimis & observantissimis, alio tempore ipsi officia mea deferam. Vale plurimum.

Dav. 29. Junii 1711.

LXXXVIII.

Nobilis. Excellentis. & Consultis. Viro

DN. GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Veritus sane fui, hoc quidem tempore, quo contagiosi pene morbi nos hactenus oppresserunt, ad quemq; Amicorum meorum quidquam scribere; compertum enim habemus literas ipsas, licet probe suffumigatas, cum aliis non fumigatis compactas pestilentem odorem apertas emisisse, & contagia contraxisse, quæ per nares & os ad viscera legentium penetrarunt, illisq; mortem subitam accelerarunt. Cessare quidem cœperunt in nostra Civitate nunc hæc contagia parumper, sed nondum evanuerunt penitus; supersunt adhuc reliquiæ quædam, quas cum frigoribus imminentibus tandem etiam emorituras speramus; Aer quidem hic saluberrimus toto illo tempore nobis fuit, sed homo homini pestis fuit, quam alter alteri affricavit conversando, prout solet:hic mortes meræ multas domos & familias invaserunt. Quod ad me attinet, domus quam inhabito, hactenus intacta mansit, sola Dei gratia & misericordia, quamvis vicinia tota circumquaque contagia sua senserint,defunctosque plures ad plures dimiserit. Afferere possum me per Dei summi gratiam ea valetudine usum, quæ superioribus mihi temporibus non contigit, qui me continui, quantum potui, intra penates meos, & exspatiationibus cœlo tam sudo & puro omne contagium hactenus averti. Sic itaque res meæ se habent dum hæc scribo: valetudo mihi est firma & optatissima, studiis incumbo dum licet, nec enim multos accedere me sino, nec multos ego.

Interim perlatæ sunt tuæ Idib Novemb. hoc anno datæ Daventriæ, quæ mihi fuerunt desideratissimæ, sed mentionem inibi facis literarum 29. Junii ad me missarum, quas sane nondum ad me pervenisse doleo; nescio sane ubi lateant, aut ad quem illas curaveris; nam Dn. Goesius ob contagium hinc discessit, ut ubi nunc commoretur, æque nesciam. Ultimas tuas ad me transmisit Hamburgo Dn. Holstii filius, cui meam dissertatiunculam de festo Juel dedicavi, qui apud Dn. Fabricium Hamburgi cum Informatore suo hoc tempore degit.

Atque sic accedo, ut respondeam ultimis tuis, in quibus me mones de errore quem commisi in Hesychio Milesio, cum Hesychium Alexandrinum scribere debuissem; est enim error calami festinantis, non mentis meæ, nam ipse titulus Hesychii hoc testatur: *Ἡσύχιος γραμματικὸς Ἀλεξανδρεὺς εὐλογίῳ τῷ ἑταίρῳ*, &c. Est igitur error hic meus, sed præter mentem. Nam ut verum dicam, præcipitavi & deproperavi hoc scriptum, quod Festum instaret, & operæ cessarent, ut paratum esset ad Calendas sequentes, nec adverti errorem nisi opere perfecto sero nimis. Legi enim Hesychium Milesium ejusque *ὀνοματολόγον* valde adolescens, editum cum Eunapio Sardiano & Diogene Laertio a Casaubono; cujus etiam indicem confeci. Sed quia nuper tunc de Milesio pauca legi apud Vossium, hæsit Milesii nomen calamo, nec corrigere potui, opere jam perfecto, errorem,quem in relegendo satis adverti. Sed cum Hesychium Illustrium Miletium scribis *Sibyllam* credidisse vocem esse Romanam, recte sentis illam vocem Græcam esse. Nam jamdudum Scholiastæ & paraphrastæ Pindari nos monuerunt *Σιβύλλης* vocem esse Æolicam & significare *θεοῦ βουλήν*. *Σιός* enim Æolibus & Doricis *Θεός* est, & *βύλλα*, *βουλή*, unde *Θεοβούλη* idem est quod *Σίβυλλα*, quemadmodum *Σίσυφος* idem est, quod *Θεόσοφος* communi lingua Græca: nec Romanorum dici possunt voces, quum origine Græcæ sint, usu tamen Romanorum factæ per Græcos.

Sententiam tuam, Vir Eruditissime, avide exspecto tuasque rationes cur statuas, literas Samaritanas antiquiores esse Hebræis quadratis. Professor noster adhuc moras nectit, nec quidquam hactenus edidit de antiquitate Samaritanorum. Vides autem ex excerptis Epistolæ Dn. Relandi, quem in his exercitatissimum esse credo, eum censere literas illas quadratas Hebraicas antiquiores esse Samaritanis, quod ego verissimum esse credo. Et easdem illas literas Hebraicas quadratas, quas hodie videmus, easdem illas esse, quas Deus Mosi præmonstravit, nec unquam mutatas vel ab Esra, vel ab aliis Hebræis constanter credo: nam ob sanctitatem suam, & quod a Deo ipso traditæ sunt hæ literæ earumque figuræ,nullum hominum Hebræorum eas unquam mutare ausum credo, adeo ut omnem Kabbalam, quam divinam quoque esse volunt, ex iis literis constituerint, vana tamen superstitione, quum non a Deo, sed ab hominibus profecta sit. De Samaritanis vero literis, quas hodienum habemus, hæc mea mens est, illas primum cum Cuthæis &c. in Samariam adductas esse, postquam illi populi a Babyloniis & Persis eo missi sunt, & codicem Samaritanum ac Pentateuchum Mosis iis literis, quas domo attulerunt, conscriptum esse propter vulgus, ut etiam illi Pentateuchum intelligere possent & legere suis literis: quemadmodum leges nostræ Scanicæ eadem ex causa Runicis literis enarratæ fuerunt, ut vulgus rusticum his literis adsuetum, eas quoque legere possent, qui Danicas literas nuper admodum invectas legere non potuerunt. Samaritanos autem priores, & antiquos ex tribubus Hebræorum descendentes Pentateuchum, quos libros solos agnoscebant divinos, propter Mosen, cujus nomine conscripti sunt, Hebraicis literis quadratis legisse postquam a tribu Juda per Jeroboamum se separarunt, nullum dubium esse puto: neque enim linguam Hebræam omnibus tribubus communem eos mutasse, postquam dissidium fecerunt, ullibi legimus, ut nec literas illas sanctitate sua satis tutas, utpote a Deo ipso traditas. Hanc meam sententiam & mentem, ut ad Dn. Relandum perscribas & quid ipsi de ea videatur, explores, cupio, ipsique maximas meo nomine gratias agas, quod tam benevole mentem suam nobis exponere candide voluerit.

Ex illis, quæ de celeberrimo Dn. Perizonio ad me refers, gaudeo sane tantum virum meam sententiam de confusione linguarum ad turrim Babel fovere, eam non perpetuam fuisse, sed postquam cessarunt ab opere isto & in alias regiones secesserunt, eos rediisse ad labium unum & idem, quod prius coluerant, quam meam sententiam hactenus publicare ausus minime fui, nisi quod Dn. Pezrono Abbati, qui in Celtis suis linguam Celticam in ista confusione initium habuisse prodidit, hanc meam opposuerim, dum ipsum confutavi, docuique non a Gomero aut Gomaritis in Margiana aut Drangiana, quas regiones illos occupasse vult, post confusionem propagatam,sed potius in Scythia tam Asiatica, quam Europica, ubi Japheti posteros sedisse certum est, diu post Celtas nomen & eorum linguam cum rebus eorum gestis prodiisse.

An Samaritanæ literæ Hebraicis sint antiquiores, ipse Relandus definivit,non esse,cui ego consentio 2.quo modo Judæi impedire potuerint Samaritanos

ne literas Hebraicas mutarent? Respondi jam, illos nihil mutasse, sed easdem literas Hebraicas retinuisse in Pentateucho, & eandem linguam, usque ad captivitatem in quam abducti sunt, nisi quod Hagiographa & Prophetas non admiserint, nec legerint. 3. An Judæi stante templo primo nummos proprios signarint? Extat, ut nosti, scriptum meum de Nummis non cusis, quo probasse me credo satis, nullos nummos signatos a Judæis unquam prodiisse, nisi ultimis his seculis a 1000. Christi, in Christianorum peregrinationibus, quos obtruserunt nobis cum fraude solita, quod idem sentiendum de Samaritanis, qui colluserunt hac in re cum Judæis, ut Christianis imponerent suis his fraudibus. 5. An duplex alphabetum habuerint Judæi sacrum & profanum? quod nego: unum enim idemque alphabetum Judæi semper servarunt, prout a Mose & Deo ipsis traditum fuit, nisi quod Rabbini citius scribere volentes nonnihil abierint, quæ tamen mutatio non est essentialis, sed calami currentis facilitati consulere voluerunt. Ad 6. an Samaritani acceperint Pentateuchum a Judæis? non quidem a Judæis directe, sed a Deo & Mose, sicut Judæi illo usi sunt, nisi quod suis interpretationibus illud interdum auxerint, ut patet ex Hottingeri sectione, quam in Bibliotheca sua produxit. Vides ergo quid sentiam de his quæstionibus. An recte satis vel minus recte, doctioribus me judicandum relinquo.

Illust. Witzenii Inscriptiones ex Siberianis saxis videre si possem, quamquam perplexas & intricatas, & vix explicabiles, aliquid tamen judicandum ostendere mihi possent. Majore tamen desiderio Xenophontis Ephesii Ephesiaca & Charitonis Erotica legere cuperem Salvinii cura & studio edita. Sed cur in Batavis potius hæc edi petit, quum habeat ad manum tot Italicas Typographias? Hisce nunc te valere diutissime & prosperis omnibus frui, totis animi mei πρόθυμως exopto.

Dabam Hafniæ a. d. XIX. Dec. CIↃIↃCCXI.

LXXXIX.

Amplissimo & Præstantissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Ecce tibi, vir eximie, Inscriptiones Siberianas, quas tam vehementer videre te velle significasti mihi ultimis literis. Illustris Witzenius eas pictas ad me misit, patique potest ut in manus tuas, qua est erga omnes eruditos benignitate, perveniant, speratque te multam lucem illis adlaturum. Omnes, qui illas viderunt, credunt Sinicas esse, & ego primo conspectu divinabam Sacrosanctum D.N. J. C. Monogramma nobis repræsentari charactere III. paginæ I. & II. paginæ II. id quod confirmat plane La-Crosius. Vir hic pereruditus judicat etiam Chinensibus eas deberi; consuluit librum ejus gentis, quem possidet Ill. Leibnitzius, quique continet veteres Inscriptiones, vel lapidibus vel vasis fictilibus inditas, non secus ac Gruterus publicavit latinas, & inde edoctus est primis regulis contineri exstructionem templi vel Ecclesiæ Christianorum, ordinavitque characteres ad modum, quem schedula hisce literis juncta complectitur. Et notandum inprimis, multa ingentis ædificii rudera in vicinia reperiri, imo & magnæ urbis, qualia in mediis sylvis vel saltubus etiam animadvertere licet non absq; admiratione. Hæc monumenta non deberi horridis Siberiæ incolis, credo te mecum affirmaturum, cumq; Chinenses in hasce regiones penetraverint cum Monarchis suis debellatoribus gentium proximarum & remotarum a florentissimo illo regno, credibile omnino, illa iisdem deberi, maxime cum non dubitandum videatur, quin Christiana Religio ante complura sæcula eo sit deportata; quo pertinent istius indicia rudi Minerva elaborata cerni in Siberia rupi politæ & levigatæ inscripta durabili atramento, cujus antiquitatis non nisi unum exemplar mecum communicavit idem vir insignis, atque inde fit, ut istud reliquiis hisce prisci ævi Septentrionalis non addam.

Non dubito, quin Hesychius *Milesius* sit error calami, & veniam peto etiam, atque etiam, quod illius fecerim mentionem; postulare tamen mihi videbatur amicitia nostra, ut illud monerem, ne aliquis morosus, id quod sæpe fieri solet, inde occasionem arriperet te carpendi, & quia edita obliviscimur frequenter corrigere; Milesium autem errare statuendo vocem *Sibyllam* esse Romanam, lætor te mecum statuere.


Video te accedere celeberrimo Perizonio, & credere confusionem linguarum ad turrim Babel non fuisse perpetuam, & homines, postquam cessarunt ab opere isto, & in alias regiones secesserunt, rediisse ad labium unum, confusionemque divinitus immissam cessasse.

Magna, Vir præstantissime, apud me est tua eruditio, magna auctoritas; sed patere ut mittam, mihi sententiam illam nequaquam probari, maxime cum illius nec vola, nec vestigium reperiatur in S. Scriptura, adversarique videatur plane consilio Dei, qui constituit confundere linguas hominum, ita ut sese invicem intelligere non possent, & dispergerentur per totum terrarum orbem; qui si rediissent ad unum primævumque labium, utique facile redire ad perficiendum ingens illud audaxq; opus potuissent, maxime cum nullo modo sit verisimile, eos continuo in ultimos tractus se contulisse, sed lapsu temporis remotiores credam occupatos, illoque etiam dialectos varias provenisse. Quod si & tua & Perizonii, aliorumque forte sententia vera foret, mirum mihi profecto videtur, Mosen omisisse tam splendidum miraculum, quod tamen dignum erat ut scriptis suis comprehenderet, & quod mihi videtur Sp. Sanctus illi dictaturus, si factum esset. Nunc legimus c. 11. v. 7. Deum dixisse, *Descendamus & confundamus linguam*; & v. 9. *urbem Babel dictam, quia Dominus ibi confundebat linguam totius terræ*. Nihil additur vel hic, vel alibi de reddita hominibus una & primæva lingua, quam cur reducere abolita confusione voluerit Deus, ego, qua sum tarditate ingenii, nullus plane capere possum; & plurimum me devincires, si mihi annumerare velles vel loca S. Scripturæ, quæ judex inter nos solum sedere potest, vel alias ratiocinationes, quæ per consequentiam ex eadem possunt deduci. Neque enim simplices & nudæ admittendæ sunt in re tam ardui argumenti, & quæ nititur disertis Divini Codicis verbis, a quibus cur recedere debeamus mihi penitus latet. Deus voluit impedire opus, quo separationem a se invicem homines impedire conabantur, atque ad illud consilium perficiendum usus est linguarum confusione.

Vous me ferez un grand plaisir, si vous voudrez me communiquer ce que vous avez opposé à l'Histoire des Celtes de l'Abbé de Charmoie (liber ipsius mihi Gallicam linguam suppeditat) atque ego semper credidi illam Historiam nihil nisi fabulam esse, mirorque ex laciniis parvis virum præstantis eruditionis ausum esse componere, vel confingere potius historiam Celtarum perpetuam.










N.S. T. IV. *Pag.* 275. *Tab.* I.







N.S. T.IV. *Pag.* 275. *Tab* II.



N.S. T.IV. *Pag.* 275. *Tab.* III.



N S. T. IV. *Pag.* 275. *Tab.* IV.

La-Crosius, ni fallor, me ante aliquod tempus admonuit, totam illam machinam superstructam & super impositam fuisse confictis & falsis Annii Viterbiensis historiis, quod proculdubio etiam animadvertisti.

Significarunt mihi amici Florentini, Savinium id agere, ut Xenophontis & Charitonis Erotica imprimantur in Batavis, quia in Italia typographi manus Græcis scriptoribus admovere nolunt, quia emptores non inveniunt, & magis e re sua esse judicant publicare vernacula lingua conscriptos libellos.

Nunc restat præcipuus articulus epistolæ tuæ, illique conabor satisfacere, licet Campis consistam, nec optimos consultores mortuos Daventriæ in Museo meo consulere possim. Et primo quidem communicabo cum Relando prima, quam ad virum insignem mittam, epistola, quid statuas de literis Samaritanis & Judæorum quadratis; deinde accipe rationes meas, levidenses forte, quæ persuadent mihi illas hisce fuisse antiquiores.

Mihi videntur ante conscriptas digito Dei binas legis Tabulas omnino literæ fuisse, & ipse Moses jussus fuit ante illas latas scripto comprehendere, quæ cum Amalekitis gesta sunt; nec mihi credibile, novas literas Deum excogitasse, quas Legislator ille non cognovisset, nisi interveniente miraculo, neque etiam reliqui Israelitæ, quos utique certum est literas habuisse. Abrahamus ejusque posteri in Chananæam venientes & habitantes absque dubio didicerunt ejus tractus linguam, & usi sunt iisdem characteribus; nam ibi fuisse libros satis patet ex urbe Debir vel Kiriath Sepher; illamque servatam esse in servitute Ægypti, sive ista per quadringentos, uti etiam nunc putat Perizonius, vel ducentos annos duraverit, Israelitis satis superque puto patere ex Historia Sacra. Neque enim ego alias possum capere, quomodo Israelitarum speculatores potuerint peragrare terram promissam, alii cum Rachele loqui, nisi eadem lingua Chananæi & Israelitæ fuerint usi, ne jam quidquam de Gibeonitis & aliis historiis dicam; neque enim ullo modo verisimile, Israelitas vel in Ægypto, vel in desertis didicisse linguam gentis, quam jussu Dei exscindere & perdere funditus debebant.

Decem Tribus usas fuisse literis quadratis mihi nequaquam credibile est, postquam sese separarunt a Juda & Benjamin, & ipsa illa historia videtur obstare huic sententiæ. Rex Assyriæ illas deduxit, & continuo alias gentes ex Babele (hinc sequitur eum hanc urbem & regionem habuisse in potestate) Cuta, Ava, & Hamath eo misit, & continuo illæ questæ sunt de leonum feritate, quos immissos credebant propterea, quia Deum terrarum illarum colere nesciebant; Rex mittit Sacerdotem, qui proculdubio tulit secum libros Mosis, quibus solis Tribus illæ utebantur. Jam an ullo modo credibile, sacerdotem illum attulisse aliud exemplar, quam quod ante captivitatem ibi fuerat scriptum; cum non habuerit in captivitate tantum temporis, ut aliam linguam addisceret vel scripturam?

Sunt autem illæ literæ Samaritanæ certum, ut mihi equidem videtur, indicium, illos & ante captivitatem iisdem usos esse, nec aliis etiam Judæos, cum nulla causa sit, cur hisce diversas tribuamus, maxime cum tu, vir eximie, velis, omnes tribus post divisionem regni servasse sibi quadratas.

Hæc sunt, quæ rebus ad summam Rempubl. spectantibus fessus & libris orbus communicare tecum potui, & spero te æqui bonique facturum, quod tam libere tecum agam & mentem meam absque ulla hæsitatione aperiam. Examina quæso hasce ratiocinationes, & tantam acuti judicii tui habeo opinionem, ut persuasus fere sim, te eas approbaturum, vel certe non rejecturum plane, cum mihi videantur alicujus pretii esse, & ipsis Sacris Libris inniti.

Atque ita quidem hoc pensum absolvi, omnibusque capitibus literarum tuarum respondi, quantum hic potui, accurate. Nunc tecum loquar de rebus, quæ elegantes & eruditæ ad me ex Oriente missæ sunt. Accepi igitur ante aliquot menses catalogum nummorum Græcorum aureorum & argenteorum non solum, verum etiam Inscriptiones Græcas; fidem tibi facere possum, nihil magis pulchrum, nihil magis eruditum esse; quin & nuper similem accepi æreorum, & plerique tam horum quam illorum sunt inediti, continentque res valde præclaras, quibus Historia & Geographia illustrari mirum quantum potest.

Quin & adjicitur ultimæ epistolæ Inscriptio Latina, quæ Stratonicæ Cariæ legitur in frontispicio domus, quam credo fuisse olim macellum, quia pretia variorum opsoniorum illa comprehenduntur. Literæ etiam notabiles, nec memini me tales unquam vidisse, id quod te hoc specimen docebit.

MILI PIΓTI K M̊ UNVM * CENTVM

ΓCΑNCULΛE ΓIVE ΓPELTΛE K M̊ * TPIGINTΛ
FΛBΛE FPEΓΓΛE....... * CϵNTVM

in quo S. pingitur ut Γ. & A. ut Λ. & *Scancula* idem est ac *Spelta*, frumenti genus, quod hodie ultimum nomen obtinet, nec in illud inquirere pluribus possum, quia a Musis meis absum.

Gronovius notis illustravit Herodotum, ejusque emendavit versionem, non secus ac ipsa Græca, idque ultimum ope Ms. Codicum. Almelovenius pergit diligenter in augendis & exornandis Fastis, ipsique fui aliquoties a symbolis; Schultingius, Antecessor Frisius, publici juris faciet notas suas in Fragmenta Veterum JCtorum, eritque illud opus pulchrum & dedolatum, uti perspexi ex variis speciminibus, quæ mecum communicavit, nec dubito quin idem censiturus sis, ubi conspexeris eruditam illam consummati JCti & veteris Prudentiæ intelligentis valde lucubrationem; quæ ut juvari possit ope MSstorum, amicos meos Romanos & Parisienses rogavi serium in modum, ut Vaticanos & Parisienses conferre cum editis velint, quod num facturi sint, nondum certior factus sum.

Ecce tandem tibi quid super argumento epistolæ tuæ ad me miserit Relandus mense Februario proximo.

Quod attinet, ait, ad sententiam Cl. Sperlingii de Origine Literarum Samaritanarum, non puto illas primum cum Cuthæis in Samariam allatas esse. Inde enim si ortæ essent, Judæi stante Templo secundo nummis suis literas gentis invisæ adeo non inscripsissent, (hoc factum esse non credo) atqui constat omnes nummos ea ætate cusos literas Samaritanas præferre. Quid ergo? videtur mihi priscis Hebræis duplex scriptura in usu fuisse (nec hoc mihi verisimile) sacra altera, altera profana; sacra est Hebræa quadrata, profana illa, qua Judæi in nummis & alias usi fuerunt. Inde pergit: Plane non sentio cum iis, qui rediisse ad linguam unam architectos turris Babylonicæ autumant, postquam ab opere illo cessarunt; & ego nequaquam mihi persuadeo, diversas linguas ibi ortas fuisse, quas nunc per orbem terrarum esse usitatas novimus.

Atque ita quidem puto me pensum meum absolvisse, lætabor summopere, si quid dignum eruditione & ingenio tuo annotaverim; sin id secius fiat, nullus dubito, quin excusaturus sis virum,

A qui immersus rebus ad Rempubl. pertinentibus summam, vacivo tempore hæc in chartam conjecit, & non tam scripsit, quam effudit. Vale Campis Transisalanorum xx. Aprilis 1712.

De *Serpentibus militibus* egimus olim; & ecce tibi eorum defensori in Historia Fabulari illustre exemplum apud Nonnum lib. 36. p. 898. Edit. Gr. Lat. Dionysiacorum, ubi quamvis θηρῶν vertatur *ferarum*, & θὴρ *fera*, ex reliquis tamen patet, satis superque *serpentes* designari.

XC.

B

Nobiliss. Amplissimo & Consultiss.

DN. GISBERTO CUPERO
S. P. L. S.
OTTO SPERLINGIUS.

QUod ad tuas xx. Aprilis hujus anni Campis datas paulisper responsum distulerim, multæ mihi fuerunt causæ; tum propter contagionem, quæ nunc, Deo juvante, hic plane desiit, tum quod te publicis negotiis occupatum judicarim, quem domo abesse vidi; tum vero etiam, quod certa occasio mittendi literas mihi defuerit, C familia Illustriss. Dn. de Goes propter contagium hinc absente.

Sed gratissimum mihi fuit videre illas Inscriptiones Siberianas, quas 4. tabulis delineatas mihi submisisti. Sunt hæ meis oculis plane mirabiles, & ignotissimæ, & quo referam, licet deliberarim serio, nondum habeo.

Qui Sinicas has literas esse credunt, vereor ut nos fallant; nosti enim scriptionem Sinensium, quam sit diversa plane a nostra: quum una litera aut vox neque ad sinistram, neque ad dextram progrediatur, sed una sub alia a summo ad imum descendat paginæ; quem ordinem in transmissis re- D perire mihi non licuit. Prima sane tabella bini videntur mihi homines rudi sculptura expressi, in fronte tabulæ positi. Tertiam figuram ejusdem tabulæ, quod tu divinaveris monogramma Christi esse, non video satis convenire: rectius puto figuram secundam tab. secundæ eo referri posse, si quid conjecturis tribuendum foret. Sed me plane Davum fateor in istis figuris, quæ Oedipum non unum requirunt. Omnes istæ figuræ mihi videntur mera monogrammata, quod illarum ductus perplexi satis ostendere mihi videntur. Monogrammatum usus antiquus plane est, & si Scholia- E sti Sophoclis credere debemus, a Sisypho repetenda illorum memoria. Locus est notabilis valde, quem in tui gratia exscribam, cum ita Scholiastes in Ajace p. m xi. sic commentetur: ὁ δὲ Σίσυφος Κορίνθου βασιλεὺς πανοῦργος ἀνὴρ, περὶ οὗ φησὶν Ὅμηρος ὃς κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν ὅστις ὑπὸ τὰς ὀνυχὰς καὶ τὰς ὁπλὰς τῶν ζώων ἑαυτοῦ μονογράμματον ἔγραψε τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Αὐτόλυκος δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ κλέψας καὶ Σισύφου θρέμματα, καὶ μεταβαλὼν ὁμοίως, ἐνέλαβε τὸν Σίσυφον. ἐπέγνω γὰρ αὐτὰ διὰ τῶν μονογραμμάτων. Et adhuc eum morem retinemus in insignibus, annulis, Inscriptionibus & subscri- F ptionibus, prout monumenta Imperatorum aliorumque Principum, & Episcoporum testantur. Germani hanc scriptionem & sculpturam Monogrammatum *ein zug* vocant, Saxones & Belgæ *cen Tog* ductus peculiares certos nominis invicem sibi implicatos, ut olim Runicæ notæ magicæ Septentrionalium quoque fuerunt, quas nemo forte legere vel interpretari possit, nisi qui scripsit aut sculpsit.

In Olearii Persico itinerario memini observasse me Persas etiam literis suis figuras avium & animalium solere exprimere, & quasi monogrammata ductibus peculiaribus efficere. Peringskiold Suecus, & Collegii Antiquitatum Stockholmiensis Præses, qui nobis Theodoricum Gothorum in Italia Regem cum Notis suis amplissimis dedit, parum abest, quin Monogrammata a Suecis originem primam ducere nobis persuadere cupiat, ut sunt illi homines αὐθάδεις, & omnes fere rerum origines a Suecis repetunt, plane ut Græci veteres, qui omnia Græcæ originis esse voluerunt. Sed nolo his immorari, quoniam semper fluctuare oportet, & hæsitare, quoniam certi nihil de istis inscriptionibus Sibericis afferre mihi licet: sufficit meam de his sententiam attulisse, quæ quantum inter doctos valere possit, vel minus valere, mihi perinde fuerit. Si Suecis de his judicare dabitur, nullus dubito, quin ad Gothicas & Runicas literas illæ protinus referri debere contendant. Ego non semel ampliandum censeo. Sunt enim mira & intricatissima, quæ meum captum superant.

Alterum caput tuarum literarum opponit mihi & Perizonio confusionem linguarum durasse quoque, postquam cessarunt illi Hebræi ab opere Turris Babel, quoniam hoc nullibi in Sacris literis reperitur annotatum. Sed nec in sacris ullibi reperies eos in illa confusione linguarum permansisse, nec omnes Noachi posteros ad illam structuram erigendam concurrisse. Unde non pauci docti Viri statuerunt, solos Chami posteros, quos Nimrodicum genus vocat Calvisius ad Annum Mundi 1757. hanc structuram perficere voluisse: ibi ait *eum annum fuisse Sabbathicum, quo Deus linguis confusis* (ædificatorum) *dissipavit agmen Nimrodicum in turri Babylonica extruenda occupatum*. Ex quo authore hæc hauserit Calvisius non addidit, haud tamen dubitandum de summi istius Viri fide, quin ex aliquo veteri Scriptore hæc adduxerit. Isidorus sane Origg. l.7.c 6.p.m.993. idem sentit de Nimrod, quod ejus agmen turrim Babel ædificaverit, dum scribit: *Nimrod interpretatur Tyrannus: hic enim prior arripuit in populos Tyrannidem, & ipse aggressus est adversus Deum impietatis ædificare turrim*. Erat Nimrod filius Chus, filii Chami ejusque nepos, pronepos Noæh. At illos Nimrodicos non dispersos fuisse cum cœteris, sed ibi mansisse, facer Codex dicit Genes. 10.v.10. & regnum illic sibi constituisse Nimrodum. *Fuit*, dicit Sacer Codex, *principium regni illius Babel, & Erech, & Achad, atque Chalne in terra Sinaar*. An vero quidam, non omnes, ex Semi & Japheti posteris affuerint isti Nimrodico agmini, & cooperati sint in turri ista ædificanda, non negabo, nec affirmabo, quoniam hæc incerta sunt. Nimrodum ejusque genus hoc opus maxime promovisse, secundum hæc certum est. In illos igitur hæc confusio linguarum solos pertigit, qui ædificarunt, non in cœteros omnes, qui huic structuræ manus non admoverunt. An vero hi constructores, postquam moniti cessarunt ab opere incepto, in ista confusione linguarum permanserint, alia quæstio est: illos sane, qui non concurrerunt ad structuram illam perficiendam, minime confusione linguarum punitos esse, certum esse puto, & reliquos, postquam destiterunt ab illa structura, non video quomodo ad linguam priorem unius labii non redire potuerint. Neque enim propter confusionem linguarum dispersi sunt Noæh posteri, sed quod totum terrarum orbem per illos multiplicatos Deus incoli voluerit, unde tandem linguæ variæ prodierunt: Linguarum enim confusio, non nisi ut ab opere desisterent isti ædificatores, a Deo fuit illis immissa, nec ad illam redire potuerunt tam graviter & serio moniti, nisi rursus eandem confusionem experiri vellent, aut graviores pœnas alias.

A Petis porro, Vir Excellentiss. ut Tecum communicem mea, quæ Dn. Pezrono Abbati de Charmoye de Celtis opposui; sed ea tam prolixa sunt, ut unis literis comprehendi nequeant. Nego Celticam linguam ortam esse in confusione linguarum apud Babel, quod ille statuit: nego, Gomeri posteros in illas terras pervenisse, quas ille profert, aut Chomeritas ab illis dictos, in Bactrianis, & Margianis, & Sacis, cum Celtica lingua, quam a Confusione secum illuc adduxisse audacter credit: & quæ inde sequuntur inaudita in historiis veterum, de Titanibus Celtica lingua usis, cum multis aliis absurdis; sed Celtas & Celticam linguam diu post confusionem ortam inter Scithas & Japheti posteros ad Obium fluvium, ubi primum nomen Celtarum, & sedes sunt auditæ, & designatæ a Scriptoribus, unde tota ejus machina de Celtis reprobatur. Nec solum Annium Viterbiensem, & supposititia ejus scripta secutus est, sed & alia detorsit ex veteribus in hanc sententiam, quæ ut perperam ab ipso allegata confutavi.

B Quæ deinceps de Samaritanis literis affers, quasi ante tabulas legis a Deo datas in usu fuerint Judæis, vereor, ne nimis credulus sis: nullibi namque S. Scriptura de talibus literis quidquam monuit. Aliud deinde est loqui & verba profari lingua sibi propria, aliud scribere: prius sane, quod ad linguam pertinet, omnes Judæi sciverunt etiam ante Mosen, at posterius, scriptionem nempe istius linguæ, plane nesciverunt nisi post Mosen, in qua scriptione se jam exercebant præcipue in Deber & Kiriath Sepher. Jam etiam cum scribis decem tribus, postquam defecerunt a cœteris Te non credere iisdem literis usas fuisse cum Tribu Juda & Benjamin, hoc nullibi S. Scriptura ostendit eos aliis literis usos esse, quum eundem Deum colere perrexerint, quem Juda & Benjamin, nisi quod superstitiones & Idololatriæ etiam ipsi succreverint, sicut etiam Judæ & Benjamin. Manet itaque illam scriptionem Samaritanam, non nisi post abductos in captivitatem Samaritanos cum Cuthæis &c. cœpisse & propagatam esse. Nec video illud S. Scripturæ contrarium esse, quæ nullibi de Samaritanis literis, prout hodie sunt, quidquam memoravit, quod certissimum est indicium, eas non cœpisse in Samaritanos ex tribubus Israelis abductos in captivitatem, sed postea exortas esse, nec sana ratio permittit per bonam consequentiam aliter sentire. Samaritanæ enim dicuntur istæ literæ, non quod tribus decem illis unquam usæ sint, sed quod quæ Samariam occuparunt gentes, in Samaria illas in usum deduxerint. Unde nec sententiam Eruditissimi Dn. Relandi approbare possum, quam ad me perscripsisti, quasi Samaritanæ literæ inter Hebræos profanos & vulgus etiam viguerint, Hebrææ quadratæ tantum in sacris usitatæ fuerint, idque propter nummos Samaritanis literis insignitos. Nummi sane Samaritani eorumque literis procusi, nihil sane nisi sacra loquuntur, ideoque nec illis literis profanis, ut credit, exhiberi debebant, nam siclus sanctuarii dicebatur, non quod illo siclo usi sint omnes gentes, qui suis propriis siclis utebantur, distinctis pondere certo a siclo sanctuarii vel Hebræo, qui superabat pondere omnes siclos gentium, atque ideo siclus sanctus aut Sanctuarii dicitur: non quod alii Sicli unquam Hebræi apud Hebræos fuerint, quam pondere quatuor drachmarum, nobis dimidii thaleri uncialis.

C Et nosti, me jam istas falsas opiniones de nummis Hebræorum cusis in meo de Nummis non cusis confutasse, ut credo, solidis argumentis; & quando sicli Hebræi, & Samaritani tandem cusi prodierint ostendisse, ut Christianis illos quærentibus fucum facerent & imponerent. Nam ante Seculum x. post Christum & peregrinationes Christianor. in illas terras, nullibi visi sunt cusi, nec Hebræi sicli nec Samaritani, ut nec alii nummi minores: adeo ut hoc argumentum pro Samaritanis literis ex nummis valde sit infirmum, nec ponderis ullius. Et jam Tibi nuncio, Rectorem Scholæ nostratem, ut audio, mutasse sententiam de Samaritanis literis, quamvis ejus Disputatio nondum prodierit, ut quam sententiam arripuerit, nondum sciam.

D Elegantissima sunt quæ de nummorum Tibi catalogis transmissis nemoras, Vir Amplissime; quando nos tam beatos facies, ut Orbis eruditus hæc legere possit? nam ego decrepitus spe quidem me lacto & desideriis, sed videre tam erudita non contingit: Vita brevis est. Inscriptionem quam addidisti sic interpretor & explico.

Milii pisti Kadum & Modium unum denariis centum, nostræ monetæ 12. uncial. thaleris cum dimidio.

Scanculæ, sive Spelta Kadum & Modium denariis triginta, nostræ monetæ 3. uncial. thaleris & 36. assib. Lubec.

Fabæ Fressæ v. Fresæ Kadum & Modium denariis centum, nostræ monetæ 12. uncialib. thaleris cum dimidio.

Quæ de Gronovii Herodoto, Almelovenii Fastis, & Schultingii notis in fragmenta veter. JCtorum scribis, quin examussitata sint futura nullus dubito; doleo tantum meam ætatem eo jam pervenisse, ut nihil horum me legere posse confidam.

Quæ de serpentibus militantibus mones, grata mihi fuere, sed Nonni Dionysiaca mihi non sunt: curabo tamen, si hic nancisci possum, illa legere, ut tibi indicanti gratias agam maximas, Tuumque nomen Adversariis meis ulterius inseram.

A nostris oris nihil occurrit Te dignum, pumice aridiores sumus; quapropter valere Te diutissime ex animo precor, & opto & voveo. Vale, Vale, atque iterum iterumque salve.

Dabam Hafniæ a. d. Junii CIↃIↃCCXII.

XCI.

Amplissimo Celeberrimoque Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

E LÆtor summopere, Inscriptiones Siberianas tibi placere, meque ita fecisse aliquid, quod gratum advorsum te sit, uti cum Terentio loquar. Characteres illi mihi plane tenebræ sunt, atque ἀδύνατον mihi est definire an sint Chinenses an vero Septentrionales; La Crosius stat pro primis, & adjutus est mirum quantum ms. qui ex

F China missus est ad Illustrem Leibnitzium, continetque, ad instar corporis Gruteri, vetustissimas gentis illius Inscriptiones, & in quo varias istiusmodi literas invenit. Ego etiam judicavi binas priores fere homines referre; nec video cur non tertia figura primæ tabulæ possit referre Monogramma Christi æque ac secunda tabulæ secundæ: sed quid te detineo rebus, quæ plane superant meum captum, & in quibus explicandis talpa cæcior sum?

Pulchra est animadversio, Sisyphum auctorem

esse monogrammatum: sed dispiciendum foret, an ille sub ungulis scripserit primam nominis sui literam, an vero complures, vel omnes inter sese flexas, quod ultimum a simplicitate priscorum temporum videtur alienum esse; eleganter, uti nosti, Plutarchus in Catone monogramma dicit esse σημεῖον ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχον; qualia non tantum in nummis Marciani & Valentiniani, uti notat Du-Cangius, occurrunt, verum etiam in multo vetustioribus Græcis, uti patet ex Goltzio, tam in Magna Græcia, quam Græcia; &, quod inprimis notandum, Argivi primam sui nominis literam A. nummis suis inscripserunt, id quod hodie Regibus & Principibus usurpatur, & observavi in antiquissimis Sueciæ Regum nummis apud Æliam Brennerum. Monogrammata autem obvia in nummo Placidii Valentiniani, sunt, nisi plane fallor, nomina equorum, quibus agitator ille Bonifacius vicerat, Rhodanus, *Danubius* vel *Adua Aufidus* & *Rhenus*, quo pertinet *Oceanum* etiam nomen equi esse in Inscr. apud Gruterum, & si conjectura mea vera est, utique *Bonifacii triumphus*, quem illi Du-Cangius tribuit, locum habere non potest.

Adsentiri tibi nequeo, nec credo linguas a Deo confusas in unam & priorem rediisse, quia in contrarium erat voluntati ipsius, qui consilium ceperat homines per terrarum orbem dispergendi, id quod ita fieri illo tempore non potuisset, quia eadem lingua iterum utentes in unum coire iterum etiam potuissent.

An vero soli Chami posteri concurrerint ad exstructionem turris Babylonicæ, & an illos solos tetigerit Linguarum confusio, difficilis profecto est disquisitionis; quanquam sciam multos Theologos & alios eruditos viros negare Semi familiam in eo cœtu fuisse, quam sententiam etiam amplectitur Heidegg. Exercit. 21. Res tamen est digna examine, cur Moses rem tam mirandam reticuerit, nempe Semitas non consensisse in aliorum consilium, neque eorum linguam mutatam esse, sed inter eos retentam: & certe S. Scriptura neminem Noachidarum eximit XI. 1. *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar*; & disputatur hodie fortiter an primitiva lingua integra & incorrupta sit conservata, illique rei obstare videntur hæc verba Gen. 11. 9. *Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est Labium universæ terræ*; ubi profecto peropportune Moses excipere potuisset Semi posteros. Sed omittamus hanc materiam dubiam & obscuram, omittamus etiam Literas Samaritanas, & duplicem scripturam, unam vulgarem, alteram quadratam, sacris destinatam, cujus distinctionis ego quidem in Sacris Literis nec volam nec vestigium invenio, & mihi omnino verisimile videtur, aliquo in loco Bibliorum id narratum fore, vel eo digitum intensum, si apud Judæos distinctio illa obtinuisset. Ægyptios Hieroglyphica sua habuisse Sacerdotes constat, nec dubito, quin vulgus & proceres aliis literis in epistolis scribendis usi sint; & forte tales occurrunt in monumentis, quæ edidit Lucas χαριέστατος ille peregrinator, & præcipue Tom. 1. p. 94. Ægyptiosque simplices literas etiam habuisse scribit Kircherus post Diod. Sic. Clementem Alexandr. & alios. Dicam autem tantum, necessario sequi ex historia exploratorum, nec non ex altera Rahab, eadem lingua vel certe fere eadem usos fuisse Israelitas; & verisimile mihi omnino videtur, Abramum aliosque Patriarchas eam adsumpsisse, oblitamque lapsu temporis illam, qua in Mesopotamia usus ille fuerat, & inde posse argumentum deduci, eosdem etiam assumpsisse literas Phœnicias, quas multi Samaritanas statuunt fuisse, & inter eos doctissimus Heideggerus.

Sed satis jam diu tecum, & cum aliis eruditis hoc saxum volvi, constituique materiis illis intricatis nuntium remittere, & aliis de rebus agere, relinquens unicuique sententiam suam, & meam mihi servans.

Relinquo Abbatem Pezronum suis Paradoxis, nec dubito, quin erudita futura sint, quæ ad Celtas ipsius annotasti, quorum historiam nitide, ita me Deus amet, digestam, nullis vel levissimis fundamentis superimpositam esse semper judicavi; & spero te publicaturum propediem bono publico pulchras tuas observationes. Judæos non usos fuisse pecunia signata ante Machabæos propria tecum plane sentio, & quos habemus nummos, adulterinos esse præclare doces, quare equidem in tuam sententiam manibus pedibus transeo. Spero Rectorem Scholæ vestratis editurum propediem, quid sentiat de literis Samaritanis. Optas tandem, ut eruditus orbis propediem legat Inscriptiones, numismata, & alia, quæ possideo aliquo numero; fidem tibi facere possum, Inscriptiones esse pereruditas, & thesauros quasi antiquitatum, nummosque itidem raros & veterum rerum plenos, uti sunt varii inter centum æreos, quos Venetiis accepi, sed ipse fere despero me omne hoc quidquid est editurum, tot me negotia & quidem publica magis magisque habent exercitum, dubio, hoc est periculoso, nec non doloso tempore.

Interpretatio tua Inscriptionis mihi non displicet, & nescio quid melius excogitari possit, quam tuum illud, *Milii pisti Kadum & modium denariis centum*: & *Fabæ fressæ, vel fresæ Kadum, & modium denariis centum*; & cum *Cadus* sit mensura proprie *liquidorum*, hic tamen *aridis* inservit; observatque *sextarium* vel *cadum* mensuram rei humidæ esse & siccæ Bernhardus lib. 1. nu. 17. De mensuris & ponderibus. Columella cado *duas urnas* tribuit, quod non ita cum erudito Hostio capere possum, ac si omnes cadi ejusdem fuissent capacitatis, sed aliis alios fuisse grandiores: *Si in vetustatem servare voles, in cado duarum urnarum quam optimi vini sextarium addito*: nam si ita explicandus hic locus, & illa inde consequentia deduci debet, utique nihil necesse erat addere, *duarum urnarum*, sed quia cadi diversæ erant magnitudinis, adjiciuntur illa, quia tali cado infundi debet sextarius vini, & majoribus major quantitas. Duæ urnæ faciunt *amphoram*, atque ita *Cadus* pro amphora hic usurpatur, cum autem *amphoræ* modii magnitudo satis cognita sit, mirari utique subit, tam grandi pretio Stratonicæ venisse milium & speltam, & fabam fresam; nisi velimus *cadum* hic longe majorem esse mensuram, quod te examinare velle etiam atque etiam rogo. Illud autem adjiciendum est, in eadem Inscriptione, *Fasianum pastum* venire denariis ducentis quinquaginta, & anserem pastum denariis ducentis, quæ utique pretia sunt nobis fere incredibilia.

Gaudeo summopere tibi placuisse non modo *serpentes milites*, verum etiam nonnullorum labores eruditorum, quos tecum communicavi, quibus nunc addere possum Davisii alteram editionem Minutii Felicis, Muratorii Anecdota Græca, Musgravii explicationem Epitaphii veteris Julii Vitalis, Defensionem Diarii Italici Montfauconii contra Ficoronii censuras; qui omnes libri ad me dono missi sunt: quo nomine multum me viris eruditis debere fateor, quibus addendus omnino est Virginius Valsechius, qui egit de Trib potest. v. Elagabali, meq; etiam honoravit illa lucubratione.

Nunc ut nobis nascatur nova differendi materia, certiorem te facere debeo, animum meum advertisse versiculum secundum capitis XI. Geneseos, ubi homines labii unius dicuntur *profecti de Oriente in terram Sennaar*. Nosti varias doctorum sententias, quæ inde ortæ sunt, quia Armenia major & montes Ararat non ad Orientem, sed ad Septentrionem Babyloniæ, vel terræ Sennaar positi sunt, & ita dici deberent profecti esse ad Orientem. Varii viri præclari contendunt, primos illos post diluvium mortales ex Armenia, quæ eos continere non poterat, profectos esse in Assyriam superato Tigri, & ita ab Oriente petiisse postea Occidentem & pervenisse in terram Sennaar. Ego id haud ita facile admitto, quia S. S. nullam talis migrationis facit mentionem, & tibi do considerandum, an non alia via huic difficultati possit fieri medicina. Non probo primum tabulas Geographicas, quæ cum Bibliis Belgicis anni 1682. & forte aliorum apud *Keurios* typis descriptæ sunt, in quibus montes Ararat collocantur in Assyria, Arca pingitur in tractus illius montibus ultra Tigrim prope Meden vel Mediam, additurque *Het Gebergbte Ararat, vvaer op de Arche Noe ruste*, Gen. 8 4. id quod tamen non legi ab ullo memoriæ proditum esse, & puto inventum, uti difficultas loci, de quo ago, tollatur. Puto autem non absque ratione, nonnullos doctos malle Hebræa vertere *versus Orientem*, quomodo annotant eandem loqutionem sumi Genes. 13. 11. vel dicendum, Mosen hæc scripsisse respectu Judææ, quæ potest Armeniam numerare inter regiones Orientales, sed versus Septentrionem remotas; & licet respectu Armeniæ Babylon sit versus meridiem, tamen priorem sententiam præferrem, quia regio illa videtur *Oriens* dicta esse, unde & puto *Magos Orientis* inde venisse. Atque ita Ezech. 25. 4. & 10. Chaldæi vocantur *populi Orientis*: id quod eo diligentius notandum, quia in aliis locis Rex Babyloniæ dicitur venire a Septentrione; uti Ezech 26. 7. *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor Regem Babylonis ab Aquilone*, id quod etiam patet ex 46. 10. & 24. Jeremiæ, ubi respectu Ægypti commodius tamen Nebucadnezari *Terra Aquilonis juxta flumen Euphratem* tribuitur, & *filia Ægypti tradita dicitur esse in manus populi Aquilonis*. Vix video, quomodo hoc Babyloniis, si Judæam consideres, convenire possit, nisi statuas eorum imperium late sese in Septentrionem extendisse, & complexum fuisse saltem Mesopotamiam; nam Persæ & Medi iis tunc temporis non parebant, qui respectu Babelis Jer. 50. 3. & v. 9. *gens Aquilonis* dicuntur.

Diospolim vel No-Ammon Nahumi statuunt varii eruditi sitam fuisse in inferiore Ægypto, quia urbi in eo tractu sitæ optime convenit prophetæ descriptio. Sed an non obstat generale omnium veterum silentium de urbe ibi tam magna? nam quod multi *Alexandriam* somniant, meræ nugæ & genuinæ sunt; & an non pro Thebis stat Ezechiel. 29. 14. ubi Ægyptii dicuntur reduci debere in *terram patbros*, quam Thebaidem esse communis Interpretum consensus facit, ut adfirmem etiam, & an non tandem mare, flumina, lacus respectu totius Ægypti possunt dici munire eam urbem, cum is revera etiam esset munita No-Ammon? & tandem an terra irrigua, quam Thebis tribuit Diod. Sicul. hic locum habere non posset?

Pyramidum exstructionem tribuunt etiam Israelitis in Ægypto servientibus, sequentes Josephum, qui illud memoriæ mandat lib. 2. cap. 5. Fateor verisimile hoc valde esse, sed an S. S. nobis tam stupendas moles non commemorasset, in quas si non plus laboris & sudoris impendere coacti essent Israelitæ, utique æque ita oppressi forent ac faciendo lateres, ad quos, uti etiam ad lutum, opera illorum dura restringuntur?

Et quanquam Israelitæ aliis operibus etiam potuerint affligi, tamen puto gravissima esse memorata in Sacro Codice, & inde est, quod dubitem, an recte talia statuant viri eruditionis præstantis, id quod te examinare velle, ut & reliqua, summopere rogo; idque facio eo libentius, quia persuasus omnino sum, te mea causa examinaturum diligenter hosce scrupulos, & dubitationes. Vale etiam atque etiam, Dav. VIII. Augusti 1712. Lituris & negligenti scriptioni, quæso, da veniam. Literas communes Ægyptias etiam inscriptas esse statuæ Isidis puto apud Jac. de Wilde Num. 9. statuarum, quas edidit Amstelædami anno 1700. in 4.

Almeloveenius extremo mense Julio proximo humanis valere dixit rebus, magnumque sui desiderium omnibus hujus orbis eruditis reliquit.

XCII.

Nobilis. Amplis. & Consultis. Viro Dn.

GISBERTO CUPERO

OTTO SPERLINGIUS

S. PL.

POstquam literas Tuas a. d. VIII. Augusti mensis hoc anno ad me scriptas & recte traditas accepi, nihil mihi gratius, credas mihi, si velis, accidere potest, quam illis respondere, & ἀμοιβεῖν, ut solent amici. Et quidem relinquamus doctioribus illas inscriptiones, sive Chinenses, sive alias, qui hæc enodare norunt felicius; nam mihi quidem monogrammaticæ videntur omnes esse ac admodum difficiles explanatu: sed quæ Tu, Vir Excellentissime, de monogrammatis addidisti ex ipsa antiquitate, mihi valde placuerunt, & meis de monogrammatis observationibus jam inserui. Dubium quod moves de Sisyphi monogrammate, nobis post tot secula vix liquere potest, quale fuerit; nemo antiquorum hoc explicavit; Scholiastæ quidem ad μονογράμμα retulerunt; quibus credendum, donec aliquis clarius de illo nos docere poterit: quamvis haud sperem illud fieri posse, antiquitate ipsa obluctante, & tenebris nos involvente.

Recte omnino facis, Vir Consultissime, quod intricatissimis illis disputationibus de Confusione linguarum & de Samaritanis literis nuncium remittas, nam ubi S. Scriptura tacet, nos quoque tacere oportet, nec supra illam sapere. Quæ scripsi exercitationis causa scripsi, non quod credam ipsi mihi in omnibus, sed quod aliorum opiniones potius adduxerim, quam meas, nec salus Græciæ, aut Theologiæ, aut alterius cujusquam in his vertetur, sive sic statuas, sive aliter, cum nos lateant ista antiqua, Scriptura Sacra non præeunte, aut docente.

De Pezrono quod scribis, appareret omnino ex meis Celticis, ipsum sæpius lapsum esse, si quis mea Celtica ut lucem viderent, adjuvare vellet, in quibus auxiliis despero: & jam senium ultimum me quotidie urget, ut edendis, quæ vellem, superesse diu nequeam. Videres sane Glossarium copiosissimum Celticum ex ea lingua petitum, quæ totam fere Europam instruxit & docuit; videres mores Celticos omnibus Europæis placuisse, omnes tam Græcos, quam Latinos, Gallos, & Hispanos ex eorum fontibus bibisse, & imbibisse: nulla

enim gens fuit, potens adeo & lingua & moribus, quæ tam multa ad alios disseminare potuerit, quam Celtica, quam quoque post Hebræos antiquissimam multis demonstravi argumentis, ita ut ex Cananæis illam ortam & dispersam, ad Japhitas & Semitas, quibus ut servirent Deus illos damnavit, ob scelus commissum in patre Noacho, ut ex S. Scriptura patet, præfiscine statuam.

Tu quoque desperas, Vir amplissime, de Tuis edendis, quem tot occupationes publicæ distinent. Mihi sane hoc grave est auditu, qui jam pedem alterum in tumba habeo, nec istas elegantias eruditissimas videre potero. Quid faciendum? in sapientiæ gradibus si mori contingat, quum nulla hic perfecta dentur, & absoluta, adquiescamus omnino oportet, & quod talia ac tanta reliquerimus, illud Heinsianum exclamabimus: Quantum est quod nescimus? & quantillum hoc est quod scimus?

Inscriptio illa, quam misisti, & cui addidisti ex eadem de Faliano pasto, quem vænire scribis ex illa *denariis ducentis quinquaginta*, & anserem pastum *denariis ducentis*, si plenis istis literis, prout Tu expressisti, extant, Tecum miror maxime, & errorem incidisse in numeros credo, nec denarios intelligendos esse, sed æreos, aut aliam monetam; nam pretium illud anseris pasti superat omnem rationem, ne dicam de Faliano. Sed antequam discedam ab hac Inscriptione, quæ *speltæ* meminit, velim mihi scribas & me doceas, quale frumentum spelta fuerit & quodnam hodie sic dicatur. Dum juvenis apud Batavos vixi Lugd. Batav. & alibi, libentissime cerevisiam ex spelta coctam præ cæteris bibi, *speldebier* dictam, inquisivi tunc quid spelta esset, responderunt, esse frumentum siligineum, sine gluma aut cortice siligini vulgari inhærente, puram & integram. Nescio sane, an ita se spelta habeat, vel secus: nam in his terris illud genus frumenti non adolescit.

Difficilem deinde mihi proponis quæstionem de itinere primarum gentium ex Armenia, ubi arca Noæ quievit, & egressi sunt homines post diluvium, versus campum Sennaar, ubi scriptum dixit eos ab Oriente pervenisse ad istum campum. In ipso textu Hebræo est מקדם, quod sane est ab *Oriente*, quamvis Lutherus verterit *gegen morgen, versus Orientem*. Pagninus in versione sua retinuit *ab Oriente* secundum clara verba Hebræi textus, & tamen notissimum est, Armeniam Septentrionalem esse & campum Sennaar proficiscentibus ad meridiem situm. Sed observandum fuerit diluvium, quod contigit anno Mundi 1656. & 57. paucos homines superesse sivisse ex arca Noæ, qui non in Armenia substiterunt hinc inde, versus Mediam, Margianam, Persidem, & alias Orientales regiones, ubi subsistere poterant, adeo ut Peleg filius Salah centum annis post diluvium natus sit Anno Mundi 1757. eo ipso tempore, quando confusio linguarum incidit, atque inde nomen accepit ab ista divisione, quæ in campo Sennaar Babyloniæ contigit; venerunt ergo ad campum Senaar *ab Oriente*, ubi hactenus substiterant, & civitatem ac turrim illam Babylonicam ædificare cœperunt; nam veritas verbi divini omnino nobis est servanda, quod ab Oriente illuc venerint, adeo ut illorum sententia non sit rejicienda, qui Assyriam illos occupasse statuerunt, antequam ad Sennaar campum Babyloniæ illos pervenisse, scribitur, quod unico verbo S. Script. indicavit מקדם ab Oriente: nam certum est illos multiplicatos centum illis annis Sennaar campum occupasse Babylonicum & ab Oriente illuc venisse, ubi hactenus substiterant. Hæc igitur mea sententia foret, pro servandis verbi divini verbis, quæ tam clara sunt, ut illis contradicere nefas sit. Nam quamvis hæ migrationes non diserte in textu Hebræo sint expressæ ad campum Sennaar, sufficit tamen, quod dixerit, illos ab Oriente venisse ad campum Sennaar. Quod deinde de Diospoli quæris civitate magna Ægypti, quæ olim Hecatompylos dicta fuit Plinio l. 5. c. 9. & Straboni l. 17. & Stephano. Præter hanc Diospolin magnam fuerunt in Ægypto ejusdem nominis quatuor aliæ Diospoles minores & pusillæ: item in Lydia & Palæstina apud Stephanum Arabiæ civitas est Diospolis, postea Berytus dicta. Quin & Bithyniæ Diospolis fuit ad Pontum, quæ Ptolomæo Chio Nigro dicitur, Novitiis *Port de Tassio*, Baudrando ponitur prope Heracleam Ponti juxta sinum Meriandinum 30 milliaribus ab ostiis Sangari fluvii. Plures Diospoles haud novi memoratas. Tu vero, Vir Eruditissime, non quæris nisi de Diospoli Ægypti, ubi quinque fuerunt Diospoles, quarum situm Geographi neglexerunt scribere: adeo ut si unam earum in Thebaide sitam fuisse constaret, sententia Tua satis procederet. Neque tamen quenquam illarum situm tradidisse mihi hactenus occurrit, nisi quod No-Ammon sit magna illa Diospolis Ægypti Hecatompylos. Vaillant in suis Ægyptiacis etiam 4. oppida Ægypti hoc nomine fuisse tradidit p. 146. & 202. quem quoniam ab aliis commodato habui & legi, illudque notavi, nescio an situm illorum indicaverit, nec amicus ille, a quo tum librum mutuo habui, nunc hic loci versatur, ut nesciam quid de illis dixerit. Tuum igitur erit dispicere.

Ultimo quæris de pyramidibus, an Israelitæ illis operibus adhibiti sint in Ægypto cum durissimam ibi servitutem servirent. Respondeo non de pyramidibus constare ædificatis illo tempore, quo Israelitæ in Ægypto sunt versati; Jacobus enim Patriarcha cum sua familia in Ægyptum descendit ad Josephum filium, Anno M. 2238. ibique diem suum obiit Ann. 2255. Manserunt Israelitæ in Ægypto, usque ad annum M. 2453. qui collecti faciunt annos 215. quibus in Ægypto diversati sunt Israelitæ, & Rex Ægyptiorum tunc fuit Orus, qui in mari rubro submersus est eodem anno, cui successit Acherres, qui 30. annis scribitur regnasse. Illo tamen tempore nihil de pyramidibus exstructis memoratur, adeo ut illis exstruendis lateres conficere & afferre non sint coacti. Nec pyramidum occurrit mentio ante Cheopem Regem Ægypti circa annum Mundi 3077. post exitum Israelitarum 624. annis, quando Joas Rex Judæ regnavit annum regni sui decimum quintum. Ille enim Cheopes ab Herodoto l. 2. dicitur primus pyramidem ædificasse ex saxis, quæ ex montibus Arabicis ad Nilum deferri curavit, & in ea ædificanda 20. annos consumsisse scribitur: quamvis dissentiat Morerus in Dictionario suo, qui primam pyramidem a Chemmi Rege excitatam credidit, quem tamen non invenio inter Reges Ægypti, aut quando vixerit: secundam a Copho, qui est Cheopes Herodoto, tertiam a Rhodo. Chebrem quidem reperio Regem Ægypti ex Manethone, sed & ille post exodum Israelitarum & post Acherrem regnum Ægypti tenuit circa Ann. M. 2490. Mose adhuc vivente, sed 2492. in vivis esse desinente, ut Chronologi mei & princeps Calvisius computarunt, sed nec de illo annotatur, quod pyramidem ullam erexerit. Non igitur habemus, quod sequamur, nisi quæ Herodotus de Cheope consignavit, qui tanto studio istam rem egit, ut pyramidem erigere posset. Ex quibus vides Vir perillustris, Israelitas illo tempore, quo ab Ægyptiis varie sunt afflicti, ad pyramides exstruendas non fuisse adhibitos, sed ad alia opera lateritia fabricanda, quæ severe ab ipsis flagitabantur; prout S. S. memorat; quæ pyramidum mentionem facere non potuit, quoniam Israelitarum in Ægypto tempore nullæ pyramides adhuc

huc fuerunt erectæ. Atque sic respondi quantum licuit ad Tua quæsita per Epistolam Tuam doctissimam. Quod de Isidis statua literis Ægyptiis insignita memoras exstare quoque memini in Obeliscis Kircheri: sed in illis non adeo versatus sum, ut an vere sint explicatæ judicare queam. Almelovenii obitum Viri doctissimi, quo nobis non una eruditio est erepta, me vivo accidisse sane doleo, quum & Dodwellus in Anglia iisdem fatis succubuerit, ut Amici mihi perscribunt, qui velut ultimum suæ eruditionis elegantissimæ commentarium super scuto ferreo Dn. Woodwardi reliquit, quem propediem se editurum mihi pollicitus est Dn. Woodwardus. Atq; his Te valere diutissime opto, & quantum licet, jubeo cum omni prosperitate, quam certe mereris.

Dabam Hafn. a. d. VIII. Octob. Ann. CIↃIↃCCXII.

XCIII.

Amplissimo Viro

OTTONI SPERLINGIO.

S. D.

GISB. CUPERUS.

MAgna profecto cum voluptate legi litteras, quas in primis doctas & pulchras ad me dedisti a. d. VIII. Octob. anni modo elapsi, & cum inde non absque dolore cognoscam, te premi senectute, recte me facturum putavi, si tibi omnia fausta & felicia precarer initio novi anni, quo certus sis mihi nihil jucundius eventurum, quam frequentes a te literas accipere, cum nullæ ad me perferantur, quin refertæ sint eruditione præclara & solida.

Deum etiam veneror, ut tibi dare velit vividam senectutem, & vires, ut perficere possis opera, quibus doctas manus admovisti, præcipue Glossarium Celticum, quod mihi promittit res fere incredibiles, quamvis ut de iis vix dubitem, faciant eruditio tua insignis & modestia singularis, cum solitus nunquam fueris magno hiatu promissorem agere, sed optime promissa explere, imo & ultra procedere. Lætor te nonnullas explicationes meas & consilia laudare.

Recte mihi videris judicare de pretio *Fasiani pasti*, & *anseris pasti*, nihilque certius est, quam nimis gravia illa pretia esse, si per notam illam denarius intelligendus est; suspicatus olim subinde sum, posse forte designari sestertios, sed ita satis magna summa foret, cum ducenti sestertii reddant quindecim florenos monetæ nostræ, neque a vero alienum est, uti ratiocinaris, æneam monetam forte designari, & si *duta* nostra intelligeretur, anser pastus valeret dimidium Imperialem, quali pretio hodie fere apud nos emitur. Inscr. profecto ita sese habet quemadmodum designavi & scripsi.

Spelta sub nostro cœlo non venit, sed quidem in agris Leodiensi atque Coloniensi, aliisque Germaniæ, & cerevisia Leodiensis coquitur ex illa, nec non frumento vel tritico, & forte alio.

In Hollandia etiam illius usus, uti recte meministi, nec non Swollæ, aliisque nonnullis in urbibus; & qua forma sit ex δείγματος, quod huic epistolæ insero, cognosces.

Fieri facile potuit, ut posteri Noachi ex Armenia versus Orientem propter multitudinem sese contulerint, & inde venerint in terram Sennaar; nihil difficultatis video in hac hypothesi, quanquam primæ illius transmigrationis nullum vestigium occurrat in S S. Sed si Hebraica verba nihil aliud signi-

A ficare possunt, quam ex *Oriente*, utique illa tua conjectura non est rejicienda, vel excogitanda alia, quæ forte est, ita loqui Mosen, quia Armenia respectu Judææ est ad Orientem versus Septentrionem sita. Sed & nuntium remittamus difficili huic quæstioni, non secus ac Pyramidibus, quas ab Israelitis non constructas esse, gaudeo te mecum statuere, atque adeo ex Historia & Chronologia haud prolatitie probare.

Diospolis me vocat, eoque nomine varias urbes fuisse recte statuis, numerasque, præter magnam illam vel Thebas in Ægypto, quatuor alias minores & pusillas, aliam in Lydia, aliam in Palæstina,
B aliam Arabiæ, quæ postea Berytus appellata, & tandem aliam in Bithynia: atque ita illæ implent novenarium numerum, pluresque addis te non noscere. Et primo quidem, quod ad quæstionem a me positam attinet, quæsivi an descriptio *No* urbis, vel *No-Ammon* a Propheta Nahum facta convenire possit Diospoli, vel Thebis in superiore Ægypto sitis, quia illis non videntur convenire tot aquæ.... prophetæ memoratæ, sed potius Diospoli, quæ in Delta versus ostium Mendesium sita erat, uti nonnullos eruditos statuere docui; difficulter id credere possum, quia non constat an illa Diospolis tam
C vetusta sit, neque etiam an Ninivæ possit comparari, id quod nequaquam verisimile est, cum inter parvas illas quatuor verisimiliter etiam a Stephano recenseatur. Scribis neminem earum situm tradidisse, sed Diospolis Deltæ memoratur eo, quo dixi, loco Straboni lib. 17. & alia Diospolis parva in superiore Ægypto Ptolemæo, quam non satis accurate a Diospoli Deltæ videtur distinguere doctissimus Perizonius, dum scribit Nomum ab ea denominatum, cujus ipsa fuerit metropolis, addens, *ut diserte nos docet Ptolemæus*; cum tamen Geographus ille insignis, ne memoret quidem vel nominet Diospolim Deltæ, sed superioris Ægypti
D eo nomine urbem *parvam*, a qua etiam *Nomus Diospolites* nomen habuit.

Jam quod ad numerum attinet, illum etiam augere possum, & addere loca, quibus aliæ tibique memoratæ Diospoles aliquantulum saltem illustrabuntur. *Laodicea* igitur antea *Diospolis* appellata fuit Plin. 5. 29. *Celeberrima urbs Laodicea imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo & capro, appellata primo* DIOSPOLIS *dein Rhoas.* Harduinus conjecturatur *Jovem* præsidem illius urbis fuisse, unde sequitur eundem ibi præcipue cultum. Est autem, uti nosti, Laodicea Cariæ, cujus bini fluvii ΛΥΚΟϹ ΚΑΠΡΟϹ leguntur in nummo Commo-
E di. 2. *Cabira*, Regia Mithridatis, *Diospolis* vocata fuit a Cn. Pompejo Magno, postquam ex ea urbem fecisset, teste Strab. lib. 12. p. 557. ubi & scribit eam Σεβάστην vocatam fuisse, quod Berkelius in notis suis ad Stephanum videtur credere a Pompejo factum esse; ita enim commentatur: *Refert Strabo Pompejum Mithridatis arcem & Regiam, quæ erat in Cabiris, in urbis formam adornasse & Diospolin nominasse, sed postquam operi aliquid addiderat, eam* AUGUSTAM *nominari voluit*; sed error insignis est, quia Pompeii tempore titulus ille incognitus erat, & ab Augusto Cæsare duxit
F originem suam, neque Pompejum id fecisse tradit Strabo, sed *Pythodorim Reginam* tempore Strabonis, quæ etiam urbem auxerat, ut clare Græca verba nos docent: τὰ δὲ καβεῖρα πομπηΐου σκευάσαντος εἰς πόλιν, καὶ καλέσαντος Διόσπολιν ἐκείνη (nempe Regina Pythodoris, quæ omnem illum tractum tenebat) προσκατεσκεύασε καὶ Σεβαστὴν μετωνόμασε; more scilicet tunc vulgato. Quin & idem vir doctus non advocavit aciem judicii sui, dum annotat insuper ad eundem Stephanum, qui dixerat καβεῖρα esse urbem inferioris Asiæ τῆς κάτω Ἀσίας, Geogra-

phos non agnoscere urbem hoc nomine in inferiori Asia, sed montem Phrygiæ τὰ κάβειρα numero multitudinis, & de hoc monte putat loqui loco laudato Strabonem, qui tamen ibi de Phrygia ne somniavit quidem, sed Armeniam describit, ad cujus montem Paryadrum sitam scribit fuisse Cabira urbem, in qua Mithridatis erat regia; tandemque suam notam claudit hisce verbis: *Hanc urbem si intelligit noster, nihil ab eo contra Geographiam commissum censemus*. Sed si Cabira Mithridatis in Paphlagonia vel Armenia, sive in illarum regionum vicinia fuerunt, uti commentantur eruditi, utique recte nominavit inferiorem Asiam Stephanus, cum illa vel minor sese ab Hellesponto extenderit usque ad Euphratem vel Trapezuntem & finem sinus Isici; qua de re, si id ageretur, varia in medium proferre possem.

Possideo ectypum nummi, cui inscribitur ΚΑΒΗΡΩΝ, & suspicor eundem pertinere ad hanc urbem, quia eadem symbola continet, quæ in aliis illius tractus numismatibus occurrunt. Illud addo in Indice Strabon. legi, *Cabira Diospolis dicta* 557 a *Augusta, adornata* ibid. quod cum sit difficile, ego credo virum doctum significare, illam Augustam etiam dictam esse, postquam fuit aucta & exculta, nempe a Pythodori Regina.

Præterea notandum in dictionario Moreri legi hæc verba, *Cabira, Rhodi civitas, una ex iis, quæ conventum apud Rhodios efficiebant, cujus suffragiis omnia gerebantur*; quæ equidem docere vellem unde hausta sint, cum nihil tale annotaverit doctissimus Meursius, nec apud Strabonem vel Plinium talia inveniam.

3. *Diospolis* Persiæ, Ado in Martyrolog. a. IX. Kal. Maii, *In Perside civitate Diospolis, S. Georgii Martyris* .... 4. Diospolis Thraciæ memoratur in præsidentiæ Patriarcharum ordine apud Carol. a S. Paulo & alios, atque adeo apud Joh. Malalam part. 2. p. 167. Chronol. Quod autem pertinet ad Diospolim Palæstinæ & Diospolim Arabiæ, quæ postea Berytus dicta fuit, de iis agit, uti diversis etiam, Cardinalis Norisius p. 488. Epocharum, qui ad illam Palæstinæ refert nummum Juliæ Dominæ, quam Ægyptiæ attribuerat Harduinus, qui tamen in altera editione sese correxit, licet nullam faciat Norisii, at quanti viri! mentionem. In una area cernitur caput *Juliæ Dominæ*, in altera area Serapis cum Inscr. Λ. CΕΠΤ. CΕΟΥ. ΔΙΟCΠΟΛΙC, id est interpretibus Norisio, Vaillantio & Harduino, *Lucius Septimius Severus Diospolis*; id quod mihi tamen secus videtur, pace quod dictum sit tantorum luminum rei literariæ. Neque enim Severus hic suum locum ullo modo obtinere potest, sed urbs illa omnia nomina Augusti illius assumpsit atque adeo dicta fuit *Lucia Septima Severa Diospolis*, id quod variis similibus exemplis præclare firmare possem; sed nunc dicam tantum, *Edessam* in nummis Elagabali vocari ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩ. ΕΔΕCCΑΥ. id quod non est *Marcus Aurelius Antoninus Edessa*, uti epigraphem illam reddit in prima editione Harduinus, sed *Marcia Aurelia Antoninia Edessa*, idque vel inde clare constat, quod in altera area omnia illa nomina Augusti illius legantur. Fateor tamen sese Harduinum corrigere in editione altera, & inde facere ΜΑΡΚΟ-Αυρήλια Αντωνεινιάνη Εδέσσα, pro quo tamen mallem Μαρκία Αυρηλ; mirorque eundem hoc non animadvertisse in nummo Diospoleos. Diu est quod hoc, uti & alia plurima, notaverim in Harduino, qui semper idem est, & paradoxorum promus condus, licet postea viderim Illustrem Spanhemium p. 537. & 602. Londinensis editionis Dissertat. suarum hoc idem observasse, id quod jurato mihi te credere velle etiam atque etiam rogo: ubi & damnat *Marco-Aureliam* Harduini, putatque *Marciam* longe melius sese habere & forte etiam fieri inde posse, *Marcii Aurelii Antonini Edessa* nempe urbs; id quod an alteri explicationi præferri debeat, tuum erit judicium, tua existimatio, licet mihi per Diospolim videatur refutari.

Mirum autem ignorare plane Diospolim Arabiæ, nec quenquam alium illius meminisse, vel saltem dixisse eam *Berytum* fuisse vocatam. Nam diceres Joseph. lib. 15. Ant. Judaic. c. 6. & lib. 1. Belli Judaici illius urbis meminisse, cum priore loco narret Herodem invasisse cum exercitu Arabiam, *petentem Diospolim, ubi occursuri erant Arabes*; altero autem loco, Pompejum Damascum venisse, eo se contulisse Hyrcanum & Antipatrum, nec non illorum adversarium Aristobulum Regem, qui offensus obsequiis, quæ nempe Pompejo Romanisque præstabat, & judicans illa extra dignitatem Regis esse, ἀπὸ διοσπόλεως χωρίζεται, a *Diospoli recessit*, unde diceres illam Diospolim debuisse fuisse in vicinia Damasci, quo usque sese Arabia extendebat fere. Vaillant. p. 146. Ptolemæorum annotat Hadriani principatu duas adhuc fuisse Diospoles in Ægypto, quia una appellatur in illius nummo Μεγάλη, Διόσπολις. M. & in aliis ΜΕ. quod ita explicat, unde sequitur sic eam appellatam respectu alterius minorisque; addit hanc in Thebaide celebrem fuisse inter quatuor, quas in Ægypto recenset Stephanus; qui tamen scribit præter magnam illam quatuor alias parvas fuisse in Ægypto. Multa mihi de celebri illa Ægyptiaca notata sunt, quæ si in ordinem redigere possem, utique persuasus sum, me aliquid allaturum in medium, unde illius historia illustrari haud vulgariter, præfiscine dixerim, posset. Desidero vehementer legere Dodwelli τοῦ μακαρίτου commentarium in clypeum Woodwardi; ego conatus fui eundem illustrare binis vel tribus epistolis, quas longas ad Witzenium, ad Valkenerium, & Woodwardum ipsum scripsi, similemque clypeum produxi ex Silio Italico. Galli judicant eum vetustum non esse, sed adscribi debere tempori, quo Torneamenta (Tournois) in usu erant, quoque in ejuscemodi fabricis luxuriabant.

Non mittam nunc nova quæsita, quia videor te nimis diu detinere, & vereor valde, ut nimis longus fuerim; quare rogo, ut æqui bonique facias, meque ut soles, amare velis. Vale etiam atque etiam.

Daventr. 5. Jan. 1713.

XCIV.

Spectatissimo atque Celeberrimo Viro

OTTONI SPERLINGIO

S. D.

GISB. CUPERUS.

Commercium nostrum literarium cessavit ab initio fere Jan. anni 1713. idque proculdubio propter pestilentiam, qua Deus percussit Danorum Regiam & Regiones vicinas. Nam 5. Januar. anni ejusdem die, te per literas conveni, & significavi, me insignem voluptatem cepisse ex epistola, quam ad me dedisti a. d. 8. Octob. an. 1712. egique tunc simul de variis rebus, de quibus quid sentias, desidero equidem cognoscere. Præcipuum argumentum erant Urbes, quæ nomen habuerunt Διοσπόλεως, quibus addere possum, Julianum Imp. Ep. 24. appellare Damascum Διόσπολιν, proculdubio propter magnitudinem & pulchritudinem: neque enim legere me memini caput illud Syriæ unquam *Diospolin* appellatum fuisse.

Nunc autem iterum ad te accedo, & offero restaurationem commercii nostri eruditi, id quod si tibi tantum, quantum mihi placet, utique silentium nostrum brevi cessabit, & poterimus, ut antea, ambulare per auctores vetustos,& antiquos ritus, licet tot fluviorum, montium, & regionum divortiis simus separati.

Intellexi autem singulari cum voluptate ex Joh. Alb Fabricio Viro certe insigni, te nobis salvum esse,& ideo recte nec tibi ingratum me facturum existimavi, si tibi officia mea, id quod cum maxime facio, offerrem; & habeas rogo persuasissimum, me libentissime tecum confabulari, quia semper a literis tuis abeo doctus, licet nonnulla, uti nosti, nova placita probare vix possim.

Ego varia opera, uti diu significavi, parata habeo, sed tantum mihi temporis non superest,ut vel errata calami emendare queam. Illis multas dissertationes addere possem, & in eo sum cum maxime, ut nonnullas absolvam,uniusque argumentum erit pulcherrimus & integerrimus nummus Getæ, in cujus aversa area exhibetur nobis *Deus Lunus*,cum omnibus attributis & insignibus, quæ mihi videor feliciter illustrasse ex intimo Antiquitatis penetrali, id quod huc usq;factum non est,nisi me plane fallo.

Fieri posset,ut argumenta capitum, ex quibus Elephantes mei, & Gordiani compositi sunt, publici juris faciam, non secus ac alia dissertationum lucubrationumque variarum, ut ita experiri possim eruditiorum judicia & cognoscere, an aliquid laude dignum in hoc studiorum curriculo præstiterim.

Itinerarium alterum Pauli Lucæ typis Amstelædamensium descriptum est,cum ante in Galliis prodiisset; multa præclara & parum obvia illo continentur,adjunxiq;illi varias Inscr.Græcas,quæ licet male scriptæ & turbatæ sint, a me tamen fere restitui in integrum possunt; quam meam opellam eruditi Galli,ad quos specimina nonnulla misi,probant.

Monumentum Ancyranum longe auctius exhibetur nobis, id quod tamen & ipse diu possedi, & Gallandus, celebris ille Antiquarius, illud explicabit, atque eundem optime exornaturum provinciam hanc, ex variis speciminibus, quæ legit in Academia Erudita & mecum communicavit, affirmare tibi bona fide possum.

Montfauconius mihi donum misit *Hexapla Origenis*,quod opus nunquam satis laudari potest;nunc doctas & laboriosas manus admovet Bibliothecæ Episcopi Metensis, qui nepos est Cancellarii Seguerii. Est certe plurimis Mss. referta, & Montfauconius non edet eorum nudos titulos,sed Lambecium imitatitur; imo, uti certior fio, eum vincet, cum daturus nobis sit non modo varia parva opuscula inedita,verum etiam ex aliis grandioribusque libris splendida Excerpta.

Bandurius, Monachus itidem Benedictinus, publicavit Antiquitates Cpolitanas duobus voluminibus; nuncque in eo est, ut digerat, explicet, & edi curet plusquam quinque nummorum millia a Trajano Decio usque ad Palæologos; quod profecto opus erit pulcherrimum, & credo nos nihil amplius in Historia illa desideraturos.

Nosti proculdubio Kusterum nomen dedisse Pontificiis, & Lutetiæ Parisiorum custodem inferioris ordinis agere Bibliothecæ Regiæ; disputavit is cum Gronovio super variis locis Suidæ, & cum Perizonio de *ære gravi*; nec non de voce *Cernere*: Gallandus mihi significat id quod sequitur: M. Kuster a fait imprimer ici un petit Traité *de Verbo Medio*, chez les Grecs, & il y a joint ce qu'il a ecrit sur le verbe *cernere* contre M. Perizonius. Hujus perereruditi viri refutavit etiam opinionem in Academia erudita *de Ære Gravi*, sed nescio an dissertatio illa sit facta publici juris, quam equidem

A vellem legere, quia mihi Perizonii explicatio valde placet. De variis aliis rebus tecum agere possem, quæ forte non forent injucundæ; sed habeo rationem otii tui diligentem, & Excerpta novorum librorum in tot Ephemeridibus exhibentur eruditis, ut nemo fere illos ignoret. Multus hic sermo est de iis, quæ eduntur ab anno 1712. Trajecti ad Rhenum, hoc titulo: Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne, quarum jam quintus tomus lucem adspexit. Videbis in uno eorum literas meas, quibus veterem Callimachi Lectionem contra Phil Massonum defendo. D. Outreinius mysteriorum Sacrorum Amstelæda-
B mi doctus interpres ad me misit Dissertationes suas De *Clangore Evangelii*, ad quem refert non infeliciter Tubas Argenteas Sacerdotales Veteris Testamenti; ediditque simul, me non invito, tres quatuorve literas, quibus palam facio sententiam meam de Melchisedeco, quem puto hominem, & non Christum fuisse. Sed Vale etiam atque etiam, & me, quod facis semper, amare perge.

Davent. Ipsis Nonis Augusti 1714.

XCV.

C *Nobilissimo Amplissimo & Excellentiss. D. D.*

GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Gaudeo profecto ex toto animo, quod videam post aliquot annos Te mei non oblitum esse, & quod te legerim salvum & incolumem ex literis Tuis Daventriæ datis hoc anno ipsis Nonis Augustis; quæ quamvis serius ad me sint perlatæ, gratissimæ mihi non uno nomine fuerunt. Sed li-
D teras Tuas,quas scribis 5. Januarii Ann. 1713. ad me missas, desidero mœrore maximo, quoniam ad me & meas manus non pervenerunt. Fefellerunt nos sæpe tabellarii his annis, dum contagiosi morbi regiones nostras invaserant; an illis sit imputandum, quod tanti Amici literis caream, nescio. Interim illis careo, scire enim Te volo, Tuas literas omni auro contra mihi caras esse, quas toties relego,quoties hac ætate gravi recreare me volo. Scias quoque, me Bibliothecam meam his periculosissimis temporibus, regnis nostris & nobis omnibus incumbentibus propter bella continua cum Suecis, & ætatem urgentem, distraxisse publicis auctioni-
E bus, quod sperarem, Deum me cito jam ad se evocaturum, nec ullas hæredibus meis, qui extra regna Regis mei vivunt, molestias relinquere vellem, post obitum meum. Deo tamen placuit in hunc usque diem me servare: ita jam ab omnibus libris destitutus, paucissimis mihi relictis, cogor cum Amicis meis confabulari, dum vires corporis, animi & ingenii prioris jam incipiunt mihi collabascere,qui octogesimum primum jam fere implevi.

Primum in Epistola Tua mihi dilectissima occurrit de Luno Deo, quam illustrare ex nummo Imp. Aug. Getæ Tibi sumsisti. Fateor inter tot nummos
F Getæ, quos ego quidem collegi, & Mediobarbus, me nullum cum Luno Deo observare hactenus potuisse. Dicam tamen Tibi primo, Germanos & Septentrionales omnes non Lunam habuisse, quam colerent,sed *Lunum* Deum. Hinc illis adhuc manet masculus *der Mond*, & Septentrionalibus cœteris, *dend Maaur*; sic enim colebant Orientales omnes *Lunum*,non Lunam,nec præter Græcos & Romanos ulla gens fœminam illam existimabant, præter illas quæ Græcos & Romanos sequi voluerunt. Sic Hebrei ipsi ירח *Jereach Lunum* masculino gene-

re efferebant non fœminino. Sic etiam ירח Lunum dicebant masculum a rotunditate, quod plenus rotundus sit, quamvis Chaldæi fœminino genere illum extulerint סהרא vocantes Lunam, a rotunditate sua, quod an fœmininum sit, vel masculinum adhuc dubitatur. Sed & aliam habent Hebræi vocem, qua Lunam non Lunum appellarunt, לבנה Lebanah, quod fœmininum est, & Lunam significat ab albedine sua, adeo ut Hebræi & Lunum & Lunam coluerint. Antiquissimus de hoc Deo locus est apud Herodot quem forte annotasti, ideoque Tibi non repeto: unde & Turcæ in suis insignibus ab Orientalibus *Lunum* non Lunam servant. Nec tibi ignota esse loca Spartiani in Antonino Caracalla de Luno Deo, Ammiani Marcellini in Juliano Apostata l. 23. quando Carras venit, ubi *Lunæ* quidem exstat sacra facta ab Imperatore, sed ibi Lunæ non sacrificabant, verum *Luno* Deo, ut ex Spartiano discere licet: ideoque legendum ibi puto: *Ibi moratus aliquot dies dum necessaria parat, & Luno, qui religiose per eos colitur tractus, ritu locorum, fert sacra* &c. Huc quoque traho *Lunum cinctum servorum*, de quo Isidorus l. 19. Origg. c. 33. non enim Lunas illas purpureas gestabant in cingulo, quod Græci essent illi servi aut Romani, sed quod ex illis terris capti essent, quæ Lunum Deum colebant. Illos solos servos hoc emblemate apud Romanos in cingulo distinctos fuisse credo. Erat enim inter Græcos & Orientales semper ζηλοτυπία quædam tam super Diis, quam aliis rebus, adeo ut hinc Lunam fœminam Deam habere mallent, quam Lunum Orientalium. Hinc quoque est, quod Germani & Septentrionales omnes odio Romanorum & Græcorum solem quidem coluerint, sed ut fœminam, *die Sonne*, Germani solem vocant, Septentrionales reliqui *Sool* fœminei generis, ut est in Lexico meo Islandico Gudmundi Andreæ Tristanus duobus locis in suo Commentario Numismatum, tom. 1. p. m. 501. & litera A. de Luno Deo loquitur. Altero loco tom. 2. p. m. 228. producit nummum Caracallæ, in cujus aversa Lunus Deus effigiatus est juvenis imberbis, caput galea, aut pileo Parthico ornatum habens, collum monili unionum, cujus humeri Luna dimidia incincti sunt, sinistrum brachium exsertum habet, & illa sinistra manu portat victoriolam alatam, porrigentem coronam, sinistro pede insistit galeæ, dextra gerit hastam cum dimidia Luna in apice, ad sinistram adscriptum legitur: ΜΗΤΡΩΠ. ad dextram ΑΝΓΚΥΡ. Hic forte est ille nummus, quem Tu Getæ ad scribis, & quem elucidandum sumsisti. Alium nummum Caræ Mediobarbus habet p. 296. cum Inscription. in aversa COL. CAES. ANTIOCH. cujus emblema scribit esse, *Deus Lunus stan*, *dextra hastam, sinistra victoriolam, a qua coronatur, ad pedes Gallus*, quem habuit ex Patini Ind. f. 20. Habet & Tristan. alium nummum Caracallæ tom 2. p. 232. ubi caput Caracallæ Laureatum ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ΑΥ. In aversa, caput Getæ nudum, & post collum Luna dimidia, ubi addidi, *velut Lunus Deus*, sed cur hoc addiderim, nunc memoria excidit, in circuitu ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. His si quis addere voluerit Augustas, quæ post Caracallam fuerunt; quarum nonnullæ æque ac Lunus Deus humeros dimidia Luna incinctos habent, non refragabor equidem, quarum primam esse Juliam Mammæam credo, Alexandri Severi Matrem, ea Luna vel Luno cinctum, cujus nummum hoc ornatu produxit *Tristanus* tom. 2. p. 424. quam sequitur eodem ornatu Herennia Etruscilla in sex nummis, quos ego quidem annotare potui, Trajani Decii Imper. uxor secunda post Barbiam Orbianam, non filia, ut hactenus credidere multi. Etiam Junia Donata, Posthumi Patris uxor, hoc ornatu circa humeros in nummis apparet, & tandem Magnia Urbica, Maxentii vel Magnentii uxor, cujus nummum Tristanus habet to. 3. p. 464. Hæc illa sunt, pauca quidem, quæ mihi de Luno Deo notasse contigit, Tecumq; communicare volui, non ostentandi causa, sed si quid forte in illis reperias, quod Te juvare possit in Luno tuo explicando.

Reliqua quæ scribis de doctissimis Viris & illorum operibus editis & ineditis, mihi jucundissima fuerunt lectu, quod illa Tua manu consignata legere potuerim; nam ad nos rarissime perferuntur ejusmodi doctorum Virorum scripta. Montfauconius sane in omnibus suis, quæ edidit, & ab Episcopo nostro Dno. Christiano Wormio commodata habui, mire mihi placet, adeo ut cætera, quæ meditatur edere, non minus docta futura credam. Gallandus secundum nominis sui elegantiam & pulchritudinem, quin pulcherrime & doctissime Monumentum Ancyranum explicaturus sit, nullus dubito; est enim ipsi ingenium vastum, & his antiquitatibus illustrandis, si cui alii, natum. Sed quodnam illud Ancyranum? nam non vidi, & nescio plane.

Bandurii 5. nummorum millia a Trajano Decio usque ad Palæologos valde miror, superabit multo Carolum du Fresne, qui nobiscum Cpolitana. sua & Byzantina communicavit doctissime. Controversia de ære gravi, quam tecum sentio Perizonium doctissime explicasse, dubito an Kusterius aliquid commentari potuerit, quod doctius sit, illum recantare velle certus sum, si in lucem prodeat. Ultimum est in Tuis literis, quo significas Dn. Outreini, Sacerdotis Amstelodamensis, Dissertationes de Clangore Evangelii ad Te missas, & de Tubis solis sacerdotibus in V. T. commissis. Nec dubito, quin observaverit, binas illas tubas argenteas, quas Deus per Mosen confici jussit, quæ rectæ erant, sine curvatura ulla, qua septem illæ tubæ, corneæ, & quidem ex cornu arietino curvæ, quas inflabant Sacerdotes, cum Hiericho caperetur, sub Josue Duce Israelitici exercitus, bellicæ quidem illæ, cum argenteæ non nisi ad populum convocandum, vel seniores populi destinatæ essent. Hæc vetustissima tubarum origo, ita ut profanorum Scriptorum sententia de Thyrrenis, inventoribus tubarum primis, hinc facile destruatur. Nam a קרן Hebræorum χέρας Græci fecerunt, Romani a Celtico nostro *Hoorn* suum *Cornu* habent; sic enim illi literam H. transmutarunt semper, ut ab Hermas Germanos, a Huallis Gallos, a *chancer*, Chirothecis, *Gavis* & *Guanti* tum multis aliis fecerunt, quæ ad Tubas non pertinent, sed ad linguas solum, & illarum proprietates. Atque sic finio, ne modum Epistolæ excedam, Teque ut diu feliciter vivas opto, qui tot antiquitatibus nos beas, ut favorem Tuum expetere & exoptare nunquam desinam, quem animo toto amo, venerorque Tuus.

Excellentissime Vir

Dabam Hafn. a. d. VI. Octob. Anni 1714.

Servus Humillimus Ofs.

XCIV.

OTTONI SPERLINGIO

Viro Præstantissimo & Celeberrimo

S. D.

GISB. CUPERUS.

Quantam voluptatem cœperim ex literis tuis, poterunt testari amici, qui mecum fuerunt, cum illæ mihi traderentur in manus. Exultabam enim omnibus lætitiis, cum viderem te adhuc valere, Eruditioni operari, & non nisi divina plaga prohibitum fuisse a commercio nostro literario, quod ut diu adhuc duret, multa Deum veneror.

Quin & muneris mei esse duco, cum in divortio quasi simus veteris & novi anni, tibi hunc ex

rabiæ parte sitam adeo, ut & hæc Historia faveat mirifice novæ meæ explicationi. Quin & Josephum animo optare felicem & jucundum melioremque, quam qui nuper exacti sunt. Senectus quidem gravis tibi est, & impletus fere octogesimus annus facit, ut optimo merito Æternitatem cogites; sed tamen frui bona valetudine in ea ætate etiam volupe est, præcipue si operam dare Musis queamus. Ego septuagesimum annum ingressus sum, firma valetudine, & oculis, quorum acies nunquam auxilium ab ocularijs vitris petere necesse habuit, & si quid credendum est istiusmodi Medicis, dum vivo, illis opus non habebo, quo nomine me plurimum Deo debere confiteor. Sed, omissa præfatione, ad literas tuas eruditione & humanitate singulari plenas accedendum est. Quæ de *Luno Deo* disseris, pulchra profecto sunt; ego ignorabam, quæ ex lingua Germanica in medium adfers, sed puto me egisse de omnibus nummis, in quibus deaster ille, sive Eques, sive alio modo obvius est: placet etiam emendatio Amm. Marcellini, quia iis in tractibus non *Luna*, sed *Lunus* impense colebatur. Neque tamen ullo modo huc tecum traherem *Lunum cinctum servorum* Isidori, cum certissimum & jam ab eruditis probatum sit, scribi debere apud compilatorem illum *Limum cinctum*, & inde plane pessumdantur *lunulæ purpureæ* in cingulo, quas non gestabant, quod Græci essent illi servi aut Romani, sed quod ex illis terris essent coacti, quæ *Deum Lunum* colebant, illosque solos servos, quod addis, apud Romanos in Cingulo distinctos fuisse hoc emblemate. Legitur certe in editione Isidori a Dionys Gothofredo edita; *Lunus est cinctus, quem publice habent servi, & dictus Lunus, quia transversas habet purpuras, id est Lunas*; sed jam juvenis admodum animadverti, scribendum omino esse bis *limus* & *limas*, id quod idem est, quod *transversas*, quæ vox paulo ante præcedit. Quin & olim Isidorum ita correxerunt Laur. Pignorius, Joh. Gerh. Vossius aliique; & apud ipsum Isidor. 19. 22. scribitur recte *Limus*; totum locum adscribam, quia is rem plane conficit. LIMVS *est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes producitur. Hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, unde & nomen accepit. Nam* LIMVM *obliquum dicimus*. Et ita Virgilium 12. Æn. v. 120. scripsisse *Velati limo*, veteres Critici existimarunt, annotante Servio, qui ita hanc vestem describit, LIMVS *autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes prope* (lege *popæ*) *tegebantur. Hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam, unde & nomen accepit*. Eundem locum laudat etiam Vossius in Etymol. sed ibi legitur: *qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudibunda pomparum*, ubi facile vides legi debere *poparum*; qui ita erant vestiti, uti patet præclare ex variis figuris apud Choulium, & præcipue ex illis, quæ nobis exhibentur p. 315. edit. Lugdunensis anni 1581. quæ optima. Atque ita legimus in Suetonio *Caligulam poparum habitu succinctum fuisse*, id est, *tali limo*, vel veste, quæ a medio corpore descendebat ad pedes; & nescio quare de hac explicatione dubitat Braunius lib. 2. c. 3. §. 14. de vest. Sacerd. Hebræor. cum eam confirmet elatus malleus, quo Caligula ita ornatus vel defædatus non *admotam altaribus victimam*, sed *cultrarium* mactavit; qui scilicet bovem vel hostiam tenebat, & percusso, atque in terram projecto guttur cultro aperiebat, eliciebatque sanguinem, uti pulchre nos docet modo laudatum marmor p. 315. & aliud p. 324. apud Choulium, atque ita etiam apud Lamprid. c. 5. Commodus *habitu victimarii victimas immolavit*, & ad hanc vestem respiciens Propert. 4. 4. canit:

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis
Succinctique calent ad nova lucra Popæ.

Atque ita quidem constat luce meridiana clarius, *lima veste* ejusmodi homines vestitos fuisse, quibus addendi etiam alii, qui Magistratibus apparebant, dicti LIMOCINCTI & juncti APPARITORIBVS in Inf. veteri, quam edidit Pignorius in Libro de Servis, & nuper post eum Comes Camillus Silvester da Rovigo, in amplissimo Commentario Italico, quo Juvenalem & Persium illustravit, quem elegantem librum & eruditum, ornatumque variis veteribus monumentis, quorum dives est, mihi donum misit; id quod tibi narro, ut cognoscas illos auctores versos in linguam Italicam & similibus notis illustratos prodiisse Patavii anno 1711. in quarto, ut loquuntur; mei subinde facit mentionem: etiam videri potest Berkelius ad Stephanum de Urbibus, nec non Noris. p. 488. Epocharum. Agit & ibi Cardinalis de binis locis Josephi, in quibus etiam mentio fit *Diospoleos*; & vide, quid mihi ea occasione venerit in mentem. Julianus Imperator Epist. 24. *Damascum* appellat τὴν ἀληθῶς *Diospolim*, idque forte propter magnitudinem & pulchritudinem, quæ ibi describuntur magnifice, unde & mox dicit, se designare τὴν ἱερὰν καὶ μεγίστην Damascum. Dubium mihi profecto nascitur, an Julianus ita primus & solus appellaverit Damascum, an alios auctores sequutus sit. Ego quidem illud affirmare vel negare nequaquam ausim; sed tamen obversatur mihi ante oculos Josephi locus, quem alteris etiam epistolis laudavi, lib. 1. Belli Judaici, ubi memoriæ mandat Pompejum venisse Damascum, eo se contulisse Hyrcanum & Antipatrum, nec non illorum adversarium Aristobulum Regem, qui offensus obsequiis, quæ præstare debebat Pompejo & Romanis ultra dignitatem Regis ἀπὸ Διοσπόλεως χωρίζεται, *a Diospoli recessit*. Olim putabam inde affirmari posse, videri *Diospolim Arabiæ* vicinam Damasco, & in ea commoratum pro tempore fuisse Aristobulum.

Si Josephum sequimur, certe *Diospolis* hæc illo in tractu fuit, quia sequitur Pompejum exercitu Romano, & Syro instructum relicta Damasco pervenisse Scythopolim & Pellam; & cum inde etiam abierit Aristobulus, sequitur utique *Diospolim* eodem in tractu fuisse: quanquam Stephanus videatur tribuere urbem illius nominis Arabiæ vel petreæ vel desertæ, scribatque eam postea vocatam fuisse *Berytum*, quo tamen nomine ego nullam aliam urbem cognosco, nisi *Berytum Phœniciæ* multas ob causas celebrem. Sed quid ego fluctuo? do tibi, vir eximie, considerandum, an non hic Josephus ipsam Damascum appellet *Diospolim*? certe cum Pompejus Damascum venerit, nihil a ratione alienum ad eandem etiam accessisse præter Hyrcanum & Antipatrum, Regem *Aristobulum*; quod si ita sese habet, omnino Damascus appellatur *Diospolis*, & an non Julianus sequutus sit Josephum, vel saltem ita eum intellexerit, vel alios etiam, qui tam magnifico titulo ornabant celebrem illam orientis urbem *Damascum*. Sed & Josephus l. 15. c. 6. Antiq. meminit *Diospoleos*, narratque Herodem propter non soluta tributa Arabibus circa tempora Actiacæ Victoriæ bellum intulisse, & petiisse *Diospolim*, ubi Arabes ipsi occurrere constituerant, victoria potitum postea magnum Arabum exercitum confluxisse *Canam*, qui est locus Coele-Syriæ, Arabas ibi iterum victos, sed Athenionem, Ducem Cleopatræ, qui in ea regione imperabat, medium quasi, expectasse Herodis & Arabum fortunam, & tandem Herodem Victorem aggressum & recollectis Arabibus vicisse. Cum autem *Cana* Coele-Syriæ adtribuatur, constat utique hic locum non posse habere *Diospolim*, in alia A-

phus eandem historiam commemorat lib. I. Belli Judaici c. 14. ibique dicit primo Herodem in *Syros* hostes exercitum duxisse, & eos fortiter licet resistentes circa Diospolim superasse; eos victos magno motu *Arabas* concitasse, quorum infinita manus congregata in urbe Syriæ Cœles *Canathan* expectabat Judæos, quæ tamen in fugam vertitur; inde Athenionem in victorem Herodem immisisse Canathenses, unde factum est, ut per eos & Arabas pugnam repetentes Judæi sint victi, & in vicum Ormizam fugerint. Atque hinc etiam quam clarissime patet, hoc in tractu sitam fuisse *Diospolim*, quæ & commode *Arabiæ* attribui potest, quia illa eousque sese extendebat, & ipsius Mesopotamiæ partem complectebatur, præter regiones quæ inter Jordanem & Euphratem sitæ erant. Quid quæris? nescio quantopere *Damascus* mihi arrideat; quæ si gloriæ & honoris causa ita appellatur a Juliano propter cultum ibi superstitione Jovem, videtur tamen ita dicta fuisse tempore Josephi, nisi constet aliam Diospolim illo in tractu fuisse, quod non facile probari poterit. Iterum vale a. d. III. Kal. Jan. 1715.

XCVII.

Nobilißs. Amplißs. & Consultißs. Viro

DN. GISBERTO CUPERO

S. P. D.

OTTO SPERLINGIUS.

Debeo quidem ad binas tuas ultimas doctissimas & gratissimas, alteras v. Januar. 1713. datas, alteras a. d. III. Kal. Januar. 1715. quæ me misere decumbentem & lectulo affixum repererunt. Totus enim mensis Februarius afflictionibus & defluxionibus in pectus fere lethalibus oppressum me habuit: accesserunt initio cum febricula, quæ tamen expelli se paulo post sivit, defluxionibus quoque non nihil sedatis, reliquerunt mihi tamen symptoma novum & mirum, quod omnium Medicorum artes superat. Nam quotidie toto die ora & fauces mihi siccitatibus immensis obsidentur, ut vix quæ velim effari queam, idque in hanc usque horam, qua hæc scribo: & quamvis aquis detergentibus illas sordes diligenter utar, redeunt tamen statim illæ siccitates noxiæ ad ingenium. Nullum hactenus iis depellendis remedium reperiri potuit in tam senili corpore. Illæ propterea siccitates omnem mihi gustum naturalem & appetitum abstulerunt, ut cibis nullis solidis & nutrientibus frui valeam, sed solis jusculis miserum corpus sustentare cogar. In his angustiis constitutus, postquam annum octogesimum secundum nuper mense Januar. ingressus sum, facile judicare potes, Vir Excellentiss. quid responsi hac vice a me possis expectare. Primum quod doceri cupis in doctissima tua priori Epistola, ubi de Διοσπόλεσι accuratissime disquisivisti & eruditissime, est de Cabira Rhodi Civitate & Conventu: nihil te docere potero, nisi quod Hofmanni Lexicon iisdem verbis illam Cabiram Rhodiam referat, ubi nec ille, ex quo hauserit, addit. Ferrarii & Baudrandi Lexica Geographica illam plane ignorant. Et nescio an non *Camiros* potius quam Cabiros legendum sit cum Diod. Sic. l. 13. edition. Rhodomanni p. m. 196. ubi sic ait: Οἱ δὲ τὴν Ῥόδον νῆσον κατοικοῦντες καὶ Ἠλύσσον καὶ Λίνδον καὶ Κάμιρον μετῳκίσθησαν εἰς μίαν πόλιν τὴν νῦν καλουμένην Ῥόδον. Sed hæ conjecturæ sunt, nec de Camiri conventu quidquam dicunt, nisi amplius conjecturare velimus, Camiri Conventum fuisse Civitatum, priusquam Διόσπολις Rhodum translatus sit.

Deinde mones de inscriptionib. nummorum Λ. Σεπτ Σεβ & M. Αυρηλ. Αντωνιν. Εδεσσα, quas recte omnino interpreraris & recte legis: quum nullo sensu hactenus ab Interpretibus plerisque sint expositi. Dudum est quod illam sententiam fovi, adductus, nisi fallor, ex Thesauro Goltzii, aut Inscriptione quadam Smetii, nam nunc non recte satis memini, & libri isti nunc mihi non sunt amplius: quidquid sit, legi illas, & plures ita legendas alicubi. At quod judicium meum requiris, an rectius & melius legatur *L. Septimii Severi Diospolis* & *M. Aurelii Antonini Edessa*, dicam quod sentio: me priores lectiones *L Septimia Severa Diospolis* & *Marcia Aurelia Antoniniana Edessa* præferre, quoniam Græcæ sunt, & cum Græcanicæ Linguæ genio magis conveniunt. In Latina Lingua vix occurrunt tales epigraphæ nummorum. Sed ita legendos esse nummos, quos adduxisti, etiam ostendit nummus Caracallæ apud Tristanum to. 2. p. 215. ubi diserte legitur ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗϹ ϹΕΥΑΡΑϹ. Sic etiam in alio nummo Caracallæ, qui legitur in Journal des Scavans Ann. 1677. p.m. 309. ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΟΝΗϹΙΦΟΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΟΝΕΙΝΙΑ ΚΥΖΙΚ. ΔΙϹ ΝΕΩΚ. quæ sane legi debent Αρχιέρεως Αιλίου Ονησιφόρου Αυρηλίας Αντωνινιανῶν Κυζικηνῶν δὶς Νεωκόρων. Et sic in pluribus aliis nummis Græcis observavi. Quod putas Noachidarum transmigrationis versus Orientem nullum plane vestigium exstare in S. Scriptura, convincet te statim locus Genes. 10. v. 30. ubi memoratur: Fuitque habitatio eorum a Mesa, dum pergis ad Sephar montem Orientis.

Quod de scuto Dni Woodwardi scribis, similem te clypeum produxisse ex Silio Italico, optassem utiq; locum istum mihi indicasses, & sinas, Magne Vir, nec ægre feras, hanc molestiam exscribendi in te suscipere, qui tam benevolus in me huc usq; fuisti, ut nihil unquam ex quisquiliis meis missis ægre tuleris. Gallorum sententiam de hoc clypeo minus probare possum, qui plane novum illud faciunt & ad torneamenta referunt. Quamvis enim non ultimæ sit vetustatis, est tamen mediæ, quod indicat Panis aut Satyri, aut Sileni effigies tetrica in medio clypei posita, quæ torneamentorum tempore diu jam desierant.

Accedo ad ultimas tuas, ubi agis de limo veste pererudite, ideoque tecum & cum doctis aliis muto sententiam & errorem meum agnosco, qui Lunum cinctum distinguere volebam a Limo cincto. Isidori enim locum in mendo jacere satis video, & vel errore Librariorum, vel Typographorum corruptum esse; legi enim debet: *Limus est cinctus, quem publice habent servi, & dictus Limus, quia transversas habet purpuras, idest limas*: atque sic plane convenit cum aliis Isidori locis, qui de Limo veste agunt, ut l. 19. c. 22. quem locum adduxisti: deinde l. 15. c. 14. *Hinc & Limus vocabulum accepit, cingulum, quo servi publici cingebantur obliqua purpura*; nec ullibi de *Luno cinctu*, in toto Isidori opere quidquam occurrit. Vocat *Limum* vestem ultimo hoc loco *cingulum*, quam antea *Cinctum* vocavit; differunt enim proprie *cinctus* & *cingulum*, ut cinctus sit vestis, quæ a medio corpore cingit usque ad genua & pedes: cingulum vero, quod alias vestes circa medium corpus constringit & fibula clauditur. Sed hæc non ita accurate semper a Scriptoribus observantur, quin cinctum & cingulum sæpe confundant. Varro sic distinxit lib. 4. de L. L. cap. 23. *Cinctus & Cingulum a cingendo: alterum viris*, scilicet cingulum, *alterum* sc. cinctus *mulieribus attributum*. Festus Pauli homines *Cingulos* vocat, *qui in his locis, ubi cingi solet, satis sunt tenues*. Nonius Marcellus cap. 2. num. 500. *Limum obtortum*

appellat, quod idem est ac *flexuosum* apud Isidorum. Sed quod me magis movet, est in ipso textu Isidori, qui ubique publicis servis Limum vestem attribuit, nec alii sunt publici servi, quam Apparitores. Tu etiam de Popa addis, docte Trebati, in qua re quoque tibi consentio, memini namque me quondam in Pauli Petavii γνωρίσμασι antiquis effigiem Popæ observasse in isto cinctu perbelle.

Jam de Rudbeckii Paropamiso & Amalchio tecum agam. Et quidem ista ejus verba: *hunc sinum Scythiam alluere, & vocari Paropamisum, ait Plinius, quod nomen lingua Scythica significat congelatum, Bara Isen*. Hæc omnino falsa sunt: nec Plinium satis intellexit bonus Rudbeckius. Plinii namque sententia est, a Paropamiso fluvio, qua se in mare Septentrionale, quod Scythiam ambit, exonerat, incipere mare Amalchium seu Oceanum, *quod nomen ejus gentis lingua* (Scythica) *significat congelatum* vel glaciale. Hoc etiam verum esse deprehenditur ex navigationibus & itinerariis nuperorum seculorum, qui navibus per illam Oceani partem usque ad Sinas pertingere se posse crediderunt, sed frustra; obstiterunt enim non solum congelatum ibi Oceanum, sed & montes immensi glacierum, adeo ut navibus reverti sint coacti, aut naufragiis cedere, aut terrestri itinere illum Oceanum congelatum præterire. Vides etiam quomodo Rudbekius Paropamisum fluvium & Amalchium mare ad linguam Suecicam trahere voluerit, Paropamisum interpretando *Bara Isen*, quod est Suecice meræ glacies. Amalchium mare vocavit *Amalsio*, quod Suecice significat *smali Mare* & longe dissonat a congelato Scythico. Sed in talibus allusionibus nugivendulis sibi per omnia sua scripta placuit Rudbekius, ut si quis illa expurganda sumserit, longe fœtidius & majus inveniret stabulum, quam Augiæ. Ejusdem farinæ liber est Hadriani Skriekii Rodorni Originum Rerumque Celticarum & Belgicarum libris 23. Bene enim cœpit ostendere Belgicam linguam ex vetere Celtica originem cepisse, sed in progressu multo multoque aberravit Celtica faciendo, quæ nunquam Celticæ linguæ fuerunt, sed nugacia & absurdissima cerebri sui figmenta & allusiones nudæ nullum fundamentum in ulla Antiquitate præferentes. Ideo cum de Paropamiso fluvio loquitur, statim eum Celticum facit *Vaer op am ysi*. Sane cum fluviis decurrimus ad mare, non vero adscendimus. Neque enim Paropamisus fluvius Celticum, aut Suecicum nomen est, sed a monte suo Asiæ Paropamiso, unde defluit ex fontibus suis, nomen retinuit. Plinius nonnisi semel, quod sciam, fluvii Paropamisi meminit loco tibi adducto ex l. 4. Paropamisi montis bis l. 5. c. 27. ubi de Tauro monte loquitur, cujus partem facit Paropamisum dicens, Taurus mons, *Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Paropamisus, Circeius, Chambades, Plarphariades, Choatras, Oreges, Oroandes, Niphates, Taurusi, atque ubi se tandem exsuperat Caucasus*. Ideo Plinius etiam l. 6 c. 20. ubi de Indo fluvio cœpit loqui, sic ait. *Indus, Sandus ab incolis appellatus, in jugo Caucasi montis, quod Paropamisus vocatur, adversus solis ortum effusus, & ipse undeviginti recipit amnes*. Nec solum Paropamisus fluvius, & Paropamisus mons, apud Plinium reperiuntur, sed & integer populus & regio ab isto monte Paropamisadæ dicti, ut l. 6. c. 16. *Bactri, quorum oppidum Zariaspe, quod postea Bactrum a flumine appellatum est: Gens hæc obtinet aversa montis Paropamissi, ex adverso fontis Indi: includitur flumine Ocho*. Sic etiam c. 20. ibid. sub finem: *non Indo amne determinant, sed adjiciunt quatuor Satrapias, Gedrosus, Arachotas, Arios, Paropamisadas*. Et c. 23. sub initium: *Proximos* (Arachosiis) *a Meridie ad partem Arachotarum faciunt Gedrosos & a Septentrione Paropamisadas*. Hæc illa sunt, quæ apud Plinium reperiuntur de Paropamiso monte, Paropamiso fluvio, & Paropamisadibus populis in Asia. Addere placet, quid Geographi nostri Hofmannus, Ferrarius & Baudrandus de Paropamiso sentiant. Paropamisus, Paropamissus Plinio, Paropamisus Ptolemæo, Aristoteli corruptius Parnasus & Parnissus, Mercatori contracte Pamer. Tauri pars, ex quo monte excelso non solum Paropamisus fluvius, sed & Bactrus & Indus fluunt, teste Arriano, & nescio an de Indo fluvio, an de Paropamiso intelligendus sit Strabo apud Geographos istos, qui ostia a fontibus 13000. stadiis distare scribunt, quod de utroque fluvio intelligi potest: nam Paropamisus fl. a monte suo & fontibus suis, usque ad ostia sua in mari Amalchio, videtur potius tot stadiis indigere per Asiam & Scythicam totam, quam Indus. Octo stadia numero in milliare Germanicum: illi ducti in 13000. efficiunt milliaria Germanica 1625. Nec ullibi veteres Paropamisum fluvium cum glacie se vel in medio, vel in ostiis exire ullo verbo memorarunt. M. Paulus Venetus jugum altissimum Paropamisi montis *Navagroi* vocari scribit. Paropamisadas populos definiunt claudi versus Boream Caucaso & Sogdiana regione, ad ortum India, ad Meridiem Arachosia, ad Occidentem Bactrianis, & eos quondam sub imperio Persarum vixisse, hodie vero ad Magnum Mogul pertinere, & totum illum tractum *Cabul* dici cum maxima parte Candahariæ provinciæ, teste Gulielmo Samsone, Castaldo & Molario, hæc regio *Sablestan* appellatur, & ejus regia *Caruca*, seu *Ortospana*. Ex quibus omnibus jam facile perspicere poteris, quid sit Paropamisus mons & fluvius, & quam erronee Rudbeckius & Skrieckius & Goropius in talibus versati sint: nam hi tres autores pari passu ambulant cum nugis suis. Atque sic tandem finio fessus ætate, fessus morbo, fessus scribendo: meque porro benevolentiæ ac memoriæ tuæ commendo. Nam si forte hæ ultimæ meæ erunt, & ulteriores mors interveniens præripiet, gratias ago tibi, non quantas debeo, sed quantas possum maximas pro amicitiis & officiis integerrimis, quæ mihi jam tot annis Epistolis tuis missis exhibuisti. Deus te felicissime & diutissime valere sinat, Vir Summe & Excellentissime.

Dabam Hafniæ a. d. XVI. Martii Anni 1715.

XCVIII.

Perillustri, Amplis. & Eruditis. Viro

GISBERTO CUPERO

S. D.

OTTO SPERLINGIUS.

DUM ad meas 23. Maii 1707. exspecto more solito, quid agas, & valeas, afferuntur mihi tuæ Junii mensis XI. die hoc anno scriptæ, quæ significant meas ultimas prædicto die datas nondum ad te pervenisse. Dedi illas perferendas cuidam Petro Cluvero, Ephoro Nobilis. Juvenis Dni de Knuth, qui ad Vos & exercitum vestrum tendebant anno præterito, & tibi se, Vir Excellentis. præcipue commendari petierunt, ut videas me in culpa non esse, sed homines istos, quibus tradideram afferendas meas. Respondi in illis ad omnia tua quæsita, pro meo captu, & consului te

inſuper ſuper nummo quodam L. SCIPIONIS ASIAGENIS, prout Gronovius, & Spanhemius illum explicarunt, quoniam mihi ſemper illud cognomen ASIAGETIS ſecundum Ant. Auguſtin. aut ASIA. G. ſecundum Urſinum, aut ASIAGENIS ſemper ſuſpectum viſum ſit, nec Romanis ſatis notum, quum Livius tot locis eum ASIATICVM diſerte ſcripſerit, nec niſi uno loco, l.9. ni fallor, in editionibus ultimis Gronovii ASIAGENES irrepſerit. Fragmentum Diodori Siculi ex Peireſkii annotationibus utroſque tam P. quam L. Scipionem Fratres Ἀσιαγενεῖς vocavit, quum tamen conſtet, *Publium* jamdudum *Africani* cognomen geſſiſſe, cujus imitatione, Lucius Frater ſe Aſiaticum appellari voluit, ob res Romanas in Aſia feliciter geſtas. Sunt mihi duo ejus Lucii denarii, ſerrati ambo, ſed nullus eorum illud ASIAG. præfert; vidi tamen apud amicum quendam meum unum, qui illud ASIAG. ſatis expreſſit, ſibi comparatum ex Theſauro Brandenburgenſi, quoniam ibi in duplo exſtabat. Sed ſuſpecta mihi ſunt illa omnia, nec quo referam illud habeo, quoniam in omnibus Lucii nummis non apparet, ſed in paucis; niſi velimus dicere a Græcis illos nummos cuſos cum ASIAG. & Romæ alios cuſos, cum ASIA: quapropter te, ſumme Vir, etiam conſulendum putavi, ut ſuper illo nummo ſententiam tuam audirem, quam magni ſemper æſtimo.

Quæ de Boreæ laudibus a me editis diſſeruiſti, gratiſſima mihi fuerunt, ut omnia tua. Non potui congerere omnia, ſed quæ ad argumentum meum ſpectabant maxime, oſtendere volui: quod ſufficere putabam. Sed quando videbimus ſelecta tua & inedita numiſmata, quæ collegiſti? cum me mors oppreſſerit, credo.

Scribis de clypeo æreo Romam a Gallis captam præfigurante. Miſit mihi Dn. Woodward Londino ectypum ſui clypei, ſed ferrei, idem argumentum Romæ captæ a Gallis præferentem: ubi tamen gruem non obſervo vigilantem.

Doleo Mabillonium nobis ereptum eſſe: de Magliabeckii morte idem nobis rumor jam attulerat, quem revixiſſe tecum gaudeo. Montfauconii primum tomum perlegi, variæ eruditionis ſane, per Italiam, nec dubito quin Græcia ipſius antiquitates nondum obſervatas pleno horreo nobis ſit datura. Prodeat ſaltem me vivo: ut in tumba in qua pedem alterum nunc habeo, adhuc aliquid diſcam. Atque ſic hac vice valeas & vivas pancratice.

Dabam Hafniæ a. d. VII. Julii A. CIƆIƆCCVIII

F I N I S.



NICO-

NICOLAI CALLIACHII

IN GYMNASIO PATAVINO

Græcæ Latinæque Humanitatis olim Professoris

DISSERTATIO

DE

OSIRIDE.

NICOLAI CALLIACHII

DISSERTATIO

DE

OSIRIDE.

Ad illud Juvenalis Sat. 8. v. 29.

Exclamare libet, Populus quod clamat Osiri

Invento.



Nter illos, quos aut nimium facilis & stulta credulitas, aut cæca potius antiquorum superstitio cum ut Deos coluit, cum ut Heroas extulit, ac venditavit, quemadmodum celeberrimus est Osiris iste, cujus meminit Satyricus noster, ita difficillimum hercle est, quisnam revera ipse fuerit, & an, & quatenus ab aliis Diis distingueretur, exponere. Equidem Deos omnes pluribus insignitos a Poetis fuisse nominibus, maxime cum in versibus consuendis hærerent, advertit jam olim Samosatenus ille Scurra, dial. qui inscribitur *Timon*. Namque tunc inquit πολυωνύμους, multorum scilicet nominum eisdem factos: nempe ut metri vastiores conferruminarent hiatus, atque carminis ruinam, & lacunas explerent. Sed Osiris tamen iste non πολυώνυμος tantum, atque multorum nominum est, verum adeo cum reliquis Diis confunditur, non a Poetis tantum, sed ab Historicis etiam aliisque authoribus gravissimis, ut statui vix possit, Jupiter ne habendus sit, an Neptunus, Dis, an Bacchus, Apollo, an Æsculapius, an hæc omnia. Archias Poeta lib. 1. Anth. c. 38. ep. 31. ait.

Ægypti quidem Osiris ego, Mysorum vero Phanaces,
Bacchus inter vivos, inter mortuos Adoneus,
Ignigena, Bicornis, Titanicida, Dionysius.

Ex quo fortassis Ausonius Epigr. 29. *Ogygia me Bacchum vocat, Osirim Ægyptus putat, Mysæ Phanacem nominant; Dionyson Indi existimant. Romana Sacra Liberum, Arabica Gens Adoneum* Diodorus autem lib. 1. de Fab ant. gestis pag. m. 159. *Osyris vero*, inquit, *tum Serapis dicitur, tum Dionysius, tum Pluto, tum Ammon, tum Jupiter: alii Pana eundem vocant*. Gyraldus tandem Syntag. 8. pag. m. 274. *Osiridis*, inquit, *nomina hæc sunt: Hysiris, Arsaphen, Nilus, Ammon, Dionysius, Serapis, Pluto, Jupiter, Sol multioculus*. Ex quibus videtis, incertum plane apud veteres fuisse, pro quonam Deo Osiris iste habendus esset. Atque hinc neque unam hujusce nominis etymologiam veteres nobis tradiderunt. Qui Solem fuisse Osirim autumabant, nomen derivabant ἀπὸ τοῦ ὂς, καὶ ἶρις. Ὂς enim Plutarcho teste pag. m. 355. Ægyptiis *multum*; ἶρις autem significat *oculum*. Osiridem proinde quasi πολυόφθαλμον, *multioculum* appellatum: cuncta quippe oculis suis perlustrat sol, idcirco Jovis etiam oculus appellatus. τί

A ἥλιος; inquit Charphilides, οὐράνιος ὀφθαλμός. *Quid Sol? cælestis oculus*. Atque Hesiodus πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, *cuncta lustrans Jovis oculus*. Quam eandem ob causam Solem hieroglyphicis suis characteribus expressuri, sceptrum, & super sceptro oculum effingebant, illius Planetæ potestatem sceptro, vim vero omnia perlustrandi oculo significantes. Sed & Osiris nomen Soli veteres tribuerunt. Σείριος, inquit Hesychius, ὁ ἥλιος, καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. Et Suidas Σείρ, σειρὸς, ὁ ἥλιος.

B Sed magnis hisce Viris fucum factum fuisse a Plutarcho, inquit Seldenus Synt. p. cap. 40 Ubi Ægyptiis inquit Osiridem eundem fuisse ac Nilum, adeoque uno & eodem nomine appellatos. Σῖρις enim appellatus est Nilus, testibus Dionysio Afro, & Plinio, quorum ille de Nilo.

Σῖρις Συήνης ὑπ' αἰθιόπων κικλήσκεται, οἱ δὲ Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο. Hoc est: *Sirim vocabant Æthiopes, Syenes autem Incolis Nilus dictus*. Plinius vero lib. 5. cap. 9. *Etiamnum*, inquit, *Siris nominatus per aliquot millia*. C Putat proinde Seldenus, Osiris vocem esse compositam, ut & Busiris, Petosiris, Calasiris, omnia Ægyptiaca. Componi autem ab *Siris*, & *o*, quod elementum Græcorum articulum esse hariolatur.

Nilum autem Deum, & quidem omnium maximum Ægyptiis fuisse, omnes norunt. Jovem Ægyptium appellat Byzantinus Parmeno Poeta, apud Athenæum lib. 5. Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Heliodorus autem lib. 9. pag. m. 405. Deum esse fingunt Nilum Ægyptii: & ex numinibus maximum ducunt, æmulum esse Cæli fluvium prædicantes, D quod illis absque pluviis, & nubibus aeriis arva irriget, & quotannis continua serie humectet, tanquam imbre. Quo alludens Tibullus lib. 1. Eleg. 8. p. m. 271.

Te propter nullos tellus mea postulat imbres:
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Longum autem esset, utque mihi onerosum, ita Vobis fortasse minime jucundum, aut necessarium, fabulas illas omnes referre, quas de hoc O- E siride Veteres Ægyptii commenti sunt. Qui nempe ex Rea Matre, & Patre Saturno conceptus, antequam ex alvo parentis exiret, in illius tenebris cum Iside sorore gemella corpora miscuerit: atque exinde Orum seniorem, Græcis Apollinem dictum genuerit. Mox quia Tiphone fratre, & ipso gemello, septuaginta duobus adscitis conjuratis, dolo necatus sit, Regni seu vitæ suæ anno duodevigesimo: atque arcæ inclusus in Nilum delatus. Qua deinde ratione ab Iside uxore arca in-

venta, extra conspectum hominum fuerit deposita; sed casu iterum a Tiphone Fratre inventa, cadaver Osiridis in partes quatuordecim discerptum fuerit, atque dissectum; sed conquisitis tamen frustis, atque omnibus, solo pene excepto, adinventis, pluribus locis, prout in ea inciderat, humaverit. Qui deinde Apis Bos, velut Osiridis animæ simulacrum, coli cœperit, atque statis temporibus, & amitti, & quæri, atque iterum inveniri. Hæc inquam, atque alia hujusmodi sexcenta ludibria, quæ longum & inutile esset referre, satius erit in præsentia omittere. Qui curiosior fuerit, consulat Plutarchum libello de Iside, & Osiride, ubi hæc omnia fuse nimium prosequitur, atque mysteria varia, quæ sub hoc fabellarum cortice continebantur, eruditissime exponit. Nos ab hisce fabulis supersedentes, ad illa, quæ veriora sunt, aut verisimiliora, accedamus, quibus lucem etiam verbis ex Juvenale allatis afferemus.

Non defuerunt igitur qui Osirim istum, Josephum Jacobi Patriarchæ filium tradunt, qui ab Ægyptiis divinis honoribus cultus fuerit, eo quod septem annos collectis, & servatis frugibus, alterius septennii caritatem, divina fretus providentia mitigaverit. *Huic*, nempe Josepho (inquit Julius Firmicus Maternus de Mysteriis, & erroribus profanarum religionum cap. 14. scribens Constantio, & Constanti M. Constantini Filiis Imperatoribus) *huic post mortem Ægyptii patrio gentis suæ instituto templa fecerunt. Et ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, modium, quo esurientibus, atque ementibus frumenta diviserat, capiti imposuerunt. Nomen etiam, ut sanctius coleretur, ex primo authore gentis accepit; nam quia Saræ pronepos fuerat, Sarapis dictus est. Sed hoc tamen accidit invito Josepho, imo mortuo: neque enim ad hoc facinus religiosus animus, & Deo summe dicatus adduci potuisset, ut erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet. Hic igitur in Ægypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum Neocororum turba custodit*. Hactenus Firmicus.

Verum Osirim istum, seu Serapim, Apim fuisse Argivorum Regem inquit Augustin. lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. qui navibus in Ægyptum transvectus, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Appellatum autem subdit post Apotheosim istam, non Apim, sed Serapim, quoniam priusquam templum eidem extrueretur, in arca, atque Sarcophago, qui Græcis σορὸς dicitur, adoratus primo fuerit; exinde namque Sorapis primum, & mox una littera, ut fieri solet, mutata, Serapis dictus est. Sed alii tamen Serapim dictum fuisse malunt ab *Apis*, & voce Hebraica *Ser*, quæ bovem significat, ut Serapis idem sit, ac Bos Apis.

Sane Apidis hujus, seu Osiridis animam ex Pithagorico dogmate in Bovem transmigrasse, crediderunt Ægyptii, referente Diodoro: mutato proinde nomine, eum Apim, quod in Ægyptiaca lingua Bovem significat, appellarunt, & Bovem illum ut Deum coluerunt. Adeoque Plinius lib. 8. cap. 46. *Bos*, inquit, *in Ægypto etiam Numinis vice colitur, Apim vocant*. Describunt autem hunc nobis Bovem Herodotus, Diodorus, Strabo, Plinius, Marcellinus, atque alii passim: nullus enim fere scriptor est sive Græcus, sive Latinus, qui in rebus Ægyptiacis non hujusce Bovis mentionem interserat. Erat igitur Bos iste, si modo citatis authoribus credimus, niger toto corpore, sed maculam albam quadratam habebat in fronte, teste Herodoto; in latere dextro, teste Plinio, similem cornibus Lunæ crescere incipientis. Nam & Lunæ sacer erat, inquit Marcellinus. In tergo effigiem Aquilæ, in lingua nodum canthari forma, duplices in cauda pilos.

Ævi spatium in sacris Ægyptiorum libris præscriptum excedere non licebat huic Bovi, nec diem longius trahere. Proinde ubi tempus illud advenisset, immersus Bos ille, aut in fonte sacro, aut in Sacerdotum fonte, qui erat in Phiala, aut in Nilo, aut in Lacu, variant enim in hoc authores, necabatur. In Nilo innuere videtur Statius in Sylvis lib. 3. in propemptico ad Celsum, dum ait.

> *aut quo se gurgite Nili*
> *Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.*

In fonte Sacerdotum testatur Plinius supra citatus. In lacu vero refert Alex. ab Alex. l. 6. cap. 2. p. m. 415.

Api ita necato, cadaver Sacerdotes rate advectum honorificentissime circum appendentes hinnulorum pelles, Thyrsumque gestantes, maximisque clamoribus & motibus tanquam Bacchico furore correpti sepeliebant, teste Plutarcho De Isid. & Osirid. pag. mihi 364. In hac autem sepultura, non exiguus hercle sumptus impendebatur. Siquidem referente Diodoro lib. 2. cum Ptolemæus Lagus Regnum teneret, Api in Memphi ex senecta mortuo, Sacerdos, cui illa cura erat demandata, quinquaginta argenti talenta, hoc est sexaginta argenteorum scutatorum millia, mutuo a Ptolemæo sumta, in ejus sepulchrum impendit.

His autem justis absolutis, jam se totos in alterius Bovis inventionem & Sacerdotes, & populus convertebant: & donec invenissent, publicus erat luctus indictus. Mœrebant omnes: capita non Sacerdotes modo, sed reliqui omnes radebant. Nemo enim unus erat, inquit Lucianus Dial. de Sacrificiis, p. m. 94. qui usque adeo magnifaceret cæsariem suam, qui non eam detonderet, ac nudo capite luctum præ se ferret, etiamsi vel purpuream Nisi comam habuisset. His addite lacrimas, ejulatus, atque reliqua omnia mœroris insignia. Discurrebant autem ita amissum Apim quæritantes, non interdiu solum, verum etiam noctu, atque inter nocturnas tenebras, Isidem nempe imitantes, quæ a Tiphone fratre occisum Osiridem maritum diu & ipsa cum lacrimis, & ejulatibus quæsierat. Quamobrem in plenilunio, sub dio, inter tenebras, quasi Lunam, idest Isidem imitarentur, lucernis accensis, tundentes pectora sua, cum luctu maximo Apim, hoc est Osiridem requirebant. Atque huc alludentes & Statius lib. 1. Theb. inquit:

> *Melius votis Mareotica fumat*
> *Coptos, & ærisoni lugentia flumina Nili.*

Et Tibullus lib. 1. eleg. 8. v. 271.

> *Te canit, atque suum pubes miratur Osirim.*
> *Barbara, Memphitem plangere docta bovem.*

Et Lucanus l. 8. v. 839.

> *Et sistra jubentia luctus,*
> *Et quem Tu plangens hominem testaris Osirim.*

Non tamen unquam diu quærebatur, subdit Plinius citatus. Inventus autem Memphim a Sacerdotibus deducebatur, comitante universo populo summa lætitia, priorem luctum atque mœstitiam rependente, atque magnis clamoribus exclamante, ut in glossis vetustis legitur, εὑρήκαμεν, συγ-

χαίρομεν, *Invenimus*, nempe, *collætemur, atque exultemus*. Describit hanc nobis pompam Diodorus his pæne verbis. Mortuo Api, magnificeque sepulto, quærunt ad id delecti Sacerdotes vitulum priori persimilem. Invento, populus luctum finit. Sacerdotes, quibus ea cura injuncta, primum in civitatem Nili Nicopolim Vitulum perducunt, in qua eum nutriunt diebus 40. Deinde in navim contectam, habitaculum aureum habentem introducentes, & ad Memphim ut Deum ducentes, in Vulcani Fano locant. His diebus solum mulieres Taurum vident, reliquo tempore prohibentur in conspectum ipsius Dei accedere. Sunt autem Delubra ei gemina, quæ vocant Thalamos, inquit Plinius: augurio populorum alterum intrasse lætum est: in altero dira portendit. Est autem inibi & septum, subdit Strabo lib. 17. p. m. 765. in quo alitur. Ante autem id septum aula quædam jacet, in quam nonnuquam Apis emittitur, præsertim ut peregrinis ostendatur. Videtur enim per fenestram quandam in septo, & extra etiam, si velint. Ubi vero paululum in ipso lascivierit, rursum in propriam mansionem recipitur. Consulentibus autem privatis dabat responsa, ex eorumdem manibus cibum capiendo, quem si fuisset aversatus, dira portendebat. Atque idcirco cum Germanici Cæsaris manum fuisset aversatus, fatum portendit, quo sinistro non multo post elatus est. Non est opus referre, qua pompa, atque lætitia, & concursu hujus Bovis consecratio fieret. Reges etiam, ac Romanos Cæsares, si forte in iis regionibus essent, pompam illam augere solitos, ex Suetonio non obscure deduco: qui in Tito c. 5. *In consecrando*, inquit, *apud Memphim Bove Apide, diadema gestavit: de more id quidem, rituque priscæ religionis*. Ex quibus liquet, Reges, ac Principes coronatos, suas & illos partes in illa consecratione obire solitos.

Cæterum non levem fortassis scrupulum aliquibus facesset, qui in demortui Bovis Apidis locum alius suffici tam facile similis posset. Audivistis enim, quot, & quam luculentas notas haberet celebris ille Bos. Et stulti quidem illi veteres existimabant, ut refert Plutarchus, Boves illos radiis Lunaribus concipi solitos, ex quorum virtute colores illos, & notas acciperent. Sed hæ tamen sunt nugæ. D. Augustinus præstigiis Dæmonum illorum partum adscribere non dubitat. Ait enim lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. *Hoc Bove mortuo, quoniam quærebatur, & requirebatur vitulus coloris ejusdem, mirum quiddam, & divinitus sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat Dæmonibus ad eos decipiendos, phantasiam talis tauri, quam solam cerneret, ostentare vaccæ concipienti, atque prægnanti, unde libido matris at-* A *traheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret; sicut Jacob de virgis variatis, ut oves, & capræ variæ nascerentur, effecit*. Hactenus Augustinus. Equidem non inficias iverim, intentissimum obtutum in aliquam rem cum vehementi ejus rei imaginatione in ipso ardore coeuntium, & in articulo conceptionis plurimum valere ad varie colorandum, & efficiendum conceptum ad similitudinem nempe illius rei, quæ tunc visa & cogitata fuerit. Hoc enim experientia satis demonstrat.

Arbitror tamen, nullas in illo Bove aut Sacerdotum offucias, aut Dœmonum præstigias inter- B cessisse, ratione quarum alius omnino similis priori substitueretur. Nam hujusmodi Boum armentum Ægyptios habuisse, in Luciano adverto, qui Dial. de Sacrif. citat. p. m. 95. *Est autem*, inquit, *bis Apis Deus, ex armento jam antea suffragiis designatus, multo formosior, ac venerabilior reliquis illis privatis, & gregariis bubus*. Conjicere proinde possumus, tale aliquod armentum, ceteris gregariis bubus formosius, in Ægypto viguisse: quod armentum colores illos, & notas, & nodos, & reliqua caracterismata præ se ferret, ex quibus unus eligeretur formosior in locum demortui con- C secrandus. Hæc autem si minus arridet conjectura, illud etiam dicere possumus; ex partubus ab illo eodem bove generatis, quando etiam armentum quod diximus, non suppeteret, illum in successionem servari ab Sacerdotibus potuisse, qui esset patri omnino simillimus. Quam vero in generibus animalium partus sint parentibus ut plurimum similes, nemo non novit. Plures autem vitulos ab illo Apide Deo generari potuisse ex Plinio deduco, qui loco supra citato, *Fæmina Bos*, inquit, *semel in anno ei ostenditur, suis & ipsa insignibus*. Quod si quotannis fæmina bos eidem ostendebatur, ad generandum nempe, suis & ip- D sa insignibus prædita, adeoque quam maxime fortassis Apidi similis, nihil facilius, quam ex iis vitulos generari potuisse, qui & colore, & reliquis notis generantibus essent simillimi.

Hæc sunt, quæ ex gravissimis Authoribus colligere potuimus, ut Juvenali lucem afferentes, exponeremus, quid Ægyptiacus populus invento clamare consuevisset Osiri. Cæterum si quis φιλολόγος insuper cuperet, quid hoc ἀφανισμῷ, & εὑρέσει, *deperditione* scilicet, atque *inventione* istius Apidis Bovis, atque Osiridis significaretur, atque quo ille luctus, & mox exaggerata lætitia vergeret, legat eruditissimum libellum Plutarchi E de Iside, & Osiride, ubi hæc mysteria diligentissime, atque secundum varias sententias, & intelligentias exponit.

FINIS.

NICOLAI CALLIACHII

IN GYMNASIO PATAVINO

Græcæ Latinæque Humanitatis olim Professoris

DISSERTATIO

DE

SACRIS ELEUSINIS

EORUMDEMQUE MYSTERIIS.



NICOLAI CALLIACHII

DISSERTATIO

DE

SACRIS ELEUSINIS

EORUMDEMQUE MYSTERIIS.



RAcem Punicam Macedonicum bellum excepit, inquit Livius, quod cum intermissum fuisset, illa ex causa repetitum est, quod tempore Initiorum duo Juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, in Sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt. Cum autem imprudentes religionis, absurde quædam percunctarentur, facile a sermone proditi sunt, atque ad Antistites Templi deducit, licet palam esset, per errorem ingressos, nihilominus tanquam ob infandum sacrilegium interfecti sunt. Hoc autem cum fœde, atque hostiliter factum apud Philippum Macedoniæ Regem Acarnanes fuissent conquesti, ab eo impetraverunt, ut injuriam suam immisso in Athenienses exercitu ulcisceretur. Cæterum Atheniensibus ad tutelam Pop. Rom. confugientibus, hos cum Philippo commiserunt, atque Macedonici Belli occasionem dederunt. Hæc autem res ansam nobis præbet, ut altius repetamus hujusmodi sacrorum originem, atque Initiorum illorum Mysteria: quæ cum nullo magis, quam silentio essent solemnia, hujus etiam adeo severe præscripti silentii causas perscrutabimur.

Igitur Ceres, ut est in veteribus Fabulis, ex Jove Proserpinam genuit, quæ cum non procul Hennæis mœnibus ad Pergum Lacum cum aliis Virginibus puellari more luderet, atque ex pratulis cujusvis generis flores legeret, rosisque, violis, ac liliis non calathos solum farciret, sed etiam sinum impleret, atque tempora redimiret, prosiliens Rex Manium, ut conspexit, amore ejusdem exarsit, atque amatam illico rapuit. Pæne simul visa est, inquit Ovidius Metam. l. 5. v. 395. *Dilectaque, raptaque Diti, usque adeo properatur amor.*

Hoc autem factum cum Ceres nesciret, nec, ubinam gentium filia degeret, suspicari posset, statuit amissam filiam per totum terrarum orbem perquirere. Igitur in Ætnæis ignibus duabus accensis facibus, aggreditur ire quæsitum de filia. Dum igitur curam in hanc unam intenta totum terrarum Orbem peragraret, Eleusin quoque pervenit unum ex duodecim Atticæ Regionis oppidis. Oppidum illud incolebant tunc temporis, Clemente Alexandrino, atque Arnobio testibus, Eumolpus ovium pastor, Baubo mulier obscœna, Triptolemus boum jugator, Dysaules caprarum, atque Eubuleus porcorum custos. Hi vero non comiter solum hospitio Cererem exceperunt, sed, Eumolpo præsertim instante, ita coluerunt, ut in ejus memoriam Sacra etiam ista instituerint, quæ ex Regione, in qua agebantur, Eleusina appellata sunt. Erant autem hæc *magna Eleusina* ab Eumolpo, ac sociis instituta. Cum enim Hercu-

A les Eleusinis sacris initiari cuperet, Ceres autem obstaret, quæ gradum illum alienigenis non concedebat, Athenienses non e re sua putantes, tantum Heroem voto frustrare, *parva Eleusina* instituerunt, ut & Herculi facerent satis, & legi non derogarent: quem eundem honorem retulit secundus ab Hercule Hippocrates. Namque apud Soranum in ejus vita legimus: *Ἱπποκράτης λαμπρῶν ἔτυχε τιμῶν παρ' Ἀθηναίοις, δίτινες καὶ δεύτερον αὐτὸν ἐφ' ἡρακλέης δημοσίᾳ τοῖς ἐλευσινίοις, ἐμύησαν.* Erat autem hoc discrimen *parvorum* a *magnis* Eleusinis, quod ad hæc nonnisi indigenæ, ad B illa vero etiam alienigenæ admittebantur: cæterum mysteria eadem erant, atque idem in utrisq; ritus: appellata autem hæc ipsa Eleusina sacra fuerunt, & Thesmophoria, & Siccophoria, & Inephabiliphoria a Græcis, a Latinis autem, & Romanis præsertim Cerealia.

In istorum autem mysteriorum participatione, hi veluti gradus erant observandi. Prima omnium erat *ἡ καθάρσις*, nempe *Purificatio*. Deinde sequebantur Mysteria parva, quibus instruebantur C ad majora. Postremus erat actus mysteriorum majorum exceptio, & illa quæ dicebatur *ἐποπτεία*, ut colligitur ex D. Clemente Strom. lib. 5. Atque hinc qui aut purificabantur, aut parvis tantum mysteriis initiabantur, appellabantur Mystæ, E-*πόπται* autem & *ἔφοροι*, quando ad majora tandem mysteria pervenissent. Id ita testatur Suidas ex Symmacho antiquissimo Critico. *Οἱ τὰ μυστήρια*, videlicet parva, *παραλαμβάνοντες μύσται καλοῦνται, οἱ δὲ τῷ ἑξῆς ἐνιαυτῷ ἔφοροι καὶ ἐπόπται.* Ex quibus verbis colligitur, non statim a parvis D initiis patuisse viam ad majora: sed annum ad minimum intercipi opus erat a priore initiatione ad consummationem Religionis. Namque teste Plutarcho in vita, ni fallor, Demetrii, *ἐπόπτευον δὲ*, inquit, *τὸ ἐλάχιστον ἀπὸ τῶν μικρῶν διαλιπόντες*: ubi notate ly *ad minimum*, namque ut plurimum non annuum, sed quinquennale spatium intercipiebatur a parvorum susceptione mysteriorum ad majora. Fidem facit Tertullianus loco supra citato, dum inquit: *Epoptas quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis* E *ædificent: atque ita tantam majestatem exhibere videntur, quantam præstruxerunt cupiditatem.* Solus autem hunc morem transgressus est Rex Demetrius, qui sine ulla intercapedine minora, atque majora mysteria simul percipere voluit.

Potissimæ autem illorum sacrorum leges erant istæ. Ut nemo ingrederetur, qui initiatus non esset: neque qui perpetrati alicujus facinoris sibi esset conscius. Unde versiculum illum a Virgilio desumtum fuisse author est Servius: *Procul o procul este profani.* Et apud Græcos *ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι*, & *ἑκὰς, ἑκὰς ἔστω ἀλιτρός*: & Orpheus apud Clementem, & Tatianum:

Θύρας δ᾽ ἐπίθεσθε βεβήλοις
Πᾶσιν, ὁμῶς.

Tunicam vero, quam initiationis die novam induebant, exuebant nunquam, quoad tandem lacera gestari amplius nequiret. Quin imo illud etiam addunt nonnulli, ad fascias filiorum infantium servari consuevisse. Sed nullo magis hæc sacra, quam silentio fuerunt solemnia, quippe si quis ea evulgare ausus fuisset, capite plectebatur. Unde natum illud proverbium *Ἀττικοὶ τὰ ἐλευσίνια*, quod tunc usurpabatur, cum aliqui convenissent inter se rem quampiam arcanam pertractare. Hincque Ovidius in arte, libro secundo sub finem:

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis.

Et Horat. Od. l. 3. od. 2.

Vetabo, qui Cereris Sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Atque hinc Augustus Athenis initiatus, cum postea Romæ pro Tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & secretiora proponerentur, dimisso concilio, solus audivit disceptantes, ne prophanis initia vulgarentur, ut ait Suetonius in Aug cap. 39. Alcibiades autem insimulatus mysteria initiorum enuntiasse, non damnatus solum est, verum teste Justino lib. 5. cap. 2. diris etiam per omnium Sacerdotum religiones devotus. Diagoram quoque ab Atheniensibus proscriptum, refert Athenagoras in Apologia, quod hæc mysteria vulgo prodidisset. Pausanias quoque in Atticis p. 26. v. 10. se somnio monitum fuisse, ait, ne ipsa scribendo proderet. Numerius vero Philosophus quod illa prodidisset, visus est sibi, inquit Macrobius in somn. Scip. l. 1. c. 2. videre Eleusinas Deas, Cererem nempe, atque Proserpinam, habitu meretricis ante apertum lupanar prostantes. Cumque admiraretur, & causas non convenientis numinibus turpitudinis sciscitaretur, respondisse iratas, ab ipso se adyto pudicitiæ abstractas, & passim adeuntibus prostitutas. Facit enim huc justissima illa ratio, qua se apud Athenienses Demonactem defendisse refert Lucianus Dial. qui inscribitur Demonax. Accusaverant enim illum nonnulli, quod unus omnium nunquam esset Eleusinis initiatus. Ipse autem in concionem progressus scite, atque dexteriter eam facti sui reddidit rationem; Quod si cum aliis ejusdem festivitatis particeps factus, mysteria illa prava & frivola comperisset, apud nondum initiatos non tacuisset, sed ipsos ab Orgiis celebrandis aversos fecisset; sin bona, rursus humanitate adductus omnibus expositurus erat. Injustum igitur omnino videtur hujusmodi silentium; nam sacra illa videbantur potius omnibus evulganda, ut si bona, omnes ad illa allici, sin prava, ab iis deterreri possent.

Sed vos tamen curiosius fortasse perquiretis, quæ tandem essent illa mysteria, quæ adeo religioso silentio essent obvolvenda? Fateor, me quoque hac in re paulo curiosiorem extitisse. Et Plutarchus quidem de liberis educandis p. 10. ea de causa priscos mysteria sacra instituisse ait, ut in his taciturnitati assuescentes, ad fidem humanorum arcanorum metum Deorum transferamus. Sed pace tamen Plutarchi, turpissima, atque inhonestissima potius fuisse, exinde haud dubie licet conjicere, quod nisi fuissent plane meretricia, non tam alto silentio obvoluta fuissent: quis enim sancta, atque honesta evulgari adeo severe prohibuisset?

A Igitur, ut optime advertit Tertullianus adversus Valentinianos, quod tacent, pudor est. Quas igitur turpitudines ibi perpetrari solitas, atque tam religioso silentio idcirco obvolvendas, apud probatos authores reperire potui, bona fide aperiam.

Illud igitur primo nobis refert Alexand. Clem. in Protrept. advers. Gent. p. m. 11. Arnobius l. 5. adv. Gent. p. m. 174. Baubonem illam impuram mulierem Eleusini pagi incolam, ut audivistis, cum multiformibus malis fatigatam Cererem hospitio excepisset, adulatam obsequiis mitibus reficiundi corporis rogasse curam ut haberet, sitien- B tique potionem obtulisse, quam Cicconem Græcia nuncupat. Verum Dea mœrore confecta aversata est, respuitque illa humanitatis officia. Preces tunc addidit precibus (ut in similibus casibus mos est) Baubo, ne fastidium suæ humanitatis assumat: sed obstinatissime durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Cum igitur ineluctabile propositum vincere Baubo nequiret, vertit artes, & quam serio non poterat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. Igitur inter alia plurima, quibus moris est frangere, & temperare mœrores, retexit se ipsam, atque omnia illa pudoris C loca, revelatis monstrat inguinibus. Diva vero ubi oculos pubi affixit, atque inauditi specie solaminis pasta est, tum diffusior facta per risum, aspernatam sumsit, atque ebibit potionem: & quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, prodigiosi facinoris extorsit obscœnitas. Hactenus Arnobius, qui historiam hanc tamen totam ex Orpheo descripsit, cujus etiam recitat carmina, ne quis se quidquam callide fingere suspicaretur.

Sed ego tamen cum eodem Arnobio perquiro. Quidnam in spectaculo tali, quid in pudendis fuit Baubonis, quod fœminei sexus Deam, atque consimilibus formatam membris, in admirationem con- D vertit, & risum, quod objectum lumini conspectuique divino & oblivionem miseriarum daret, & habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? Suspicor proinde, Baubonem artefactum quidpiam inguinibus suis apposuisse, quod virilem, ac juvenilem potissimum sexum præ se ferret: atque illud proinde renudatis pudendis, ubi obscœne contrectare incepisset, in risum atque hilaritatem Deam mœrentem traxisse. Conjecturæ autem meæ facem præfert idem Arnobius, apud quem lego. *Baubonem partem illam corporis, per quam sexus fœminarum, & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi, tum longiore ab incuria libe-* E *rasse, atque in speciem levigasse nondum duri, atque stricti pusionis.* En igitur Baubo speciem juvenis assumpsit, quod hercle aliter efficere non potuit, quam virile aliquod membrum arte factum sibi apponendo. Ultimamque huic conjecturæ veluti manum addit Tertullianus, qui loco supra citato. *Cæterum*, concludit, *tota in adytis divinitas, tot suparia portarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis revelatur.* Atque ex his etiam intelligere est, quæ de nefariis illis sacris inquit Nazianz. in Epiphaniis. *Neque nobis*, inquit, *Virgo aliqua rapitur, nec Ceres errat, nec Celios* F *adducit & Triptolemos, & Dracones, passimque agit, & passim patitur. Nam pudet me diem afferre sacrificiis nocturnis, & ex mysteriis turpitudinem efficere. Scit Eleusis hæc, & spectatores rerum, quæ tacentur, & certe silentio dignæ sunt.*

Inter alia vero simulacra Deorum, quæ in his sacris ostendebantur, Creatoris nempe, Solis, Lunæ, Mercurii, naturam quoque muliebrem circumferri solitam, testis est Theodoretus, atque desumsit fortassis ex Athenæo, apud quem l. 14. hæc legimus. *Heraclides Syracusius lib. De vetu-*

stiis, & sancitis moribus scribit, apud Syracusios in extremis Thesmophoriis, ex sesamo, & melle fingi pudenda muliebria, quæ μαλλοὶ per totam dicebantur Siciliam, & circumferebantur Deabus. Quod si igitur hujusmodi obscœna simulacra inter Dearum imagines circumferebantur, si alii quidem agebant, alii patiebantur; suspicandum est, totam illam de Cerere, atque Proserpina fabulam ad vivum quotannis a Mystis illis, & Epoptis celebrari consuevisse; adeoque non deerant, quæ veluti Cereres, a non fictis Jovibus comprimerentur; non Proserpinæ plures, quæ a terrestribus Ditibus raperentur; non pudendorum & revelationes, & concussiones, quæ memoriam obscœnæ illius Baubonis referrent; non alia id genus innumera exquisitioris lasciviæ probra, atque impudentissimæ meretriciæque turpitudinis facinora, adeo illis noctibus, quibus peragebantur, digna, ut in lucem deinde illa proferre, atque non eorumdem obnoxiis mystis, & Epoptis revelare, crimen, & quidem capitale reputaretur.

Atque hinc hoc fuisse Eleusinorum symbolum, hoc est quasi indicium, quo rogati in mysteriorum acceptionibus respondebant, ut tanquam idonei dignoscerentur, refert D. Clemens lib. 1. Protrept. p. m. 11. *Jejunavi, atque ebibi Cicconem, ex cista sumsi; & postquam feci, deposui in calathum, & ex calatho in cistam.* Nimirum his præparabantur ad acceptionem mysteriorum. Jejunabant, ut scilicet angorem quærentis, & mœstæ Cereris referrent; mox ebibebant Cicconem, potionem scilicet ex farina, & vino crasso, vel ut alii malunt, aut ex multis herbis, aut ex vino, & melle confectam, qualem nempe Baubonem Cereri obtulisse audivistis. Mox ex cista sumebant. Quales autem erant istæ cistæ mysticæ? Sesamides, & pyramides, inquit D. Clemens, ubi supra, & lana bene laborata, libaque multis distincta umbilicis, atque id genus alia, quæ μαλλὰς supra descriptos, virilia nempe, atque pudenda muliebria repræsentarent; hasque cistas his rebus refertas Virgines puellæ, κανηφόροι idcirco dictæ, opertas ferebant. Jam ego & abditum aliquid obscœnumque magis ex illis verbis conjicio, *ex cista sumpsi, & postquam feci, deposui in calathum, accepique rursus, & cistulam transtuli,* quod nempe cum illo *agere & pati,* quod Nazianzenus superius retulit, conveniat.

Atque hæc erant illa sacra, ad quæ non patebat aditus, præterquam initiatis, & in quæ nemini licebat penetrare, qui sibi sceleris perpetrati conscius esset: id Præcone conclamante. Concludat disceptationem hanc D. Clemens jam sæpius citatus. *O evidentem impudentiam! Olim quidem moderatis hominibus voluptatis integumentum erat nox silens. Nunc autem iis, qui initiantur, est incontinentiæ sacra nox loquens; & ignis, qui lucet in facibus, vitia, & animi perturbationes arguit.*

FINIS.



ADRIANI RELANDI
IN ULTRAJECTINA ACADEMIA
Linguarum Orientalium, & Antiquitatum Professoris

DISSERTATIO

DE

DIIS CABIRIS.

ADRIANI RELANDI
DISSERTATIO
DE
DIIS CABIRIS.



Rodiit nuper Eruditiſſimi Viri, *Tobiæ Guthberleti*, diſſertatio de Diis Cabiris, quam cum avide perlegiſſem, & de nonnullis, quæ ad hoc argumentum ſpectant, per literas agerem cum Ampliſſimo Viro, *Giſberto Cupero*, in quo an eruditionem eximiam, an humanitatem ſingularem magis mirari debeas, ambiguum eſt; quem nunc cura rei bellicæ, ipſi patriæ noſtræ nomine mandata, a cultu Muſarum ad Martis ſtudium avocavit; tranſmiſit mihi legendum de iiſdem illis Diis tractatum Doctiſſimi JCti. Veneti, *Joannis Antonii Aſtorii*, conſcriptum ad Celeberrimum Virum, quem Roma eloquentiæ Profeſſorem, Eminentiſſimus Cardinalis *Joſephus Renatus d' Imperiali* Bibliothecæ præfectum habet, communem amicum noſtrum, *Juſtum Fontaninum*. Non potui tamen aquieſcere in illorum Virorum etymologiis, quibus ſignificationem vocis *Cabirorum* eruere conati ſunt. Sed mihi ſe ſponte quaſi nonnullæ novæ obtulerunt, quas lectori exponam, ut quod velit eligat.

II. Cogitanti itaque mihi de nomine Deorum Cabirorum, quos ſingulari ratione cultos fuiſſe in inſula Samothracia veterum monumenta teſtantur, ante omnia inquirendum eſſe duxi, quot & qui illi Dii fuerint, ut exploratum mihi eſſet, an ſignificatio nominis, quam darem, vere illis convenire poſſet. Quamvis autem hic in partes eant tum veteres, tum recentiores (e quibus inſigne illud Scriptorum par modo laudatum, Aſtorium dico & Guthberletum, plurima collegit, quo lectorem remittimus) duas tamen magis receptas ſententias deprehendi, quarum una ſolos Jovis filios, Caſtorem & Pollucem, Græco Dioſcororum, Διοσκόρων (ita ſcribendum monet Phrynichus, non Διοσκύρων) nomine celebratos Cabiros dictos fuiſſe cenſet, & ſe cum multorum Scriptorum bonæ notæ teſtimonio, tum antiquarum Inſcriptionum tuetur, quibus hi duo fere & non alii Cabiri appellantur. Altera quatuor Cabiros ſtatuit, mota auctoritate Mnaſeæ, cujus verba nobis conſervavit Eruditiſſimus Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad *lib.* 1. *Argon. v.* 917. Μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις, ὧς Μνασέας φησὶ τὰ ὀνόματα. Τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν. Αξιέρος, ἀξιόκερσα, αξιόκερσος. Αξιέρος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Αξιόκερσα δὲ, ἡ Περσεφόνη. Αξιόκερσος δὲ ὁ Ο' Α'δης. Ο' δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ε'ρμῆς ἐστιν ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Initiantur autem in Samothrace Cabirorum ſacris, quorum nomina Mnaſeas recenſet. Quatuor numero ſunt. Axieros, Axiocerſa, Axiocerſos. Axieros quidem eſt Tellus ſive Ceres. Axiocerſa Proſerpina. Axiocerſus Pluto. Qui autem adjungitur quartus, Caſmilus Mercurius eſt, ut tradit Dionyſodorus*. Ineditum Bibliothecæ noſtræ publicæ Etymologicon Magnum, ex hoc loco Scholiorum Apollonii ſua hauſiſſe videtur, quæ habet de Cabiris, ſed quartum eundem nomine cum tertio facit, omiſſo Cadmilo. Καβεῖροι, ſcribit, ὄνομα θεῶν καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν τέσσαρα τὸν ἀριθμόν. Αξίερος, ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος, αξιόκερσος. Locum integrum non exſcripſit. Hinc ut numerum quaternarium inveniat, bis eundem nominavit. Ut & illis, qui duos, & his qui quatuor, Cabiros admittunt, ſatisfiat, puto convenire etymon ex voce Hebræa (nam & Herodotus *lib.* II. notavit, ἱερὸν λόγον, *ſacrum ſermonem*, & Diodorus Siculus *lib.* V. παλαιὰν ἰδίαν διάλεκτον, *veterem & propriam linguam* in Sacris Samothracicis eſſe uſitatam) חבר Καβὰρ *conjunxit*, *ſociavit*, unde חבירים Καβειροι, *Socii*, *juncti*, litera Hebræa ח per K reddita, ut in καβηλος a חבל, φασεκ a פסח πατακοι a פתוחים & multis aliis. Sic ut meo judicio Dii Cabiri, idem ſonet, quod *Dii Socii* vel *Conjuncti*.

III. Quam apte hoc etymon conveniat Caſtori & Polluci, vel me tacente, unuſquiſque facile videt. Quid enim ſibi aliud vult, quod a Veteribus *Gemini*, Δίδυμοι, *Fratres*, *Socialia ſidera*, & multis ſimilibus nominibus appellentur, quæ idem notant quod חבירים *Juncti*, *Socii*? Magi ipſi illos Δεύας dixerunt, auctore Heſych. id eſt, *Duos, Geminos*, nam دو *Dou* Perſis id notat. Et quis neſcit, hos Deos nequaquam Σωτῆρας & fauſtos fuiſſe, niſi *Junctos*? Si enim unus ſine alio conſpiceretur, ſalutaris non erat.

IV. Concedet forſan aliquis, hoc etymon Geminis ſc. Caſtori & Polluci ſatis bene convenire, verum negabit id commode quatuor illis a Mnaſea recenſitis tribui poſſe. Quod mihi difficultatem non pareret, ſiquidem illam ſententiam, quæ ſolos Geminos fuiſſe Cabiros tuetur, amplecti conſtituiſſem. Sed, ut verum fatear, exiſtimo Samothraces non ſolis Dioſcoris nomen Cabirorum tribuiſſe, ſed & quatuor illis, ex Scholiaſta Apollonii mox adductis. Quo me movet, ut alia tranſeam, quod Ceres etiam a Pauſania Καβειρία appelletur, cujus, ut & Proſerpinæ, templum Thebis eſſe ſcribit *lib.* IX. *c.* 25. & conjungit Cabiros cum Cerere, ſe taciturum dicens quomodo αὐτοῖς καὶ τῇ μητρὶ ſacra fiant. Quo etiam pertinere videtur illud Ovidii de arte amandi *lib.* 2.

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,
Magnaque Threicia Sacra reperta Samo?

Quamvis enim ex conjunctione Cereris cum Cabiris non poſſit oſtendi eam in numero Cabirorum fuiſſe, non magis quam Jovem & Apollinem, quibus junctim cum Cabiris vota feciſſe Pelaſgos tradit Dionyſius Halicarnaſſeus *antiq. Rom.* I. *cap.* 4.

quia tamen a Pausania expresse *Cabira* dicitur, hinc ab Ovidio quoque eam uti Cabiram innui existimo. Quamobrem & mihi ratio danda est, cur reliqui quatuor Cabiri *Socii* dicti sint.

V. Socii appellantur Ceres, sive Terra Mater, Proserpina, Pluto, & Mercurius, non quatenus Dii sunt, aut magni & Potentes, ita enim plures essent, sed quia hi quatuor sunt θεοὶ Χθόνιοι, i.e. *Dii inferi*, qui in mortuorum cura communes operas jungunt, & Collegium aliquod separatum constituunt. Unde & aliquando conjeci illos Deos קברים *Kebirim*, *sepultorum* dictos, quod his quidem quatuor optime convenit, sed Castori & Polluci non item. Antequam vero missam faciam conjecturam illam, qua Cabiros quasi *inferorum* sive *sepultorum* קבירין Deos dictos esse suspicatus sum, hoc ad illam firmandam addo: non videri dubium hanc etymologiam omnibus aliis præferendam, si constet proprie illos quatuor, quos Mnaseas recensuit, Cabiros fuisse, & non nisi diu postea Castorem & Pollucem Cabiros dictos esse. Nam & aptissime hoc etymon exprimit id, quod quatuor his numinibus proprium est, quod Dii Χθόνιοι, sive inferi sint, & nulla alia ratio dari potest, cur hi quatuor, & non alii, conjungantur, nisi quod ad eos cura mortuorum pertineat. Non fuisse autem Castorem & Pollucem veros & antiquos Cabiros Samothracicos patet ex illorum ætate, quæ recentior est, & ex eo quod ipsi Diis Cabiris in Samothrace sacra fecerint. Ergo ipsi non fuerunt Samothracici illi Cabiri. Quod si quis etymon Cabirorum tale, quod commune esse potest quatuor illis Diis Inferis, & duobus Dioscoris habere vult, meo judicio aptius non inveniet quam חבירים, *Socii*, *juncti*.

VI. Disquiramus nunc de singulis, qua ratione cura mortuorum ad eos pertinuerit. Prima Ceres est, Δημήτηρ, Terra mater, quæ omnes mortuos excipit & in sinu suo recondit, quare *Athenienses appellarunt mortuos Cereales*, τοὺς νεκροὺς Αθηναῖοι Δημητρείους ὠνόμαζον, uti testatur Plutarchus in *lib. de facie in orbe Lunæ*: & Tellus Dea χθονία dicitur ab Æschylo *in Persis*, loco mox citando, & Templum Cereris χθονίας memorat Pausanias in Corinthiacis, addens χθονία δ' ἐν ἡ θεὸς τε αυτη καλεῖται καὶ χθονια εορτην κατὰ ἔτος ἄγουσι ὥρα θέρους *Chthonia ipsa Dea appellatur, & festum anniversarium æstate in honorem ejus celebrant, dictum Chthonia*. Meminit & Cereris χθονίας Apollonius in Argon. *l.* IV. *v.* 986.

> —— —— οἱ δὲ ἑ Δηοῦς
> Κλείουσι χθονίης καλαμήτομον ἔμμεναι ἅρπην.

> —— —— *illi vero Cereris*
> *Chthoniæ dicunt esse messoriam falcem.*

Sequitur filia ejus Proserpina, regina Erebi & Stygia Juno,

> —— *& damnatura nocentes*
> *Et requiem latura piis* ——

ut Claudianus canit, cum marito, qui tertius est, Plutone, qui & ipse θεὸς χθόνιος dictus Eurip. in Alcestide *vers.* 237. qui ambo inferni tenent imperium, & quibus cum mortuis rem esse perpetuo nemo dubitat. Junguntur hi tres apud Virgilium, Ceres Proserpina & Pluto, quibus Æneas ut Diis inferis sacra facit, *Æneid. lib.* VI. *v.* 249.

> —— *ipse atri velleris agnam*
> *Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori*
> *Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam*
> *Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras.*

A His tribus adjicitur Mercurius, Deorum famulus. Et ita jungitur ut προσιθέμενος, *adjectus*, Cabirus tamen & ipse, quippe qui viam facit sepultis ad inferos. Quo facit elegans lapis antiquus, exhibens ædificium, cujus portam aperit caduceatus Mercurius, & ne quis dubitet, quæ ea sit, inscriptio præfixa habet, ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, *Diis Inferis*. Ideo appellatur a Claudiano, *de raptu Proserp.*

> —— *commune profundis*
> *Et superis numen, qui fas per limen utrumque*
> *Solus habet, geminoque facit commercia mun-*
> B *do.*

Mercurius ducere & reducere solet animas scribit Petronius in *Satyrico*, & Homerus

> —— ψυχὰς κατάγει δ' ἀΐδός δε.

Quare & Mercurius Plutoni & Telluri (eodem modo uti alias nomine Cabirorum) adjungitur ab Æschylo *in Persis*, ubi Chorus animam Darii evocat *pag.* 155. ed. Steph.

> C Ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοὶ
> Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ βασιλεῦ τε ἐνέρων
> Πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὴν ἐς φάος.

> *Sed o Dii infernales puri*
> *Tellus, Mercuri, & Rex inferorum,*
> *Remittite animam in lucem.*

Scholiastes ibi notat hos tres καταχθονίους θεοὺς esse πομποὺς τῶν φθιμένων, *qui mortuos emittunt*, τοὺς θεοὺς τοὺς κάτω, τοὺς πέμποντας ἄνω τοὺς νεκρούς. Eo-
D dem sensu Sophocli in *Oed. Colon. v.* 1617.

> Ἑρμῆς ὁ Πομπός, ἥ τε νερτέρα θεός

Ubi & Mercurius & Proserpina junguntur. Cicero etiam *lib.* III. *de natura Deorum* unum Mercurium recenset, *qui sub terris habetur*. Et Plutarchus in *libro de facie in orbe Lunæ* Mercurium appellat *Proserpinæ* σύνοικον, *contubernalem*; Horatius *Orci Satellitem*. Ex quibus clarissime liquet,
E cur hi quatuor, quemadmodum χθόνιοι & καταχθόνιοι θεοί, mystico etiam nomine Cabyrorum, quasi infernalium, conjungantur, & cur hos Samothraces præcipue hoc nomine appellaverint. Atque ita videbar mihi assecutus rationem, ob quam illi tres *Cabiri* appellarentur a Samothracibus, & quomodo hæsitanter Mercurius iis adjectus sit, & ab aliis omittatur.

VII. Dari quoque potest ex hac explicatione ratio, cur nocte hæc Sacra Cabirorum fuerint peracta. De Dioscoris enim certum est, non nisi noctu illa profuisse navigantibus, & quod ad quatuor illos alios attinet, sunt hi modo recensiti Numina tenebrarum. Mors ipsa quid nisi nox est? Et atra
F nocte nos tegit *Tellus*. Quin ipsa Tellus, sive Ceres μέλαινα *nigra* dicta, quod ob luctum Proserpinæ in loco subterraneo, quem Pythia Δηοῦς κρυπτήριον ἄντρον diserte appellat, diu latuerit, teste Pausania *lib* VIII. *cap.* 42. *Proserpina Noctis hera* audit Valer. Flacco *l.* 7. & ἀφανὴς θεὸς Sophocli in Oed. Colon. *v.* 1627. *Pluto* ἄναξ ἐννυχίων i.e. τῶν ἐν νυκτὶ ἀεὶ καὶ σκότῳ διατελούντων, τεθνηκότων. *Rex illorum qui in tenebris degunt*, i.e. *mortuorum*. Plutonem ita alloquitur ex persona Lachesis Claudianus de rapt. Prof.

o maxi-

—— o maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens.

Et ita Pallas.

Nocte tua contentus ubi, quid viva sepultis
Admisces?

Quamvis in campis Elysiis Sole non careant, uti Proserpinam Pluto consolaturus ait:

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera. Sunt orbes alii: lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere Solem.

Et Virgilius *Æneid.* VI. *v.* 638.

Devenere locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.

Mercurius quoque, ne quid desit quod nocturna horum Cabirorum sacra esse suadeat, dicitur.

Νυκτὸς ὀπωπητὴρ ——

In *Hymn. ad Merc.* qui vulgo Homero adscribitur, & ad noctem æternam viam facit, & somniis præest, uti notum.

VIII. Quod si nec hæ conjecturæ tibi probentur, mallem, præ communi a כביר *Cabir magnus*, ducta, aliam etymologiam, quæ nec ipsa veri specie destituitur & Καβείρους dictos censet quasi *potentes* גבירים, a גבר *potens fuit*, unde גבורה *potentia*, גבור, *fortis*, *Gigas*, quod & de Deo usurpatum invenies, גבירה *Regina* &c. Quæ derivata ideo appono, ut liquido appareat vera notio radicis, quæ est potentem esse. גביר exprimitur recte per Κάβειρος, ג per K, uti גמל Κάμηλος & multa talia, & Scheva per α, uti שלמה, שמואל, Σαμουὴλ, Σαλομών. Quid vetat itaque, quo minus Κάβειρος, exprimat גביר *potentem*, nomine formato ex part. Pehil, & *Dominum* (Κύριον) uti transtulerunt οἱ ό, & τὸν κράτος ἔχοντα, ארון וראש *Dominum, & Caput*, uti Kimchi *in lib. radicum*, quod idem sonat ac בעל *Baal*, *Belus* antiquissimum Deorum nomen, & *Marnas*, Gazensium Deus ܡܪܢ quod *Maran* exprimitur in notissima voce Μαραναθα. Quo & hoc facit, quod Cabiri Samothracum a Varrone non *Magni* tantum sed & *Potes* appellentur. Hæc ejus verba sunt *lib.* IV. *Ling. L. Hi quos augurum libri* scriptos habent sic DIVI POTES, & sunt pro illis qui in Samothrace ΘΕΟΙ ΔΥΝΑΤΟΙ. *Cassius Hemina dixit* (apud *Macrob.* III. 4.) *Samothracas Deos, eosdemque Romanorum penates proprie dici* θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατοὺς. Quo Macrobius refert illud Virgilii de Junone,

—— Dominamque potentem.

A Unde & Curetes Orpheo in hymnis ἐνδύνατοι.
Præferrem itaque, si optio daretur, hanc etymo-
logiam a גברים *potentibus* ductam, communi opi-
nioni, quæ a כביים *magnis* eos derivat. Nec de-
sunt aliæ rationes, uti quod כבר, radix vocis כביר
proprie notet *multum esse*, *multiplicari*, & deri-
vata, כביר & alia, multitudines potius quam ma-
gnitudinem indicent. Id patebit conferenti loca
Sacri Codicis. Quod ne a me fingi credas, ut hy-
pothesi meæ serviam, en tibi ex Lexico Santis Pa-
gnini Judicium Merceri ex Hebræis petitum, אביר
proprie ad robur corporis pertinet, הדר *ad qualita-*
B *tem & habitum*, אדיר *ad quantitatem*, כביר *vero,*
quod & כאביר, *proprie ad multitudinem & copiam.*
Ita & Cl. Goussetus in nuperrime edito Lexico ra-
tiocinatur, ex collatione variorum locorum Sacri
Codicis inter se concludens: *Cum videam ipsum*
verbum הכביר *inservire multiplicationi indicandæ*
& derivatum כביר *sonare multitudinem in aliquot*
claris exemplis, ut Job. 15. 10. *de annis senum &*
Job. 31. 25. *de opibus divitum. Imo Es.* 16. 14. *ne-*
gationem ejus adhiberi ad exponendum מזער *de po-*
pulo ad paucitatem redacto, item Es. 10. 13. *de*
magno numero habitatorum & Es. 17. 12. *&* 28. 2.
de aquis abundantibus, ideo & ad multitudinem
C *abundantiamque reduco alia loca, quæ id patiun-*
tur commode. Job. 8. 2. *Job.* 34. 17. 36. 5. 34. 24. A-
liud derivatum כברה, *cribrum* quod farinam mul-
tiplicari videatur in aere, hanc notionem etiam
firmat. Sic & Raschi ad *Job.* 8. 2. כביר proprie ait
esse לשון רוב *notionem multitudinis*: licet non
ignorem alios conjungere notionem magnitudinis
(ex usu Linguæ Arabicæ eam, ut videtur, ad-
dentes) sed in S. S. nil occurrit quod nos eo deve-
nire cogat. כבר enim omnia Lexica per *multipli-*
care reddunt. Et כביר ubique per *multum* trans-
ferri potest. Vide de eo Cl. Bootium in *Anim. Sa-*
cr. l. 3. *c.* 2. ubi ostendit vocem כביר nunquam si-
D gnificare *fortem*, sed *copiosum*. Fateor apud Ara-
bes كبير Καβεὶρ significare *magnum*, sed
ad Arabicum sermonem confugere non opus est,
ubi Hebræus vocem ipsam גביר Καβεὶρ habet sen-
su ad minimum æque commodo, ac fundit vox A-
rabica. Cur rivos petimus, quum fons nobis pa-
teat? Cur a filia poscimus, quod mater ipsa no-
bis subministrat? Ego certe nullam hic necessita-
tem video: atque ita occasio reprehensionis præci-
ditur hominibus quibusdam μισάραψι, qui ægre
ferunt voces Hebræas, Phœniciasve ex Arabica
(quam nudius tertius natam credunt, ego filiam
E Hebrææ matre sua locupletiorem existimo) expli-
cari. Hic utique nil me cogit. Dixerit Varro Ca-
biros esse Deos Magnos, dixit etiam *potes* & Δυ-
νατούς. Nec ullus veterum, quod sciam, scripsit
Cabiros inde ita dictos esse, quod essent magni.
Ego etiam illos Deos magnos esse dico, nego ta-
men Cabiros ideo dictos a כבירים quasi *magnos*:
quod nomen multis aliis Diis, qui magni appel-
lantur, commune fuisset, & non datum aut Dios-
coris, aut Cereri, Proserpinæ, Plutoni, & fa-
mulo Deorum Mercurio, exclusis reliquis.

F I N I S.

TOBIÆ GUTBERLETHI J.C.

ET BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ FRISIORUM PRÆFECTI

CONJECTANEA

IN

MONUMENTUM HERIÆ THISBES MONODIARIÆ ET TITI CLAUDII GLAPHYRI CHORAULÆ.

In quibus multi veterum Auctorum loci, Inſcriptiones, & Nummi illuſtrantur & emendantur.

P R Æ F A T I O.

L E C T O R I

S. P. D.

T O B I A S G U T B E R L E T H

J. C.



Um ante triennium edidiſſem *Animadverſiones* meas *in Smyrnæum Tryphænæ monumentum*, intellexi, illas Eruditis non diſplicuiſſe; & quia Animadverſiones iſtæ pluribus in locis auctæ ſecunda vice ſub prælo ſudant, non poteram quin illis comitem adjungerem, quoniam in præfatione iſti libello præfixa promiſeram, me plures Inſcriptiones illuſtratas daturum; prodire itaque jubeo *Conjectanea* mea *in* vetuſtum *monumentum Heriæ Thisbes Monodiariæ & T. Claudii Glaphyri Choraulæ*, in quo lapide dubius hæres, quid prius admirari debeas, an elegantiam? complectitur enim Muſicæ artis vocabula, quæque fruſtra tam in libris quam in ſaxis quæras; an vetuſtatem? qua ad Neronis vel Veſpaſianorum tempora hoc marmor referri poſſet, ſi T. Claudius Glaphyrus eſt idem cum Glaphyro choraula, cujus meminere Juvenalis & Martialis, ut in his notis conjeci, ſed res eſt incerta. Hæc Inſcriptio variis fatis jactata fuit, & jure meritoque de illa dicendum, quod olim cecinit Auſonius in Epigram. XXV.

Truncatis convulſa jacent elementa figuris,
Omnia confuſis interiere notis.
Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.

Primus illam deſcripſit Gutenſtenius, a quo habuit Urſinus, ſed mallem *Cum Leone, cum Excetra, cum Cervo, cum Apro Ætholico, cum Avibus Stymphalibus, cum Antæo deluctari*, quam cum monſtroſa illius lectione a Grutero exhibita. Succedebat Sirmondus, qui pauca immutavit, nec tamen omnia menda ſuſtulit; poſtea Baptiſta Ferretius illam edidit, sed in omnibus fere Gutenſtenianam


lectionem adoptavit, quod & Gutherius fecit, qui lacunam unam & alteram infeliciter supplevit. Ex illo tempore mendis fœdata oberravit in eruditorum manibus, donec Sponius ex autographo Romæ in vinea Burghesiana illam descripsisset, & pristinæ integritati restituisset; illius enim descriptio convenit cum emendatione Fabretti apud Bartholinum de Tibiis pag. 85. Procul dubio eruditissimus Fabrettus hoc marmor Inscriptionibus suis nuper Romæ vulgatis inseruit, sed non mihi licuit illas inspicere, quoniam liber ille in nostras oras non est perlatus, hoc idcirco moneo, ne, si in explicatione hujus monumenti conveniamus, quis putet, me Fabretti scrinia compilasse.



TOBIÆ GUTBERLETHI
CONJECTANEA.
IN
Monumentum Heriæ Thisbes Monodiariæ & Claudii Glaphyri Choraulæ.



Anus Gruterus eruditiſſimum illud hominis dæmonium in Theſauro ſuo Inſcriptionum nunquam ſatis laudato pag. 1035. num. XI. hoc elegans marmor nobis promit e Gutenſtenianis ſchedis, quas habuit Urſinus; ſed quoniam Gutenſtenii deſcri- A ptio quam plurimis mendis ſcatet, idcirco Inſcriptionem hanc edidi, ut illam ex autographo Romæ in vinea Burgheſii emendarunt viri docti Raphael Fabrettus & JacobusSponius in miſcellaneis erudit. Antiquitat. pag. 24. ſuis tamen locis diſcrepantiam & lectionum varietatem in hoc lapide indicabo, ut erudito lectori pateat, quanti ſit momenti ſaxea monumenta recte deſcribere, & quam turpiter Viri Eruditiſſimi hac in re peccarunt; interim progredior ad ipſum lapidem.



HERIAE) In Gutenſtenii ἀπογραφῇ male legitur HERIE, cum nominativus HERIA in dandi caſu facit HERIAE non HERIE, teſtem advoco marmor vetus in theſauro Gruteri pag. 687. n. 1. B

D. M. S.
HERIAE. SILVINAE
VIXIT. ANN. XVII. M. VII.
HERIVS. LVCARIVS
E T
HERIA. VALENTINA
FILIAE
BENE MERENTISSIMAE.

Præterea occurrit alia fœmina hoc nomine insignis in eodem thesauro pag. 694. num. 7.

D. M. S.
LVCILLAE. M. F.
MARCELLINAE
HERIA
MARCELLINA
FILIAE. OPT.

Et fortitan nomen hoc restitui debet in monumento apud Boissardum part. 5. Ant. Rom. p.6.

DIS MANIBVS
IVLIAE C. F.
HIERIAE
THEOPHILVS
PATER.

Hic lubenter pro HIERIAE legerem HERIAE sublata unica litera I, cum nomen HIERIA nusquam, quantum mihi notum est, in marmoribus occurrat, & dum Boissardus nimis negligens in describendis lapidum ἐπιγραφαῖς fuit, ut vel literas addiderit vel omiserit, quod posthac in alia dissertatione exemplis quibusdam ostensurus sum, idcirco facile adducor, ut credam, ipsum in hoc nomine exarando unius literæ peccatum admisisse, & nobis obtrudisse nomen, quod in usu non fuit.

THISBE) Hoc nomen admodum notum est e celebri historia de THISBE Babylonia, quæ ob amorem Pyrami se interfecit, ut eleganter versibus exsequutus est Sulmonensis vates lib. 4. Metam. v 55 — 166. cui adde Hyginum fab.243. Præter hanc extiterunt & aliæ eodem nomine appellatæ; quarum una HERENNIA THISBE est in sequenti marmore 3. pag. 978. Operis æterni.

C. HERENNIVS
C. L. PYRAMVS FE
CIT, SIBI. ET
HERENNIAE. THISBE
NI CONIVGI. SVAE. ET
HERENNIAE. FAVENTINAE
LAVRO
ET. QVINTAE. SVIS.

Notandum hic non modo mulieres idem nomen habuisse, sed viros; amasius enim Ovidianæ Thisbes Pyramus dicebatur, ut Herenniæ Thisbes maritus. Fuit etiam THISBE Asop. filia, quæ nomen dedit Θίσβῃ πόλει Βοιωτίας, *Thisbe civitati Bœotiæ*, testante Stephano in Θίσβη. Hujus THISBES & cognominis urbis mentio quoque fit in Episcopi Thessalonicensis commentariis ad Iliad. B. pag. 268. edit. Rom. verba sunt: Ἡ Θίσβη πολίτην μὲν ἔσχε τὸν περιώυστον αὐλητὴν Ἰσμηνίαν. Θισβεὺς γὰρ ἦν. Ἐκλήθη δὲ ἀπὸ ΘΙΣΒΗΣ θυγατρὸς Ἀσωποῦ. hoc est: *Urbs Thisbe civem habuit celebrem tibicinem Ismenian. Thisbensis enim erat. Appellata autem est* a Thisbe *filia Asopi*.

Porro Heliodorus in Æthiopicis multa narrat de Ancilla Demænetæ, quæ THISBE vocabatur. Sed en insuper aliam e prisco lapide in miscellaneis Sponianis pag. 206.

D. M.
M. VLPIO AVG. LIB.
VERNAE
AB. EPISTVLIS LATINIS.
VIBIA. THISBE VXOR
INFELICISSIMA.

A MONODIARIAE) Ut vocabulum hoc recte intelligatur, ante omnia ipsius originem investigare debemus; descendit igitur a μονῳδία, quod a μονῳδεῖν venit, & hoc componitur ex μόνος *solus* & ἀείδειν vel ᾄδειν *canere*; μονῳδεῖν ergo aliquis dicitur, quando solus canit, & quoniam in tragœdiis usitatum erat ut unus absque choro in scena carmen caneret, hinc de hoc ritu vocem hanc veteres usurpant, testem adduco Suidam, qui dicit: Μονῳδεῖν λέγεται, ὅταν εἷς μόνος λέγῃ τὴν ᾠδὴν ἢ οὐχ ὁμοῦ ὁ χορός. Et quia carmina illa in tragœdiis cantata tristia & lugubria erant, hinc θρῆνοι appellabantur, & μονῳδεῖν per μονοθρηνεῖν sive θρηνεῖν B explicatur a literatoribus Græcis; sic Hesychius: μονῳδεῖ, μονοθρηνεῖ. Et Suidas: Μονῳδεῖν, τὸ θρηνεῖν. Qui statim rationem hujus expositionis addit, dum ait: Ἐπιεικῶς γὰρ πᾶσαι αἱ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδαὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ θρῆνοι εἰσίν. Porro ex interpretatione vocis μονῳδεῖν jam clare emerget, quid sit μονῳδία, nempe cantus lugubris, quem unus tantum absque choro in scena edit. Suidas: Μονῳδία ἐστὶ θρῆνος ᾠδῆς. & alio loco: Μονῳδία, ἡ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδὴ ἐν τοῖς δράμασι. Notandum hic Suidam explicare μονῳδίαν simpliciter, per *cantum a scena in fabulis*, non additis sequentibus, *quando unus tantum canit sine choro*, quæ tamen C neutiquam omittenda erant, si vocis significationem ἐνεργικὴν exponere nobis vellet; quod optime præstitit Hesychius in promptuario literaturæ Græcæ: Μονῳδία, inquit, λέγεται, ὅτε εἷς μόνος τὴν ᾠδὴν, οὐχ ὁμοῦ ὁ χορὸς ᾄδει. Latini hunc cantum appellant *Sicinium*, teste Isidoro lib. 6. Orig. cap.19. cujus verba sic se habent: *Cum unus canit Græce* Monodia, *Latine* Sicinium *dicitur*. Cum Isidoro conveniunt glossæ e Glossario Arabico-Lat. collectæ & a Vulcanio editæ pag. 709. *Sicinium dicitur, quasi singularis cantilenæ vox. id est, cum unus canit, quod Græcis* monodia *dicitur, cum vero duo bicinium,* D *quum multi chorus*. Præterea *laterficinium* vocatur, si Ælfrico credimus in glossis Saxonicis. *Monodia, laterficinium quasi salicinium*. Legendum procul dubio *solicinium*, quod originem habens a *solus* & *cano* eleganter vim vocis Μονῳδία exprimit. Huic *monodiæ* sive *solicinio* apta & conveniens erat fistula quædam Ægyptia, quæ γίγγλαρος dicebatur, sic est in Pollucis onomastico lib.4. cap.10. Γίγγλαρος, μικρός τις αὐλίσκος, Αἰγύπτιος, μονῳδίᾳ πρόσφορος. Sed ut ad rem redeam, a μονῳδία igitur descendit MONODIARIA, per quod vocabulum significa- E tur talis fœmina, quæ μονῳδίαν in scena absque choro canit, & hanc significationem in hac nostra Inscriptione obtinet, ideoque celeberrimus Sponius in libro, qui inscribitur *Recherches curieuses d' Antiquitè*, pag. 244. hoc marmor exhibens nimis generaliter vertit τὸ MONODIARIA per *Musicienne*, omnis enim MONODIARIA est quidem *musica*, sed omnis *musica* non est MONODIARIA. Porro animadvertendum est, quod THISBE in hoc marmore memorata fuerit MONODIARIA, & per hoc canendi peritissima, æque ac THISBE apud Heliodorum, de qua hunc in modum loquitur lib. 1. Æthiop pag. 21. Θίσβη παιδισ- F κάριον ἐξ Ἀθηνῶν ... ἐπιστάμενον καὶ τὴν ὄψιν οὐκ ἄωρον, id est, Thisbe *ancilla callens canere ad cithara, forma & vultu non invenusto*. Hæc igitur in cantandi peritia cum nostra Monodiaria convenit, & in pulchritudine cum THISBE Ovidiana, quæ omnibus ob excellentem formam in Oriente puellis prælata est. Præter nostram & Heliodori Thisben inveniuntur plures fœminæ in antiquis saxis, quæ musicæ vocali operam dederunt, hinc sequens distichon legimus in lapide apud Ferretium Mus. Lapidar. pag. 143.

FOLLIA. SATVRNINA. PARENS. TRIGINTA. PER. ANNOS.
VIXIT. ET. ENITVIT. DOCTA. SONARE. MELE.

Et huc referri debet marmoreum fragmentum in Gruteri thesauro pag. 654. num. 7.

.....IC
.....FANAT
EX. VICO. BELLONE
ARTE. MVSICA
CONIVGI. SVAE. B. M.
ET. SIBI.

Et alius lapis in Syntagmate Reinesiano class. xi. num. 58.

CNISMI. SVTORIS. ET
PELORINIS CANTRICIS
VIX. ANN. XXX.

Attamen non defuerunt quoque priscis temporibus fœminæ, quæ musicæ instrumentali operam navarunt, hanc veritatem adstruit marmor Gruterianum pag. 654. num. 2. quod *Citharœdam* exhibet.

D. M.
AVXESI
CLAVDIAE. CITHAROEDAE
CONIVGI
OPTIMAE
CORNELIVS. NERITVS.
FECIT. ET. SIBI.

Et huc refero Isidori glossam: *Sambucistria*, *quæ citharista canit*. Legas cum magno Grævio, *quæ citharista rustica canit*. *Sambuca* enim est *genus citharæ rusticæ* apud Papiam in glossis. Sic quoque apud Terentium in Phormione Act. 1. Scen. 2. v. 32. occurrit puella quædam *citharistria*, quæ artem illam in schola musica discebat; Græci etenim publicas habebant scholas, in quibus puellæ æque ac pueri musica arte imbuebantur, talem scholam Plautus facetiarum parens appellat *ludum fidicinum*, cum in Rudentis prologo v. 42. ait:

Adolescens quidem civis hujus Atticus
Eam vidit ire e ludo fidicino *domum*.

T. CLAVDI. GLAPHYRI) Pro T. *Titi* Baptista Ferretius in Mus. Lapidar. pag. 144. nostrum lapidem describens habet F. id est, *Flavii*, quod tamen non præferendum, cum Gruterus, Fabrettus & Sponius constantes T. retineant; Gruterus sequentia nomina per majusculum I sic scribit: CLAVDI GLAPHYRI, quod tamen ab aliis non factum. Porro de nomine GLAPHYRI, pauca habeo quæ dicam; ratio scribendi in nostro lapide optima est, & confirmatur aliis marmoribus, sic apud Sponium in itinerario tom. 1. pag. 324. inter plurima equorum nomina reperio GLAPHYRVS. Et hujus fœmininum simili modo exaratum suppeditat marmor e Piccarti schedis, quod extat in epistol. Ruperti ad Reinesium pag. 332. num. 55.

NVMESIA. D. L. GLAPHYRA
SE. VIVA. FECIT. SIBI
IMAGIN. MVLBVLLI. M. L.
SEPTIMI

Pro MVLBVLLI Reinesius in epistol. pag. 402. mavult M. VIBVLLI. & pro IMAGIN. in Syntagmate suo class. 19. num. 30. legendum conjicit IN AGRO. Invenio quoque apud Reinesium class. 5. num. 31. tesseram e Tomasino citatam & his literis inscriptam.

GLAPHYRA.
ANDRAE. M. I. F.

Sed cave credas Reinesio, nam in ipsa tessera apud Tomasinum in lib. de tesseris hospitalitatis cap. 16. clare legitur CLAPHYR. illam tesseram heic exhibebo, quoniam Reinesius formam quoque mutavit.

Præterea nomen hoc occurrit in antiquo saxo apud Castalionem in disputatione adversus fœminarum prænominum assertores tom. 2. Thes. Antiq. Rom. pag. 2059.

M. VINICIO
CASTO
VINICIA
GLAPHYRA
FILIO BENE
MERENTI
M. VINICIVS. VINICIAE
CORINTHVS. TYCHE. ET. SIBI. FECIT.

Hoc monumentum alio modo descripsit Joannes Georgius Volckamerus archiater Cæsareus, ut ex ipsius ἀπογραφῇ patet, quam celeberrimus Rupertus exhibet in epist. ad Reinesium pag. 200. pro VINICIO enim & VINICIA legit VINCIO & VINCIA, & pro GLAPHYRA habet CLAPYRA per C & sine aspirante litera H, quæ in alio quoque lapide non invenitur, en illum e Gruteriana mole pag. 661. num. 12.

L. PORCI. GALLIONIS
ARRIA. L. L. HILARA
ET. GLAPYRAE. DELICIO. SVO.
ARRIA. Ɔ. L. ASIA
SIBI. ET. SVIS. FECIT
.... A. Ɔ. L. APOLLOPHANI

Nec in ἐπιγραφῇ inedita apud Fabrettum de columna Trajani p. 115. ubi etiam in secunda syllaba pro Y habetur V, hoc modo: VLCIA. M. L. GLAP-R, id est, *Ulcia Marci Liberta GLapura.*

CHORAVLAE) Sponius vertit *Maitre Organiste*; Interpres Petronii tom. 1. pag. 266. *Maitre de Musique*: an recte e sequentibus clarum fiet. Vox hæc in excerptis glossarum a Labbæo editis male scribitur sine H. *Coraule*. Χόραυλη. legas mecum, *Choraules*. Χοραύλης. Oritur enim a χόρος *chorus* & ἄλος *tibia*, & significat talem hominem, qui canente choro in scæna concinebat tibiis choraulicis; testis hujus ritus est Diomedes Grammaticus lib. 3. *Pithaules & Choraules in comœdia canebant. Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est, choraulicis artifex (*Choravla*) concinebat, in canticis autem Pythaulicis respondebat.* Hinc *Choraules* in Isidori glossario exponitur *princeps chori ludorum*. Chorus enim pluribus constabat, qui voce modulabantur, cui vocum sono additas fuisse tibias, quas proinde Choraules inflabat, ut ex Senecæ epistola 84. liquet, ubi elegan-

ter chorum describit his verbis: *Non vides quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ. Singulorum illic latent voces, omnium apparent.* Personarum numerus in choris pro variis temporibus varius fuit, aliquando enim chorus e viginti quatuor, aliquando e quindecim personis constabat: Apud Hyginum fab. 273. *Septem constituunt chorum*, narrat etenim *Pythaulen* in ludis Nemeis postea appellatum fuisse *Choraulen*, quia *septem habuit palliatos, qui voce cantaverunt*. Observandum hic Hyginum e palliatis constituere chorum, ita ut Choraulæ etiam palliati fuerint, quod nos docet Flavius Vopiscus in Carino cap. 20. *Inscriptum est adhuc in Choraulæ pallio Tyrianthino Messalæ nomen & uxoris.* Hi Choraulæ aliquando conviviis adhibebantur, ut convivarum aures tibiarum sonitu mulcerent, de quo more alicubi Martialis loquitur, qui & artem choraulicam depingit, quasi magnum lucrum & pecuniæ vim Choraulis adferret, cum lib. 5. epigram. 57. sic canit:

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat, Citharœdus, aut Choraules.

Quo modo hi Choraulæ tibias inflabant, & quodnam eorum officium fuit, nemo melius expressit, quam Cyprianus lib. de spectaculis, cujus verba non piget adscribere: *Alter cum choris, & cum hominis canora voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulans, nunc effuso, & nunc intus recluso, ac represso, nunc certis foraminibus remisso, atque in aerem profuso, item in articulos sonum frangens loqui digitis elaborat, ingratus artifici, qui linguam dedit.* In hac arte præcipue excellebant Ægyptii, unde Petronius in fragmentis inter catalecta veterum Poetarum pag. 257.

Manu puer loquaci
Ægyptius Choraules.

Priscis enim temporibus Choraulæ magni æstimabantur, & idcirco Imperatores Carinus & Numerianus in publicis ludis inter alia exhibuerunt *centum Choraulas*, teste Vopisco in vita Carini cap. 19. Immo ipse Galba Cæsar cuidam Choraulæ, cum illum delectasset, *denarios quinque prolatos manu sua e peculiaribus loculis* dedit, ut memoriæ prodidit Suetonius in ipsius vita, cap. 12. Porro fuerunt & alii Choraulæ, qui digitis χειρονομῶν & pedibus gestientes & sibilis ludentes tibiarum sonum buccis imitabantur; talem describit Sidonius Apollinaris lib. 9. epist. 13. his verbis:

Date ravulos choraulas,
Quibus antra per palati,
Crepulis reflanda buccis
Gemit aura tibialis.

Et hunc Pithæi excerpta glossarum explicant per *Jocularium*, quoniam pedibus & manibus gesticulatur, & imitando tibiarum sonum tumentibus buccis jocari videtur. Jam de Choraulis sat dictum in genere; sed addam celeberrimos quosdam Choraulas, qui in hac arte aliis palmam præripuerunt, quosque tam in veterum auctorum scriptis, quam in saxis & marmoribus observavi. Procedit primo.

AMBROSIVS CHORAVLES. Cujus meminit Satyricus Juvenalis Sat. 6. v. 77.

Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque Choraules.

Juxta opinionem Domitii Calderini ad hunc locum Choraules hic a Juvenale appellabatur *Ambrosius*, quoniam adhibebatur exhilarandis *Principum dapibus*, quæ Principum dapes *Ambrosiæ* dicebantur. Proh! subtile hominis ingenium.

CANVS CHORAVLES. Hic est ille, cui Galba denarios quinque dedit, ut mox dixi, Suetonius in vita Galbæ c. 12. CANO CHORAVLAE *mire placenti denarios quinque donasse, prolatos manu sua e peculiaribus loculis*. Idem quoque refert Plutarchus in hujus Imperatoris vita pag. 1060. Et non mirum CANVM Choraulam Galbæ *mire placuisse*, cum fuerit ætatis suæ Choraularum præstantissimus, secundum testimonium Philostrati in vita Apollonii Tyanei lib. 5. cap. 7. Επεχωρίαζε τότε τῇ Ρόδῳ ΚΑΝΟΣ αὐλητὴς, ὃς ἄριστα δὴ ἀνθρώπων ἐδόκει αὐλεῖν. *Degebat tum temporis Rhodi* CANVS *tibicen, omnium, ut ferebatur, ætatis suæ tibicinum præstantissimus*. Hujus Choraulæ quoque mentio fit apud Martialem lib. 4. epigram. 5. v. 8. & lib. 10. epigram. 3. 8. illum non *Choraulen* sed *Ascaulen* nominat:

Et concupiscat esse Canus Ascaules.

Hunc Latini vocant *Utricularium*, quoniam utrem inflat, & sic sonum excitat. Glossæ optimæ Cyrilli. *Utricularius*. Ασκαύλης. Oportet igitur hunc Canum & *Choraulen* & *Ascaulen* extitisse.

GLAPHYRVS CHORAVLES. Hic satis innotescit e marmore nostro, quod jam explicamus, & crederem fere eundem esse illum, cujus mentio in modo allegato Juvenalis versu, & de quo Martialis lib. 4. epigram. 5. v. 8 canit:

Plaudere nec Cano, plaudere nec GLAPHYRO. Et alio loco:

Plus habuit GLAPHYRVS, *plus Philomelus habet.*

ISMENIAS CHORAVLES. Hoc nomine a Plinio lib. 37. Nat. Hist. cap 1. insignitur; oriundus fuit ex urbe Bœotiæ Thisbe, unde Thisbensis appellatur, Eustathius ad Iliad B. pag. 268. edit. Rom. Η Θίσβη πολίτην μὲν ἔχει τὸν περίπυστον αὐλητὴν Ισμηνίαν. Θισβεὺς γὰρ ἦν. Episcopus Thessalonicensis illum vocat περίπυστον *celeberrimum*, quia, si quis illum tibias inflantem audiret, is in admirationem rapiebatur, & fere tibicen quoque fiebat, testis hujus rei Ælianus lib. 4. Var. Hist. cap. 16. Εὰν προσέχῃ τὶς Καλλίᾳ, φιλοπότην αὐτὸν ἐργάσεται ὁ Καλλίας. ἐὰν Ισμηνίᾳ, αὐλητήν. *Si quis animum præbeat Calliæ, reddet eum temulentum Callias. Si* Ismeniæ, *tibicinem*. Meminit quoque hujus Apulejus Madaurensis de Deo Socratis pag. 53. *Nescio*, inquit, *ut* Ismenias *tibiis canere, sed non pudet me tibicinem non esse*. Pergo ad cæteros:

NANVS CHORAVLES. Hic in antiquis lapidibus apparet, marmor in Gruteri corpore ἐπιγραφῶν pag. 1035. num. 9.

Θ. Κ.
ΜΥΡΟΠΝΩΙ ΝΑΝω
ΧΟΡΑΥΛΗ

Hæc in basi statuæ hujus Choraulæ scripta fuerunt, qui barbatus *utraque manu tibiam tenet* juxta Lipsii descriptionem cum Grutero communicatam, cum qua consentit Fulvius Ursinus, e cujus libro manu exarato in bibliotheca Vaticana hanc NANI Choraulæ statuam edidit Casparus Bartholinus de tibiis veterum pag. 84.



Apud Boissardum vero part. 6. Antiq. Rom. pag. 103. figuram hujus lapidis exhibentem, hoc modo *ἐπιγραφὴν* inveni scriptam.

Θ K
ΜΥΡΟΠΝΟΥΙ ΝΑΝω
ΝΟΡΑΥΛΗ

Male hic Λ pro A ponitur in ΝΑΝω, & N pro X in ΧΟΡΑΥΛΗ, quæ vitia sculptori potius imputarem quam doctissimo Boissardo. Hoc quoque marmor cum celeberrimo Reinesio (qui illud vulgavit in Syntagmate suo class. XI. num. 8.) communicavit Langermannus e schedis Cassiani a Puteo equitis Itali, qui in hoc a præcedentibus discrepat, dum dicit *Statuæ Nani barbati geminas tibias inflantis* subscriptum fuisse.

ΜΥΡΟΠΝΟΥ ΝΑΝΩ
ΧΟΡΑΥΛΗ

Primo cum Lipsio, Ursino, & Boissardo non convenit in statua describenda, cum *Nanum barbatum geminas tibias inflantem* depingit, quem illi *utraque manu tibiam tenentem* faciunt. Secundo non agnoscit in Inscriptionis fronte literas Θ.K.& I nomini ΜΥΡΟΠΝΟΥ in fine additum. Pro ΜΥΡΟΠΝΟΥ Ursinus legit ΜΥΡΙΠΝΩ, Salmasius ad Vopisci Carinum cap. 19. ΜΥΡΙΠΝΟΩ. & Sandrart in Acad. Teuton. tom. 4. pag. 14. pessime exhibet ΜΥΡΟΠΝΘΧ. Porro hujus Nani Choraulæ mentionem facit Propertius:

> NANVS & *ipse suos breviter contractus in artus*
> *Jactabat truncas ad cava buxa manus.*

ΤΥΧΙΚΟΣ ΧΟΡΑΥΛΗΣ. Hunc oblivione eximit marmor in via Appia repertum, quod e MS. Fulvii Ursini in Vaticana bibliotheca excerpsit.



Bartholinus de tibiis vet. pag. 82. In quo marmore apparent corona, geminæ tibiæ & sequens *ἐπιγραφή*.

ACTIONICAE ET SEBASTIONICAE) Schedæ Gutenstenii & Baptista Ferretius pro ACTIONICAE legunt ACITONIO. Sirmondi charta habet FACTIONICAE, quod propius ad Sponianam accedit lectionem, sed neutiquam præferri debet: Vidit hoc quoque *κριτικώτατος* Reinesius, qui ante Sponianam descriptionem legendum conjecerat ACTIONICAE, quemadmodum patet ex ipsius nota ad class. 5. num. 64. Quid vero in nostro lapide hæc duo vocabula significent, jam deliberandum erit. Eruditus Sponius in *recherches curieuses d'antiquité* pag. 244. ignorantiam suam hac in re fatetur, dum loco citato scribit: *Il y a deux mots* ACTIONICAE & SEBASTIONICAE, *que je n'explique pas, parce que je ne sçai point ce qu'ils signifient, quelqu'un mieux instruit que moy dans la musique des Anciens, en pourra estre informé.* Immo Fleedwoodtius in Sylloge Inscriptionum pag. 317. num. 4. scribit: Sponium nec quenquam alium, ut credit, hæc verba intelligere. Rogo itaque, ne mihi vitio vertatur, si huic obscuræ rei & eruditis ignotæ lucem aliquam adferre tentavero, cum certo certius sit, ea doctissimos aliquando latere, quæ rudioribus aperuit sive fortuna favens sive labor improbus. Sed en Rhodus, en saltus. Imperator Augustus graves cum Antonio inimicitias fovens tandem in arenam contra illum descendit, & navali prælio devicit circa Actium Epiri promontorium ante fauces sinus Ambracici, cujus victoriæ mentio in vetere *ἐπιγραφῇ* Gruterianæ collectionis p. 1026. num. 3.

L. CORNELIO. SEVERO
ROM. VET.
PRAEF. LEG. III. AVG. VI. VIR.
EQ. ROM. TVRM. III.....
AB. DIVO. AVGVSTO. POST. PREL.
ACT. HOSTIB. VBIQ. DEVICTIS
IN COLON....... CT...
IN. ORD. DECVR. ADLECTO.

Ut itaque victoria hæc celebratior in posterum esset urbem Nicopolim apud Actium condidit; unde ACTIA NICOPOLIS dicitur in Itinerar. Antonini pag. 74. hodie vero *Preueza* vel *Perueza*, teste Morello in notis ad Constantini Porphyrogennetæ lib. 2. de Thematibus Imperii Orientalis p. 151. & in hanc urbem coloniam deduxit; hinc in nummis Nicopoleos apud Morellium antiquariorum primipilum specimine rei numma-

riæ tab. 15. num. 2. appellatur ΣΕΒΑΣΤ. ΚΤΙΣΤ. *Σέβαςος κτίςης*. *Augustus conditor*. Et in alio e gaza Gallorum regia ἐπιγραφὴ est: ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΙΕΡΑ. ΚΤΙΣΤΗΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. teste Harduino in num. Populor. & Urb. illustratis pag. 360. Nihil enim frequentius in nummis hujus urbis occurrit quam memoria conditoris Augusti, etsi non semper *Conditor* sed & *Cæsar* in illis vocetur, talem laudat Scaliger in Animadversionibus Eusebianis pag. 166. in quo ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Præterea heic Augustus ludos restauravit in honorem Apollinis Actii, qui conspicitur in nummo rarissimo Neronis apud Tristanum tom. 3. pag. 233. cui ἐπιγραφὴ est ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ. Et in variis apud Goltzium inter Augusti numismata tab. 31. statua habetur, veste ad talos demissa, crinibus in nodum collectis, lyram vel citharam manu tenens, quam statuam Apollinis Actii esse plurimi Antiquarii opinantur; Ludovicus Nonnus vero pro Musæ statua accipit. Ludi hi Actii singulis quinquenniis celebrabantur testibus Suetonio in Augusti vita cap. 18. Strabone lib. 7 Geogr. & Dione lib. 51. qui illos vocat πεντετηρικὸν ἱερὸν, *sacrum quinquennale*; ita ut in tempore celebrationis convenerint cum ludis Græcorum Olympicis, unde quemadmodum tetraeterides Olympicæ nominabantur *Olympiades*, sic Actiacæ *Actiades*; Josephus lib. 1. de excidio Hierosolymitano pag. 692. Μετὰ δὲ πρώτην Ακτιάδα προστίθησιν αὐτῷ τῇ βασιλείᾳ τόν τε Τράχωνα καλούμενον. Hunc locum elegantem humanissime mihi indicavit Gulielmus Coetierius Hist. & Eloq. Professor celeberrimus mihi & omnibus doctis non sine reverentia nominandus. Jure meritoque ergo reprehendendus Stephanus Byzantinus in Ακτια, quando scribit certamen hoc singulis trienniis celebratum fuisse, cum *sacrum quinquennale* juxta Suetonium, Strabonem & Dionem extiterit; nisi velimus cum Ludovico Nonno in commentariis ad Goltzii numismata Græciæ pag. 24. dicere, Augustum ludos Actiacos constituisse πενταετηρικὼς *quinquennales*, qui antea τριετηρικοὶ erant, seu triennio singulo fieri solebant. Porro hi ludi constabant certamine gymnico, equestri, & navali, testante Stephano cit. loc. Εν ταύτῃ, inquit, Απόλλωνος γυμνικὸς ἀγὼν, καὶ ἱππικὸς, καὶ πλοίων ἅμιλλα διὰ τριετηρίδος ἦν. *In ea* (nempe urbe Actio) *singulis triennis certamen gymnicum & equestre & navale fuit*. At Dion Cassius insuper addit certamen musicum, cum lib. 51. de Augusto scribit: Αγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν, Ακτια αὐτὸν προσαγορεύσας. id est, *Ludos* MVSICOS *ac gymnicos, & certamen equestre quinquennale sacrum constituit, Actia illos ludos dicens*. Jam ex his omnibus tandem concluderem, T. Claudium Glaphyrum Choraulam victorem extitisse in hoc agone musico Actiaco, & inde in nostro marmore dici Choraulen ACTIONICAM, eo quod in ludis Actiacis νίκην *victoriam* reportasset: Quemadmodum illi, qui in Olympicis & Isthmicis agonibus palmam obtinuerant, *Olympionici* & *Isthmionici* appellabantur. Sic apud Fabrettum in Syntagmate de Columna Trajani pag. 183. in lapide occurrit quidam LVCIVS ANTONIVS, qui erat OLYMPIONICVS; de quibus erudite nuper egit Illustrissimus Spanhemius in epist. 1. Morelliano specimini subjecta. Porro choraulas in ludis aliquando victoriam acquisiisse ac præmium reportasse evincit marmor TYXIKOY choraulæ, in quo corona lemniscata in victoriæ signum habetur.

SEBASTIONICAE) Gruterus e Gutenstenianis chartis & Baptista Ferretius hoc vocabulum dividunt, & legunt SEBASIAE. NICAE, illam lectionem non præferendam Sponianæ lectioni, quam exhibeo, luce meridiana clarius est: Quid vero vox SEBASTIONICA velit, animus fere hæret; cum enim permultæ urbes extiterint nomine SEBASTE insignitæ, incertum est, ad quamnam ex his ludi illi referri debeant, si ponamus τὸ SEBASTIONICA compositum esse ex nomine urbis Σεβάςη & νίκη, ut sic noster choraula Glaphyrus diceretur SEBASTIONICA, quoniam νίκην reportaverat in ludis in quadam urbe Σεβάςῃ celebratis. Plerumque enim illi, qui in ludis in quadam urbe celebratis certare consueverant, & victoriam reportaverant, ab illa urbe denominabantur, sic marmor 143. Arundelliæ Comitis quendam Lerennium Septimium vocat ΑΝΤΙΝΟΕΑ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΣΤΗΝ, *Antinoensem & Smyrnensem Pancratiasten*, quoniam in ludis in Antinoi honorem & Smyrnæ celebratis certaverat & vicerat. Sed en aliam meam, & veriorem, uti puto, de hac voce sententiam. Romani in omne adulationis genus proni Imperatori Augusto non tantum templa & aras dedicarunt, sed & ludos in ejus honorem instituerunt, teste Dione lib. 51. pag. 456. hinc mos ille ad provincias promanavit, ut *ludi quinquennales pæne oppidatim ei constituerent*, quod memoriæ mandavit Suetonius in Augusto cap. 59. sic habemus ΑΥΤΟΥCΤΕ Pergami celebrata in Farnesiano marmore thesauri Gruteriani pag. 314. num. 1. & ΣΕΒΑΣΜΙΑ. eidem Augusto sacra & Damasci celebrata promit nummus Philippi senioris cum Inscriptione, COLONI. DAMASCO. METROPOL. in corona quercea legitur ΣΕΒΑΣΜΙΑ. *Augustalia*. apud Valentem tom. 2. de num. in col. & municip. percus. pag. 163.



Et in alio Alexandri Severi in corona literæ hæ habentur CEBACMIA. apud celeberrimum Norisium de anno & epochis Syro-Macedonum pag. 90. Immo hac occasione Alexandriæ instituta sunt *Σέβαςα Augustales ludi*, quod discimus ex epigrammate coronæ inscripto Ætern. Operis pag. 316. num. 2.



Simili modo Neapoli celebrata Σέβαςα legimus in marmore Gruteriano pag. 314. num. 1. quod inter alios ludos exhibet CEBACTA EN NEAΠΟΛΕΙ. Et in alio inter eruditissimi Sponii miscellanea pag. 364. prostant CEBACTA EN NEAΠΟΛΕΙ. Crederem itaque, his omnibus perpensis, Claudium Glaphyrum in nostro marmore dici Choraulam SEBASTIONICAM, eo quod in talibus CEBACTΟΙΣ sive *ludis Augustalibus* Alexandriæ vel Neapoli celebratis arte sua choraulica superior evasisset; inter hos enim Augustales ludos fuere & musici, in quibus artis musicæ peritissimi ob palmam certabant; diserte id testatur Strabo lib. 5. p. 170. ubi Augustalia Neapoli describit his verbis: *Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς, μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Hoc tempore sacrum quinquennale certamen musicum, & gymnicum per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobilissimis æmulum.* Et quemadmodum Glaphyrus nomen *Choraulæ Actionicæ* & *Sebastionicæ* obtinuit ob victoriam in ludis Actiacis & Augustalibus consecutam artis choraulicæ peritia; sic Marcus Aurelius Asclepiades in marmore magni Thesauri pag. 314. num. 1. dici posset *Pancratiastes Actionices* & *Sebastionices*, quia in ludis Augustalibus Neapoli, Actiacis Nicopoli bis, & Augustalibus Pergami ter, pancratio victor evasisset.

TERRENVM SACRVM) Verba hæc diversis modis explicari possunt propter variantes lectiones, quæ heic reperiuntur. Gruterus & Ferretius exhibent SACR. omissis ultimis literis VM. Fabrettus legit SACRATVM. Sirmondus vero SACRARIVM. Ex his lectionibus si primam vel secundam admittimus per vocem TERRENVM intelligere debemus aream sepulchri, sive istam agri partem, quæ sepulchrum constituebat, & ideo Sponius quoque transtulit *le terrein du sepulchre*, quæ significatio hujus vocis frequens est in infimæ Latinitatis scriptoribus non vero optimæ & Augustei ævi; ideoque, cum nostrum marmor neutiquam recentioris ætatis sit, quemadmodum plurima *κειμήλια* ostendunt, lectiones SACRVM & SACRATVM rejicerem, ut vocabulum TERRENVM meliorem & propriorem significationem accipiat. Quod attinet ad Sirmondi lectionem illa retineri potest, & per TERRENVM SACRARIVM intelligi HYPOGAEVM vel subterraneam cameram, qualem habuit notissima illa matrona Ephesina apud Petronium, in quo mariti cadaver positum erat. At si quis hanc lectionem quoque damnat, proferam insuper aliam, ut quisque pro lubitu arripere possit, quæ maxime arridet. Jacobus Gutherius lib. 2. de Jur. Man. cap. 23. hoc

A nostrum marmor e Grutero adducens exhibet TERRENVM. SARC. quod exponit per TERRENVM SARCOPHAGVM, id est, *terreum* vel *fictile*; veteres enim e varia materia Sarcophagos fabricarunt, ut e terra, marmore, lapide. De terreo sive fictili sarcophago loquitur epigramma in æterno Gruteri opere pag. 903. num. 12.

OSSA. L. BACCHII. L. F. FICTILI
SARCOPH. HEIC. POSITA. SVNT
AD. LOCVM. QVEM. IPSE. VIV. EMIT
LIBERVM. LIS. ABEAT. PROPE.
SACELL. NEPTVNI.

B Marmoreum exhibet lapis 74. class. XI. Reinesiani supplementi.

L. MARCIVS. L. L. AMPYCIDES
SCRIBA AB EPIST. GRAEC.
FECIT SARCOPHAG. MARM. II.
SIBI ET SVIS. LIB.

Lapidea fuisse Sarcophaga veteribus in usu patet e leg. 7. §. 1. D. *de Religios.* & Aurelio Victore de Vir. Illustr. cap. 42. de Annibale loquente: *Hausto veneno absumptus est, positus apud Libyssam in* C arca lapidea, *in qua hodieque inscriptum est*: HANNIBAL HIC SITVS EST. Præterea talis arcæ lapideæ sive sarcophagi & quidem e lapide Tiburtino mentionem injicit monumentum vetus in Gruteri epigrammatum corpore pag. 1108. n. 6. PLACVIT. LAPIDE. TIBVR. AMBOS. IN. SE. CIRCVMDARE. ET TITVLVM. INSCRIBERE. Et quoniam Sarcophaga in agrorum finibus limitum loco ponebantur, hinc Marcus Baro de Geometria pag. 244. inter rei agrariæ scriptores meminit *Arcæ in monticello lapide Tiburtino*.

LONGVM. P. X. LAT. P. X.) Sponius vertit, D *avoit dix pieds de long, & autant de large.* Nostrates Belgæ dicerent: *Was tien voet in de langte, en even veel in de breette.* Solemnis erat hæc veterum formula, qua longitudinem & latitudinem areæ sepulchralis definiebant. Lapis in Sponii Antiquitat. Lugdunensibus pag. 183.

D. M.
M. LICINIO PI
LONI BENE ME
RENTI DE SE LICI
NIA ARETHVSA
E CONLIBERTO SVO
FECIT CVI LOCVS
EMPTVS EST LONGVM
P. VI. LATVM
P. IIII

Hæc formula etiam per substantiva, ut Grammatice loquar, effertur, sic occurrit in Sponii miscellaneis pag. 294. IN LONG. P. VII. IN LAT. P. V. id est, *In longitudine pedes septem, in latitudine pedes quinque.* Immo concipiebatur & hoc modo: HOC SEPVLCHRVM HABET IN F FRONTE. P.... IN AGRO P...., ubi in FRONTE *latitudinem*, IN AGRO *longitudinem* denotat. Sponius tamen in Antiquit. Lugdunens. pag. 184. *Frontem* pro *longitudine* & *Agrum* pro *latitudine* accipit, cum contrarium adstruatur e lapide veteri a Dacierio ad Horatii lib. 1. satyr. 8. vers. 12. citato: IN FRONTE LAT. PED. XX. ET. DIG. II. IN AGR. LONG. PED. XX. Videmus accurate determinari latitudinem per PEDES XX. & DIGitos II. hoc enim in more positum erat, ut partes pedis exprimerent, si sepulchri area rotundum pedum numerum non adæ-

quaret, sic legimus in Inscriptione inedita e collectaneis Gudii producta ab eruditissimo Cupero in Historia trium Gordianorum pag. 54. IN FR. P. XX. S. IN. AGR. P. XXV. S. hoc est: *In fronte pedes viginti semis, in agro pedes viginti quinque semis*. Porro ejusdem longitudinis & latitudinis cum area sepulchrali nostri marmoris est area in eruditæ antiquitatis miscellaneis pag. 264. ubi militibus exauthoratis, lenonibus, & meretricibus sepulturæ locus adsignatur, SINGVLEIS IN FRONTE P. X. IN AG. P. X Præterea non tantum in areis sepulchralibus hæ dimensiones observabantur, sed & in Deorum aris; liquide hoc evincit ara operosissimi artificii apud Boissardum part. 5. Antiquit. Rom. pag. 3. quæ ara in longitudine & latitudine convenit cum sepulchrali area nostræ Thisbes, ut ex ἐπιγραφῇ patet.

DIS MANI
CORNIFICIAE
FAVSTINAE AELIVS
EVPORIAS SIBI
ARAM IN FRONTE
PEDES X IN
AGRO PED. X

Hanc e Boissardo quoque habet Gruterus pag. 868. num. 4. & sui oblitus eandem pag. 971. num. 6. e Smetio producit hoc modo:

DIS. MANI
CORNIFICIA
FAVSTILIAE LIB
EVPORIA. SIBI
ARA. IN. FRONTE
PEDES. X. IN AGRO. PED
XI

Mihi tamen eadem est cum præcedenti, quoniam testibus Boissardo & Smetio in eadem domo extant, quis vero Antiquariorum nobis genuinam lectionem dederit, αὐτόπτης docebit.

IN QVO CONDITA EST) Post hæc verba Gutenstenius apud Gruterum & Ferretius sequentia heic infarciunt: QVISQVIS. ES PARCE. MANIB. quæ Sirmondi charta non agnoscit, immo, cum nec Fabrettus nec Sponius ista in describendo nostro lapide viderint, pro rejectitiis additamentis habenda sunt.

FODERE NOLI) Gruterus hic lacunam exhibet ET.... ERE. NOLI. quam Gutherius de Jur. Man. lib. 2. cap. 23. supplet ET. MALEDICERE. NOLI. Baptista Ferretius legit ET FLERE. NOLI. Sed cave credas, lectionem Sponii, Sirmondi & Fabretti, quam propono, non esse genuinam. Veteribus semper valde inhumanum visum fuit ossa sepulta fodiendo vel quovis alio modo violare; ideoque Divi Fratres edicto admonuerunt, teste Marciano in *l.* 39. D. *de Religios. ne justæ sepulturæ traditum, id est, terra conditum, corpus inquietetur*. Et hinc illæ clausulæ in sepulchrorum titulis, ut homines istius rei memores redderent, marmor apud Gruterum pag. 995. n. 4.

STABIRIAE. P. L. FLORAE. OSSA. HEIC. SITA. SVNT
ROGO. TE. MI. VIATOR. NOLI. MI. NOCERE
ROGO. TE. MI. VIATOR. NOLI. MI. NOCERE

Huic sequens adde in Sponii disquisitionibus antiquitatis pag. 240.

NE TANGITO
O MORTALIS
REVERERE
MANES DEOS.

Veteres hac in re imitatus est Joannes Jovianus Pontanus, qui sibi epitaphium posuit Neapoli in templo Joannis Evangelistæ, & inter alia hæc verba adjecit: *Vivus domum hanc mihi paravi, in qua quiescerem mortuus*. NOLI OBSECRO INIVRIAM MORTVO FACERE, *vivens quam feci nemini*. Vidit & descripsit integram ἐπιγραφὴν Auctor *bodierni status aulæ Pontificiæ & totius Italiæ* part. 1. pag. 169.

NE SACRILEGIVM COMMITTAS) Hæc verba Gutenstenius & Ferretius non agnoscunt, immo ne quidem illorum lacunam, leguntur tamen in Sirmondi chartis. Addita sunt hæc ultima ad deterrendos homines ne fodiendo vel violando ossa SACRILEGIVM COMMITTANT; & huc pertinet lex Juliani Codicis Theodosiani de sepulcris violatis: *Pergit audacia ad busta diem functorum, & aggeres consecratos; cum & lapidem hinc movere, terram solicitare, & cespitem vellere, proximum* SACRILEGIO *majores semper habuerint*. Paulus lib. 1. sentent. de sep. & lugendis: *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve sustulerit*, SEPULCRUM VIOLASSE *dicitur*. Aliquando tamen deprecationum formulæ in fine adjiciebantur; en deprecatio ethnici cujusdam contra violatores suæ urnæ, in lapide inter miscellanea Sponiana p. 23.

C. IVLIVS. C. L.
BARNAEVS
OLLA EIVS SI QVI
OVVIOLAVIT AD
IFEROS NON RECIPIATVR

At quam horrendis execrationibus Christiani usi fuerint contra suorum sepulchrorum violatores ostendet marmor cæmeterii ad viam Nomentanam, quod extat in Arighii Roma subterranea p. 436. & Mabillonii mus. Ital. pag. 149.

MALE PEREAT INSEPVLTVS
IACEAT NON RESVRGAT
CVM IVDA PARTEM HABEAT
SI QVIS SEPVLCHRVM HVNC
VIOLAVERIT

Videtur hæc formula diræ execrationis fuisse, ut dicerent: *pars tibi sit cum Juda*: quam formulam etiam in juramentis Christiani usurparunt, addentes præterea *lepram Giezi* & *tremorem Cain*; elegans hujus juramenti formula est in Novella 8. tit. 3. Εἰ δὲ μὴ ταῦτα πάντα οὕτως φυλάξω, ἐνταῦθα, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ἐν τῇ φοβερᾷ κρίσει τοῦ μεγάλου Δεσπότου Θεοῦ τε καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ σχῶ τὴν μερίδα τοῦ Ἰούδα, καὶ τὴν λέπραν τοῦ Γιεζῆ, καὶ τὸν τρόμον τοῦ Κάϊν. In Latinis est: *Si vero non hæc omnia ita servavero: recipiam hic & in futuro seculo in terribili judicio magni Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*: & habeam partem cum Judâ, *& lepra Giezi, & tremore Cain*. Similis fere est clausula testamenti Sancti Willebrordi nostræ gentis Apostoli, nisi quod addatur *pereat cum Datban & Abiran*. Vide Antiqu. Belg. pag. 201.

F I N I S.

TOBIÆ GUTBERLETHI J. C.

ET BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ FRISIORUM PRÆFECTI

ANIMADVERSIONES


PHILOLOGICÆ

IN

ANTIQUAM INSCRIPTIONEM GRÆCAM SMYRNÆ REPERTAM.

TOBIÆ GUTBERLETHI
ANIMADVERSIONES
PHILOLOGICÆ
IN
ANTIQUAM INSCRIPTIONEM GRÆCAM SMYRNÆ REPERTAM.

Monumentum hoc sepulchrale primus edidit Jacobus Sponius in Miscellaneis Erudit. Antiquitat. pag. 350. num. 85. qui ipse hunc lapidem valde mutilum Smyrnæ descripsit; postea Daniel Cossonius Vice-consul Smyrnensis hoc marmor multo integrius descri- A ptum transmisit eruditissimo Abrahamo Berkelio τῷ μακαρίτῃ, hinc ipsius filius Janus Berkelius paternæ eruditionis heres & amicus meus singularis illud accepit & communicavit cum Doctissimo Viro Joanne Sibranda Linguæ Gr. Prælectore, a quo ad meas manus pervenit.



Versio.

FLAVIA. TRYPHAENA. QUAE. ET. RHODOPE. vocatur
VIVA. EXSTRUXIT. HOC. MONUMENTUM. SI
BI. ET. VIRO. ASCLEPIADI. HERACLIDIS. filio.
PHILOXENI. nepoti. ET. LIBERTIS. ET. ALUM
NIS. SUIS. ET. VIRI. SUI. NEMINE
HABENTE POTESTATEM. ALIENANDI. SI.
VERO. QUIS. AGGRESSUS. FUERIT. ALIENARE.
PENDET. MATRI. DEORUM. SIPYLENAE. QUAE........
A. NOBIS. ARGENTI. X. VI. HUIUS. INSCRIPTIO
NIS. TABULA. SIGNATA. DEPOSITA EST. I................

ΦΛΑΟΥΙΑ) Deprehendimus quotidie maximam variarum gentium inconstantiam in exarandis nominibus propriis tam virorum quam mulierum, & illam observamus non tantum in libris, B sed & lapidibus. E multis produco in exemplum nomen Latinum FLAVIUS, quod Græci triplici modo scribunt, ΦΛΑΒΙΟΣ, ΦΛΑΟΥΙΟΣ, & ΦΛΑΥΙΟΣ. Primum habemus in Gruteri Inscript.

A pag. 464. num. 7. male etenim in Indice legitur num. 4. ΦΛΑΟΥΙΟΣ vero reperitur apud eundem Gruterum pag. 1094. n. 7. Tertium denique ſcribendi hujus nominis modum ſi quis vellet oſtendere ex Indice Gruteri, ubi legitur *Τιτος Φλαυιος Ουιβιανος*, errorem utique ille committeret, nam in marmore, quod in Indice citatur e pag. 73. n. 3. extat *Φλαουιος* non *Φλαυιος*. Et in altero marmore in Indice allegato e pag. 75. num. 3. reperitur *Ψαλουιος*, pro quo reſtituendum procul dubio *Φλαουιος* e præcedenti lapide tertio pag 73. qui lapis mihi idem eſt cum hoc, quod etiam Gruterum putaſſe ex Addendis poſtea deprehendi. Cæterum B τὸ ΦΛΑΥΙΟΣ legimus apud Sponium tom. 1. Itinerar. pag. 373. & in Reineſii claſſ. 1. num. 156. Sed cave credas Indici, in quo male exaratum eſt *Φλαιος*. Hæc de virili nomine; pergo ad fœmininum FLAVIA, quod in noſtro monumento & in alio apud Sponium Miſcell. Erud Antiq. pag. 349. num. 83. ſcribitur ΦΛΑΟΥΙΑ; at in Reineſii ſupplemento Gruteriano pag. 1028. num. 35. invenio quoque ΦΛΑΒΙΑ. An vero alicubi in *ἐπιγραφαῖς* occurrit ΦΛΑΥΙΑ nondum mihi liquet; legimus quidem in Gruteri Indice *Φλαυια Σερουανδα*, ſed eſt vitium typographicum, nam in ipſa Inſcriptione pag. 784. num. 3. clare habetur ΦΛΑΟΥΙΑ. C Adnotavi hæc, ut vitia ex Inſcriptionum Indicibus tollerem, maxime enim intereſt Reipublicæ literariæ, expurgatos marmorum Indices habere.

ΤΡΥΦΑΙΝΑ) Nomen hoc originem habet a voce *τρυφὴ*, *deliciæ*, *voluptas*, vel *mollities*, hinc delicioſis ſive voluptuariis feminis tribuitur, ſic Lucianus tom. 2. pag. 542 meretrici hoc nomen dat; & admodum nota eſt Tryphæna *omnium feminarum formoſiſſima* apud acerrimum morum cenſorem Petronium. Variis modis hoc nomen reperitur ſcriptum in antiquis monumentis, ut TRYFENA, TRYPHENA, TRIPHAENA, D & quæ ſola ex omnibus vera ortographia eſt TRYPHAENA; primum occurrit in Muſis lapidariis Ferretii pag. 45.

MINICIA. FORTVNATA. SIBI. ET.
MINICIAE. TRYFENAE. LIB.

Sed non dubito, quin Ferretius in deſcribendo errorem commiſerit, cum Rubeus in memoria Brixiana pag. 303. hunc lapidem Brixiæ extantem exhibens legat præclare TRYPHAENAE. Porro TRYPHENA ſine diphthongo reperitur in marmoribus Felſineis pag. 335. ubi in quadam Inſcri- E ptione legitur VERGILIA TRYPHENA. Quæ etiam occurrit in Reineſii Syntagmate claſſ. 14. n. 145. Et in marmoribus Felſineis pag. 424.

D. M. S.
MESTRIAE TRY-
PHENAE MATRI
PIENTISSIMAE OB
SEQVENTISSIMAE
C. MESTRIVS ASTYLVS
ET FLAVIA HERAIS
FECERVNT.

F Carolus Patinus in commentar. ad tres Inſcript. Græc. pag. 210 putat hoc nomen eodem modo ſcriptum latere in ſequenti lapide apud Reineſium claſſ. 17. num. 115.

SIIMPRONIANII
TRYPHIINAII
D. M.

Sed credo lapidem eſſe male deſcriptum, nam pro SIIMPRONIANII legendum SYMPRONIAE; & TRYPHIINAII dividendum in TRYP.. IIII.. NA. Ipſam Inſcriptionem, ut hodie Patavii extat, heic exhibebo ex agri Patavini Inſcriptionibus a Jacobo Salomonio editis pag. 161.

O. L....M...SYMPRO
TRYP. II. N..SYMPRO
NIAE...TRYP..IIII.NA

Videmus Bartholinum, a quo Reineſius illum accepit, ex TRYP..IIII..NA. feciſſe TRYPHIINAII. Etſi mea quoque ſententia ſit ſub literis illis TRYP. *Tryphænæ* nomen latere, tamen e notis & literis ſequentibus IIII..NA. illud non ſupplendum exiſtimo. Ambiguum itaque eſt, pro qua ſcribendi ratione hic lapis allegari debet, pro TRYPHENA inquam an pro TRYPHAENA, dummodo prima nominis ſyllaba in marmore extat.

Tertium vero TRIPHAENA per ſimplex I eſt apud Reineſium claſs. 14. num. 25.

D. M.
M APRONIO. MVSONIO.
ANTONIA. TRIPHAENA.
MONVMENTVM. F.
CONIVGI. B. M. CVM. Q. V. AN. XXXX.
ET. SIBI. ET. S. L. L. Q. E.

Dixi mox muliebre hoc nomen recte ſcribi TRYPHAENA, quod & Græcum ΤΡΥΦΑΙΝΑ requirit, qua in re adſentientem mihi habeo literatorum Phœnicem Grævium in notis ad Juſtinum lib. 39 cap. 2. qui ſententiam ſuam ex analogia & Petronio defendit; ego vero meam ex antiquis Inſcriptionibus, quarum primam habet Roſſi in memoria Brixiana pag. 301.

HOSTILIAE
TRYPHAENAE
P. HOSTILIVS. P. CL.
COMICVS. VI. VIR. AVG.
SIBI. ET.
FLORENTINO. LIB.
ENCRIMENO. LIB.

Huic marmori ſuccenturiatur alius lapis inter marmora celeberrimi Arundelliæ Comitis num. 64.

C. IVLIVS. IASON. ET.
COCCEIA. TRYPHAENA.
FECERVNT. SIBI. ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVORVM. DVMTAXAT QVI.
EX. FAMILIA. EORVM. FVISSENT.
IN FR. P. VI. S. IN. AGR. P. VIIII.

Præterea hoc modo ſcribitur apud Sponium in Miſcellan. Eruditæ Antiquitat. pag. 289. num. 25.

A SVMMO COLVMBARIA DIS
IVNCTA VIBIVS ALCIMV QVEM
SEQVENTVR POST ME L. COR
DIVM EVPORVM ET CORDIA TRYPHAENA.

Et in divino Gruteri theſauro pag. 931. num. 4.

D. M.
C. ALLII. C. F. VOLT.
MACRINI.
EVPORVS. ET
TRYPHAENA.
LIB.

A
Η ΚΑΙ ΡΟΔΟΠΗ) Subintellige *καλεῖται*, *vocatur*, verbum enim illud sæpius reticetur in similibus locutionibus, sic legimus in tabella marmorea apud Gruterum pag. 784. num. 3.

ΦΛΑΟΥΙΑ ❦ CΕΡΟΥΑΝΔΑ ❦ Η ΚΑΙ
ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ ❦ ΠΑΝΑΡΕΤΕ
ΕΥΘΥΧΙ ❦ ΜΕΤΑ ΤΟΥ ΟCΕΙΡΙΔΟC

Flavia Servanda quæ &
Agrippina Panarete
Concorditer cum Osiride.

B
Et pag. 314. num. 1. ΜΑΡΚΟC ΑΥΡΗΛΙΟC ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC Ο ΚΑΙ ΕΡΜΟΔΩΡΟC. *Marcus Aurelius Asclepiades, qui & Hermodorus* appellatur. Sic & Latini loquuti sunt, ut OCTAVIA SOTERIS QVAE ET LICINIA nempe *vocatur* in marmore sequenti apud Boissardum part. VI. Antiquitat. Rom. pag. 55.

D. M.
C. OCTAVIO PRVDENTINO.
FILIO. VIX. ANN. IIII. D. LII.
ET OCTAVIAE SOTERIDI
QVAE ET LICINIA FILIA
VIX. ANN. VIII. M. V. D. XII
CN. OCTAVIVS PRVDENS.
ET. OCTAVIA CLYMENE
PARENTES INFELICISSIMI.

C
Porro nomen ΡΟΔΟΠΗ rarum est in antiquis epigrammatibus; Latini aliquando sine aspiratione RODOPE scribunt, teste lapide 139. in marmor. Oxoniensibus

D. M. L. MARCIO
DECATO FILIOD
VLCISSIMO
FECIT RO
DOPE MA
TER IN
FELI
CISSIMA
QVI VIX
ANNOS
XV. M. VIIII. D. VIIII.

D
Simili modo exaratum est in monumento Christiano apud Arighium in Roma subterranea p. 500.

HIC EST POSITA RODOPE IN
PACE QVA VIXIT AN PLVS M.
----TA DIE XVII KAL. OCT.
DNS VALEN----ET HABIENO.

E
Aliquando occurrit cum aspirationis nota H, quod & mihi verius videtur, en marmor apud Boissardum part. 6. Antiquitat. Rom. pag. 67.

DIIS MANIBVS
L. TITI. L. F. PIPINIA
MACRI VI VIRO.
DECVRIO
LAVDE POMPEIA
VIXIT ANNIS
XXX
TITIA RHODOPE
MATER ET
SALVIVS VICTOR
CVM LAC F.

F
Hic in ultima linea pro CVM LAC. lege mecum e Grutero pag. 475. num. 5. CONLAC. id est, *Conlactaneus*. Et pag. 97.

DIS MANIBVS
L. MARCIO TROPHIMO
MARCIA RHODOPE
FECIT
CONIVGI SVO BENE ME
RENTI VIXIT ANN. XXXX.

Hoc nomine præter nostram Tryphænam & modo in Inscriptionibus memoratas feminas appellata fuit meretrix nobilissima conserva Æsopi, quæ postea a Charaxo Sapphus poetriæ fratre ingenti pecunia redempta est, hinc Sappho apud Ovidium in epist. ad Phaonem v. 63. cecinit:

Arsit inops frater victus meretricis amore,
Mistaque cum turpi damna pudore tulit.

Hæc mulier quæstu meretricio tantam pecuniæ vim corraserat, ut pyramidem exstrui curaverit, de qua vide Herodotum lib. 2. cap. 134. 135. cui tamen *Ροδῶπις* scribitur, quæ aliis est *Ροδώπη*.

ΖΩΖΑ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ) Eadem verba habemus in marmore Cossoniano num. 29.

ΙΖΟΤΗΣ. ΑΜΜΙΟΥ.
ΖΩΖΑ. ΚΑΤΕΣΚΕΥ
ΑΖΕΝ. ΤΟ. ΜΝΗΜΕΙ
ΟΝ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΩ.
ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ.
ΤΟΥ ΦΙΛΩΤΟΥ.

Formula Latinorum in tali epigrammate sepulchrali est VIVA FECIT, sic occurrit in vetusta Inscriptione apud Patinum in commentar. ad 3. Inscript. Græc. pag. 221.

IVLIA FVSCINIA
OSSVARIVM
VIVA SIBI FECIT

vel numero plurali in epitaphio sequenti corporis Gruteriani pag. 832. num. 4.

D. M.
TEGEDIAE. FORTVNATAE. ET
L. CORNELI. FIRMI
VIVI. SIBI. FECERVNT
QVEM. EMERVNT. * CXX.

Veteres enim maxime operam dabant, ut, dum in vivis essent, sibi de sepulchro prospicerent, quo mortui conderentur; hinc legitur in Gruteri Inscript. pag. 1127. num. 1.

FECI QVOD VOLVI
MONVMENTVM. VBI. OSSA
ET. CINERES. AETERNVM. RE
QVIESCERENT. MIHI.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ) pro ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ Sponius edidit ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΙ; Sed in ipso Cossonii autographo ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ quoque vidit Gronovius, ipso teste in memoria Cossoniana pag. 150. aliquando etenim Η & ΕΙ pro Ι scripserunt veteres Græci; hic Asclepiades describitur a patre & ab avo, quod frequens in hujuscemodi monumentis est, sic alius Asclepiades vocatur *Apollonii* filius *Artemidori* nepos in syntagmate Reinesiano class. XI. num. 5.



Talis quoque eſt Inſcriptio apud Sponium Itiner. tom. 2. pag. 416. in qua ΔΙΟΚΛΗΣ ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΜΚΤΡΟΦΙΛΟΥ, *Diocles Dioclis* filius *Metrophili* nepos. Præterea in marmoribus Arundellianis num. 18. ΜΗΝΑΣ ΜΗΝΟΥ ΤΟΥ ΗΓΗΣΑΡΧΟΥ, *Menas Menæ* filius *Hegeſarchi* nepos; & in appendice num. 1.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΖΗΝΟΝΟΣ
ΤΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΒΗΡΥΤΙΟΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ
ΘΕΟΙΣ ΠΑ
ΤΡΙΟΙΣ

Dionyſius Zenonis filius
Theodori nepos *Berytius*
Beneficus erga
Deos Pa
trios.

ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ) An vir hic nomen *Philoxeni* habuerit, quod eſſet *amicus* & *benignus in hoſpites*, ut nominis ratio ſuadet, in incerto poſitum eſt, plures etenim fuerunt hoc nomine inſignes, lapis vetus in Sponii Miſcellan. Erudit. Antiquit. p. 212.

VENVSTVS
PHILOXENI
TI. CLAVDI. CAESARIS
SERVI
DISPENSATORIS
VICARIVS
B. D. V. S. L. M.

Præterea ille Philoxenus, ſub cujus nomine vulgo Gloſſarium Græc. Lat. circumfertur. Et Philoxenus Conſul ſub Juſtino Seniore, qui an idem cum gloſſarii auctore ſit hic non diſquiram.

ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙΝ) Antiquis temporibus Conjuges, Parentes cum liberis & cognatis eodem tumulo obrutos eſſe, eleganter probavit Reineſius ad claſſ. 16. num. 22. Ego de libertis poſteriſque illorum adjicio, quibus patroni concedebant, ut cum ſe in eodem monumento conderentur, de quo more elegans lapis eſt apud Gruterum pag. 638. num. 4. ubi inter alia hæc leguntur: M. VLPIVS. SIBI. ET. VXORI. FECIT. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. VTRIVSQVE. SEXVS. QVI. EX. FAMILIA. MEI. ERVNT. RELIQVIARVM. SVARVM. CONDENDARVM CAVSA. ET. POSTERISQVE. EORVM. QVI. IN. NOMINE. MEO. PERMANSERINT. Si quis vero e libertis libertabuſque delictum aliquod contra patronum commiſiſſet, illi aditus ad monumentum præcludebatur, ne cum patrono & aliis libertis in eo tumularetur, didici hoc ex ἐπιγραφῇ in Gruteri mole pag. 844. n. 4.

A

M. AEMILIVS. ARTEMA.
FECIT.
M. LICINIO. SVCCESSO. FRATRI.
BENE. MERENTI.
ET. CAECILIAE. MODESTAE. CONIVGI.
SVAE. ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS.
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.
EXCEPTO. HERMETE. LIB. QVEM.
VETO. PROPTER. DELICTA. SVA.
ADITVM. AMBITVM. NE. VLLVM.
ACCESSVM. HABEAT. IN. HOC
MONVMENTO.

B

Et de liberta ingrata loquitur marmor in maximo Inſcriptionum theſauro pag. 862. num. 5.

C. CAECILIVS. FELIX.
ET. C. CAECILIVS VRBICVS.
LOCVM. ITA. VTI EST. CONCAMERATVM.
PARIETIBVS ET PILA. COMPREH
P. VI. LATVM P. VIIS CONSECRAVERVNT. SIBI. ET.
C. CAECILIO RVFINO ET C. CAECILIO. MATERNO ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM.
EXCEPTA SECVNDINA. LIBERTA. IMPIA.
ADVERSVS. CAECILIVM. FELICEM. PATRONVM. SVVM.
H. M. H. N. S

C ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ) Verba hæc formulæ loco ſunt, qua cavetur, ne quis vendat vel alio modo alienet hoc ſepulchrum, ſimilis formula exſtat in marmoribus Arundellianis num. 81.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΓΑΙΟΥ Ο ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ.
ΓΑΙΟΣ ΕΛΕΜΠΟΡΟΣ ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΘΑΡΑΝ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ
ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΜΗΔΕΝΟΣ Ε
ΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΚΛΗΡΟΝΟΜΩΝ
ΜΟΥ ΠΩΛΗΣΑΙ ΤΗΝ ΠΡΟΔΗΛΟΥΜΕ
ΝΗΝ ΚΑΜΑΡΑΝ
D ΔΙΑ ΤΟ ΕΙΝΑΙ ΑΥΤΟ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΚΑΙ
ΒΟΥΛΕΥΤΟΥ.

Attalus Gaii filius *qui vocatur*
Gajus Elemporus emens
camaram puram inſtauravit
ſibi & ſuis nullo ha
bente poteſtatem ex heredibus
meis vendere ſupradictam
camaram
quia eſt Prytanis &
Senatoris.

E Quod in noſtro Smyrnenſi monumento ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ *alienare* eſt, id in hoc Oxonienſi redditur ΠΩΛΗΣΑΙ *vendere*. Eodem modo Romani Inſcriptionibus ſepulchralibus cautiones ſuas admiſcuerunt multo ſtrictius quam Græci, ut admodum clare patet e ſequenti lapide, in quo non tantum VAENIRE & ALIENARE, ſed plurimæ aliæ cavendi formulæ exſtant; habet illum Gruterus in theſauro pag. 762. num. 5.

D M
M AVRELIVS. ROMANVS. ET.
ANTISTIA CHRESIME VXOR. EIVS.
F FECERVNT SIBI. ET LIBERTIS LIBERTAB.
POSTERISQ SVIS ITEM. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
POSTERISQ EORVM MONVMENTVM CVM AEDIFICIO.
SVPERPOSITO. HOC. AVTEM MONVMENTVM. CVM
AEDIFICIO. NEQVE MVTABITVR NEQVE. VALNIET.
NEQVE DONABITVR NEQVE PIGNORI. OBLIGABITVR
SED NEC VLLO MODO ABALIENABITVR. NE. DE.
NOMINE. EXEAT. FAMILIAE. SVAE

Porro formula ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ reperitur quoque in antiqua Inſcriptione Thyatyræ reperta, quam exhibet Georgius Whelerus Itinerar. tom. 1. pag. 214. in qua nullus alius

A potestatem habet ΘΕΙΝΑΙ ΤΙΝΑ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ ΤΑΥΤΗΝ, *ponere quemquam in isto loculo*, de qua re elegans marmor exstat apud Gruterum pag. 482. num. 2.

M. VARINIVS. M. F. PHILIPPICVS
ORN. DEC. Q. ANN.
T. PETRONIAE. RVFINAE.
ET.
VARINAE. PHILIPPICAE.
FILIAE. SVAE.
SI. QVIS. IN. HAC. ARCA. ALIVM
POSVERIT. Q. Q. S. S. DABIT
COLONIAE. NOSTRAE. POENAI
NOMINE..........


B Hoc enim jus habebant veteres, ut testamento caverent, ne quis in hæreditarium sepulchrum inferretur; quemadmodum Ulp. *l.3.§.3.D. de sepulchro violato*, testatur; immo non tantum de σορῷ *loculo* & sepulchro cavebant, ne quis in illis conderetur, sed & ne intra maceriam sepulchrorum sepeliretur, hinc lapis antiquus in Sponii Miscellaneis Erudit. Antiquitat. pag. 222.


C HVIVS MONVMENTI IVS QVA MACERIA
CLVSVM EST CVM TABERNA ET CENACVLO
HEREDEM NON SEQVITVR INTRA
MACERIAM HVMARI QVEMQVAM NON LICET.

ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΗ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ ΤΙΣΕΙ) Celeberrimus Gronovius in memoria Cossoniana pag. 150. pro ΕΑΝ in autographo Cossonii legit ΑΝ. Cæterum hæc verba in Sponiano lapide desiderantur, immo Sponius lacunam totius regulæ non agnoscit, nam in fine præcedentis lineæ hiatum trium punctorum & in principio sequentis quatuor modo punctorum descripsit; necessario tamen adesse debent.

D ΤΙΣΕΙ ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗ) Plerumque mulctam hanc pendebant *matri Deorum Sipylenæ*. Sic quoque in Inscriptione Græca, quam commentario illustravit Patinus, ΕΑΝ ΤΙΣ ΠΑΡΑ ΤΑΥΤΑ ΤΟΛΜΗΣΗ ΠΟΙΗΣΑΙ ΑΠΟΤΕΙΣΕΙ ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗ ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. *Si quis ausus fuerit præter hæc facere pro mulcta pendat Matri Deorum Sipylenæ denariorum duo millia & quingentos*. Dea, quæ hoc nomine indigitatur, Cybele est, a monte Sipylo MATER Deorum SIPYLENA dicta; datur nummus perrarus in thesauro Petri Mauroceni pag.

E 110. in quo hæc Dea extat capite turrito cum ἐπιγραφῇ ΣΙΠΥΛΗΝΗ. Ipsum nummum heic depromo, quoniam liber ille in omnium manibus non versatur & in his oris rarus est. A. Talem quoque exhibet Spanhemius de Vesta & Prytanibus Græcorum tom. v. Thesauri Antiquitat. Rom. pag. 661. in quo ab una parte Mater Deorum Sipylene, ab altera vero mulier cum calatho in capite, dextra pateram, sinistra cornucopiæ gestans. B.

F 



Dixi statim mulctam, quam pro venditione vel violatione sepulchrorum pendebant, solutam fuisse Matri Deorum Sipylenæ, quod de Smyrnæis dictum velim; Romani enim in tali causa mulctam dabant Virginibus Vestalibus vel Ærario, vetus lapis apud Gruterum pag. 861. num. 13.

D. φ M.
L. BOIONIVS GENTILIS VIVVS
FECIT SIBI ET LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE POSTERISQVE EORVM
HOC MONIMENTVM SIVE LOCVM. SI
QVIS. VENDERE VEL DONARE VOLVERIT
INFERET. VIRGINIBVS. VESTALIB. H-S XX
N. AVT. AERARIO POPVLI ROMANI. IN
FRONTE. PED. VII. IN AGRO PED. XVIII.

Aliquando Pontifices pecuniam hanc accipiebant, quod dicebatur *Arcæ Pontificum inferre*, hinc marmor in thesauro Gruteriano pag. 835. n. 8.

DIIS. MANIBVS. φ
GN. TRIMELIVS. TROPHIMVS
FECIT. SIBI. ET. FLAVIAE PROBAE
CONIVGI. CVM. QVA. VIXIT
ANNIS. L. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
SIQVIS. AVTEM. HOC. VENDERE
VOLVERIT. ARKAE. PONTIFICVM
L. SS X. MILIA. NVMVM. INFERET
VEL. SIQVIS. ALIENVM. CORPVS
HIC INTVLERIT. POENAM
SVPRA. SCRIPTAM.
INFERET.

Huic marmori adde aliud inter Arundelliana n. 113. In quo hæc inter alia habentur. NE LICEAT. HOC. MONVMENTVM. VENDERE. VEL. DONARE. QVOD. SI. FACTVM. FVERIT. VTRISQVE. ARK. PONTIFICVM. H-S XXX. M. N. PAENAE. NOMINE. INFERET. Et sequens in Gruteri Inscriptionum mole p. 1033. num. 8.

D. M
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB.
HERMETI
M. PVEROR. DOM. AVGVST.
ET
CORNELIAE. MODESTAE
MATRI. B. M.
ET LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM
HOC MONVMENT. SIQVIS
DONARE. AVT. VENDERE
VOLVERIT. INF. ARKAE
P. P. ROM. H-S. L. M. N.

Ultima verba INF. ARKAE. P. P. ROM. hoc modo suppleo INFeret ARKAE Pontificum Populi ROMani, male etenim in Gruteri indice ARKAE P. P. ROM. suppletur per *Arkæ Pop. Rom.* Quem errorem quoque secutus est Petrus Servius

in Miſcellaneis Rom. Antiq. pag. 58. Quod tamen non mirum, cum P.P. in lapidis deſcriptione puncto non diſtinxerit. Qui huic Arcæ præfectus erat nominabatur Arcarius Pontificum; ſic eſt in Gloſſario vetere: *Arcarius Pontificum*, ὑποδέκτης χρυσȣ͂. de quo Symmachus lib. 1. epiſt. 62. eleganter ait: *Pontificalis Arcarius proſequitur apud te mandata Collegii*. Porro non tantum Veſtales Ærarium Populi & Pontificum Arca hanc pecuniam ex alienatione ſepulchrorum provenientem capiebant, ſed & Fiſcus ſive locus, in quo Regis vel Principis privatæ opes ſervabantur, Gloſſæ Palæmonis; *Fiſcus*, *Promptuarium Cæſaris*: & hinc *Fiſcus regius*, quoniam Regis erat apud Adalbertum Floriacenſem in Hiſt. Translat. S. Benedicti n. 2. Lapis inter Gruterianos pag. 749. num. 4. diſerte mentionem facit pecuniæ ex hac cauſa Fiſco debitæ.

ΑΧΙΛΛΕΥΣ. ΕΠΑΦΡΑ. ΤΗ. ΙΔΙΑ. ΓΥΝΑΙΚΙ
ΓΕΜΙΝΙΑ ΜΥΡΓΑΛΗ. ΜΝΗΜΗΣ. ΤΕΛΕ
ΥΤΑΙΑΣ. ΧΑΡΙΝ. ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ.
ΕΦΩ. ΜΗΔΕΝΑ. ΜΗΔΕ. ΠΩΛΗΣΑΙ
ΕΧΕΙΝ. ΕΞΟΥΣΙΑΝ.
ΠΛΗΝ. ΕΙ. ΜΗ. ΤΙ. ΑΥΤΟΣ.
ΑΧΙΛΛΕΥΣ. ΠΑΘΟΙ. ΤΙ. ΑΝ
ΘΡΩΠΙΝΟΝ. ΕΙ. ΔΕ ΤΙC.
ΕΚΒΑΛΗ. ΤΗΝ. ΜΥΡ
ΤΑΛΗΝ. ΔΩCΕΙ.
ΤΩ. ΦΙCΚΩ.
⳩ ΑΒΦ.

Id eſt: *Achilles Epaphra uxori ſuæ Geminiæ Myrtalæ memoriæ ultimæ cauſa ſepulcrum iſtud poſuit, quod vendere aut extra familiam alienare non licebit, præterquam ſi forte Achilli aliquid humani acciderit. Si quis autem ejecerit Myrtalem, fiſco inferet.* ⳩. 532.

En proferam aliam Inſcriptionem, quæ extat pag. 903. num. 6.

AVIDIA. MAXIMINA.
DOMVM. AETERN. V. S. P.
SI. QVIS. ALIVD. CORPVS
SVPERPOS. DET. FISCO. P
CCC. M. N.

Etſi hic lapis non loquitur de pœna in illos, qui ſepulchra alienant, ſed qui alieno corpore inferendo illa violant, tamen deſcripſi, quoniam fiſci mentio illo fit, & male a quibuſdam explicatur; Gutherius enim de Jur. Pontif. lib. 2. cap. 12. ex his literis FISCO. P. facit *Fiſcum Pontificum*, ſed quo jure quibusve argumentis non video, cum FISCO P. ex ſententia mea ſuppleri debeat FISCO. *Principis*, & de hoc fiſco loquitur Ulpianus in *l.* 3. § 5 *D. de Sepulch. viol.* non vero de Pontificum fiſco, ut ſomniavit Gutherius; nam ponamus, in ſuperiori lapide intelligi *Fiſcum Pontificum*, exinde non ſequitur Divum Hadrianum in dicta lege loqui de *Fiſco Pontificum*, cum Inſcriptio & Lex de pœna diverſorum delictorum loquantur; Inſcriptio enim de pœna illorum, qui *aliud corpus ſuperponunt* ſive inferunt; Lex vero de pœna ab Hadriano ſtatuta *in eos, qui in civitate ſepeliunt*. Porro non tantum venditores ſepulchrorum mulctam pendebant, ſed & emptores, in vetuſto lapide apud Gruterum p. 672. n. 1. hæc habentur.

SI. QVIS. HOC SEPVLCHRVM. VEL MONVMENTVM
CVM. AEDIFICIO VNIVERSO. POST. OBITVM
MEVM. VENDERE. VEL DONARE VOLVERIT
VEL. CORPVS. ALIENVM INVEHERE VELLIT
DABIT. POENAE NOMINE. ARK PONTIF. L.S. C. N.
ET. EI. CVI. DONATVM VEL VENDITVM. FVERIT
EADEM. POENA. TENEBITVR.

A TH.......) Supplendus locus mihi videtur EN ΣΜΥΡΝΗ, *quæ Smyrnæ colitur*, hæc enim Dea Smyrnæ præcipue culta fuit, quamobrem Ulpianus in fragmentis tit. 25. ſect. 6. inter Deos, quos Senatus-conſulto vel Conſtitutionibus Principum heredes inſtituere licebat, numerat MATREM DEORVM SIPYLENEM, QVAE SMYRNAE COLITVR. Fruſtra hic locus a quibuſdam tentatur, qui pro SIPYLENEM legunt CYBELEN EAM, quod tamen approbarunt editores Codicis Theodoſiani edit. Lugdun. in cujus calce Ulpiani fragmenta extant. Immo fruſtra laborat Laurentius Pignorius in Magnæ Deum Matris initiis pag. B 20. corrigendo SIPYLENSEM, quam emendationem editio Codicis Theodoſiani Pariſina in textum recepit, cum SIPYLENSIS neutiquam gentile eſt a SIPYLVS, ſic enim Stephanus Byzantinus: Σίπυλος, πόλις Φρυγίας. Τὰ ἐθνικὸν Σιπυληνός; καὶ Σιπυληνοί. *Sipylus*, *urbs Phrygiæ*. *Gentile Sipylenus*, *& Sipyleni*. Porro nummi iſti, quos ſtatim allegavi, a Smyrnenſibus in honorem hujus Deæ cuſi ſunt, nam in averſa illorum parte ἐπιγραφὴ eſt ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Doctiſſimus Vir Joannes Sibranda non male lacunam hanc ſupplet per ΣΕΒΟΜΕΝΗ, ita ut ΤΗ ΣΕΒΟΜΕΝΗ ΔΙ ΗΜΩΝ eſſet *quæ colitur a nobis*.

C ΑΡΓΥΡΙΟΥ Χ Æ) Sponius peſſime legit ΑΡΓΥΡΙΟΝ & Æ omittit, cum ΑΡΓΥΡΙΟΥ Χ Æ ſint ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ 15. *Argenti Denarii ſex*: hæc enim nota X *denarium* indicat, ſic explicatur in notarum explicatione a Petro Diacono in corpore auctorum L. L. pag. 1526. X. *Denarius*. & in anonymi tractatu de notis pag. 1546. hæc habentur. ⳩ & ⳩. *denarii notæ ſunt*. Flavius Soſipater lib. 1. *In rationibus faciendis denarium decuſſi inducto notamus*, ⳩. Occurrit hæc nota in marmoribus Arundellianis num. 136. ΔΩΣΕΙ ΤΗ ΓΕΡΟΥΣΙΑ D X. vertunt Interpretes *dabit Senatui mille denarios*. ita ut X & ΧΕΙΛΙΑ *mille* & ΔΗΝΑΡΙΑ ſignificet, & ſic forſan in noſtra Inſcriptione X Æ ſunt ΔΗΝΑΡΙΑ ΧΑΙΛΙΑ & 6. *Denarii mille* & 6. ſi enim per XÆ modo intelligamus Denarios 6. pecuniæ ſumma eſt nimis parva, quam ut pro alienatione ſepulchri daretur. Præterea inveni hanc denarii notam in duobus Græcis lapidibus in divino Gruteri opere pag. 749. num. 4. & 760. num. 6. Aliquando tamen plenis literis pecuniæ ſumma pro mulcta pendenda deſignata fuit non vero Siglis vel notis; ſic habemus in Inſcriptione apud Whelerum Anglum itinerar. tom. 1. pag 215. ΔΩΣΕΙ ΑΡΓΥΡΙΟΥ Δ-E ΗΝΑΡΙΑ ΧΕΙΛΙΑ, *dabit argenti denarios mille*. Et in Reineſii ſyntagmate claſſ. 7. num. 27. ΑΠΟΤΙΣΕΙ ΤΩ ΣΥΝΕΔΡΙΩ ΕΝ ΣΜΥΡΝΑ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΣΧΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. *Pendet pro mulcta Synedrio Smyrnæ argenti denarios bis mille quingentos*.

ΤΑΥΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΕΚΦΡΑΓΙΣΜΑ) Apud Græcos in uſu erat, ut majoris momenti res, illaſque, quæ ad Rempublicam ſpectabant in tabulis deſcriberent, & ſigillis impreſſis conſignarent: Exemplum hujus moris eſt in Magnetum fœdere cum Smyrnæis inito inter Arundellianos lapides pag. F 8. verba hæc ſunt: Συνσφραγισάθωσαν δὲ τὰς ὁμολογίας τὴν μὲν Σμυρναίοις δοθησομένην ἔς αὖ ἀποδείξῃ τὸ κοινὸν τῶ ἐν Μαγνησίᾳ τοῖς τε ἑαυτῶν δακτυλίοις καὶ τῷ ὑπάρχοντι κοινῷ. τὴν δὲ εἰς Μαγνησίαν δοθησομένην σφραγισάσθωσαν Σμυρναῖοι οἵτε στρατηγοὶ καὶ οἱ ἐξεταςαὶ τῷ τε τῆς πόλεως δακτυλίῳ καὶ τοῖς αὐτῶν. id eſt, *Sigillanto fœdera; id ſcilicet quod ad Smyrnæos dabitur, ii qui a communi Magneſiæ deſignati fuerint, tum ſuis ſigillis, tum eo quod communi eſt. Id vero quod dabitur in Magneſiam, ſigillanto Smyrnæi & duces & quæ-*

ſitores tum Civitatis ſigillo tum ſigillis ſuis. Præterea quod in cauſa emptionis ſepulchrorum uſi fuerint tabulis obſignatis, quas in tabulario publico deponebant, præter noſtrum Tryphænæ monumentum teſtatur marmor Oxonienſe num. 79.

ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΟ ΘΩΡΑΚΕΙΟΝ ΚΑΙ
ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΩ ΣΟΡΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΚΑΙ
ΠΡΟΣΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ ΤΗΝ ΚΑΤ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΜΑΡΑΝ ΝΕΙΛΩ ΟΙΚΟΝΟΜΩ
ΑΣΙΑΣ ΤΩ ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΕΑΥ
ΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ
ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙΝ ΤΑΥ
ΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ
ΕΚΦΡΑΓΙΣΜΑ ΕΙΣ ΤΟ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ
(ΑΡΧΕΙΟΝ)

Emens hoc thoraceum &
tria in eo ſepulchra &
Inſuper exſtruens in eo
Camaram Nilo Oeconomo
Aſiæ patri ſuo & ſibi
& uxori & filiis &
Nepotibus & alumnis
Hujus Inſcriptionis reponitur
Tabula ſignata in Smyrnæ
(Archivis)

ΑΠΕΤΕΘΗ Ε......) Suppleo hanc ultimam lacunam ΑΠΕΤΕΘΗ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ, de cujus ſupplementi veritate non dubito, eadem enim verba (niſi quod loco ΕΚΦΡΑΓΙΣΜΑ habeatur ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ *exemplar*) leguntur in Inſcriptione a Thoma Smith relata in notitia ſeptem Aſiæ Eccleſiar. pag. 59. ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΕΤΕΘΗ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. Inſuper elegans marmor hoc confirmans invenitur in Reineſii ſupplemento Gruteriano claſſ. 7. num. 29. ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. & in lapide apud Whelerum itinerar. tom. 1. pag. 215. hæc verba habentur : ΕΤΕΘΗ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. Non abs re erit hic diſquirere, qualis locus fuerit ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ *Archivum*; nomen habet, ſi Iſidoro lib. 20. Orig. cap. 9. fides ſit adhibenda, ab *arca*; hinc Papias in Gloſſis : *Arca dicta quod arceat viſum vel furem : hinc & Archivum, ſecretum*. Alio loco tamen *Archiva* ab *arceo* idem Papias derivat, dum inquit : *Archiva, armaria, tabularia dicta, quod arceant, id eſt, probibeant viſum*. Quod ad primum attinet, *Archiva* explicari poſſunt per *armaria*, quoniam in *Armariis* ut in *Archivis* libri adſervantur, *Armarium* enim Bibliothecam, quæ libros continet, aliquando ſignificat, ſic habemus apud Udalricum lib. 3. Conſuetud. Cluniac. cap. 10. *Armarii nomen obtinuit, eo quod in ejus manu ſolet eſſe* Bibliotheca, *quæ & in alio nomine* Armarium *appellatur*; & in Gloſſario Saxonico Ælfrici : *Bibliotheca, vel Armarium, vel Archivum : Boocbord*. Præterea Papias exponit *Archiva, tabularia* : recte, nam Græcorum ΑΡΧΕΙΑ ſunt Latinorum TABVLARIA, quæ loca chartas publicas aliaque inſtrumenta continebant; ſic Suidas. Αρχεῖα, ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκεινται : immo ſic eſt in Gloſſis MSS. ex Bibl. Regia Cod. 930. Αρχία ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκεινται, χαρτοφυλάκιον, ἢ τὰ χωρία τῶν κριτῶν. *Tabularium* quoque locum fuiſſe talem, in quo acta publica adſervabantur, teſtis eſt Romanæ Eloquentiæ parens in orat. pro Archia cap. 4. *Tabulas deſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interiſſe ſcimus omnes*. Tale tabularium extruxit Q. Lutatius Catulus, teſte lapide in Gruteri theſauro pag. 170. num. 6.

Q. LVTATIVS. Q. F.
Q. N. CATVLVS. COS.
SVBSTRVCTIONEM. ET
TABVLARIVM. EX. S. C.
FACIVND. CVRAV.

Et quoniam publicus civitatis locus erat, hinc TABVLARIVM PVBLICVM appellatum eſt Inſcriptione antiqua, quæ mentionem facit Curatorum Tabularii publici, extat apud Gruterum pag. 237. num. 8.

TI. CL. DRVS. F. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. V.
COS. III. DES. III. I. IMP. II. P. P.
EX. S. C.
C. CALPETANVS STATIVS.
SEX. METROBIVS. M. PERPENNA. LVRCO
T.SATRIVS.DECIANVS.CVRAT.TABVL.PVBL
FAC. CVR.

Porro quemadmodum Gloſſæ Regiæ Αρχία reddunt χαρτοφυλάκιον, ſic Jure-Conſultus Ulpianus in l. 9. §. 6. D. *de pœnis*, *grammatophylacium*, verba ipſius ſunt : *Ne eo loci ſedeant, quo in publico inſtrumenta deponuntur*, archio *forte*, *vel* grammatophylacio. Alio præterea nomine locus hic appellabatur ἀρχεῖον χρεωφυλάκιον, quoniam Syngraphæ debitorum Civitatis ibi ſervabantur, lapis antiquus in Reineſii Syntagmate claſſ. 7. num. 28. ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙ....ΦΗΣ ΕΞΣΦΡΑΓΙΣΜΑ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ ΕΙΣ....ΕΙΟΝ ΧΡΕΟΦΥΛΑΚΙΟΝ. Reineſius ſupplet ΕΙΣ ΤΟ ΑΣΤΕΙΟΝ ΧΡΕΟΦΥΛΑΚΙΟΝ. male; nam idem marmor occurrit inter Arundelliana num. 138. edit. ult. ubi verba hoc modo leguntur ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙ....ΡΗΣ (lege ΦΗΣ) ΕΞΦΡΑΓΙΣΜΑ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ ΕΙΣ ΑΡΧΕΙΟΝ ΧΡΕΟΦΥΛΑΚΙΟΝ : ita ut Seldenus, a quo Reineſius illud habuit, non recte deſcripſerit, cum lacunam, quam Humphridus Prideaux nuperrimus Arundellianorum editor non agnoſcit, in fine lapidis poſuerit.

F I N I S.



N. S. T IV. Pag. 381. Tab. A.

REI ANTIQUARIÆ
SELECTÆ QUÆSTIONES
IN VARIAS DISSERTATIONES DISTRIBUTÆ,

Gallice ſcriptæ, Latine redditæ, quibus Nummi, Anaglypta, Statuæ, Muſiva, & Inſcriptiones Antiquæ, multis ex ære adjectis Figuris, illuſtrantur.

AUCTORE

JACOBO SPONIO

In Lugdunenſe Medicorum Collegium & Patavinam Recuperatorum Academiam adſcripto.

Redditæ Latine Interprete PETRO FACCIOLO Sac. Th. Doctore Coll. & in Seminario Patavino Rhetoricæ Artis Præceptore.

LVDOVICO
LVDOVICI MAGNI FILIO
LVDOVICI IVSTI NEPOTI
HENRICI MAGNI PRONEPOTI
CLEMENTI AVGVSTO
MAGNORVM FORTISSIMORVMQVE
RETRO PRINCIPVM DIGNISSIMÆ
SOBOLI
NATI NASCENDORVMQ. FELICISSIMO
PARENTI
GALLORVM DELPHINO
DESIDERANTISSIMO
DAT DICAT DEDICAT
JACOBVS SPONIVS LVGDVNENSIS
ANTIQVÆ DEVOTIONIS PIGNVS
SVIQVE IN RE ANTIQVARIA STVDII
MONVMENTVM

P R Æ F A T I O.



Uandoquidem Augusti Regis nostri, ac triumphis maximis cumulati industria fruitur modo pace Gallia, æquum est Litterariam Rempublicam, quæ ejus patrocinio floret, in hujus felicitatis partem vocari, ac Musas quæ amplius armorum strepitum non perhorrescunt, ad pristina studia revocari, illarumque cultores earum rerum, quæ in ipsarum ditione detectæ sunt, participes fieri. Et quidem ætas hæc ejusmodi est, ut prorsus novarum rerum inventrix appellari possit. Theologi autographa Patrum scripta repererunt, quæ hominum oculos antea subterfugerant; Historici novas res quæ ad omnes Provincias pertinent, prodiderunt; Jureconsulti Codices, Legesque novas pro acerrimo ipsorum judicio, studioque compilarunt; circuitus sanguinis, venæ lacteæ, quinquina, aliaque sexcenta ignota majoribus, nostrorum temporum Medicis referuntur inventa; ars spiritum, quem ducimus, ponderandi, calorem metiendi, metalla solis radiis liquandi, sub aquis diu morandi, & inde emergendi recens inventum est Physicorum. Unus est, quem imitari noluerunt, avium volatus; Ac tandem nihilo minus in amplo, observationeque digno Antiquitatis Regno deprehendendi nova studiosi fuere antiquarum rerum amatores. Omnium Regnorum antiqua numismata repererunt omnium Imperiorum: Romanorum Veterum sexcentas res memoria dignas declararunt, quæ majoribus nostris mutæ literæ videbantur nihil significantes. Propterea, cum ego quoque in humaniorum litterarum incrementum conferre aliquid concupiscam, eorum quæ in re Antiquaria detexi omnibus statui rationem reddere, & ex iis partem aliquam publici juris facere. Utrum hoc in instituto deceptus sim, ego quidem nescio; at non minus visum est mihi litteratis hominibus id jucundum fore, quam Architectis, Scalptoribus, & Pictoribus utile, qui ipsorum artem perficiendi rationem, ex magnis hisce Antiquitatis archetypis in dies percipiunt.

Adeo necessaria ad res præsertim Religionis, Historiæ, & Geographiæ Veterum isthæc cognitio est, ut ejus causa sine temporum intermissione vigilias docti homines, & peregrinationes curiosi non raro susceperint. Inter magnos viros qui hac in re versati sunt, Fulvii Ursini, Gruteri, Boissardi, & Goltzii majora sunt merita, qui magnam Lapidum, Statuarum vel integrarum, vel dimidiarum, Anaglyptorum, Inscriptionum, & Nummorum copiam in lucem ediderunt. Verum quia fieri non poterat, ut quæ præterita tempora sub Urbium eversarum ruderibus, & in sinu Terræ occulta continuerunt, ea omnia uno tempore in apricum proferrentur, nostrorum temporum eruditi Seguinus, Spanhemius, Patinus, & Vaillantus quæ notarunt, ea Litterariæ Reipublicæ nota facere non dubitarunt: & quamvis quæ ego observavi iis forent inferiora, tamen mihi persuadeo a-

liquid comparasse , quod hisce terris prope incognitis cognoscendis prodesse posset; & peragrata Europa, atque Asia in earum rerum cognitionem veni, quarum notitiam in Museo assecutus non essem. Judicabis ex hac parte quam edo in præsentia, editurus alias, si digna videbitur studiosis hominibus quæ non improbetur. Nihil intentatum relictum est, ut sive chartas, sive typos inspicias, omnia polite cedant, & quia adhibita cura est, ut omnia nitide explicarentur, spero fore ut itineribus per has antiquas terras faciendis Lectores non fatigentur. Quod si hujus artis peritis factum non erit satis, eorum, ubi monuerint, omnem prorsus, quam poterimus rationem habebimus; ac si ipsi quoque in sua regione aliquid dignum opera nacti fuerint, id nobiscum per typos communicabunt, hac tamen lege, si fieri potest, ut isthuc prosit, & erudiat, nec ab aliis antea notatum sit. Etenim in id animum intendimus, sive Titulos, sive Statuas, sive Nummos spectes, ne publici facta juris proponeremus; tametsi revera decipi potuimus. Neque enim recentes libri, qui in lucem, diemque veniunt, legi omnes possunt: præterquam quod, quandoquidem religio mihi est ne nimium temporis in eo ponam quod ad relaxandum tantummodo animum a vigiliis, studiisque gravioribus me revocat, & Medica Ars quam profiteor, exerceoque, omnem curam, studiumque a me postulat, ita ut non possim quin mei officii partes expleam, exiguum tempus quod superest, quo meæ quotidie possum obsequi voluntati, non potest esse satis ad id omne in Scriptoribus investigandum, quod feliciter posset propositum mihi institutum perficere. At si Dii faxint, ut otium mihi aliquando sit, imperfecto operi manum admovere potero, neque unquam curis, laboribusque parcam, quoties id publicæ utilitati adjumento fore putavero.

FRONTIS OPERIS HUJUSCE

EXPLANATIO.



Uia quidquid istis Dissertationibus continetur, ab Antiquitate deductum est, id cavendum duxi, ne in hujus libri fronte quidquam poneretur, quod non ab autographis desumtum esset, tametsi in hujusmodi Tabulis ad ornamentum factis res alii pro libidine confictas potius, quam veras collocare minime dubitant. Tum id ferendum est, cum res ad istiusmodi ornamenta pertinentes libri argumentum non continet: Verum male de antiquitate mereri viderer, si aliunde quærerem, quo aliorum oculos, & animum oblectarem. Isthæc igitur Tabula inter antiquas res, quas Viatores observant, & expendunt, pulcherrimarum cumulum exhibet.

1. *Primum est pulcherrimum, atque altissimum Architecturæ opus quod in Provincia ad Divi Remigii conspicitur. Turris formam illud imitatur. Deorsum quadratum est, sursum rotundæ laternæ instar factum vides, in eaque duæ Statuæ rectæ Romano ritu indutæ. Ad pedes Lapis anaglypticus aliquod prælium objicit, sed ita corrosus est ut distingui imagines nequaquam possint: extant desuper aliquæ lineæ Tituli propemodum omnino deleti, cujus ope, si legi posset, in ejus hominis cognitionem veniremus, cujus causa hoc pulchrum monumentum erectum est. Videtur id factum ad illustris alicujus hominis Romani honorem, qui in illis Terræ partibus prælio victor extiterit: Etenim in Zophoro sub laterna Tritones, & Hippopotami conspiciuntur, qui plerumque a Veteribus ad celebrandas victorias adhibentur; & præterea Anaglypta prælium, ut diximus, referre videntur. Huc addendum est ibi prope elegantis triumphalis arcus reliquias esse. Hujus pulchri operis Architectonici Columnæ ordine Corinthio constructæ sunt, & ubique commensus cumulatissimus est.*

2. *Imago quæ in stylobata proxima est, inventa est eodem in loco. Fœmina ea est ad talos usque induta, cujus vestis ad unguem facta est; quid autem agat referre satis apte non possum.*

3. *Retro est pulchra & ingens urna ex albo marmore, ornata foliis hederæ, atque vitis cum corymbis, ac racemis, quos ales in medio positus rostro petit. Cernitur illa cum sua basi antiqua apud Boyer Consiliarium in Senatu Aquarum Sextiarum in Provincia. In altera parte basis est Epitaphium mulieris quæ suæ ætatis anno decimo octavo obiit, appellata* Cornelia Valerilla, *quod in ipsius honorem* Cæsonius Hermes *ejus Vir hisce verbis incidi jussit.*

D. M.
CORNELIAE VA
LERILLAE ANN.
XVIII CAESONI
VS HERMES
CONIVGI DVLC
ISS.

Hedera, atque Vitis hieroglyphicæ litteræ esse possunt conjugum conjunctionem indicantes; Ales vero qui in caudice racemos rostro petit hujus juvenis feminæ vi-

ro, antequam mutui amoris fructus tulerit, ereptæ immaturam mortem fortasse significat.

4. *Est a tergo Templum Vestæ Deæ Terræ, quo Viris aditus erat interclusus. Rotunda structum erat forma, quia Terra rotunda est. Ibi servabatur Palladium, hoc est Palladis Simulacrum e Cœlo, ut ferebant, delapsum, quod a Troja Æneas asportaverat. Eodem in templo perpetuo sacrum ignem, æterni Imperii signum Vestales Virgines custodiebant.*

5. *Longe absens antiquum monumentum conspicitur in Pyramidis similitudinem factum, quod stat adhuc Viennæ in Delphinatu. De Vienna in hanc sententiam loquitur in suis de re Antiquaria scriptis doctissimus Historicus Chorier. Pyramis quæ in æquoris medio apparet ex quadratis lapidibus constructa est ea lapidum crassitudine, quæ mira videatur, ac valde sursum quadratum fastigium tollit, quod quatuor columnis, intra quas totidem portæ, & aditus sunt, sustinetur. Pauca in propinquis Regionibus monumenta reperias illo non inferiora. Nullus dubito quin multis ornamentis insignitum fuerit, quibus modo caret, feri alicujus hominis iniquitate spoliatum. Certum est, si illud facilee verti potuisset, nationes Barbaras, quæ tam sæpe Gallias invaserunt, idem dejecturas fuisse: verum cum id facere sine periculo non potuerint, saltem ut potuere pro ipsorum furore violarunt. Si nihilominus ejus fastigio lapis aliquis deest, ut non amplius, quemadmodum olim, in acutum cacumen desinat, id modo quinquaginta circiter ab hinc annis factum est. Mediolanensis quidam, qui tunc temporis Viennæ habitabat, cum fundum ubi stat hæc Pyramis eruisset, avaritia, feritateque animi sui ductus eam statuit demoliri. Id sacrilegii aggressus est; contra quem usus est auctoritate sua Sapientissimus vir Petrus Boissacus, qui cum jus Viennæ diceret, ad suam, Patriæque gloriam jure usus suo fecit, ut tam nobile nobis opus relinqueret. Hoc esse Venerii, quem auctorem, & Conditorem hujus Urbis esse volunt, Mausoleum, quemadmodum communis opinio est, ita infirmis nixa fundamentis. Putarunt, quemadmodum Urnæ, quæ Antonini, & Marci Aurelii cineres continebant in culmine Obeliscorum Romæ ad ipsorum memoriam erectorum positæ erant, ita a primis Viennæ incolis Venerii cineres urnæ aureæ commissos in hujus Pyramidis fastigio collocatos esse. Hanc opinionem alia consecuta est, qua illam voluerunt confirmari. Addunt, ut observavit Joannes de Bois, Poetam Ausonium in Grypho quem posteris mandavit, quemque inter ejus opera Poetica legimus, ejus rei meminisse. Sed judicabit qui illum legerit, quam audacter id in animum sibi induxerint qui primi in hanc sententiam descenderunt. Nimis multa in hoc opere sunt, cur credatur Romanum, non vero Africanum; eoque minus Afros ejus Auctores esse credendum est, quod certum est in Africa nihil simile reperiri. Præter quam quod quæ de Venerio narrantur fabulæ sunt, & Viennam monumentum suum Allobroges, non ii vero ita remoti Populi vindicant. Fateor nihilominus ad ornandam cujuspiam præstantis viri mortem, ejusque memoriam nominis hanc Pyramidem sublatam esse: & quamvis non satis validis niti possumus argumentis, quibus certo sciamus ad cujus illa gloriam erecta sit, tamen satis multa momenta sunt, quibus ad Augusti honorem factam esse conjectura assequamur. Rebus longo temporis intervallo in sui administratione imperii feliciter gestis existimatione crevit, & benevolentia omnium populorum, & fato functus apud præcipuas Romani Imperii Civitates divinos est honores consecutus. Curarunt illæ omnes, ut quod Urbs Roma fecit tunc temporis imitarentur. Non solum ille templa tanquam Deus Immortalis & sacerdotes habuit, verum etiam monumenta tanquam Heros præstantissimus; apud illas non minus superba κενοτάφια, quam aras meruit. Ita appellarunt Græci, ac deinde Latini sepulchra vacua tantum ad optime meritorum, aut eminentissimi gradus viro-*

rum memoriam sempiternam ædificata. Tanquam aliquo obstrictæ crimine male habitæ sunt Urbes illæ quæ suo explendo muneri defuerunt. Nulli hanc injuriam Tiberius inultam, impunitamque dimisit. Quæ cum ita sint, nonne id vero est simile, Viennam tum nobilem, florentemque inter cæteras maxime ejus obsequii, quo Tiberium prosequebatur, hoc argumentum dedisse, ut hoc monumento Augusti ejus Patris, & optime de ipso meriti memoriam redderet immortalem? Ab ipsa Sacerdotes arasque eidem sacratas fuisse intelleximus; credendum etiam est, præter hos honores huic in Deorum numerum relato Principi debitos, addidisse huic Divo meritum honorem sepulcri, cum in mortuorum numero recensebatur. κενοτάφιον *sine ulla dubitatione hæc Pyramis fuit: certe hoc monumentum privati alicujus hominis non esse arguit ipsa structura, & nullus Imperatorum objicitur, cujus potius, quam Augusti illud esse judices.*

6. *Jacet nonnihil distans amphitheatrum Titi, de quo plures scriptores verba fecerunt, ut nunc quoque Romæ stat, utque in Nummis cernitur, præsertim in pulcherrimo Alexandri Severi Numismate, quod ego Romæ vidi apud Præsulem Ginetti his litteris* Munificentia Augusti. *Illud ita refecerat Princeps hic, quemadmodum Theatrum, atque Circum teste Lampridio.* Lenonum, meretricum & exoletorum vectigal in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis, ad instaurationem Circi, Theatri, Amphitheatri & ærarii designavit.

7. *Proximum est parvum Templum, cujus tectum instar fornicis factum est, ejusque exterior pars squamis distincta, estque Templum Junonis, quæ in aversa Numismatis Volusiani parte Martialis appellatur.*

8. *Infra aspicitur frons, ac dimidium Templi Minervæ Atheniensis, cujus integram formam in meo Græciæ itinere explicavi.*

9. *A latere statuam adolescentis hominis vides, demissa Romano more ad talos veste, cujus marmoreus archetypus a Smyrna deductus Massiliæ apud Fouquier custoditur.*

10. *Obeliscus, qui Arelati aliquot post annis inventus est, antiquus est, & ejusmodi, qui primo intuitu feriat oculos. Pyramis quædam est ex integro Lapide Ægyptio, quem Numidicum appellant, quales Romæ sunt. De illa erudite, distincteque locutus est Terrein Academicus Arelatensis, & quæ dici de Obeliscis possunt, ea dixit fere omnia in eo volumine, quod nobis reliquit, quemadmodum de pulcherrima Venere Arelatensi, quæ interdum Diana credita est.*

11. 12. 13. *Retro est foliorum serie ornata elegans pila, quæ erecta est ad fornicem quem appellant arcum Triumphalem S. Remygii. Ante vides Aquilam, quam singulæ Romanæ Legiones præferebant, & e regione prope monumentum, quod primo descripsimus, militare signum, præfixa desuper extensa manu, unde* Manipulus *exiguum peditum agmen, quale fere illud quod vulgo dicimus* Compagnia.

14. *Tandem humi cernitur elegans Capitulum ex Urbis Jassi ruderibus, quam hodie in Asia minore appellant* Askemkallese.

Ex his intelligitur Galliam quoque nihilominus quam Græciam, & Italiam eximia posse monumenta suppeditare, nosque aliquando quæ domi habemus negligere, ut ab exteris nationibus res observatione dignas nihilo præstantiores petamus.

Illud *Desiderantissimo*, quod in Superiore Inscriptione ad Veterum Inscriptionum normam elucubrata legis, qua Delphino dedicatur istud opus, mendum quis fortasse putet pro *Desideratissimo*. Verum in Antiquis Lapidibus hujus rei exempla occurrunt, ut apud Gruterum pag. MCXVI. 7. D. M. MARCIAE SEX. F. MARCIANAE OPTIMAE ET DVLCISSIMAE ET DESIDERANTISSIMAE RARISSIMI EXEMPLI FEMINAE, &c. Præterea quemadmodum *Amantissimus* passiva significatione sæpe usurpatur, usurpari quoque potest *Desiderantissimus*. Immo ea vox viventem hominem magis explicare videtur, quam *Desideratissimus*, quæ vox ad tempus præteritum refertur. Itaque *Amantissimus*, & *Desiderantissimus* proprie eum significant, *quem omnes amant, & desiderant*. *Amatissimus* vero, & *Desideratissimus*, *quem omnes amarunt, & desiderarunt*.

Ex musæo D. OCTAUII MEY *civis Lugdunensis.*

N S. T.IV. *Pag. 385.*
Tab. V.



CLYPEVS VOTIVUS

Antiquus ex argento puro, pondo librarum XXI. *diametri 2 ped. cum 2 vnc. repertus jn Rhodano prope venionem anno 1656. Exhibens Scipionis Africani memorandam actionem qua captam jn expugnatione Carthaginis novæ eximiâ formâ Virgine Allucio Celtiberorum Principi cui desponsata erat, jntactam gratis reddidit Polyb. lib. 10. Livius lib. 26*



REI ANTIQUARIÆ

SELECTÆ QUÆSTIONES

PRIMA DISSERTATIO.

De Antiquo Clypeo Votivo ex Argento, qui habetur Lugduni, in Museo Octavii Mey.



Res Antiquas investigare mihi aggredienti nullum nobilius argumentum videtur objici posse quam eximii hujus ornamenti' explicatio, quod in suo Museo Lugduni servat Octavius Mey. Ego vero dabo operam ut quæ Antiquitatis regiones peragrans cognovi, eorum istarum rerum studiosos participes faciam, non ita tamen, ut qui plura quam ego perspexerint hinc remotos velim. Illorum etiam sententiam sequar ego Princeps, si eas rationes afferant, quæ homini qui facile se doceri patitur, probari possint.

Anno 1656. in Rhodano prope Avenionem Clypeum hunc Piscatores invenerunt; qui tam pretiosam prædam minime sperabant. Sed ipsorum inscitia in causa fuit ne quod fors obtulerat in suam converterent utilitatem. Helvetios prope imitati sunt, qui cum aliquando in prælio ad Moratum Burgundiæ Ducis castris potiti essent, ejus argentea vasa tanquam stannea, & gemmas tanquam res levissimas, & crystallinas vendiderunt.

Cum obductus duro limo, quem advexerat cursus fluminis, Clypeus esset, extremas ejus partes Piscatores fregere, ut viderent an ejus esset argentea nota. Quia argentum minus album est effractum, quam secatum, judicandum est eos credidisse minimum argenti in eo esse, quoniam nimis parvo eum Artifici Avenionensi Gregorio nomine vendiderunt, qui cum eum expoliisset, ejus exemplar fieri voluit, cumque eum pluris ipsa materia æstimasset, erat enim ex argento puro pondo librarum 21. eumdem Lugdunum misit ad Simonettum quemdam gemmarum mercatorem, ut si sese offerret occasio, nactus aliquem qui illo oblectaretur, extruderet. Hic Octavium Mey est allocutus; is, ut semper eximiarum rerum studiosus fuit admira- A tione correptus eum emit; quem ubi in sua habuit potestate, separatas partes conjungi, firmasque reddi jussit.

Hic magnus est argenteus discus, cujus cælatæ imagines adhuc inauratæ conspiciuntur. Diameter 26. pollices complectitur. Ora pariter argentea Discum totum circumit, cujus crassitudo est digiti auricularis, & ex altera parte alter circulus curvus apparet; quod quidem in altera Tabula vides.

Generali nomine eum Discum appello ad significandam planam, rotundamque figuram. Ve- B rum ut eum distinctius finiam eo nomine, quo ejus usus intelligatur, is erat *armatura sacra ad præclarum aliquod facinus cujuspiam antiqui Herois indicandum facta, ejusque memoriam in aliquo Deorum templo, ubi suspendi consuevisse credendum est, propagandam*. Quæ in hanc rem Historiæ de, aliis referunt de hac re nos certos reddunt, ut nulla prorsus dubitatio relinquatur.

Hujusmodi armaturæ hisce latinis nominibus appellabantur *Clypea*, *Clypei*, *Clupei*, *Clypei votivi*, & *Scuta*, quia intercedebat cum iis ar- C mis similitudo, quæ ad bellum deferebantur. Nonnulli antiqui Grammatici, ut cæteris viderentur acutiores, hoc discriminis esse dixerunt, ut *Clypeus* armaturam bellicam significet, *Clypeum* vero armaturam sacram; aut *Clipeus* cum *i* armaturam bellicam, *Clypeum* vero, vel *Clupeum* armaturam votam Diis. Sed Plinius, aliique Veteres hoc subtile discrimen flocci fecerunt. Veritus severam horum judicum censuram Trebellius Pollio ita sibi indulgere voluit, ut in Vita Claudii Gothici utraque voce uteretur. *Illi Clypeus aureus, sive ut* D *Grammatici loquuntur, Clypeum aureum Senatus totius judicio in Romana Curia collocatum est, ut etiam nunc videtur, expressa thorace ejus vultus imago*:

Teste in hunc locum doctissimo viro Salmasio hæc arma sacra appellabantur a Græcis *δίσκοι κύ-*

χλοι ἀσπίδες quæ voces sonant Clypeos bellicos; πίνακες hoc est Tabulæ. συλοπινάκια, hoc est Tabulæ columnæ affixæ. θωρακαὶ, thoraces. ὅπλα Thebanis, hoc est arma. συθάεια, hoc est effictæ usque ad pectus imagines.

Ethnici Antiqui, qui plerumque auræ popularis tantum, & acquirendæ gloriæ causa egregia facinora aggrediebantur, solliciti erant, ut posteris eorum quæ præclare gesserant memoriam relinquerent. Iccirco Nummis utebantur, Inscriptionibus, Anaglyptis, ædificiis, statuis ex materia tam solida, ut injurias temporis minime timere viderentur. Hanc eamdem ob causam in clypeis suorum majorum historias incidendas putarunt. Plures eleganter cælatos, & inter alios Achillis, & Ajacis Clypeos Homerus nominat. Hinc ortum est, ut Clypei ex metallo fieri consuescerent, qui Templis affigebantur tanquam monumenta Victoriarum, aliorumque nobilium facinorum, aut saltem, ut suam ipsorum imaginem posteris commendarent.

Refert Titus Livius (*a*) cæsis aliquando Pœnis Duce L. Martio prædam ingentem partam, in eaque fuisse Clypeum argenteum pondo librarum centum triginta octo, cum imagine Barchini Asdrubalis Viri celeberrimi, qui inter hujus belli Principes numerabatur, & hunc Clypeum appellatum *Martium* in Templo Capitolii positum tanquam posteris ejus Victoriæ monumentum ibi usque ad incensum Capitolium fuisse.

Idem Historicus narrat devicto Philippo Macedoniæ Rege Demetrii Patre, decem Clypeos argenteos, & unum plane aureum, qui inter hostium spolia reperti sunt, in triumphum a Tito Quintio delatos esse. Hos Clypeos belli causa comparatos non fuisse, qui pondus, pretiumque consideret, unusquisque intelligit.

a *Lib.* 25.

Aliquot post annis Ædilibus M. Tuccio, & Publio Junio Bruto dicati collocatique in Capitolio sunt Clypei duodecim, iidemque aurati.


In vita Domitiani Suetonius prodidit decrevisse Senatum, ut invisam esse hujus Tyranni memoriam ostenderet, ejus Clypeos, & imagines e Templis detrahendas. Clypeum magnificentissimum Antoninus Pius Hadriano, qui imperium antea tenuerat, dedicavit.

Ruffinus libro XI. Historiæ ecclesiasticæ de ædibus Ethnicorum loquitur; ubi in vestibulis, muris, ac fenestris *Thoraces Serapis* conspiciuntur, his enim utitur vocibus.

In Divæ Sophiæ Templi descriptione calamo exarata quam citat Salmasius, testatur Paulus Silentiarius in illa æde Discos ex metallo plures esse, in eorumque medio Imagines, inter quas imaginem Servatoris Nostri.

Neque vero tantum Imagines, aut Thoraces Virorum illustrium in his Clypeis exhibebantur, verum etiam integræ Historiæ incidebantur. Plura Græca Epigrammata a Clypeis desumpta leguntur in libris tum scriptis, tum typis impressis. Cizici in Templo Apollonidis Matris Attali, & Eumenis, multi Clypei erant, in quibus torentice cælatæ erant Historiæ. In quorum quidem uno repræsentabantur Pelias, & Neleus Neptuni Filii, qui suam matrem, ut testis Plutarchus est, e vinculis liberarunt.

Ut quæ sit Clypeorum sacrorum forma facilius intelligas, & hunc antiquum clypeum, quem præ manibus habemus, ex illorum genere esse cognoscas, hi Nummi proponuntur.



NUMMORUM

INTERPRETATIO.

I. Nummum Augusti ex aversa parte primo loco vides. Ei Senatus, Populusque Romanus Clypeum dedicavit, ut hujus rei memoria superesset, quod Phraates Parthorum Rex veritus ne vi cogeretur, militaria signa in cæde Crassi, & M. Antonii capta Augusto remisit. Summam vero cœpit hic Imperator voluptatem, quod justo prælio Parthos devicit, ac Templum in Capitolio strui jussit, dicarique Marti Victori, ubi militaria signa quæ hoc Nummo exhibentur profecto una cum Clypeo, qui in medio est, sacrata sunt.

II. In altero similis Clypeus est, quem Augusto dicavit Senatus, Populusque Romanus: Id enim in hoc ut in primo Nummo significant hæ litteræ S. P. Q. R. Cl. V. siquidem hæ litteræ harum vocum principio affiguntur. *Senatus Populusque Romanus Clypeum Votivum*, aut *Vovet* Cæsari Augusto. Eam oram in medio hic Clypeus habet, quam habet Mey Clypeus.

III. Tertius quoq; Clypeus Augusto votus est. Hic præterea columnæ, ut fieri consueverat, inhæret, unde uti diximus appellati sunt hi Clypei συλοπινάκια. σύλος enim columnam, πινάκιον vero Tabulam, sive Tabellam sonat. Aliqua hujus Imperatoris hic Victoria indicatur, quia Clypeo coronam Victoria imponit.

IV. Quartus Nummus qui est Vespasiani aversam partem offert, in eaque Clypeum sacratum columnæ affixum inter duas laurus ex Senatus Consulto. Id enim significant hæ Litteræ ex S. C. Quod superiore Columnæ parte vides, si Albertum Rubenicum audis, est simplex nota ejus qui Nummum feriit, quod est ad credendum difficile; id enim si verum esset, in aliquibus tantum Nummis, qui hujusmodi aversam partem objiciunt, ea nota occurreret. Alii putarunt urnam esse quæ hujus Imperatoris cineres contineret. At ignorant ne Vespasianum tum inter vivos fuisse, cum ille Nummus cuderetur? equidem existimarim potius urnam ludorum publicorum causa comparatam. Ad duas laurus quod attinet, eas profecto indicant, quæ ad Imperatorum januas poni solebant primo anni die, aut alio tempore cum aliquam victoriam reportaverant. Recensens honores a Senatu Augusto habitos Dio ait, ut intelligeremus ab hostibus Victorem semper discessisse, ante ejus ædes positas laurus esse, quod in quodam Augusti Nummo videre licet. Ex hoc Nummo, & ex verbis Tertulliani cognoscimus duas esse collocatas, in unoquoque januæ latere unam. *Qui sunt*, inquit, *qui Imperatores inter duas laurus obsidunt?* hoc est in ipsa illorum æde. Hinc venuste Plinius Laurum appellat, janitricem Cæsarum, eamque unam ornamentum, fidamque ædium custodem. *Gratissima domibus janitrix Cæsarum, quæ sola & domos exornat & ante limina excubat*.

V. Quintus Augusti Nummum exhibet, ubi est Clypeus per populum Romanum votus, & corona ex quercu quam accipiebant qui cives servassent, quod Augustus bello contra Parthos suscepto præstitit: captivos enim Romanos illi cum signis militaribus reddiderunt.

VI. Sextus est Tiberii Nummus Clypeum votivum continens laurea Corona cinctum, quem decrevit Senatus ad ejus in partis Victoriis moderationem patefaciendam. Quis enim (ita ferme Vellejus Paterculus) singularem Tiberii moderationem non admiretur, qui cum septem triumphos jure promeruisset, tribus contentus fuit? Nempe hujus Principis vitia specioso virtutis nomine tegebantur. Moderatione usum aliquandiu fuisse, ut testis est Dio, negandum non est. Verumtamen ita se gessit tantummodo donec Germanicus vitam duxit, cujus ille virtutem verebatur, & cujus Imperatoris creandi causa res novas facile Populus R. molitus esset, nisi Tiberius ut bene audiret simulata moderatione contendisset. Hanc virtutem Feminæ venustæ, atque adolescentis imagine in medio Clypei expressam vides.

VII. Postremus, cujus pars aversa cernitur, est ejusdem Imperatoris Nummus, ubi alius Clypeus est ejus *Clementiæ* Senatus Consulto dicatus; estque ibi Adolescentulæ specie ejusdem Virtutis effigies. *Pro tali Clementia*, Suetonius ait, *quod non strangulatam Nurum abjecerit, interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Jovi donum ex auro sacraretur*. En Tiberii clementiam admirabilem, cujus causa Clypeus aureus, qui hoc nummo exhibetur, ei sacratus est. Ex eo genere iste Clypeus est, cujusmodi Trebellius Pollio in vita Claudii Gothici appellat *Discum Corymbiatum*, hoc est, qui tanquam ornamentum herbam refert, quam Græci vocant κορύμβιον, Latini *Lychnidem Coronariam*, Galli vero *Oeillets Passeroses*. Dictus etiam ille est *Patera Filicata*, id est ornata foliis filicis, *Hederata* foliis hederæ, *Pampinata* vitis foliis.

Intelligimus materiam sacrandis Clypeis adhiberi solitam metalla fuisse, & argentum maxime. Dissimilis illorum erat magnitudo, prout quisque eorum esse pondus desiderabat, aut impensas facere. Si quæ notavimus referre ad sacratos Clypeos velimus, quin hoc quoque quod explicamus monumentum ex eorum numero sit, minime erit dubitandum. Toreuma, pondus, pretium metalli, magnitudinem Clypei bellici prope parem, & cum iis qui in Nummis extant omnem similitudinem intuenti res apparet longe certissima.

Non me latet quod XIV. Diarium Litteratorum 1681. postquam hanc Tabulam dedimus, in lucem editum refert: Nempe non ab omnibus sententiam nostram probari. Non is equidem sum qui velim doctos homines sententiam meam temere sequi. Immo vero si meliora, & certiora habent quæ afferre possint, pergratum fecerint quoties attulerint.

Hoc tantum dicam, si quis eum Clypeum Concham arbitratus est esse, eum, ubi planum prope totum fuisse illud opus quando inventum est, fundum vero instar Conchæ, ex quo Artifices illud instaurare conati sunt, extitisse sciverit, ab hac sententia discessurum. Cum illi hunc esse votivum Clypeum ignorarent, rati Concham esse, eum in Conchæ formam elaborarunt. Si ipsius operis fundum attente contempleris, non hac ratione factum fuisse liquido constabit. Quare Octavius Mey paulo post in pristinam formam restituendum curavit. Nihil addam præterea, nisi quod ipso pondere, & ea morum simplicitate, quæ Scipionis tempore erat Romanorum propria, quapropter tanta non erat in vasis luxuria, prohibemur quominus Concham esse credamus. Fortasse enim nemo sibi in animum ita induxit, ut ego in animum induxi ipse mihi, præclarum hic Scipionis facinus referri. Quod tamen minime miror, cum rationum momenta quibus ad id credendum impellor, nondum in medium attulerim.

Clypeum autem bellicum fuisse nemo judicabit, qui pondus ejus consideret, quod militis manum nimis defatigasset. Cæterum Clypei bellici erant plerumque ovati, aut oblongi sex angulis, quales videre est in Anaglyptis, & Nummis: Clypeos autem votivos non fuisse arbitror nisi rotundos, & planiores potius quam cavos, ut incidi facilius possent.

Hic porro Clypeus eo est admirabilior, quod ego qui pleraque Europæ Musea vidi, non esse alterum similem testari possum. Quocirca eum singularem puto, dignumque qui in Viri Principis Museo custodiatur. Raros esse hujusmodi argenteos Clypeos ipsum materiæ pretium valde probabiliter evincit. Sicut enim antiquæ statuæ ex auro, & argento raræ admodum ad nos pervenere, quia cum valerent maximi eas fundere ipsarum Domini coacti sunt; ita pretiosæ materiæ causa idem fatum isti Clypei sortiti sunt. Etsi fortasse iste Clypeus ex maximis non fuit, tamen 1300. & amplius *francos* argenti in eo deprehendas.

Reliquum eſt ut Clypei de quo loquimur imagines explicemus: neque enim ornatus tantum cauſa collocatæ ibi ſunt. Antiquariorum præclariſſimi ſenſerunt idem quod Octavius Mey, & conſtanti, concordique animo affirmant egregium virtutis ſpecimen, quod in Hiſpania capta Carthagine nova Scipio Africanus dedit, hoc hiſtoriæ monumento ſignificari. Narrat id pluribus T. Livius (*a*) poſtquam rationem capiendæ Urbis, & ingentem prædam factam commemoravit.

„ Cæterum, inquit, Scipio vocatis obſidibus, primum univerſos bonum animum habere juſſit; veniſſe eos in populi Romani poteſtatem, qui beneficio, quam metu obligare homines malit, exteraſque gentes fide, ac ſocietate junctas habere, quam triſti ſubjectas ſervitio. Deinde acceptis nominibus civitatum recenſuit captivos, quot cujuſque populi eſſent, & nuntios domum miſit, ut ad ſuos quiſque recipiendos veniret. Si quarum forte civitatum legati aderant, eis præſentibus ſuos reſtituit. Cæterorum curam benigne tuendorum C. Flaminio quæſtori attribuit. Inter hæc, e media turba obſidum mulier magna natu Mandonii uxor, qui frater Indibilis Ilergetum Reguli erat, flens ad pedes Imperatoris procubuit, obteſtarique cœpit, ut curam cultumque fœminarum impenſius cuſtodibus commendaret: cum Scipio nihil profecto defuturum iis diceret, tum rurſus mulier, haud magni iſta facimus, inquit, quid enim huic fortunæ non ſatis eſt? Alia me cura ætatem harum intuentem (nam ipſa jam extra periculum injuriæ muliebris ſum) ſtimulat. Ætate, & forma florentes circa eam Indibilis Filiæ erant, aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente colebant. Tum Scipio, meæ, populique Romani diſciplinæ cauſa facerem, inquit, ne quid quod ſanctum uſquam eſſet, apud nos violaretur. Nunc ut id curem impenſius veſtra quoque virtus dignitaſque facit, quæ ne in malis quidem oblitæ decoris matronalis eſtis. Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tuerique haud ſecus verecunde, ac modeſte, quam hoſpitum conjuges, ac matres juſſit.

„ Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta Virgo, adeo eximia forma, ut quacunque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio percontatus patriam, parenteſque, inter cætera accepit, deſponſatam eam Principi Celtiberorum adoleſcenti, cui Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus, ſponſoque ab domo accitis, cum interim audiret deperire eum ſponſæ amore, ubi primum venit accuratiore cum ſermone, quam parentes alloquitur. Juvenis, inquit, juvenem appello, quo minus ſit inter nos hujus ſermonis verecundia. Ego cum Sponſa tua capta a militibus noſtris ad me deducta eſſet, audiremque eam tibi cordi eſſe, & forma faceret fidem, quia ipſe ſi frui liceret ludo ætatis præſertim recto, & legitimo amore, & non Reſpub. animum noſtrum occupaſſet, veniam mihi dari Sponſam impenſius amanti vellem, tuo, cujus poſſum, amori faveo. Fuit Sponſa tua apud me eadem, qua apud ſoceros ſuos, parenteſque ſuos verecundia: ſervata tibi eſt, ut inviolatum dignum me teque dari tibi donum poſſet. hanc mercedem unam pro eo munere paciſcor: amicus populo Rom. ſis, & ſi me virum bonum credis eſſe, quales Patrem, Patruumque meum jam ante hæ gentes norant, ſcias multos noſtri ſimiles in Civitate Romana eſſe; nec ullum in terris populum hodie dici poſſe, quem minus tibi hoſtem, tuiſque eſſe velis, aut amicum malis. Cum adoleſcens ſimul pudore, gaudioque perfuſus, dextram Scipionis tenens Deos omnes invocaret ad gratiam illi pro ſe referendam, quoniam ſibi nequaquam ſatis facultatis pro ſuo animo atque illius erga ſe merito eſſet, parentes inde, cognatique Virginis appellati: qui, quoniam gratis ſibi redderetur Virgo, ad quam redimendam ſatis magnum attuliſſent auri pondus, orare Scipionem ut id ab ſe donum acciperet, cœperunt haud minorem ejus rei apud ſe gratiam futuram affirmantes, quam redditæ inviolatæ foret Virginis. Scipio, quando tantopere peterent, accepturum ſe pollicitus, poni ante pedes juſſit, vocatoque ad ſe Allucio, ſuper dotem, inquit, quam accepturus a ſocero es, hæc tibi a me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac ſibi habere juſſit. His lætus donis honoribuſque dimiſſus domum, implevit populares laudibus, & meritis Scipionis. Veniſſe Diis ſimillimum juvenem vincentem omnia cum armis, tum benignitate, ac beneficiis.

Polybius qui eadem ætate, qua Scipio vixit, ejuſque familiaris fuit, paucioribus refert hujuſmodi facinus. Addit is hoc, quod militibus qui puellam tam præſtanti forma adduxerant, reſpondit: Ego vero, nec ſi privatus viverem poteram accipere munus ullum aliud magis gratum, neque nunc Imperator ullum aliud minus gratum.

Scipionem comparat hac in re A. Gellius cum Alexandro Magno qui Statiram uxorem Darii ne videre quidem voluit. *Lepida*, inquit, *quæſtio agitari poteſt, utrum videri continentiorem par ſit Publium ne Africanum Superiorem, qui Carthagine ampla civitate in Hiſpania expugnata, Virginem tempeſtivam forma egregia, nobilis viri Hiſpani filiam captam, perductamque ad ſe Patri inviolatam reddidit; an Regem Alexandrum, qui Darii Regis uxorem prælio magno captam, quam eſſe audiebat exuperanti forma, videre noluit.*

Quod ad Scipionem attinet, vero ne, an falſo incertum, fama tamen, cum eſſet adoleſcens, haud ſincera fuit, & Nævius Poeta nonnullos verſus in eum ſcripſit. Quibus fortaſſe adductus Valerius Antius, contra atque cæteri omnes Scriptores, de Scipionis moribus ſenſit, & eam puellam captivam non redditam Patri ſcripſit, contra atque nos ſupra diximus, ſed retentam a Scipione atque in deliciis amoribuſque habitam.

Hujus Hiſtorici calumniam quæ Scipionis memoriæ injuriam infert, non ſolum alii Scriptores refellunt, verum etiam de quo ſermonem inſtituimus iſte Clypeus. Qui enim frontis tam perfrictæ eſſe potuit Scipio, ut commendari votivo Clypeo, atque in templo exponi ſineret ejus rei præclare geſtæ memoriam quam non patrarat? quam eſſe fictam Romani, Hiſpanique intellexiſſent? Cæterum tum vigeſimum ſeptimum, aut vigeſimum octavum agebat annum, quæ ætas aliquanto maturior eſt, & ad reprimendos effervеſcentis adoleſcentiæ motus aptior, quorum cauſa reprehenſus aliquando Scipio fuit, antequam ea gloriæ cupiditate, qua hoc tempore, abriperetur.

Valerius Maximus Sponſo *Indibili*, non *Allucio* fuiſſe nomen memorat: Verum Polybius, ac T. Livius diſtinguunt nomina, & Indibilem Ilergetum Regem vocant. Neque videtur probabile contra Scipionem arma Indibilem ſumturum fuiſſe, quod poſt Carthaginem accidit, ſi ab illo tam liberaliter exceptus eſſet. Præterquam quod grandior natu Indibilis erat, quoniam vivo adhuc Scipionis Patre, adverſus Romanos bellum geſſerat,

a *Lib.* 25.

uxorem duxerat, ab eaque Filias ſuſceperat, illæque, ut T. Livius narrat, ætate florentes erant.

Quæ diximus hactenus muniunt iter ad intelligendum, quinam præcipue hujuſmodi clypeo exhibeantur. Quem in medio ſedentem vides haſtam propriam Imperatoris notam manu tenentem, ille Scipio eſt. Præ ſe fert adoleſcentis hominis ſpeciem, aptam oris, & corporis conformationem, magnamque ſtaturam. Etenim tametſi ſedet, æque atque alii ſtantes, caput tollit. Illi barba raſa eſt: barbam enim radere Romanis moris fuit, certe iis qui non admodum provecti eſſent ætate, ut conſtat ex A. Gellio lib. 3. cap. 4. apud quem legimus P. Scipionem minorem, quem hic de quo loquimur Scipio adoptavit, cum reus factus eſſet, neque barbam deſiſſe radere, neque candida veſte uti, neque fuiſſe cultu ſolito reorum, ut promiſſa barba atraque veſte ante conſpectum judicum venirent. Primis quidem temporibus barbam Romani alebant, ac tantum anno 454. ab Urbe condita Tonſores Siculos Romæ ſedem ponere paſſi ſunt. Conſecutis temporibus uſque ad Hadrianum raſerunt barbam, qua de re nos certos Nummi faciunt. Hic Imperator priſtinum illum morem revocavit, eumque qui ſecuti ſunt Imperatores ſervarunt. In hoc magno Imperatore, quem tanquam Regem colere Hiſpani voluerunt Romanorum iis temporibus in cultu, habituque moderationem agnoſcimus. Pro media corporis parte ſago tegitur, nudo capite, nudiſque pedibus: videtur etiam illud ex lana. Veſtibus enim ſericis primum Heliogabalum uſum fuiſſe accepimus.

Quam ad Scipionem adoleſcens homo ducit, Virgini obductum eſt flammeo dimidium capitis, cum modeſtiæ cauſa, tum nuptiarum; velare enim caput ſolebant ſponſæ cum viro traderentur. Veſtimenta reliqua a Romanis nihil differunt: poſtquam enim in Hiſpaniam crebro Romani ſe conferre conſueverunt, ſuoſque mores eo importarunt, Romanæ, Hiſpanæque mulieres indui eodem ritu cœperunt.

Sponſus ejus Allucius is profecto eſt qui eam manu ad Scipionem deducit. Cum enim hic Nobilis Hiſpanus junior eſſet, appellat enim *adoleſcentem* T. Livius, barbam adhuc præ ſe ferre non poterat.

Barbati ſunt alii quatuor Hiſpani, iique ſunt hujus adoleſcentis ejuſque Sponſæ cognati orantes Scipionem, ut quod auri pondus ad redimendam Virginem attuliſſent, acciperet. Nam barbam alere apud Hiſpanos, ac fere omnes extra Italiam populos, Syris exceptis, in more poſitum fuit, ut ex Libris conſtat, ac Numiſmatis. Confirmant id antiqui Hiſpaniæ Nummi, de quibus verba fiunt in Libro, cujus titulus *Teſoro de las Medallas Eſpannolas*. Hinc in vita Veri Capitolinus ait promiſſam barbam huic Imperatori Barbarorum more fuiſſe: qui jacet in terra nudus eſt, procul dubio ex hac urbe captivus, qui Scipionis victoriam teſtatur, admiraturque virtutem.

Duo alii adſunt galeati, & imberbes; ii præfecti ſunt: fortaſſe unus Cajus Flaminius cui Scipio captivorum curam attribuit, alter C. Lælius, quem Scipio teſte Tito Livio adhibere ſæpe in conſilio ſolebat: eorum alter militaribus indumentis ornatus eſt, geſtatque manu buccinam.

Quod a tergo imaginum vides Architecturæ ſive Sculpturæ opus, eſt quoddam Arcus triumphalis genus, quod tamen affirmate dicere non auſim. In januis enim quæ ſunt a lateribus apparent parva velaria; & quæ in arcu triumphali eſſe conſueverunt, ut janua rotunda ſit, ac deſuper in coronarum projecturas deſinat, in medio non vides.

A Itaque ego crediderim id a fabro lignario factum ad ornamentum aulæ, ubi fandi copiam Scipio dabat, aut ſolium quoddam, ſed aliqua ratione ad formam arcus triumphalis factum, quod inſignem victoriam, quam terra, marique conſecutus eſt, indicaret, cujus rei argumento ſunt Triton, ac Nereis ſuperiore Arcus parte tubam inflantes.

Eximium quoque hujus victoriæ monumentum ſunt projecta ad Scipionis pedes arma. Jacent ibi Galeæ, Clypei, Buccina, Enſes, Pharetræ, Arcus, arma Romanis cum Hiſpanis, Afriſque tum a Scipione devictis communia. Prope Pharetram tamen duæ modo ocreæ ad obtegenda crura B ſunt, quibus Romani non utebantur.

Utrorumque enſes lati ſunt, extremiſque partibus rotundi: in capulo nulla cælatura eſt, niſi quod unus animalis caput refert. Scitum eſt ſine acie apud Antiquos enſes fieri conſueviſſe, ut iis quemadmodum ſicis, & machæris cæſim, non punctim hoſtem peterent.

In angulo pictæ Tabulæ ad præfectorum Romanorum latus menſulam vides cum Vaſe, & duobus panibus, aut duabus neſcio quibus rebus certe rotundis, ſertoque ex menſula deorſum pendente: Hæc fortaſſe referuntur ad nuptias, quæ C his nobilibus ſponſis erant exornandæ; ſive per ea panis, & vinum res conviviis præ cæteris neceſſariæ, ſive ſacrificia quæ in nuptiis fiebant, ſignificentur. Græci, a quibus Romani, ac nationes prope omnes res Religionis mutuatæ ſunt, Cælo, Terræque hæc ſacra faciebant tanquam primis ſponſis, (ita enim Ethnici Theologi ferebant) indiſſolubili vinculo conjunctis. Faciebant hæc Minervæ quoque Virginitatis Patronæ petentes veniam, ſi naturæ legibus, & peculiari quadam neceſſitate ei ſacrata Virgo nubere cogeretur.

Hæc Scipio præclare geſſit, novamque Carthaginem cœpit anno ab Urbe condita 543. hoc eſt ante D Chriſtum natum 210. Conjunge annos a Chriſto nato qui ad hoc tempus defluxerunt 1682. cum iis 210. intelliges clypeum hunc annis ab hinc 1892. ſacratum fuiſſe: nullus enim dubito quin eo tempore fuerit elaboratus. An vero videtur ſimile hiſtoriam hanc in Clypeo alicui templo affixo ad memoriam poſteris commendandam cælatam fuiſſe longo poſt tempore, non vero tum cum Scipio, quique huic rei interfuerunt, inter viros ætatem degerent, ut illorum formæ fingi poſſent?

Adde quod cum in Rhodano prope Avenionem repertus ſit, credendum eſt malo neſcio quo alicujus cymbæ impedimentis onuſtæ, & cum ripam E tranſgrederetur demerſæ fato, amiſſum eſſe: Illac enim iter fecit Scipio in Italiam ab Hiſpania rediturus.

Tandem ipſa plana cælatura, rudis forma & ambitus, Architectura minus affabre laborata ſatis argumento ſunt eo tempore clypeum hunc factum eſſe, quo nondum erant artes numeris omnibus abſolutæ: quamquam non rudes erant eorum temporum Artifices; certe præſtantiores iis qui Conſtantini tempora conſecuti ſunt, qui Gothos hiſce in rebus ſunt imitati.

Ubi ea quæ mihi objiciuntur refutavero finem faciam: quem, inquit aliquis, Scipionem eſſe F dicis, is non eſt ad Allucium converſus: hunc enim manu tenere Virginem ais, quod cum iis quæ narrat T. Livius, cum de illorum colloquio commemorat, congruere non videtur. Cæterum donum quod Scipioni offertur nuſquam cernitur.

His ita reſponſum volo: Non uno momento ſuæ virtutis, & continentiæ exemplum Scipio dedit, neque totius rei una ſcena eſt. Ad eum deducta eſt Virgo: Ad Allucium, & Cognatos mittuntur nuntii. Accedunt: eos omnes Scipio al-

loquitur. Ii quod attulerunt donum ut accipiat, orant: Is se excusat, illudque Allucio attribuit. Cognati gratias agunt, maritant sponsos, lætique redeunt. Satis igitur est ut unam, & præcipuam totius rei partem picta Tabula contineat, ut perveniat ejus rei ad posteros memoria. Hac in re non præsertim Allucii colloquium, A neque donum quod acceptum non est, spectanda sunt, sed Scipionis castitas, quamobrem eum cum Alexandro erga Statiram comparat A. Gellius: quocirca satis erat ostendere per Scipionem non usum jure belli, redditam Parentibus, sponsoque inviolatam Virginem fuisse.



SECUNDA DISSERTATIO

De Antiquo Musivo, quod est Lugduni apud Cassaire.





ANtequam Musivum, quod A haec picta Tabula refert, distincte explico, de his operibus aliqua generatim dicenda puto. Pavimenta ait Plinius elaborata arte, picturae ratione originem apud Graecos habuisse: quo in genere celeberrimum quem Sosus Pergami stravit *asaroton oecon.* Vox haec *oecos* domum significat; „ *asarotos* autem dicitur, quoniam purgamenta „ coenae in pavimento, quaeque everri solent, ve- „ luti relicta fecerat Sosus parvis e testulis, tin- B „ ctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans. Deinde in usu fuerunt quae dicuntur vulgo *Musaica*, Graece λιθόστρωτα. Coeperunt autem sub Sulla, qui hujusmodi pavimentum in Fortunae Delubro Praeneste fecit, anno ante Christum circiter 170. λιθόστρωτον, si vim vocis expendas, sonat pavimentum lapidibus stratum: verum est pavimentum e parvulis crustis, tessellisque tinctis in varios colores, variis distinctum figuris. Tandem non contenti impluvium, & atria inferiora hac ratione lapidibus sternere, cameras hisce lapidibus constru- C xerunt; cumque indignum videretur tam eximia opera pedibus calcari, aedes magnificae, ac templa tessellato opere contexi coeperunt. Id videtur Plinius indicare cum ait: *Pulsa deinde ex humo pavimenta in Cameras transiere e vitro.* Nihilominus magna pavimentorum consecutis temporibus ad haec usque postrema factorum copia moveor ut credam, non illa prorsus pulsa esse, sed hanc pingendi rationem aliis ornamentis plerumque usui fuisse, ut inter caetera aedificiis quae appellantur *Musea*, quae specus imaginem ita reddebant ut naturam ars imitaretur. Hujusmodi pavimenta di- D cta sunt *Musea*, *Musia*, *Musiva*; quia Musis ingenii opera referebantur, ibique Musae, atque liberales artes repraesentabantur. Habetur Lugduni aedes antiqua D. Irenaei structa tota emblemate vermiculato, ubi cernuntur adhuc pictae Rhetorica, Dialectica, Prudentia.

Fortasse aedificia publica, quo litterati homines conveniebant, *Musea* dicta his operibus ornata erant, & hujusmodi Musea pluribus in locis fuisse constat. Collis celeberrimus Athenis hoc nomine fuisse fertur, ubi humo conditus Poeta Musaeus est; ac Troezene in Peloponneso Templum cui nomen *Museum* Musis dicatum Litteratorum hominum commodo, ubi docuit Rhetoricam Pittheus, librumque edidit, quem testatur se legisse Pausanias.

Apud hoc Templum ara est Musis, somnoque sacra. Hoc factum iccirco est, quia Veteres mysteriis maxime addicti significare voluerunt somnum Musis esse amicum. At celeberrimum Museum erat Alexandriae, de quo Philostratus, & D. Chrysostomus, in quo publico sumtu viri docti quamplures alebantur. Certum est aedificatum illud fuisse jussu Ptolemaei Philadelphi Aegypti Regis, qui admirabilem illam Bibliothecam composuit, cujus tot Scriptores meminere, & Sacras Litteras per 70. Interpretes Graece reddendas curavit. Claudius Imperator, qui docti famam aucupabatur, in eadem urbe, teste Suetonio, veteri Museo alterum ex suo nomine Museum addidit.

Vocabulum *Musivum* perperam nonnulli a Mose, vel Judaeis derivant. Salmasius in sex Scriptores Historiae Augustae, ait non idem esse musivum, & pavimentum, at nec pavimento, sed cameris, & absidibus musivum assignari, easque saepe musivo pictas: fatetur tamen utrumque opus & musivum, & pavimentum tessellatum esse, hoc est parvis lapillis compositum, variisque figuris distinctum. Latini appellant haec *opera tessellata*: Graeci τὰ ψηφολογητά, & χονδροβολίας a χόνδρος, hoc est *glarea*, & *minutissimus calculus*. Haec est Salmasii sententia: Usus tamen obtinuit, ut musivi nomen tum pavimentis, tum cameris opere tessellato contextis tribuatur. Quamobrem nulla nobis religio injiciatur, quominus promiscue hoc nomine utamur.

Perrault in Vitruvium, quae Vitruvius appellat *Pavimenta sectilia*, apte a Musivis distinguit. Certum est, inquit, tessellas quibus Musiva conficiuntur oportuisse cubicas esse, aut certe ad formam cubicam accedere, ut apte altera cum altera

connecti posset, & ut possent quaslibet figuras, quoslibet colores imitari (singulis enim laterculis suus est peculiaris color) sicuti aulæa pingi acu quodammodo solent. Hoc tamen de Pavimentis sectilibus dicendum minime est. Seligebantur enim lapilli quorum varii natura colores essent, ii scilicet, quibus pro re quæ agebatur, opus esset: quare uni, eidemque lapillo umbra, & lux inerat, & secari hujusmodi laterculi, prout usus postulabat, in varias formas poterant. Hoc vere erat Pavimentum sectile. Hac ratione Senæ in Æde Majore structum est pavimentum ex marmore lapillis apte collocatis; eademque ratione jam nunc Parisiis ad *Gobelinos* Tabulæ elaborantur tessellis ex marmore, lapide lazuli, aliisque gemmis distinctæ. Cælator tamen hujus musivi, de quo loquimur, & præ manibus habemus, de quadrata lapillorum forma non fuit admodum sollicitus, quos videtur ad squamarum normam affinxisse.

De duplici horum pavimentorum genere, quæ adhibere foris, & aptare Tabernaculo Cæsar consueverat, in ejusdem Cæsaris vita Suetonius loquitur. *In expeditionibus tessellata, & sectilia pavimenta circumtulisse*. Quam in rem consulendus est interpres Casaubonus, qui multa scitu digna de his pavimentis, eorumque nominibus tum Latinis, tum Græcis affert. Inter cætera loquitur de voce λιθόστρωτον, qui est locus, quo ductus Jesus Christus est, ut apud Pilatum Judicem causam diceret. Hoc vocabulum significat pavimentum incisis lapidibus stratum, cujusmodi fuit hæc aula, ubi jus dicebatur a Judæis, patrio sermone dicta *Gabbata*.

Fere in omnibus antiquis urbibus, & præsertim in iis quæ olim fuerant Romanæ Coloniæ, hujusmodi musiva inveniuntur; at pauci de iis integris conservandis solliciti sunt.

Aventici, quod est antiquissimum Helvetiorum oppidum, Musivum variis pictum alitibus, & concinnatum lapillis inventum est. In medio leguntur hæc:

POMPEIANO ET AVITO
COSS. KAL. IAN.

His eum locum, ubi profecto sacra Ædes aliqua fuit, intelligimus Calendis Januariis esse dedicatum, Consulibus Pompejano, & Avito, qui anno Christi 210. Urbis 961. juxta fastos Capitolinos, Magistratum inierunt. At illud opus prope totum corruptum est, & nisi curiosus aliquis extitisset, ejus quoque memoria interiisset.

Bergerus in historia viarum militarium, musivum describit quod extat in Æde Cœnobii D. Remygii Rhemis, ubi servatur oleum cœlitus missum. Verum quia liber ille non est facile parabilis, quæ ibi leguntur huc transferam. Hæc ferme ille habet.

„ Sternitur hoc pavimentum quam late pateto- „ deum totum, quod est longitudine, ac latitu- „ dine illi par quod in Æde B. Virginis Parisiis cer- „ nitur. Contextum illud est lapillis marmoreis, „ aliis quidem colore nativo, aliis autem encausto „ pictis opere vermiculato. Tam bene dispositi, „ junctique lapilli sunt, ut innumeræ species pe- „ nicillis effictæ videantur. Tibi odeum ingredi- „ enti David objicitur harpa canens, cujus e capi- „ te illud eminet *Rex David*. Inter hunc & A- „ quilam conspicitur ingens picta tabula, in cu- „ jus medio D. Hieronymi imago est, atque no- „ men: Prophetas, Apostolos, Evangelistas ad- „ dito cujusque nomine circum vides, Aucto- „ res nempe sacrarum utriusque Legis Littera- „ rum; Librum secum figura, tituloque distin- „

A ctum habet quisque suum: alii clausi sunt, alii „ in orbem voluti more antiquo. Ita vero Tabula „ disposita est ut Novæ Legis Scriptores medium „ locum teneant, veteris autem postrema. „

Ad dexteram Odei partem quatuor quadratæ „ Tabulæ sunt modicis intervallis disjunctæ. Prima „ quatuor flumina *Paradisi Terrestris* exhibet, „ hominum aquam vasis fundentium forma, „ quæ vasa inter eorum brachium, ac latus posita „ sunt, hisque notata nominibus: *Tigris*, *Euphrates*, „ *Geon*, *Fison*. Hæ quatuor imagines „ ejus Tabulæ quatuor angulos occupant. In medio „ Mulier remum tenet, ac Delphino insidet, „

B ibique legis hæc: *Terra*, *Mare*. „

Alteram Tabulam unus Ramus cum frondibus, „ ac foliis totam occupat. „

In tertiæ angulis sunt quatuor Anni tempestates „ inscripto nomine: *Ver*, *Æstas*, *Autumnus*, „ *Hyems*: in medio Homo fluvio insidens „ cum ea Inscriptione: *Orbis Terræ*. „

Quarta septem artes liberales continet, quarum „ tamen pleræque imagines odei sedilibus teguntur. „ Verumtamen apparent hæc duo verba: „ *Septem Artes*. „

Ad lævam partem magnum quadrangulum „

C vides, cujus longitudo duplo major est, quam „ latitudo. Duæ amplæ sed in circulum acta æquali „ magnitudine Zonæ sunt, convexæ, quæ se „ contingunt. In altera Zona sunt duodecim anni „ menses, in altera duodecim Zodiaci signa. „

In medio tanquam centro primæ Zonæ sedet „ Moses, qui Angelum altero genu sustinet: circum „ scripta legis hæc: „

Moïsique figuras
Monstrant hi Proceres.

Reliqua legi non possunt, quemadmodum ne- „

D que Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, Orientis, „ Occidentis, Septentrionis imagines „ conspici, quia ejus loci subsellia impedimento „ sunt. Prudentia tamen mulieris serpentem ferentis „ forma, & proprio notata nomine *Prudentia* „ patet, eademque ratione *Meridies* Hominis „ figura; quibus cæteras quoque quas nominavimus „ species tegi conjicimus. „

In medio alterius Zonæ occurrit oculis Ursa „ utraque, suis utraque ornata Stellis, & altera „ quidem capite alterius caudam sequitur; ita „ plane ut eas in globo cœlesti pictas vides. Omnes „ imagines istæ opere tessellato confectæ sunt; „

E cætera planities crocea est, eodemque emblemate, „ cujus vel crassiores lapilli unguis latitudinem „ non exsuperant. Nonnulli tamen sepulcrales „ lapides nigri, & candidi ibi sunt, & nonnulli „ rotundi Jaspides, alii purpurei, alii coloribus „ aliis undantibus ornati, & inter lapillos marmoreos „ distributione quadam coagmentati, tanquam „ gemmæ in annulo compactæ. Hinc duos „ gradus Aram majorem versus conscende. Aliud „ cernis pavimentum, & alia ratione ex lapillis „ marmoreis textum, & lineis emblemate vermiculato „ venuste distinctum: In Aræ autem gradu „

F Sacrificium Abraham, Scalas Jacob, aliaque „ Veteris Legis monumenta SS. Novæ Legis Sacrificium „ significantia eodem opere descripta vides. „ Templum illud in quo jacet hujusmodi pavimentum „ Leo IX. Pontifex M. dedicavit, qui anno „ 1049. mense Octobri Concilium ibidem habuit. „ Si eodem tempore hoc pavimentum stratum est, „ aliquid immutare necesse fuit, ut aptari possent „ sepulturæ, quæ modo sunt, quæque postea sunt „ ibi positæ. „

Joannes Poldo D'Albenas, qui de Nemausi rebus

bus antiquis agit Musivi meminit, quod jam tum cum ipse viveret Nemausi servabatur in Æde sacra majore; videbanturque in eo expressæ species arborum, avium, aliorumque animalium: & alterius præterea meminit, quod e Divi Ægidii prope Nemausum ad Fontem Aquæ pulchræ transtulit; quam ob rem de hujusmodi Musivis ille pluribus disseruit. Ait id a Gallis promiscue dici *Mosaique*, & *Musaique* pro sui temporis consuetudine. Animadvertit præterea in Codice lib. 10. de excusat. artif. per Imperatores Theodosium, & Valentinianum Artifices *Musivarios* (non ut perperam legunt alii *Muscarios*) officiis publicis immunes fuisse; & Ciceronem in Bruto de M. Calidii stylo dicere, nullum nisi loco positum, & tanquam in vermiculato emblemate structum verbum reperiri.

Tam vulgaria Romæ facta sunt musiva, ut iis delubra pleraque Maximorum Pontificum jussu ornata sint, ut habemus ex Bibliothecæ custode Anastasio, qui ait hujusmodi opera vermiculata jubente Leone IV. collocata in Æde Divi Petri fuisse, Sergio II. alia in Divi Martini, Gregorio IV. in Laterano; & aurata alicubi fuisse hæc Musiva, ut adhuc videre similia licet in Italia: quæ quidem Venetiis Ædi Divi Marci non exiguo sunt ornamento.

Narrat Spartianus in Pescennii Nigri vita, eum cum adhuc non esset Imperator in *Commodianis hortis in porticu curva pictum de Musivo inter Commodi amicissimos esse, & Sacra Isidis ferentem*.

Ecce Inscriptionem, quam Princeps Eminentissimus de Medicis ab ea parte Africæ quæ ad Tunetum vergit, Florentiam deduci jussit; in qua de opere Museo mentio est, quo curva porticus fuerat exornata.

.... ATA PECVNIA PERFECIT
ET DEDICAVIT ET OB DEDICATIONEM

PVGILVM CERTAMINA EDIDIT
ET DECVRIONIBVS

SPORTVLAS ET POPVLO GYMNASIVM EPVLVM DEDIT

ET HOC AMPLIVS PRO SVA
LIBERALITATE CAMERAM

SVPERPOSVIT ET OPERE MVSEO
EXORNAVIT

.... CVM... AREIS... FELICE
ET RVFINO

.... DED.... OB. QVAM DEDICAT.
EPVL.DEC.ET POPVLO FRVM.DED.

Alicujus Ædificii meminit hæc Inscriptio, cujus ob dedicationem pugilum certamina edita sunt, Decurionibus largitiones factæ, datum epulum populo: superpositus præterea est fornix ex opere Museo Felice, & Rufino Consulibus.

Videntur Lugduni hæc Musiva communia fuisse. Etenim in Æde Athanacensi totum pavimentum prope Aram erat opere tessellato. Repræsentatur ibi Paschalis II. Pontifex Maximus a quo Ædes illa restaurata est: ibique legitur hic versiculus:

Hanc Ædem Sacram Paschalis Papa dicavit.

Et alii quatuor de obsequio quo ad Sacram Aram accedere liceat, quos ego versus profero de Lugduni rebus antiquis alibi verba faciens. Tota erat his emblematis D. Irenæi Ædes exornata, ipsum opus est admodum crassum, & prope antiquius quam illud Athanacense, hoc est sæculo circiter decimo constructum. Reliquiæ adhuc reperiuntur, ea præcipue Urbis parte quæ frequentior est, quam appellant *Fourviere*.

Musivum igitur illud, quod interpretandum suscepimus Lugduni apud Cassaire anno 1676. inventum est. Dum terram fossores moverent, ea quinque, aut sex pedes effossa, muri palmum offenderunt opere tectorio, at pariter vermiculato lævigati, quem, cum urgerent opus, fregerunt. Pavimentum quod integrum est, longum pedes fere viginti, latum decem, totum est quadratis laterculis, certoque ordine distributis ingeniose tessellatum. In medio est Tabula tres ferme pedes alta, quatuor longa; ibique expressæ quatuor Imagines, quas superius videre est, quasque explicare conabimur.

Ex frustis hujus operis effracti facile intelligas ita confici consuevisse: ut corium duos circiter transversos digitos crassum, & arenatum, ac marmoratum componerentur, in qua materia certo ordine lapilli in oblongum quadrati collocarentur; ita tamen ut dimidia lapillorum longitudo in arenato, quemadmodum dentes in malis, includeretur. Atque ut figuras quas libuisset Artifices exprimerent, Graphidos scientiam probe callere necesse fuit, & lapillos colorum, exempli causa, albi, rubei, nigri, leucophæi varietate distinctos eligere, ut ambitus & umbræ juxta propositum Artifici σκοπὸν efficerentur. Cum naturales hi colores essent, nihil ferme detrimenti injuria temporum ferebant; & quidem si qua hujusmodi pavimenta reperiuntur, nihil venustatis coloribus ademtum cernimus. Plura de ratione conficiendi musivi scire cupienti legendus est Liber Felibieni, cujus titulus, *Principes d'Architecture, Sculpture, & Peinture*. Prima elementa Architecturæ, Sculpturæ, & Picturæ.

Musivum hoc tanto pluris ego facio, quia opus Museum in imaginibus maxime apparet: quandoquidem tanto in pretio est Musivum illud quod est in cella Vinaria Civis Arausiensis, quod ita elaboratum est ut fellis murem dentibus teneat; multæ quidem artis, at fortasse non magni mysterii opus. In plerisque tamen, vere ut dicam, pavimentis hisce aliqua emblemata exhibebantur; quam rem eo versu confirmat Lucillius, quem Plinius citat.

Arte pavimenta atque emblemata vermiculata.

Ut ut res sit, prima hujus Musivi effigies Hermes est, de quo satis locuti sumus. Utrum quæ eminent ex capite duæ fasciolæ sint alarum formam imitatæ, qua ratione Hermes effingi sæpe solet, an vero pendentes ad humeros in nodum torti funiculi, ut Pictor credidit, vel in ipso opere satis secernere haudquaquam posses.

Adolescentulum alatum, quem, si propriam aliquam notam sui gestaret, cupidinem crederem, reddit species altera: existimarim ego potius genium aliquem, cujus Dei plura erant officia. Nam hæc Antiquos oppleverat opinio, ut uniuscujusque Provinciæ, uniuscujusque Urbis, uniuscujusque hominis Genius aliquis curam gereret. Itaque alii Fontibus, alii Arboribus, alii Saltibus, alii Eloquentiæ, alii Lætitiæ, alii Artibus præerant. Videtur hoc in loco similis ducenti, aut invitanti Satyrum, ut Mercurium, aut Hermetem veniat veneratum.

Tertia ostendit Satyrum, nisi Pana malis, capripedibus, & extantibus in fronte cornibus, utpote eos pingi ferebat consuetudo. Pan apud Veteres habitus fuit Mercurii & Penelopes filius; & quia in caprum se transformasse Mercurius dici-

tur, quo pateret ei ad Penelopem aditus, hinc mos tenuit ut caprinis pedibus fingeretur, & *Semicaper* nuncuparetur. Hic animadverte varias de Penelope sententias. Alii, nempe Homerus, & cum eo plurimi, tanquam castitatis exemplum Penelopem proposuerunt. Alii, quorum Principes sunt Duris Samius, Tzetzes Pausanias, & Horatius ea dicunt, ut impudica sui corporis copiam fecisse videatur. Confunduntur apud Scriptores sæpe Satyri cum Pane; illi enim quoque *Panes* dicti sunt, quod hoc Ausonii versiculo comprobatur;

Capripedes agitat cum læta protervia Panes.

Et verum est eos ita effingi consuevisse. Pan erat Satyrorum Princeps. Sylvarum, Camporum, Venatorum Dii habiti illi sunt, qui tam perfrictæ frontis fuerunt, ut sæpe ad inverecundiam, & impudentiam significandam Satyri ponerentur.

Quarta imagine ex media parte vestita Silvanus Camporum, pecorumque Deus sine ulla dubitatione indicatur: Nam ita pingi consuevit, ut manum dexteram protenderet, læva cupressi, aut alterius arboris ramum ferret, qualem hic vides. Rem certam faciunt hi duo Martiani Capellæ versus l. 5. in nupt. Mercur. & Philolog.

Tunc primum posita Silvanus forte cupressu
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem.

Arboreis frondibus redimitus est, quia rure præcipue colebatur. Illum Deum finium, non secus atque Mercurium Horatius nominat.

Ex te Pater
Silvane, tutor finium.

Quod Silvani dextram supereminet, non est aliud quidquam nisi Tabulæ ornamentum nihil significans.

Nonnulli hoc Emblema explicare conati sunt: sed hæc picturarum Ænigmata sunt plerumque ejusmodi, ut in quamlibet partem verti, ac flecti pro libidine possint. Interim donec meliora afferantur, ita interpretari possumus hoc emblema, omnia cedere eloquentiæ, cui præest Mercurius, & hac homines pertrahi vel invitos: Nam Satyrus unam manum a tergo revinctam habet, quamvis Genium propulsare dextera conetur. Hinc ad se feras Orpheus traxit; Hinc Amphion Musicæ suavitate saxa ita movit, ut eum sequerentur, & ad struendos muros Thebanos, ubi ipsi libebat, collocarentur.

Neque hæc alia inepta est interpretatio, Antiquos Romanos hac Tabula indicari voluisse eam quæ Terminis, ac Limitibus agorum, quorum tutores Mercurius, & Silvanus erant, debetur, venerationem, quoniam ipsi Satyri eos colere, ac revinctis manibus venerari cogebantur. Si quis alicujus agri Terminum movebat loco, aut alio transferebat, eum statim sacrum fuisse, eique Deo mactari ad expiandum scelus impune potuisse ex antiquis Scriptoribus comperimus.

Notandum est apud Ethnicos musivis Satyros expressos frequenter fuisse, quod colligi ex his Nili versiculis potest epigr. lib. 4.

Πῶς ἐκ λίθων ἄλλοθεν ἄλλης
Συμφερτὸς γενόμην ἐξαπίνης Σάτυρος.

hoc est, *quomodo ex nonnullis lapidibus simul conjunctis factus sum repente Satyrus?* Hoc pavimentum profecto tum factum fuit cum Romani hujus Urbis imperium tenerent, & adhuc expertes Christianæ Religionis essent, quandoquidem eorum Deos effictos intueris. Ut credam primo, aut altero Æræ Christianæ sæculo factum hoc musivum fuisse, elegans ac venusta formæ ratio facit. Præterea apud quempiam virum nobilem, in aula collocatum potius, quam in Æde iis numinibus sacra fuisse crediderim. Neque enim probabile est in Ædium Sacrarum pavimento Deos hos effictos fuisse, qui eorum pedibus calcati essent, qui ipsos venissent veneratum. In aris ipsorum positi fuissent potius, aut locis aliis, unde conspici a suis cultoribus possent.

Ad ornandum argumentum hoc meum, ostendendumque in eadem ara aliquando Mercurio, & Silvano cultum haberi consuevisse, quibus aliquando Pan quoque, & Bacchus tanquam Numina propitia Rusticis addebantur, aliquot hoc loco Inscriptiones afferam.

R O M Æ.

SILVANO ET MERCVRIO
SACRVM
TI. CLAVDIVS EPICTETVS
ET CLAVDIA HEROIS
EX VOTO. L. M.
AR. ET PAVIMENT. S. P. REST.

Lubens merito Aram & Pavimentum sua pecunia restituerunt.

Pavimentum ad quod pertinet hæc Inscriptio, videtur fuisse musivum, sive opus tessellatum: alioquin non esset de eo pavimento facta mentio; quod tanti non fuisset, ut de illo verba fierent: & in hanc sententiam Cicero suæ domus porticum tantum ait *pavimentatam*. Gualtherus in suis Siciliæ Inscriptionibus unam refert, quam ædes quædam sacra Syracusis servat opere Museo, ubi quidam Cn. Octavius restituisse pavimentum dicitur, totamque ædem Veneri aliquando Sacram fuisse novimus.

R O M Æ.

SILVANO PAN.
ET LIBERO PAT.
INVICT. SAC.
SERGIANA CVM FIL.

R O M Æ.

MERCVRIO SOLI
ET SILVANO
SANCTISSIMO
SACRVM
Q. VIVIUS VOLSCINIVS
PROC. COLLEG.
AVRIGARIORVM
IIII FACT.

Nomen Sanctissimi non est Silvani proprium, sed occurrit in pluribus lapidibus sacratis aliis Diis, gratia exempli Jovi, Mercurio, Baccho, Herculi. Artificum, & aliorum quorumcumque hominum societatibus, quæ a veteribus collegia dicebantur, sui Patroni erant, sui Procuratores. Qui currus regebant a Latinis appellati Aurigarii, Aurigæ, & Aurigato-

res in Ludis Circensibus alii aliis æmulati decertabant, uter regendo currus superior evaderet,&propo situm victoribus præmium consequeretur. Collegia instituerunt colorum varietate distincta, quorum quatuor in Inscriptionibus Gruteri inveniuntur Factiones præcipuæ, scilicet, *Russata*, *Prasina*, *Veneta*, *Albata*. Opinio est Veteres quatuor illis coloribus quaternas anni partes significare voluisse, quibus novam quamdam formam natura induit, ita ut Factiones singulæ suo quæque colore has anni partes indicarent. *Prasina* Ver, *Russata* Æstatem, *Veneta* Autumnum, qui plerumque imbrifer, & caliginosus esse solet: *Albata* tandem Hyemem abundantem nive, geluque.

NEMAUSI.

DEO SILVANO
ET LIBERO PATRI
ET NEMAVSO
....ARCHVS SINODI.

Nemausus Deus est Conditor, ac Patronus Nemausi: Fuit enim olim, ut habemus ex Plinio, in more positum, ut ad grati animi significationem illos in Deorum numero collocarent, a quibus beneficia accepissent. Ita se erga Nemausum Herculis Nepotem Nemausenses gesserunt. Bacchum vero iccirco profecto cultu prosequebantur, quia ipsorum ager vino præstabat, Silvanum autem quia frugibus.

Antequam hoc argumentum absolvo, duas affero Inscriptiones. Altera est Florentiæ ab Africa sumta, & eodem in loco exarata, ubi illa de qua superius diximus. Hic legimus *Opus Albarium*.

A

B

C

D

FLORENTIÆ
In Cimeliarchio Magni Ducis.

....STAE SACRVM
Aurel. MAXIMI MEDICI ET L. AVRELII VERI AVG. ARMENIACI PARTH.
Tem PLVM CVM ARCV ET PORTICIBVS ET OSTEIS ET OPERE ALBARI A FVND.

Quæ primæ Lineæ desunt literæ addi probabili ratione possunt: *Junoni Augustæ Sacrum*, aut *Dianæ*, aut *Veneri Augustæ Sacrum*. Sed quod certum est, id est, hanc Inscriptionem alicui Templo, quod tempore, & sine dubio jussu Imperatorum M. Aurelii, & L. Veri (erant enim ipsorum Tituli, *Maximi*, *Medici*, *Armeniaci*, *Parthici*) ædificatum est, inseruisse. A fundamentis erectum hoc templum est cum Arcu, Porticibus, janiis, totum albatum, & calce illitum; Id enim apud Plinium, & Vitruvium sonat *Opus Albarium*, sive *Albare*, cujusmodi vocabulum hoc loco adhibetur. Quæ sequitur Inscriptio Andomatuni reperta est, quam mihi R. P. Menestrier suppeditavit.

ANDOMATUNI,
Seu Lingonis.


OPVS QVADRATARIVM
AVGVRIVS CATVLLINVS
VRSAR. D. S. P. D.

Opus quadratarium lata significatione nihil sonat aliud quam opus quadratis lapidibus contextum. Sic apud Sidonium Apollinarem aliosque *Quadratarii* dicuntur, qui marmora adamussim quadrant. Verumtamen Musivum quoque hoc nomine significatur: quod cum ex hac Inscriptione, tum ex Leonis Ostiensis lib. 3. cap. 29. liquido constat. *Artifices destinat peritos in arte Musaria & quadratura, ex quibus videlicet, alii Absidam, arcum atque vestibulum Majoris Basilicæ Musivo comerent: alii vero totius Ecclesiæ pavimentum diversorum lapidum varietate consternerent*. Hic, ut vides, *Ars Musaria* ad Muros, Arcusque refertur: *quadratura* vero ad Pavimenta.

TERTIA DISSERTATIO.

De duobus Numinibus Syriacis in Lapide Antiquo.

In hortis quondam Carpensibus



Ad verbum explanatur Lapidi suppoſita Græca Inſcriptio, & Palmyrena.

Aglibolo, & Malach-Belo Diis Patriis hunc Lapidem, & ſignum argenteum cum omni ornatu, Lucius Aurelius Heliodorus Filius Antiochi. Hadrianus Palmyrenus dedicavit pro ſua, Uxoris, ac Liberorum ſalute, anno 547. menſe Peritio h. e. Februario.



Romæ aliquando fuit apud Eminentiſſimum Principem Carpegna altus 5. vel 6. latus vero 3. aut 4. pedes Lapis iſte. Affertur a Grutero ſine ulla imagine, ſine ulla interpretatione p. 86. Græca ejus inſcriptio; quæ ratio eſt cur eam ipſi nos afferamus.

Aglibolum, & Malach-Belum Deos fuiſſe præcipua in veneratione apud Syros habitos dubitandum non eſt. Etenim hic Heliodorus Palmyrenus eos vocat ſuæ Patriæ Deos. Palmyra porro parva Urbs illa quidem, attamen Regni Syriæ pars eſt.

Vix noti Palmyreni fuiſſent, niſi eos Zenobia ipſorum Regina virtutis, ac venuſtatis ſuæ ſplen- A dore a tenebris vindicaſſet. Orientis linguas callebat illa perfecte, & Græcæ, Latinæque nitorem aſſecuta erat. Omnium Fæminarum pulcherrima, & fortiſſima, Trebellio Pollione teſte, fuit. Totum illa Orientem terruit, Imperatoris Gallieni Legatos cecidit, & diu magnum bellum adverſus Romanos geſſit, quo tandem multis confectis præliis eam vicit Aurelianus Romamque triumphans duxit.

Parta Victoria hac Templum ſoli dicatum Romæ Aurelianus ædificavit, & Palmyrenorum ſpoliis, & Solis, Belique ſimulacris a Palmyra, ut Auctor eſt Herodianus, abductis, illud ornavit. B Inde profecto expreſſæ ſunt horum Deorum Imagines, quos in hoc de quo loquimur lapide pictos *Agliboli*, & *Malach-Beli* nomine vides, niſi Solis, Lunæque imagines eſſe malis, quod patebit infra, cum Beli vocabulum modo Solem, modo Lunam, modo aliud Syrorum peculiare numen ſignificet.

Ne Veteres quidem ſatis explicant quiſnam Deus ſit iſte *Belus*. Heſychius ait eſſe Cœlum, aut Jovem, ut nomen ſolis ſit *Bela*. Iſte *Belus* Saturnus viſus eſt Divo Hieronymo, & D. Iſidoro. Apud Aquilejenſes ſol dictus eſt *Beles*, ſi in vita Maximini Herodianum audias. *Belinus*, & *Belenus* appellatus ille eſt, ſi quædam calamo exarata

scripta, & quasdam Inscriptiones legas. *Baal* aut *Baalphegor*, de quo Vetus Testamentum, idem erat ac *Belus*, & fortasse vox *Aglibolus* corrupta est, & composita, legendumque est *Aglibelus*, ut contendit Scaliger, quemadmodum legimus *Malachbelus*.

Aglibolum deduci a Græcis vocibus αἴγλην Βάλλω, *fulgorem jacio*, aut *emico*, conjicit Mallaval lius Massiliensis, qui ut cœcus corpore est, ita est animo oculeus, ut qui maxime. Sol est *Aiglitis* hoc est emicans cognomento dictus, auctore Hesychio. Eruditi quidem, & inter alios Bochartus plerasque voces Græcas potius a Syriaca Lingua, quam Syriacas voces a Lingua Græca docent derivari, ac propterea harum vocum significationem a Syriaco potius, quam a Græco sermone esse petendam. Et sane vocabulum *Malachbelus*, quo Luna hoc in Lapide intelligitur, est purum putumque Syriacum, & *Malach* apud Syros idem valet ac *Rex*, ut *Baal Dominus*. Hinc Imago illa in capite coronam gestat; quod per Hieremiam confirmatur cap. 7. dum carpit Veterum quamdam superstitionem ut Lunæ placentas offerrent, Lunam exprimit *Reginæ Cœli* nomine. Videtur etiam hoc Numen Malachbelus Idolum *Moloch*, de quo in sacris litteris.

Hanc esse Lunam ex eo intelligimus, quia ex ejus humeris tollitur crescentis Lunæ forma. Quod si quis objiciat eam hic præ se ferre speciem & indumentum virile, ille intelligat in iis regionibus, ac præcipue Carrhis, & in Mesopotamia Lunam pro Deo habitam esse, dicique *Lunum*, non *Lunam* consuevisse. Audi Spartianum. *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem*, inquit, *sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque a Carrhenis haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine, ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat. At vero, qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. Unde* (ita idem Scriptor narrationem hanc persequitur) *quamvis Græci, vel Ægyptii eo genere, quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mystice tamen Deum dicunt.*

Lunam virili cultu, ac nomine effictam, & Armenio ritu pileatam ad hæc usque tempora superstites Nysæorum, Magnesiorum, aliorumque Græcorum Nummi ostendunt.

Non me latet, in suis commentariis Historiæ Augustæ Salmasium explicantem vitam Aureliani a Vopisco descriptam affirmare nullam sibi dubitationem esse quin *Malachbelus* Sol sit, *Aglibolus* vero Luna. Verum quia nullam certam rationem affert, neque ipsum Lapidem vidit, videor mihi ad rem magis accedere, qui Aglibolum solem esse pronuntio, tum quia primo loco ille nominatus est, tum quia effigies quæ est in parte dextera, nihil habet, quod ad Lunam referatur; Malachbelum autem esse Lunam, quia nominatus est secundo loco, & positus in parte læva cum crescentis ab humeris Lunæ forma, quod omnem prorsus dubitationem tollit.

Quod ad indumenta harum Imaginum pertinet, non oblongam vestem, qualis fuit Romanorum, sed brevem, qualis Syrorum fuit, cum pallio super humeros in Aglibolo vides. Neque mirandum est; In Syria enim efficitæ istæ imagines, quod ostendimus, & unusquisque populus suos Deos ornat ritu suo.

Pallium super humeros in Malachbelo quoque intueris, & nescio quid simile Romano paludamento, quod Romanorum erat indumentum bellicum; Corona tamen, ut & coma Romana non est: Neque enim Comati incedebant. Quamobrem cum in Finiente Romanis capillatus Cometes ap-

A paruisset, ea reterritis dixit Vespasianus non ex ipsorum regione eum esse, idque portentum Persiæ Regi, qui valde crinitus erat, esse timendum.

Vocabulum ΣΙΓΝΟΝ, quod est in hujus Lapidis inscriptione, Latinum est, sed Græcis scriptum Litteris, idemque valet, quod parva statua.

Heliodorus *Palmyrenus* dicitur, quia erat a Palmyra, & *Hadrianus*, quia ab Imperatore Hadriano restituta hæc Urbs est, quapropter dicta est aliquando *Hadrianopolis*, *Urbs Hadriani*, & opinio est hanc eam esse Urbem, quam Ezechiel Propheta appellavit *Tamar*, quod latina voce reddit

B *Palmam*.

Heliodori Pater nomine Antiochus vocabatur. Non tamen credendum est hunc fuisse Antiochum Regem Syriæ; id enim additum non est, qua de re illi gloriandum erat: præterquam quod multis jam ante sæculis Antiochi defuncti erant, quam hunc lapidem Heliodorus dedicavisset. Erat igitur privatus quidam iste Antiochus, cui forte idem nomen erat, atque antiquis Syriæ Regibus: quemadmodum ejus filius Heliodorus idem nomen habuit, quod notissimus ille Episcopus qui abdicare se *Episcopatu* maluit, quam fateri non esse se illius *Romanensis* Tabulæ, quæ dicitur *Theagenes*, &

C *Chariclea*, auctorem, cujus vere auctor erat.

Dedicavit; hoc verbo intelligimus id ex voto ab Heliodoro in Deorum honorem factum pro sua, suorumque salute; aut gratiarum actionem hanc esse pro auxilio, quod sibi ab iis Deis in aliquo discrimine præstitum judicaret.

Anno 547. scilicet ex ratione computandi annos apud Syros, qui mortuo duodecim jam ante annis Alexandro Magno, cum Seleucus regnare cæpisset, æram instituerunt. Hic æræ Syriacæ annus quingentesimus quadragesimus septimus, si Scaligero credimus, cum anno Christi 236. congruit.

D Consulendus est Vir ille Eruditissimus *de emendatione temporum*, & Vaillantus in *Historia Regum Syriæ*, plura de hujusmodi æra scire cupientibus.

Mense Peritio. Macedonibus hic est mensis idem, qui Romanis Februarius; quem mensem ab iis in Alexandri Magni memoriam Syri mutuati sunt, aut ipsi potius Macedones in Syros bello devictos invexerunt, quemadmodum Urbium, fluminumque Macedoniæ nomina Urbibus, fluminibusque Syriæ indiderunt.

ΜΗΝΟΣ ΠΕΡΙΤΙΟΥ. In Inscriptione hac apud Gruterum eæ voces duæ corruptæ sunt. Quocirca ipsum Lapidem ille non vidit: descripsit enim ita.

E M. NOE. ΠΕΡ. ITION. quæ litteræ nihil significant, ex quo intelligis non posse facile de hujusmodi rebus antiquis eum disputare, qui eas ipse non viderit, in iisque fuerit diu, multumque versatus.

Quod vero ad duas illas hujus Inscriptionis posteriores lineas pertinet, quæ & lingua, & litteris Palmyrenis scriptæ sunt, en tibi quod Samuel Petitus Linguarum Orientalium peritissimus ad Peireschium scripsit. *Hæc Inscriptio constat Litteris Phœnicum Syriæ, suntque eædem quibus Palmyreni utebantur. Audi Heliodori in hac Syriaca In-*

F *scriptione sententiam. Senectus mea titubat, pedes labant: Servum tuum tristitia pressum in potestatem suam Dæmon lucis pertraxit: servus tuus vinculis obstrictus est, & male habitus; ejus domus in magnum discrimen incidit: Tua miseratio se effudit, saxosa, ac deserta loca, cujusmodi est ad Memphim iter, irrigavit* (quod indicat, addit Petitus, *qualis fuerit Zenobiæ tempore Palmyræ situs, atque vastatio*) *quidquid in summis calamitatibus constitutus concupivi, id mihi copiosissime contigit: Umbra tua potens est, ac misericors.*

Quare perpetuus tibi ſtabit honos, cujus in ſacris menſuram (ſcilicet vini, vel alius cujuſpiam liquoris) quotannis fundam.

Utrum hæc apte explicata ſint neſcio, ſcio tamen Petitum hunc Lapidem ad Zenobiæ tempora referentem in Temporum doctrina peccaſſe: Etenim longe ante quam ea naſceretur elaboratus ille eſt, an.236. paulo antequam Alexander Severus regnare deſineret, quod jam notavimus. Ad Inſcriptionis ænigmata, quod ſpectat, nota eſt cuique eorum qui Orientis plagas incolunt, perpetua ad hoc uſque tempus conſuetudo. D. Epiphanius lib. 2. contra B Hæreſes, de Palmyrenorum lingua ita loquitur, quaſi Syrorum ſit Dialectus peculiaris. *Nonnulli*, inquit, *Græci ſunt, qui Syrorum Linguam plurimi faciunt, & eam præcipue, quæ circa Palmiram in uſu eſt.*

Habeto quod de ſuperiore illa Petiti interpretatione Antonius Gallandius linguarum Orientalium peritiſſimus mihi ſcripſit. Ea ſunt ferme hæc. *Ut ingenue loquar, Petitus in Palmyrena Heliodori Inſcriptione explananda non ſatis apte (pace tanti Viri dixerim) videtur mihi verſari. Quæ enim,* C *amabo te, inde erui ſententia poteſt? quid ſibi vult hic* Dæmon lucis? *Quid Memphi cum Palmyra? Nos non præterit duas & viginti eſſe Phœnicum litteras. In hac vero Inſcriptione ſeu quam tu deſcri-* A *pſiſti, ſeu quam Gruterus edidit (etenim nonnihil differunt) ſequamur, viginti & octo, & amplius litteras diverſas deprehendimus. Neque illud facile credendum eſt, omnes prorſus litteras duabus lineis contineri. Audirem libentiſſime quibus Libris, quo vocabulorum Indice Petitus uſus fuerit, ut has litteras cognoſceret, quæ neque Hebrææ ſunt, neque Syriacæ, ſi utriuſque Linguæ litteras, earumque formas, quæ noſtra hac ætate traduntur, inſpicias. Equidem putarim harum ignotarum vocum eam ſententiam eſſe quæ Græcarum. Occurrunt enim aliæ quoque multæ Inſcriptiones ſimul conjunctæ Græcæ, Latinæque idem prorſus ſignificantes.*

Hæc ſunt, quæ de duabus hiſce lineis colligere mihi licuit. Interim Graverolus magni nominis Cauſidicus Nemauſienſis ad me ſcripſit, non tam magnam fortaſſe Gallandio, quam putavit cauſam fuiſſe, cur Petiti interpretationem cenſoria virgula notaret. Ea enim hic poſtremus ſcripſit, quæ ſuis manu exarata reliquit hæredibus, quibus illa Interpretatio defendi poteſt.

Hac de re Litteratorum hominum judicium eſto. Interim alius præterea lapidis, qui adhuc Romæ ſervatur cum inſcriptionibus partim Latinis, partim Palmyrenis formam, quod Gruterus non fecit, hic propono.



Dimidia forma, quæ hoc in Lapide prima objicitur, tectum pileo, quale eſt Flaminis, caput exhibet. Effigies altera, quæ radiis caput circumdatum habet, & ante ventrem Aquilam, ſatis Solem indicat, ut plura dicere minime neceſſe ſit.

Tertia Gryphas exhibet bigas trahentes feros Soli ſacros, teſte Servio: ſunt illi ex omni parte Leones, alis tantum, & facie Aquilæ ſimiles, equis vehementer infeſti. Quæ bigis hæret ſpecies non valde ab ea differt, quæ priore de quo locuti ſumus lapide Aglibolum, vel Solem exhibet. Ejus capiti Coronam Victoria imponit ad ſignificandum *Invicti* Titulum, qui in Inſcriptionibus ſæpe occurrit, propterea quod Pythona Serpentem de medio ſuſtulit.

Quarta Laurum mehercule objicit; quippe hæc arbor Apollini ſemper ſacra fuit, ex quo in eam Daphnes converſa eſt.

Calbienſes: hi ſunt incolæ promontorii *Calbii*, quod ſitum eſt in extremis Hiſpaniæ partibus: cujus Strabo meminit lib. 3. Geogr. Phœnices enim parebant Hiſpanis, etiam antequam Homerus e- E xiſteret, qui vixit ante Romam conditam jam centum, & ſexaginta annis. Neque eſt credendum, cum in poteſtatem Romanorum redacta Hiſpania eſt, Calbienſium Linguam, aut eorum locorum nomina interiiſſe.

Ad alias Inſcriptiones Grutero ignotas tranſeamus, expendamuſque quæ ad hanc diſputationem abſolvendam occurrunt, quæque ad rem præſentem pertinent.

R O M Æ.

F Q. CLODIVS PHILO
SOLI INVICTO
EX VOTO PROMISSO D. D.

Duplicem D. in Inſcriptionibus, idem valere plerumque ac *Dedicavit*, aut *Dono Dedit*, nemo eſt, qui ignoret. Hoc igitur monumentum Soli invicto dedicavit Romanus quidam nomine *Quintus Clodius Philo*.

NEMAUSI.

DEO
INVICTO
MITHRAE
L. CALPVRNIVS PISO
CN. PAVLINVS VOLVSIVS
D. S. D. D.

SALONÆ.

VIBIVS PIVS DEO
SOLI INVICTO ARAM
DEDICO VT SIS MIHI
PROPITIVS MILITIBVS
CENTVRIONIBVSQVE MEIS.

Lucius Calpurnius Piso, qui priorem Inscriptionem cum Cn. Paulino Volusio dedicavit, imperante Trajano Romæ Consul fuit; Vibius vero, qui alteram, fuit Dux, qui suis propitium votis, suis militibus, ac Centurionibus solem desiderabat.

ROMÆ.

NVMINI INVICTO
SOLI MITHRAE
M. AVRELIVS AVG. L.
EVPREPES VNA CVM
FILIS PIIS D. D.
SACERDOTE CALPVRNIO
IANVARIO DEDICATA
VII. KAL. MAIAS IMP.
L. SEPTIMIO SEVERO
PERTIN.....
-...COS......

A

ROMÆ.

M. AVRELIVS
AVG. LIB. EVPREPES
SOLI INVICTO MI
THRAE ARAM
EX VISO POSVIT
PROSIDENTIBVS BI
CTORINO PATRE
ET IANVARIO DEDICATA
IIII. NON. IVNIAS EGGIO
B
MARVLLO ET GN.
PAPIRIO AELIANO COS.

Duabus Aris, quas huic Deo M. Aurelius Euprepes Augusti Libertus, Severo Imperium tenente posuit, hæ duæ Inscriptiones affixæ erant. *Mithras* Persis erat Solis nomen, unde Romam translatum fuit, ut ex hoc versu Statii liquet:

Torquentem cornua mithram.

C Et ad hunc versum Lactantius ait, a Persis effingi Apollinem rictu Leonis cum Tiara consuevisse, quia cum in Leone Sol est, tum est ferventissimus, cum Tiara inquam, sive rotundo pileolo more Armeniorum, quæ Tiara erat ornamentum capitis apud Persas. Non desunt Romæ Lapides, qui hunc Deum exhibent insidentem Tauro, ejusque prementem cornua. Id effecerunt Veteres, ut intelligeremus Lunam, cui mactari Tauri solebant, quorum cornua sunt ejus σύμβολον, nullo alio splendere lumine, quam Solis. Milites, quique Dei
D Mithræ mysteriis interesse cupiebant, in obscurum specum, ubi sexcenti superstitiosi ritus in usu erant, ut tradit Tertullianus, Justinus Martyr, & Hieronymus, recipiebantur.

Additum est in hac postrema Inscriptione, *ex Viso*: quo conjicimus Euprepeti aut in somniis, aut alia ratione Deum Mithram apparuisse, sibique sacrandam aram imperasse.

QUARTA DISSERTATIO

De Sacris Fratrum Arvalium.

R O M Æ

Apud Montalto.

L. CEIONIO COMMODO

D. NOVIO PRISCO

III. NON. IAN.

MAGISTERIO C. MATIDI PATRVINI PROMAGISTRO L. VERATIO QUADRATO COLLEGI FRATRUM ARVALIVM NOMINE VOTA NVNCVPAVERVNT PRO SALVTE IMP. VESPASIANI CAESARIS AVG. TRIB. POT. COS. VIII. ET T. CAESARIS AVG. F. VESPASIANI COS. VI. VICTIMIS IMMOLATIS IN CAPITOLIO QVAE SVPERIORIS ANNI MAGISTER VOVERAT PERSOLVIT ET IN PROXIMVM ANNVM NVNCVPAVIT PRAEEVNTE L. VERATIO QVADRATO IN EA VERBA QVAE SSS IOVI OPTIMO MAXIMO BOVEM MAREM IVNONI REGINAE VACCAM MINERVAE VACCAM SALVTI VACCAM ITEM PRO IMP. VESPASIANO CAESARE AVG. EISDEM VERBIS Q. SS. IOVI OPT. MAX. BOVEM MAREM IVNONI REGINAE VACCAM MINERVAE VACCAM SALVTI VACC. IN COLLEGIO ADFVERVNT L. VERATIVS QVADRATVS C. PADIVS MEFLIANVS Q. TELLIVS SASSIVS L. MAECIVS POSTVMVS L. IVLIVS QVADRATVS C. VIPSTANVS APRONIANVS ISDEM COS. VI IDVS IAN. IN AEDE CONCORDIAE ADSTANTIBUS FRATRIBVS ARVALIBVS MAG. L. MATIDI PATRVINI PROMAG. L. VERAT. QVADRATO COLLEGI FRATRVM ARVALIVM SACRVM INDICTVM DEAE DIAE PRAEEVNTE L. MAECIO POSTVMO

IIII

IIII K. IVN. IN LVCO ET DOMI III. K.
IVN. DOMI IN COLLEGIO FVERVNT
L. VERATIVS QVADRATVS C. VIPSTA-
NVS APRONIANVS L. MAECIVS
POSTVMVS C. IVNIVS PADIVS ME-
FLIANVS A. IVLIVS QVADRATVS
ISDEM COS. K. MART. IN AEDE
CONCORDIAE ADSTANTIBVS FRA-
TRIBVS ARVALIBVS EX TABELLA
IMP. CAESARIS VESPASIANI AVG. MIS-
SA C. SALVIVM LIBERALEM NONIVM
BASSVM IN LOCVM C. MATIDI
PATRVINI DEMORTVI COOPTAMVS
IN COLLEGIO ADFVERVNT L. VE-
RATIVS QVADRATVS C. VIPSTANVS
APRONIANVS L. MAECIVS POSTVMVS
C. SALVIVS LIBERALIS NONIVS
BASSVS ISDEM COS. MAG. S. SALONI
MATIDI PATRVINI IN CVIVS LOCVM
SVCCESSIT OBIIT MAGISTERIVM
EODEM ANNO EIDEM COS. K. MART.
D. SALLVSTIVS BLASEVS ISDEM COS.
V.. NIAS IN AEDE CONCORDIAE
MAG. L. SALLVSTIVS BLAESVS
COOPTATVS IN LOCVM C. MATIDI
PATRVINI COLLEGIO FRATRVM
ARVALIVM CONVOCAVIT FLAM.



A Ignissimus observatione hic lapis est, servaturque adhuc Romæ, sed male impressæ litteræ sunt, ideoque ad explicandum difficillimæ. Positus est L. Cejonio Commodo, & Decino Novio Prisco Consulibus, hoc est anno Christi Domini 78. aut ut alii volunt 79. imperante Vespas. Sed observandum est ad nomen alterius Consulis hujus anni quod attinet, eum in Tabulis Capitolinis appellari Cajum Cornelium Priscum, B & a Cassiodoro Rufum, non vero Decimum Novium Priscum, ut hic legis. Quocirca credibile est, duobus nominibus duos Consules denotari; alterum de more Consulem, quo functo vita prius quam Consulatu, alterum ut dicebant in illius locum *suffectum*; quod eo magis credendum est, quia in alia Gruteri Inscriptione p. CIV. hujus Decimi Novii Prisci mentio fit. Fortasse, cum pluribus nominibus Romani uterentur, duo etiam hæc distincta nomina ad unum tantum hominem referuntur, ut vel in hoc Lapide unus tantum Romanus appellatur *Cajus Salvius Liberalis Nonius Bassus*, & alius *Cajus Salonius Matidius Patruinus*. C Sex nomina tributa Volusiano ego quoque Genuæ in inscriptione quadam legi: ea sunt hæc: *Cajus Vibius Annius Gallus Trebonianus Volusianus*; quidam etiam duobus prænominibus gaudebant, quod probant Nummi Imperatoris Getæ, in quorum aliis vocatur *Lucius Septimius Geta*, in aliis *Publius Septimius Geta*, quemadmodum Nummi Commodi, cujus prænomina sunt *Marcus*, & *Lucius*. Vota pro Imperatorum Vespasiani, ac Titi salute facta sunt III. Nonas Januarias, id est die tertio Januarii. Hoc die fiebant vota publica ut ex Calendario Constantini, a Lambecio Tomo 4. descriptionis Bibliothecæ Imperialis edito plane constat. Iccirco ad nuncupanda pro Vespasiani, ac Titi ejus Filii salute vota, immolandasque Victimas, hoc tempus Fratres Arvales constituerunt. Fratres Arvales, qui tam sæpe hoc in Lapide nominantur, erant Collegium duodecim virorum illustrium apud Romanos, qui statis diebus ad hostias, teste Varrone pro frugum ubertate mactandas conveniebant. En quæ de ipsorum origine Fulgentius ait.

Acca Laurentia Romuli nutrix consueverat pro agris semel in anno sacrificare XII. *filiis suis sacrificium præcedentibus: unde quum ex iis unus esset mortuus, propter Nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur, unde ritus processit cum* XII. *jam deinceps sacrificare, eosque Arvales dici fratres a voce Arvum*. Plerumque in Capitolio cogebantur in Æde Concordiæ, aut in luco sacro Deæ Diæ, qui tantum quinque millia passuum distat ab urbe Roma, situsque est in via, quæ hodie quoque dicitur *Campana*.

Quæ, & quot Victimæ his sacris immolarentur, hic ipse legis. Jovi plerumque bos mas, quod pluibus Veterum Scriptorum locis confirmari posset. Adeo hæc antiqua fuit consuetudo, ut ab ipso Homero cognosci possit. Is enim tradit in Iliade Bovem hunc quinquennem esse debere. A Solone tamen cautum fuisse legibus, ne Boves immolaren-


tur Plutarchus testatur: quod Ælianus explicat de Bove, qui laboribus deditus erat, quoniam præ cæteris hoc animal curandum est, qui homini sollicitudinem, laboremque colendis agris imminuit. D. Barnabæ quem Jovem, Paulo quem Mercurium Lystreni putarunt, Taurum sacrificare voluerunt, quod habemus in Actis Apostolorum. Interim in Historia Poetica Gautruchius ferox animal, ut est Taurus, mactari ait Jovi non licuisse: cui sic responsum volo; Taurus pro Bove ibi dicitur, quia Βοῦν Græce Latine Bovem a Vacca non distinguunt, utrumque enim significant. Hinc est quod hæc Inscriptio, & alia Gruteri vocem additam habet *Marem*. Verumtamen quid est cur Jovi immolari Tauri quoque non potuerint? Etenim Cybeli Deorum Matri Taurorum Sacrificium fieri consuevisse ex pluribus Inscriptionibus compertum est; quocirca *Taurobolia* hujusmodi sacrificia appellabantur; quæ fortasse pro gratiarum actione fiebant, propterea quod ab hac Terræ Dea Tauros subigendi, & laboribus exercendi artem homines didicere.

Neptuno Tauros nigros ad furorem maris indicandum mactare apud Græcos quoque in more positum fuit, ut ex Odysseæ lib. 13. liquet: ubi Nestor una cum Pyliis etiam 4500. Boves dicitur sacrificasse; quod pro ejus Herois prudentia minime videtur credendum. Hac enim ratione omnes suæ regionis Boves sustulisset, quod erat parvum oppidum Peloponnesi circa Pylon. Eo quidem progressa est Veterum superstitio, ut vel 100. Boves immolarentur, quamobrem *Hecatombes* dicti sunt, a Græco vocabulo ἑκατὸν centum. A Lacedæmoniis deductum ait hoc sacrificium Strabo, qui cum in sua ditione centum Urbibus potirentur, centum bobus rem sacram ipsorum Numinibus quotannis faciebant. Verum cum nimis magna nonnullis hæc impensa videretur, hæc sacra 25. Bobus postea perfecerunt; idque subtilitate quadam puerili ita excogitarunt, ut quoniam singuli quatuor pedes habent, satis esse ad retinendum in his sacris Hecatombes nomen arbitrarentur, si ex aliqua parte centenarius numerus retineretur. Postea in usu fuit Hecatombe quorumcumque animalium quatuor pedibus constantium, ut agnorum, caprarum, quæ magis erant parabilia. Ita Homerus in Iliade de Hecatombis Caprearum, & Agnorum principe vice genitorum. Memoriæ proditum est olim quemdam, cum procella agitaretur, centum Boves vovisse, si incolumis evaderet, cumque non satis haberet in bonis ut votum redderet, centum bubulorum ex intrita farinacea Hecatombem Diis statuit sacrificare. Nonnulli adulterinam Hecatombem hanc Pythagoræ tribuunt; & narrat Diogenes Laertius hujusmodi Boum arte factorum Hecatombem, invento novo ad probandam trigonometriam argumento, eum Philosophum obtulisse; non ille vivos boves mactavit, qui quominus interficerentur aperte prohibuit. Hanc vovendi, ac dona Diis offerendi consuetudinem Lucianus irridet, quasi vero nihil Dii gratuito hominibus impertirentur, omniaque ad suam utilitatem referrent, ut quidquid ab iis velis tibi emendum sit. Qui Boves immolabantur, eos plerumque floribus coronari moris fuit, ut ex Actis quoque Apostolorum manifestum est. Inaurari quoque cornua consuevisse Homerus ait, confirmatque id Virgilius:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencam.

Ad Junonem quod attinet, ut plurimum ei Vacca, aut Caprea mactabatur. Hinc *Ægophagos Caprivora* dicta est, & in Nummis aliquando cernitur spoliis inducta Capræ. Ut ex hac inscriptione intelligitur, Minervæ quoque immolabatur Vacca, aut potius Juvenca nondum passa jugum: *casta cervice juvenca*, Silius ait. Omnes autem Fratres Arvales, qui erant numero duodecim, his sacris interesse necesse non erat, quod ex hac Inscriptione, ubi sex nominantur, comperimus; immo vero quandoque quatuor tantum aderant, ut ex hoc monumento patet.


Quænam Dea Dia sit, cujus in Fratrum Arvalium Inscriptionibus sæpe mentio fit, ex Scriptoribus Antiquis nemo tradit. Sebastianus Feschius Basileensis, & juris Doctor, & rerum antiquarum studiosissimus, eam arbitratus est Deam *Opem*, aut *Cybelem* Saturni uxorem, magnam Deorum matrem, *Rheam* Græcis dictam, in cujus honorem singulis annis *Opalia* inter Saturnalia celebrabantur, *quod Saturnus, ejusque uxor*, Macrobius inquit, *tam frugum, quam fructuum repertores esse credantur: itaque omni jam fœtu agrorum coacto ab hominibus hos Deos coli quasi vitæ cultioris auctores*. Hæc ratio est, cur Fratres Arvales, quorum præcipua cura erat rem divinam pro Terræ ubertate facere, hanc maxime Deam orandam, sacrisque colendam susceperint. Cæterum fortasse per excellentiam *Dia*, quod idem sonat ac Divina, nuncupata est, quippe cæterorum Deorum Regina, ac Mater. Ab hac voce *Dea*, seu *Dia*, nomen accepit Dia in Delphinatu, quæ *Dia*, sive *Dea Vocontiorum* ideo dicta est, quia ibi locus est, ubi Vocontii qui circa incolunt, hanc Deam præcipuo quodam cultu venerabantur. Itaque aliquot post annis reperta est venusta inscriptio, qua *Matri Deum magnæ Idææ* mactatos Boves intelligimus, quam ego in eum tractatum contuli, cujus Titulus *Ignotorum Deorum Aræ*. *Idæa* dicitur ab Ida monte Phrygiæ, ubi præcipuo in honore habebatur. Diæ in summo fornice interiore cujusdam januæ quæ superest Urbis antiquæ, cernitur adhuc Bovis caput; & multa præterea sunt eadem in Urbe anaglypta, quæ Boum, & Arietum capita, & instrumenta colendis agris idonea exhibent; quod ejus Numinis indicat venerationem.



QUINTA DISSERTATIO

De Nuptiis Cupidinis, & Psyches.

III





Upidinis, & Psyches Amores nemo est qui ignoret, ut eos referre supervacaneum esse videatur. Eorum jucundam, utilemque descriptionem ab Apulejo, Fulgentio, aliisque multis Scriptoribus petas licet: Verum quia nihil ad has imagines explanandas illa confert, eam studiosis legendi quærendam relinquo. Hoc dicere satis est hanc pictam Tabulam e cælata gemma desumtam esse, cujus exemplar inter exemplaria, quæ Bagarrius jam fato functus reliquit, habetur, & horum Amantium Nuptias exhibet elegantissime.

A Psyches parte dextera Cupido incedit velato capite, facie inoperta, gestatque manu Turturem, mutui inter conjuges amoris signum; Psychen vero, quæ est a Cupidinis parte læva velatam non modo capite, sed toto corpore videmus. Id enim apud Veteres in more positum fuit ut sponsi facerent, ac præsertim puellæ. Ita verbum *nubere* quod modo usurpatur pro *viro tradi*, olim idem tantum erat ac velare. Catena Sponsi conjuncti sunt, quia nulla firmior quam sponsorum conjunctio. Ex iis Amoribus unus manu altera catenam, altera facem tenet. Ille pronubi munus explet, appellaturque alias *Paranymphus*. Sponsos sequitur alius, capitique canistrum plenum floribus imponit, quod *Canipboria* Dianæ festa videtur respicere, quibus ei puellæ tradendæ Viro canistra puellaribus operibus acu factis plena offerebant, quo se ex innuptarum conditione tædium capere, & conjugii voluptatem appetere significarent. Ex iis Amoribus postremus ejus, qui uxorem ducit Frater, aut Comes Torum Nuptialem ornat.

Quod Petronius refert horum Amantium Nuptias describens, cum eo congruit quod nobis ob-A jicit hæc picta Tabula. *Jam Psyche*, inquit, *puellæ caput involverat flammeolo: jam embasicoetas præferebat facem; jam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerant, thalamumque incesta exornaverant veste*. Sed inter res cæteras admiratione digniores sunt Papilionis alæ Psyches humeris hærentes, quibuscum in omnibus antiquis monumentis pictam vides, quemadmodum in septima, & octava Tabula, quæ mox sequuntur. Hujus figmenti afferri hæc ratio potest, quia Psyche apud Veteres erat Naturæ, & facultatum animæ hieroglyphicum (*Psyche* enim græce animam significat, cujus etiam signum apud eos Papilio erat) B quandoquidem illi animam pro aere, ac flatu usurpabant, quem hujus imbecilli alitis levitas designat aptissime. Quocirca eam Virgilius cum ventis, & avibus comparat.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Num his verbis *volucri somno* quæ idem valent ac *vago somno*, animam avibus comparare Virgilius voluerit, dubitat quidam familiaris meus. Id enim dicitur de Creusa, cujus imago Æneæ oculis quasi somnus, aut somnium evanuit. *Illi*, inquit La-C ctantius, *qui animam ventum putant esse, hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes vivere videamur*. In qua sententia Varro fuit, & Animam ita definit: *Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus*. Latinum vocabulum *Anima* a Græco *ἄνεμος* hoc est *ventus* deductum est: Ita pro *mori* Latini dicunt etiam *animam efflare*. Hesychio *Psyche* est græce spiritus, & parvum insectum pennatum Papilioni simile.

Fulgentius Episcopus Carthaginiensis ad mores revocans Psyches fabulam ait, duabus sororibus significari corpus hominis & liberum arbitrium; per Psychen, quæ est soror minor, animam in-


telligi; neque enim illa corpus nisi ubi formatum est, ingreditur; concupiscentiam, quæ per cupidinem significatur, eo cum anima conjungi ut eam a recto tramite removeat, prohibeatque ne Deum, a quo tantopere diligitur, aliarum sororum, hoc est sensus, ac Libertatis lumine, & ope cognoscat, sed tandem animam Sororum consiliis veritatis lumen videre coactam, emittere quam intus tegit flammam, per quam omnium malorum particeps potest esse, quemadmodum lampadis oleo Amoris arcana Psyche vidit, quod illi dolorum causa tantorum fuit. Verumtamen nimis videntur hæc longe petita, neque ejusmodi quæ Ethnicis in mentem facile venire potuerint.

IV



Ex anaglypto marmoreo hujus pictæ Tabulæ observatione dignum exemplum desumtum est, idque ego in Bagarrii monumentis manu scriptis inveni. Hic hominem adolescentem vides in toro stratum, & ad pedes mortui caput, ut intelligas eum vivere desiisse. Qui desuper Papilio volat animam, ut ante diximus, significat, & eo ipso quod volat, se corpus cui erat conjuncta admonet deseruisse. Ex ejus qui obiit ore exisse Papilio videtur. Credebant enim Veteres, quemadmodum nostrorum temporum vulgus ore animam efflari: quamobrem Iliad 9. Homerus ait, *ubi semel e septo dentium evasit anima reverti amplius non posse*. Quam ad extremam Tori partem intueris, ea mortui profecto mater est. Alteri filio prope stanti pendentia serta e floribus composita, & phialam digito commonstrat, ut ille intelligat ita homines vitam agere, ut veluti flores cito decidant, & nunquam sint lacrymarum immunes, quarum lacrymarum indicium est phiala vitreis quæ continebant lacrymas ampullis similis, quæ in Romanorum sepulcris quandoque inveniuntur, in quæ una cum ipsis mortuis solebant inferri, ut scirent posteri eos satis esse defletos. Nisi malis dicere, cum odoramenta, quorum fortasse plena est phiala, & flores quibus compositæ coronæ sunt, apud Veteres hujus vitæ delicias repræsentent, ab ea muliere adolescentem prope stantem excitari, ut dum licet omnes voluptates capiat, illud reputans, ubi vitam cum morte commutaverimus, nullam superesse voluptatibus perfruendi facultatem. Coronæ ex floribus in pompis quoque funebribus adhibebantur. Non deerant qui testamento juberent, quotannis solenni interitus die ad ipsorum sepulcra coronas ex floribus deferri. Epitaphium affert Moralis quo jubentur hæredes perficere ut ad mortui cineres Papilio volitet. HEREDIBUS MEIS MANDO ETIAM CINERE VT MEO VOLITET EBRIVS PAPILIO.

V



Nulla indiget interpretatione, quæ est in quinta Tabula, Inscriptio, & affertur a Grutero, qui nullam interim Urnæ, quæ illam continet mentionem facit, servaturque Romæ in * *hortis Mediceis* qualem hic impressam vides. Quam Veterum de Papilione opinionem fuisse diximus, hic Papilio ossium compagem sub Epitaphio jacentem circumvolans eam confirmat. Alium Papilionem ales genu inhærens ore tenet, quasi vero quia puella Antonia Panaces, quæ novem vixit annos, hilaris ingenii fuerat, & quoad vixit saltationis tantum, cantusque studiosa, ejus anima in avis corpus migraverit, juxta metempsychosim, cujus testatur Tertullianus Pythagoram, & Platonem auctores fuisse. Hinc fortasse Veteres animam papilionem putarunt, qui mutata sæpe forma immortalis sit: quemadmodum Pythagorici animarum transmigratione genus, aut speciem mutare homines arbitrabantur. Tandem duo Papiliones, quos ibi conspicis, eo spectant ut duæ animæ in hominibus esse videantur, quod nonnulli Philosophi commenti sunt; qua de re nobis alias Tabulas explicantibus dicendum erit.

* Ita est apud Gruterum.

VII VIII IX



Arbori levem, & inconstantem animam affigere velle videtur Cupido in sexta Tabula, aut eam clavo ad aridum arboris truncum figendo, prohibendoque hac ratione ne aliud corpus, ut avet, ingrediatur, ejus inconstantiam ulcisci.

Formam 7. & 8. Tabulæ Romæ ſervant antiqua A
plura monumenta. Cupido Pſychen amplectitur;
alter eſt prope nudus, altera ex parte indumento
tecta; quo videntur Veteres ad voluptatem homi-
nes exhortari conſueviſſe, juxta Fulgentii ſen-
tentiam ita hos amplexus interpretantis ut animæ
conjungi Cupido deſideret. Sed vero videtur ſimi-
lius facultatem animæ rationalem, & irrationa-
lem ſignificare voluiſſe, aut vero potius duplicem
quam animæ tribuebant naturam, qua de re Nice-
tas Choniates: (a) *Quidam*, inquit, *dupli-
cem animarum naturam eſſe dixerunt, unam qui-
dem luminoſam, alteram vero tenebricoſam: &*
hanc quidem inferne ſcaturire, atque ſubterraneis B
*ex meatibus exilire; illam vero e cœli vertice ac-
cenſam demitti, ut terrenum hoc corporis domici-
lium exornet; quæ quidem deſcendens cavere jube-
tur, ne dum corpus hoc informe, & confuſum in-
formare, & exornare contendit, ipſa dedecore,
& confuſione impleatur*. Et Epiphanius adverſus
hæreſes l.4. hæreſ. 36. hæc ferme habet. *Vos in an-
tiquos Græcorum errores impingitis, ubi dicitis du-
plicem homini animam eſſe, alteram cum brutis a-
nimantibus communem, alteram prorſus cœleſtem.
Ad id excogitandum non magno opus eſt acumine.
Appellant itaque* luminoſam *unam animam, al-* C
teram tenebricoſam, *neque tamen eodem tempore
utramque ſimul eſſe, ſed unam poſt aliam*. Et a-
libi Epiphanius ait, *hinc factum eſſe ut Ariſtote-
les diceret in homine duas eſſe animas, quarum al-
tera cum corpore, etiam cum homo vita exceſſit,
verſetur, altera ſejungatur*. Alibi vero etiam te-
ſtatur Ethnicorum nonnullos exiſtimaſſe animam
eſſe mortalem, alios immortalem, alios tandem
animam eſſe immortalem prout ratione utitur,
mortalem prout ratione caret. Ad numerum ſe-
ptimum legis *Callippo Filio*, & *Helpidi Filiæ*.
Quo intelligis fratri ac ſorori, h. e. Callippo, &
Helpidi poſitum hoc monumentum fuiſſe, quo- D
rum mutuum amorem Cupidinis, & Pſyches ima-
gine Parentes patefacere voluerunt.

a *cap. 60. Theſaur.*



Qui in nona Tabula Cupido occurrit face Papilionem comburit ad oſtendendam quam habet in animas amor maximam poteſtatem. Arcus, & Pharetra nihil peculiaris habent quamobrem immoremur; facem quidem eſt cur expendamus. Et quidem ipſa facis forma intelligimus differre a noſtris. Neque enim ibi cernitur Ellychnium, neque inſtrumentum quo Ellychnium contineatur.

Faces erant fuſtes, lampadas emittentes, fiebantque præcipue ex arundinibus,& picei generis arboribus, ita ut extrema pars pice inungeretur. Itaque Heſychius δᾳδοῦχον interpretatus, quo nomine qui in Cereris Sacris portabant faces donabantur, & ei qui ferat lampadem idem nomen tribuit, & δᾷδα h. e. *facem*, etiam *lampadem* vertit. Non tamen inde colligas nullum apud antiquos Scriptores inter lampadas, ac faces diſcrimen eſſe. Trebellius Pollio in Vita Gallieni pompam deſcribens, *cum cereis facibus*, inquit, *& lampadibus præcedentibus Capitolium petunt*. Plinius ait in Nuptiis conſueviſſe deferri faces ex quodam ſpinæ genere, quam Dalechampius ſpinam albam vocat. Ariſtænetus Acontii, & Cydippes nuptias deſcribens, *ardere*, inquit, *interea in Ædibus tædæ ſive accenſæ faces, ut ſimul & ſuffirent ædes lumenque cum odore ſuavi præberent*. Utebantur etiam ramis Pini, aliarumque arborum quæ picem, & reſinam ferrent: ex quo factum eſt ut Tæda, quæ facem ſignificat, pro Pino, & Abiete uſurparetur. Ita apud Plin. lib. 16. cap. 11. *Pix liquida in Europa e tæda coquitur*.

SEXTA DISSERTATIO.

De Herma, Hermathena, Hermanubi, & Hermheracle.





UÆ pluribus Linguæ Latinæ ſtudioſis barbara, ac nova verba hic videbuntur, ſatis ut ſpero, figuris, & interpretationibus noſtris innoteſcent.

Hermæ, quorum figuras ovatas in decima Tabula ſeptem vides, erant ſtatuæ Mercuriales, plerumque marmoreæ, aliquando æneæ ſine brachiis, ſine pedibus, quas Græci, & Romani in triviis collocabant. Servius ſuis commentariis in lib. 8. Æneid. Virgilii nominis originem narrat, ubi ait quoſdam Paſtores, cum Mercurium, quem Græci Hermetem vocant, in monte dormientem inveniſſent, ei manus amputaviſſe, unde & ipſe, & mons ubi id contigit Cyllenius dictus; nam Græce Κυλλὸς dicitur qui brachiis caret, aut aliqua parte corporis mutilatus eſt; unde etiam, ut ille ait, quaſdam ſtatuas ſine manibus *Hermas* vocamus. Verum hæc Cyllenii, quod eſt Mercurii nomen, etymologia, antiquis Scriptoribus adverſatur, qui inde nomen hoc deduci volunt, quia in Cyllene Arcadiæ monte, aut urbe editus eſt. Itaque in deſcriptione Græciæ lib. 8. Pauſanias ait Cyllenem montem eſſe totius Arcadiæ celeberri- A mum, inque ejus cacumine Templum Mercurio Cyllenio ſacrum conſpici, & hoc montis nomen, & Cyllenii cognomen, quod Mercurio tribuitur, a Cylleno Elati filio deſcendere, qui inter Patriæ Heroas habebatur, quod quidem a fabulis videtur magis recedere, quam Servii etymologia.

Ad morum normam Suidas redigens quæ fiebant ſine manibus Mercurii Statuas, ait Hermas fuiſſe Statuas lapideas Athenis in veſtibulis Ædium, ac Templorum poſitas: Cum enim Mercurius ſermonis, ac veritatis Deus haberetur, fiebant Statuæ quadratæ, & cubicæ, quod indicabat, quemadmodum quæ res hac forma præditæ ſunt, in quamcumque tandem partem cadant, ſemper ſunt rectæ, ſic veritatem ſemper ſibi eſſe ſimilem. B

Notandum eſt de Hermis Athenarum propriis Suidam verba facere, cujus rei cauſa ea eſt, quia ibi inſtituta eſt Hermarum faciendorum hujuſmodi ratio, eratque magna eorumdem copia. Meminit in oratione contra Cteſiphontem Æſchines porticus Mercurialis, quæ tunc temporis Athenis erat, & ad Athenienſium honorem, qui Medos ad Strymonem fluvium prælio vicerant, tres erectas lapideas ſtatuas continebat. Ipſas inſcriptiones affert eorum virtutis argumenta, ita tamen ut procerum nomina deſint, quæ inſcribi paſſus non eſt, & quidem prudenter ille populus libertatis a-

mans, veritus ne plus æquo magni homines superbirent, & summum imperium paulatim sibi sternentes viam assequerentur.

Inter præcipuos Hermas ii erant Athenis, quos Hipparchus Pisistrati Tyranni Atheniensis Filius, in Urbe, vicis, agris Atticæ regionis erigi, in iisque sententias, & morum præcepta incidi jusserat, quibus ad virtutem homines excitarentur; ut id plures testantur auctores: inde illi dicti sunt Hermæ Hipparchei. In vita Alcibiadis Cornelius Nepos ait una nocte omnes Hermas, qui in oppido erant Athenis dejectos esse, præter unum qui ante januam Andocidis oratoris erat; & hic orator in oratione de Mysteriis ait a Tribu Ægeide dedicatum fuisse. In Triviis, & publicis Viis ponebantur Hermæ, quia Mercurius qui Deorum nuntius habebatur, viis præerat: hinc ille cognomento *Trivius* a Trivio dictus est, & *Viacus* a Via apud Gruterum in Inscript. pag. 55. 5. Inter antiquos Lapides Oxonienses, hic est observatione dignissimus.

DEO QVI VIAS	
ET SEMITAS COM	S. C.
MENTVS.EST TIRIDAS	Senatus Consulto
S. C. F. V. L. L M.	Fecit Voto Lubenti
Q. VARIVS VITALIS	L. M.
ETECOS RESTITVIT	Libero Munere
APRONIANO ET	Q
BRADVA COSS.	Quintus.

Pro *Etecos* sexta linea, quod nihil significat, legendum puto B.F.Cos. hoc est *Beneficiarius Consulis*, quemadmodum in aliis quoque lapidibus quandoque legimus.

Consularis iste annus respondet anno 191. Christi Domini Imperante Commodo.

Cum Atticus Athenis esset, & Ciceroni familiari suo per litteras significasset se hujusmodi Hermas comparasse, quos eidem dono daret, Cicero antiquarum rerum studiosissimus amico rescripsit instando ut promissis staret; cæterum Romæ admodum rari Hermæ erant. Habeto quæ ep. 7. lib. 1. Tullius ait: *Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti jam nunc admodum delectant. Quare velim & eos, & signa, & cætera quæ tibi ejus loci, & nostri studii, & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas, & maxime quæ tibi gymnasii, Xistique videbuntur esse*. Ex Suidæ verbis quæ attulimus, Terminos quos in Ædium januis, ac fenestris collocamus, ab his Hermis Atheniensibus, quales in Ædium vestibulis, & ad ornamentum Templorum ponebantur, originem traxisse conjicio, ut satius foret eos Hermas, quam Terminos nuncupare. Etsi enim Termini lapidei, & quadrati fuerint, & aliquando caput præsetulerint, nihilominus ad agrorum, prædiorumque privati cujuspiam hominis limites indicandos potius, quam ad Ædium ornamentum adhibebantur. Has figuras, ac Statuas sine manibus, ac pedibus in Ædificiis ad ornamentum, & ferendum onus collocatas aliis nominibus Latini quoque significabant. Caryatides dicebantur muliebres statuæ sine manibus, quibus fulciebantur Epistylia. Caryates enim populi Peloponnesii, cum publicam utilitatem cum Persis contra Græciam consentiendo prodidissent, prælio victi sunt, & eorum matronæ in servitutem abductæ, quarum statuæ voluerunt Græci ut ad exemplum posteris supplicii æternum pro columnis in publicis ædificiis oneri ferendo ponerentur. Itaque mos hic e Græcia deductus, sicut & cetera quæ ad Architecturam per-

A tinent, apud Romanos quoque idem nomen obtinuit.

Spartani Platæensi prælio Persas cum superavissent, Statuas Persico ritu ornatas Xystos, & Porticus sustinentes collocarunt; & alii populi qui id sunt imitati, hujusmodi Statuas Persicas nuncuparunt: quam in rem consulendus est Vitruvius lib. primo cap. 1. qui Caryatidum figuram exponit. Videndus præterea Felibienus de Architecturæ, & Sculpturæ principiis. *Principes d' Architecture, & de Sculpture.*

Græci, ut idem Vitruvius lib. 6. prodidit, ἄτλαντας vocitant ea signa, quæ virili figura mutu- B los, aut coronas sustinent, ideo quod Atlas primum ἀστρονομίαν docuit, eaque re a Pictoribus, & Statuariis deformatur, pro eo beneficio sustinens mundum. Latini has statuas *Telamones* appellant, cujus quidem nominis etymologia non satis liquet: quamquam nostrorum temporum quidam Interpres vocis originem a Græco *τλήμων miser, laborum patiens*, petit, quod ejuscemodi signis est accommodatissimum.

Ut ut sit Gallis, quia litteræ *aspiratæ* difficilis est pronunciatio, arridet magis vox *Termini*, quam *Hermæ*: & quamvis *Herma* ab Hermete, quod C est, ut diximus, Mercurii nomen, proficiscitur, tamen non est credendum consecutis temporibus id factum esse, ut nullus Deorum, aut magnorum hominum alius hujusmodi simulacris effingeretur. Verum hinc ortæ sunt voces illæ *Hermathenæ*, *Hermerotes*, *Hermanubes*, de quibus mox loco suo.

Extant adhuc Romæ quam plurimæ istiusmodi statuæ a Græcia petitæ, quæ multorum offerunt Poetarum, Philosophorum, Imperatorumque Græcorum capita; nempe Homeri, Aristotelis, Platonis, Thucydidis, Herodoti, Themistoclis, aliorumque; quas effigies Fulvius Ursinus, Theo- D dorus Valliensis, & Caninius inter virorum Illustrium imagines exprimendas curavit. Athenienses Alcibiadis vultu plerasque figuras effinxisse Arnobius affirmat. Philosophi Xenocratis, Theonis, aliorum effigies nactus ego sum, de quibus ne verbum quidem apud Scriptores invenio.

Non est communis Hermæ forma, quæ inter Nummos in hac Tabula superius posita prima omnium occurrit. Quæ asininæ videntur aures, credendum est eas revera alas esse, quæ addi Mercurio solent: has porro aut ab Artifice male expressas, aut injuria temporum deformatas. Verus Hermes numero secundo pictus est, cujus vere e- E minent alæ.

Barbata est tertia species (atqui barba Mercurii propria non est) videturque Priapi forma. Quare Macrobius lib. 1. Saturnal. ait, *pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurari solo capite insignita, virilibus erectis; quæ figura significat solem mundi esse caput, & rerum satorem*. Ego vero nihil video quod cum Sole commune Mercurius habeat: tametsi, ut verum fatear, redimitos radiis, qui Soli tribui plerumque consueverunt, Hermas in Augusti Nummis reperies. Alias Macrobius rationes addit, quæ & Mercurio, & Soli con- F gruunt. (*a*) *Quatuor*, inquit, *latera eadem ratione finguntur, qua & tetrachordum Mercurio creditur attributum: quippe significat hic numerus vel totidem plagas mundi* (Orientem, Occidentem, Septentrionem, Meridiem) *vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur; vel quod duobus Æquinoctiis, duobusque Solstitiis Zodiaci ratio distincta est*.

Ingenue fateor imaginem, quæ quarto numero

a *cap.* 19.

posita est, me intelligentia non assequi. Malo nihil dicere quam interpretationem velut unco impacto pertractam apponere. Hoc Ænigma Doctioribus extricandum relinquo, quod Doctiorum studio dignum est.

Aversa pars argentei Nummi Augusti quinto numero objicitur. Ibi Herma, seu Terminus est subjecto fulmine, ad indicandum fortasse illud Augusti, *Festina lente*. Terminus enim qui moveri loco non debet, apte lentitudinem, fulmen vero festinationem, quæ duæ res conjungi debent, apte designant. Aut vero hoc signo id ostendere veteres voluerunt in perfecto Heroe eloquentiam, & fortitudinem consociari debere. Aliam Oyselius in Thesauro Nummorum affert interpretationem, quam legas per me licet expendasque.

Ad sextum numerum posita est forma antiqua. Ibi adolescentem hominem vides sedentem, legentemque, & e regione Hermetem: hic virtutis, & eloquentiæ præcepta tradi credas.

Ad numerum septimum duas Mulieres ita pictas aspicis, ut altera quidem sedeat, altera vero a tergo stet.

Ad Hermetem oculos convertunt, quasi aliquid orantes. Etenim Mulieres Hermetem summa veneratione prosequebantur, ornabantque floribus, ut prole fœcundæ forent, quod opere anaglyptico eleganter expressum inter res antiquas apud Boissardum videas. Romæ ego Italiam aliquando peragrans apud Carolum Valle Inscriptionem vidi ad quadratam statuam. Illa erat vere Terminus custos limitum alicujus Villæ: habebat enim caput, & brachiis, pedibusque carebat. Inscriptionis exemplum habe:

QVISQVIS
HOC SVSTVLERIT
AVT IVSSERIT
VLTIMVS SVO
RVM MORIATVR

Hæc imprecandi ratio apud Veteres horribilis erat, & longe majus malum se precari arbitrabantur, quam si dicerent; *primus suorum moriatur*; hanc ob causam quia qui postremus fato fungitur eam molestiam percipit ut suos omnes occumbere mortem videat, & sine hæredibus ipse decedat. Unum addo ad rem præsentem quod attinet, voces *Hermes*, *Hermus*, *Herma* tam communes apud Latinos factas fuisse, ut eas plures Romani pro cognomento usurparent. Plura proferre possem antiquarum Inscriptionum exempla, quas apud Gruterum nequaquam reperias. Duas tamen modo Inscriptiones proferam: extat altera Aubaneæ in Provincia, estque hæc:

Q. VETINIO EVNOETO
Q. VIXIT ANNOS XV. M. III
VETINII HERMES ET ACTE
PARENTES FIL. PIISSIMO
ET DVLCISSIMO FECERVNT
HERMAIS SOROR LIB. LIBER
TAB. POSTERISQ. EORVM

Interpretatione non indiget hoc epitaphium. Q. primo loco idem valet ac *quinto*, secundo vero, *Qui*.

Altera Romæ, his verbis:

B.	DIS MANIBVS
Bene.	PIERI AVG. L. PRAEC.
M.	PVERR. CAESARIS. N.
Merenti.	FLAVIA NICE CONIVNX
D. S.	B. M. TITVLVM CVM VALVIS
De Suo.	AENEIS D.S.D. PERMISSV HERMAE
D.	
Dat.	AVG. L. ACVB. DOMITIAE. AVG.

Hermathenæ, quarum formam numero XI. ejusdem Tabulæ vides, statuæ erant quadrato in lapide sitæ, repræsentabantque Mercurium, & Minervam, a duplici voce *Hermes* Mercurius, *Athena* Minerva. Cum hujusmodi statuam Pomponius Atticus nactus esset Athenis, Ciceroni necessario suo ad Academiæ ejus ornamentum, eam cum cæteris Hermis pollicitus est se missurum. Cui ita Tullius respondet l. I. ep. 4. „ Quod ad me de Hermathena scribis per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus gymnasii: quare velim ut scribis cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes: & epist. 6. ejusdem libri: Tu velim ea quæ nobis emisse, & parasse scribis, des operam, ut quamprimum habeamus, & velim cogites (id quod mihi pollicitus es) quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. „

Ex quodam Nummo quem Fulvius Ursinus edidit inter imagines Virorum Illustrium, desumta est hæc figura, quam proponimus num. XI. Ad Mercurium, uti diximus, refertur basis statuæ quadrato lapidi adhærentis; ad Minervam autem & Palladem studii, bellique Deam Galea, Clypeus, & Hasta.

Mirandum non est, si hac in statua Mercurius, & Minerva conjunguntur: communia enim aliquando erant utriusque festa, & sacrificia; quandoquidem alter eloquentiæ præerat, altera scientiæ, & eloquentia sine eruditione est verborum sonitus inanis, & doctrina sine eloquentia est thesaurus inutilis. Quare non temere Athenienses, qui doctrina, & eloquentia (ne dicam militari quoque virtute) cæteros omnes superarunt, *Hermathenam* illarum rerum symbolum constituerunt, dedicaruntque. Hæc Hermathena est pars aversa Nummi Hadriani, quia doctrinæ, & eloquentiæ studio tenebatur ostentandæ; sed difficiles explicatus habet vox illa *Ορδιοναίων*, quæ aversam hanc nummi partem ambit; Neque enim ex *Ordea* Macedoniæ urbe ejus cives ita appellari videntur posse. Interim in descriptionibus Nummorum Morellii de *Berne* hunc eumdem Nummum cum *Hermathena* reperii his circum inscriptis litteris ΟΡΔΑΙΩΝ ΜΑΚΕ, quibus *Ordeæ* Urbis Macedoniæ Cives significantur, quam inscriptionem Fulvius Ursinus profecto non recte legerat.

Duplici forma ostenditur num. XII. *Hermanubis*. Altera, quam primo vides ex quatuor ovatis figuris, quarum formas vir antiquitatis studiosus Bagarrius edidit, quasque in pluribus Museis invenias, Accipitris caput præsefert, altera Canis. Hujus observatione digni Idoli Plutarchus meminit; eratque Ægyptiorum Numen ex *Mercurio*, & *Anubi* constans, quoniam caduceus quem manu gestat, usitatum erat Mercurii insigne, & Accipitris caput insigne *Anubis* venatoris egregii; quocirca canini capitis specie exhibetur, diciturque ab Ovidio *Latrator Anubis*: Senatoris habitus apparet in hac altera forma, in cujus læva manu caduceus, in dextera Ægyptiacum sistrum: hac enim ferme ratione efficiebantur statuæ, quas spectavit Tertullianus quemdam Senatorem irridens.

Teque

Teque domo propria pictum cum fascibus ante
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.

Cupientibus autem plura mysteria scire, quæ ad mores ex his imaginibus referuntur, consulendi sunt Hieroglyphicarum litterarum Scriptores.

Græcæ quidem sunt quæ aversam partem primi *Hermanubis* circumstant litteræ ex antiqua Gemma cælata desumtæ, sed difficiles admodum explicatus habent. Sunt enim hæc Veterum hæreticorum Basilidianorum, aut Gnosticorum mysteria, qui Ethnicorum, & Christianorum res simul confundebant, componebantque ex Hebræarum vocum corruptione voces barbaras, quas Græcis litteris effingebant. Cujusmodi est vox ΗΡΑΜΜΑ, quam hic habes: qua in re videndus est Macarius, quem Chifflet publici juris fecit hoc Titulo; *Abraxas, sive de Gemmis Basilidianis*, ubi rerum istarum copia magna est.

Julianus Imperator, qui non modo a Christiana Religione descivit, verum etiam Ægyptiorum ritibus magnopere addictus fuit, in Nummo proximo ex parte aversa scribi jussit *Vota Publica*, quæ *Hermanubi* nuncupaverat; apparet ipse Serapidis imagine, & in ejus capite sextarius, titulus prætera *Deo Serapidi*. Quorum me ex Bagarrii scriptis Lautherius antiquitatis amator (cujus Patria Aquæ Sextiæ in Provincia) hanc in rem participem fecit, ea modo minime prætermittenda censeo.

Non pauci, inquit, occurrunt exigui ærei Nummi Deum Serapidem exhibentes; quos cum ego diligentius consideraissem, in iis omnibus Julianum Apostatam modo imberbem, modo barbatum, imitatum scilicet Philosophos, quorum longa consuevit esse, & pexa barba, facile deprehendi. Oculos præterea, & nares prorsus Juliani oculis, naribusque similes vidi. Quod quidem palpum obtrudendi causa factum est, quia Juliani tanta superbia fuit, ut Dei imagine cuperet commendari; quæ fuit Domitiani quoque arrogantia, qui Palladis forma,& Commodi quiHerculis figura in Nummis voluit repræsentari. Ex Martiali audias l. 9. epigr. 67. Domitianum Herculis statua referri. Suum Nero marmoreum caput colossi trunco imponi jussit; quo depulso nonnulli qui Imperio postea potiti sunt, voluerunt apponi suum. (*a*) D. Irenæus narrat Simonem Magum se Jovis, suam vero sociam Helenam Minervæ effigie adorandam præbuisse. In vita Caligulæ Suetonius refert Liviam ejus adolescentis Principis effigiem habitu cupidinis in æde Capitolinæ Veneris dedicasse. Legimus apud Plinium in curia Octaviæ juvenem Alcibiadem Cupidinis forma fuisse. (*b*) Quidam, uti refert Apulejus, cujusdam mortui cereas statuas, quas ipse Bacchi habitu ornarat, adorabat. Atque ita in sepulturarum antiquis lapidibus sæpe Numina toreumate cælata occurrunt, quæ sunt virorum, aut mulierum imagines, quibus factæ sepulturæ sunt.

Huc adde quod Plinius (*c*) prodidit Arellium quemdam semper alicujus fæminæ amore flagrantem ob id Deas pinxisse, sed dilectarum imagine, quod ansam Justino martyri præbuit in Ethnicos invehendi, quippe qui Pictorum Dominas, aut Sculptorum amicas divinis honoribus prosequebantur.

Quod si non ad Juliani superbiam referendum id est ut Dei imagine exprimi voluerit (publice enim modestus videri voluit) ad ejus in Ethnicorum superstitionem ad quam desciverat, studium referas. Is enim in publicis imaginibus curavit (*d*) (Sozomeno teste) ut juxta se pingeretur Jupiter, velut e Cælo apparens, & coronam, ac purpuram, Imperii insignia ipsi præbens, & Mars ac Mercurius oculos in ipsum conjicientes, ac velut oculorum nutu testificantes eum eloquentem esse, & rei militaris peritum. Hoc autem, idem Scriptor ait, Julianum eo consilio fecisse, ut honoris prætextu qui Imperatori deferri solet, Romani Deos etiam qui simul picti erant, imprudentes adorarent. Ac pauci quidem qui consilium ejus intellexerunt, nullo modo ejus statuas adorare voluerunt. Vulgus vero se vetustæ consuetudini parere hac ratione existimabat, & ad imagines accedebat. Hinc ait Gregorius Nazianzenus adversus Julianum, ignorantes homines deceptos ethnicorum Deorum imagines venerari assuevisse.

Refert idem Sozomenus Julianum hoc non fuisse contentum, sed omnem lapidem movisse, ut, mixtis iis quæ ad Ethnicorum Religionem pertinebant cum statuis, actisque publicis, subditos ad eamdem cum ipso Religionem colendam adduceret. Ex his non temere judices Juliani vultum Serapidis imagine effictum fuisse, præsertim vero in Nummis, quos semper præ manibus populus habebat, quod quidem ad eam antiquam Ethnicorum Imperatorum consuetudinem spectat, ut & illorum & Deorum simul effigies publice colendæ proponerentur. Sozomenus quidem Jovis tantum & Mercurii, non vero Serapidis, & Anubidis mentionem facit; sed apud μυθολόγυς Serapis pro Jove, Anubis pro Mercurio sæpe accipitur, ita ut pro Regionum varietate varia sint Deorum nomina: Serapis autem, & Anubis Dii erant Ægyptiorum proprii.

Etsi Ægyptiorum Dei, ritusque Romæ sæpe sublati sunt, tamen qua erant superstitione Romani eos semper restitui voluerunt, & cum alias, tum maxime ab obitu Constantini: cui quidem consilio magno profecto adjumento fuit Juliani a Christiana Religione defectio, qui omnia Ægyptiorum vehementer admiratus est deliramenta. Cæterum Serapis plerumque ita pingitur, ut ejus vertex sit insignitus calatho, *quod*, inquit Macrobius, *altitudinem Solis monstrat*. Si Rufinum, & Suidam audis,ille Macrobii calathus est mensura frumenti, quod Serapis has mensuras prodidit, aut quod Ægyptum irrigante, & fœcundam efficiente Nilo, magnam frugum copiam mortalibus suppeditabat. Hanc Serapidis mensuram ad illud Josephi facinus nonnulli referunt, qui, ut habemus ex sacris litteris, frumenti mensuris, quas cum magna esset ubertas solicite comparavit, ab Ægypto annonæ caritatem avertit.

Illud est hoc in Nummo observandum,Julianum contra illorum temporum consuetudinem, esse barbatum, quam quidem rem tanquam irridendam simulationem virtutis Juliano Antiocheni vitio dederunt. Quo M. Aurelium, qui Philosophicam barbam gestabat, fortasse voluit imitari; & quidem Eutropius testis est Julianum ad M. Aurelii imitationem se contulisse. Philosophi enim barba, & pallio a cæteris hominibus secernebantur; & Julianus magnus Philosophus haberi voluit, & multos secum Philosophos habuit. Id ex Auctoribus qui Juliani vitam conscripserunt, eruas, & præcipue ex Eunapio apud quem multorum Philosophorum qui una cum Juliano fuerunt, descriptam vitam legas. Verumtamen in omnibus argenteis Nummis, & plerisque æreis imberbis adolescens Julianus effingitur.

Herm-Heracles est quod decimo tertio numero *Hermæ* forma, Leonis pelle, Herculis (qui Græce dicitur ἡρακλῆς) clava Numen aspicis. Solebant enim Græci in Academia Mercurii, & Herculis statuam ponere, quia juventutis exercitationibus,

a *l.* 5. b *l.* 36. *c.* 5. *l.* 8. c *l.* 35. *c.* 10. d *l.* 5. *c.* 17.

A Luctæ cursui, pugilatui, aliisque Athletarum certaminibus uterque præerat. Hinc Inscriptionem ego Corcyræ legi, qua Marcus nescio quis Byblus Mercurio, & Herculi commendatur ea est hæc:

EX CORCYRA.

Α ΠΟΛΙΣ ΜΑΡΚΟΝ ΚΑΔΗ....
ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΒΥΒΛΟΝ ΤΟΝ
ΠΑΤΡΟΝΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑ
ΕΡΜΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ.

B Hoc est: *Urbs Corcyra Marcum Cale.... Filium Caii Bybli Patronum, & optime meritum* (commendat) *Mercurio*, & *Herculi*. Nisi interpretari velis *Herm-heracli*. Mercurii cum Hercule conjunctione intelligimus fortitudinem cum eloquentia conjungi oportere, aut ipsius eloquentiæ eam esse vim, ut vel feras subigat. Ita Galli peculiari quadam ratione Herculem effingebant, quasi ex ejus ore catenæ egrederentur, quibus vinciret, & ad se auditores pertraheret. Aliquis Alchymiæ addictus arcana quædam in hac Herm-heraclis C conjunctione detegeret, quasi Veteres duodecim Herculis laboribus, hoc est, ut horum hominum loquendi ratione utamur, duodecim *cohobationibus* præparationem aliquam Mercurii ad magnam perfectionem sublimati indicare voluerint. Verum necesse est nulla interjecta mora reliquas imagines ex Hermis, aliisque Diis compositas explicare, quæ non ut reliquæ, de quibus egimus, Terminorum instar factæ sunt.

Hermeros, cujus figura numero XIV. posita est, est parva ærea statua, quæ Deum refert ex Mer- D curio, & Cupidine (hic ἔρος græce dicitur) compositum. Hic adolescens, qui Cupido est, caduceum, & sacculum nummarium tenet, quibus notis pingi Mercurius consuevit. Hoc Veteres illud profecto demonstrare voluerunt, Amanti eloquentia, & auro opus esse. Plinius Sculptorum opera eximia recensens cujusdam Taurisci (a) *Hermerotas* nominat; & *Hermeros* est cognomen a Romanis, Græcisque sæpe usurpatum. Multa in Grutero exempla reperias. Duas has peculiares Romæ, & Deæ Inscriptiones inveni.

ROMÆ.

HERMEROTI
AVG. LIB.
PRAEPOSITO TABVLAR.
RATIONIS CASTRENSIS
FRATRI INDVLGENTISSIM.
AMPLIATVS AVG. LIB. FECIT

DEÆ.


D. M.
L. POMP. FAVSTINI FILI PIISSIMI
DEFVN.

ANN. X. QVEM POST MORTEM
FRATR.

EIVS SEVERIANI. L. POMP. HERME
ROS PATER AMISERAT.

Ad numerum XV. est Herm-Harpocrates: affixæ sunt enim pedibus alæ, ut Mercurio, & digitus labiis impressus, ut Harpocrati apud Ægyptios silentii Deo. Hoc indicat fortasse, silentium aliquando eloquens esse, præsertim amantibus quibus silentium est maxime necessarium, quique sæpe oculis significantius, quam ore loquuntur. Malum Persicum gestat ille capite, quia malus Persica fuit sacra Harpocrati, aliisque Ægyptiorum Diis, qua de re mox dicemus, ubi de Harpocrate disputandum erit.

a *Lib.* 36. *c.* 5.



E Nota est *Hermaphroditi* fabula, quam vides numero XVI. & XVII. extant apud Lautherium hæ figuræ in duabus gemmis. In fonte est Hermaphroditus & Salmacis Nympha, ita ut jam jam se amplectantur: ambo in unum corpus coaluerunt, in quo sexus uterque remansit integer. Cæteræ quatuor figuræ Silvani fortasse sunt, aut Silvestres Nymphæ hujus Metamorphoseos testes: & una quidem tibiis canit: atque hæc quoad primam illam formam pertinet.

In altera ra pictus cernitur Hermaphroditus, qualis Romæ statuis marmoreis, & æreis expressus cernitur, & qualis ab Ausonio hoc epigrammate F describitur.

Mercurio genitore satus genitrice Cythera
Nominis ut mixti, sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus utroque,
Ambiguæ Veneris neutra potiundus amori.

Hoc typo Veteres ex Mercurio, & Venere (quæ ἀφροδίτη a Græcis appellatur) Deum unum efficere voluerunt, ut ostenderent eloquentiam, aut Mercaturam, cujus Deus Mercurius est, cum voluptatibus esse conjunctam, aut vero, Veneris voluptates esse utrique sexui communes. Et quidem Calvus Poeta Venerem Deum vocat; *Pollentemque Deum Venerem*; & Virgilius 12. Æneid.

Discedo ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Nonnulli Critici, qui hoc non animadverterunt pro *Deo* legerunt *Dea*. Levinus de Venere ait, *sive fæmina sit, sive mas adorarunt ut Lunam*: Aristophanes ait ἀφρόδιτον neutro genere, & Hesychius ἀφρόδιτος, juxta Salmasium. *Theophrastus*, ille inquit, *affirmat Aphroditon, aut Venerem esse Hermaphroditum, & in Cypro prope Amathusam esse Veneris statuam barbatam tanquam viri*. Neque vero solum Venerem, & marem, & fæminam Ethnici putarunt, sed Lunæ quoque, ut hujus disputationis initio vidimus, masculinum, & fæmininum genus tribuerunt.


Nummi consulares Gentis Cassiæ imagines *Liberi*, & *Liberæ* offerunt; quod occurrit etiam in Inscriptionibus antiquis, scilicet Bacchus mas, & Bacchus Fæmina, quam Cererem nonnulli putant. Artemidorus de somnis loquitur de Bacchis masculis, & Bacchis fæminis; sed ut verum fatear, hoc postremum nomen ad Bacchas mulieres Bacchi comites referri potest. Orpheus Hymno *Mises suffimentum* expressis verbis ait, *Masculum*, & *Fæminam duplicis naturæ Jacchum*.

Erat etiam Fortuna Vir, & Fortuna Fæmina, cujus formam alibi ostendam, cum Inscriptione *Fortunæ Barbatæ*. Non desunt antiqui Scriptores, qui dicant Deos omnes utriusque sexus fuisse participes; cujus rei intelligendæ cupidos ad *μυθολόγους* mitto; neque enim in ea re necesse est tempus terere, quam alii satis superque declararunt.



SEPTIMA DISSERTATIO

De Harpocrate, & Pantheo.





SAcra, inquit Hippocrates, cum viris modo sacris conferre licet. Hinc Ægyptii Veteres naturæ arcana, & præcipua quædam ipsorum Historiæ, ethicesque capita cum Solis Sacerdotibus, atque iis qui ad Regnum, & publicam administrationem accessuri erant, divinatoria quadam arte communicabant. Græcorum sapientissimi eos consultum ibant, quorum gratiam promereri conabantur, ut ex eorum libris perdiscerent, quæ nominis celebritas pollicebatur; constatque ex sacris Literis Mosem illorum doctrinas minime neglexisse, sed omnibus imbutum fuisse. Hinc illi Hieroglyphicas litteras, aut figuras aliud significantes invexerunt, quibus suam ipsorum gubernandæ Reipublicæ, & morum recte formandorum rationem obtegebant. Hinc etiam rebus creatis Deorum tributa nomina, ut eas homines venerarentur, & res plurimæ Diis

A consecratæ, quæ in aliquo publico loco constituebantur, ut Vulcano Pyramides, Mercurio Hermæ, Solis Numini Obelisci.

Sed inter cætera annulos habebant, sigilla, imagines, amuleta, *Talismanos* (ita enim appellant) quas formas in metallis ad recipiendum servandumque cujuslibet astri typum idoneis, expectatis quibusdam stellarum signis imprimebant: quod cum facerent aliquem propositum habebant finem, exempli gratia ad curandos morbos, ad pericula avertenda.

B Hæc cum esset apud ipsos instituta doctrinæ ratio, typi efficiebantur quibus Harpocrates silentii, ac Mysteriorum Deus variis rationibus repræsentabatur, pluribusque gemmis quas ad ostentationem, ut testis Plinius est, digitis deferebant. *Jam vero*, inquit, *etiam Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt.*

Osiridis, atque Isidis Filius habitus est Harpocrates, & quia silentii Deus putabatur, ita effictus erat ut digito labiis impresso silentium indice-

ret. Quocirca Varro ait se multa de Harpocrate nolle dicere, ne silentium quod commendabatur ab eo violaret. Digitus index, qui admovetur ori, dicitur etiam *salutaris*, quo ori admoto silentium indicitur. In Apulejo (*a*) legimus; *digitum a pollice proximum ori tuo admove, & tace*. Ausonius, ut silentium commendet, ait:

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Consule in hanc rem D. Augustinum (*b*) de Civitate Dei. Heraiscum quemdam Ægyptium digito cum labiis conjuncto natum esse Suidas narrat. Quod ex eo fortasse contigit, quia mulier aliqua viso forte Harpocrate, cujus simulacra in Templis, locisque publicis conspiciebantur, in eo cogitationes penitus defixerat.

Ad numerum XVIII. hujus Tabulæ Harpocratem struthiocamelo insidentem vides; in aversa parte Solem, & Lunam, quorum creditus est Filius. Nam Ægyptiis Osiris & Isis Harpocratis Parentes, iidem erant qui aliis populis Sol, & Luna. Non desunt qui dicant Serapidem eumdem esse atque Bacchum, Solem, Jovem, Plutonem; Isidem vero eamdem atque Junonem, Cererem, Lunam, Proserpinam. Macrobius in Saturnalibus ait Deos omnes variis nominibus esse unum Apollinem. Ne id ad morum normam nimis revocemus, dicere tamen possumus, conjunctum a Veteribus cum aliis Diis Harpocratem Silentii Deum fuisse, ut iis indictum silentium esset, qui Deos fuisse aliquando homines, & hanc mortalium vitam vixisse contenderent: nisi malis dicere id esse factum, ut quisque intelligeret Deos omnes quos venerabantur quasi in unum redactos, qui nobis silentium denuntiaret.

Litteræ, quas in aversa hujus nummi parte cernis, sunt ab Hæreticis Basilidianis, & Gnosticis pro libidine excogitatæ, qui Christianæ Religionis mysteria cum Gentilium superstitionibus impune miscebant.

Ad Numerum XIX. Serapis est, & Harpocrates, ibique legis, *Conservate me*. hinc intelligas esse hunc aliquem *Talismanum*, quem quis secum ferebat, ut Deorum ope servaretur sanitas, mala si qua impenderent, repellerentur.

Ad Numerum XX. Harpocrates super Lotum sedet, arbusculam Soli sacram, quia ejus flos dilatatur oriente Sole, cadente contrahitur. Hujus arboris naturam Dioscorides (*a*) tradit, quæ Ægyptiis erat maxime vulgaris; dicebantur enim arboris ejus fructu victitare. Hinc dicti *Lotophagi, qui loto vescantur*. Basilidianorum mysteria sunt litteræ, quæ in aversa nummi parte conspiciuntur. Figuram ad numerum XXI. *Herm-harpocratem* non inepte dicas, de quo jam locuti sumus. Scuticam enim dextera manu tenet, super Lotum sedet, ut Harpocrates, & læva manu caduceum, ut Mercurius, gestat.

Ad numerum XXIII. Harpocrates Loto insidet inter Solem & Lunam, Parentes suos.

XXIV. Stat Harpocrates; & in aversa parte legis ΩΡΑΝΟΣ ΑΔΩΝΕ, quibus verbis opem Basilidiani implorabant a Cœlo, veroque Deo, quem Hebræi dicunt, *Adonai*.

XXV. Harpocrates ita pictus est ut Leonis caput præ se ferat, aves circum volitantes habeat, & Lunæ caput ostendat. Alexander Hales in ea sententia est, ut credat hos esse Angelos, quos Cœlestibus Orbibus, ac Planetis Basilidiani tribuerint, ita ut Saturnus ab iis appellaretur *Cassiel*, Jupiter, *Sachiel*, Mars, *Samuel*, Sol, *Michael*, Venus, *Anachel*, Mercurius *Raphael*, Luna & ipsa *Michael*. Quem in rem fac librum consulas, cujus titulus, *Macarii Abraxas*.

ΑΕΗΙΟΥΩ sunt septem Græcorum vocales litteræ quibus hoc nomen *Jehova* illi Hæretici complectebantur; *Otiel* vero est aliquis Basilidianorum Angelicus Spiritus.

XXVI. Est Nummus Ægyptiacus Antonini Pii ex aversa parte, cum capite Harpocratis.

XXVII. Asini collo, cujus vertex in terram conversus est, insidet Harpocrates. Leguntur ibi ΙCΧΥΡΟΝ ΚΑΙ ΑΝΕΙΚΗΤΟΝ. *Forte Invictum*, quibus epithetis a Basilidianis donabatur *Jao*, aut *Jehova*. Quod auxilium rebantur adversus pericula, ac tutamen contra inimicos.

XXVIII. Sedentem in Loto Harpocratem duodecim animalia circumstant.

XXIX. Deum eumdem vides cum septem Græcis vocalibus Litteris, quæ, uti diximus, *Jehova* significant.

XXX. Ejus Dei caput ibi est, cum cornu copiæ; quod Ægypti, ubi præcipuo in honore Harpocrates erat, fertilitatem signat.

a *l.* 8. b *l.* 5. *c.* 18.

a *l.* 4. *c.* 114.



In ſuperiore Tabula Harpocratis variis rationibus ex typis, ac Nummis deſumptas effigies propoſuimus. En alias ab exiguis veteribus æneiſque ſtatuis poſtea deſcriptas, quas in antiquitatis ſtudioſorum muſeis invenias.

XXXI. XXXII. XXXIII. Tres priores imagines non multum inter ſe differunt. Rerum abundantiam, atque fortunam Cornucopia ſignificabat: quoddam autem caniſtrum Serapidis capiti, qui, ut nonnulli volunt, idem erat atque Oſiris Harpocratis Pater, tanquam ornamentum imponi conſueverat.

XXXIV. Eorum ſententiam, qui Oſiridem Solem eſſe putarunt, qui ex proximæ formæ capite eminent radii confirmant.

XXXV. Præter cornu copiæ, ac Serpentem, qui flexuoſo ambitu ſcipionem Æſculapio tributum circumit, hic Harpocrates habet alas, & pharetram ad ſagittas continendas, veluti Cupido, & ad pedes duo animalia, quæ cum parva admodum ſint ſecerni non poſſunt, quorum tamen alterum nonnulli Leporem, alterum Accipitrem judicant. Qua de re pluribus ſcripſit Smetius, quem videre præſtat, lib. de rebus antiquis Neomagenſibus, ubi quæ res antiquæ in ejus Muſeo continentur, explanantur.

Uſque ad talos promiſſa veſte exhibetur imago num. XXXVI. ea fortaſſe dicta *Baſſara*, quæ Baccho tribuitur, ut ex Heſychio, Polluce, & Bacchi ſtatuis intelligimus. Vox *Baſſara* a *Baſſara* Lydiæ oppido, unde veſtiendi ratio fluxit, deducta eſt, ſi Phornutum, & Horatii Scholiaſtem audimus. At quid Baccho, inquiet aliquis, cum Harpocrate? Vino enim homines verboſi fiunt, & animi ſecreta proferunt, non autem ſilentio utuntur. Ego vero ita reſpondeo: Id ipſum in cauſa fuit cur Dii duo, de quibus loquimur, conjungerentur, ut qui Baccho addicti ſunt homines monerentur ne unquam Bacchum ab Harpocrate ſejungerent, ſed loquendi cupiditatem, quæ vino accenditur, ſilentio temperarent.

Quod in hujus imaginis capite, aliarumque vides, eſt, ut creditur, malum Perſicum. Fuit enim Perſica malus ſacra Harpocrati, quia hujus arboris folium linguæ ſimile eſt, fructus cordi, ut auctor eſt Plutarchus; qua re mutuum linguæ, cordiſque conſenſum ſignificari Veteres voluerunt. Variis tamen rationibus hoc ornamentum Harpocratis capiti impoſitum in Tabula Hieroglyphicarum litterarum Bembus exhibet, modo forma floris, modo plantæ, modo pennarum Struthionis, modo Serpentis ſpecie, quæ omnia profecto ſymbolo non carent ſuo, cujus explicatio modo in promptu non eſt. Apulejus (*a*) metamorph. deſcribens Iſidem ait: *Corona multiformis ſublimem diſtrinxerat verticem, cujus media quidem ſuper frontem plana rotunditas in modum ſpeculi, vel immo argumentum Lunæ candidum lumen emicabat. Dextra, lævaque ſulcis inſurgentium Viperarum cohibita.*

XXXVII. In hac forma, cujus caput præcipua quadam ratione ornatum eſt, *Harpocratis*, *Cupidinis*, *& Æſculapii* certa inſignia conſpiciuntur: admovet enim illa ori digitum, alas habet, phare-

a *l.* 11.

tram cum ſagittis, & Serpentem ſcipioni circumplicatum. Amorem ſilentio indigere Harpocratis cum Cupidine conjunctione intelligimus, & Harpocratis cum Æſculapio novimus debere Medicum prudenter ſe gerere, ſi qua illi ægrotus patefecit; ac tandem ſilentium ſæpe ac ſæpius neceſſarium eſſe. Apud Pythagoricos ſilentium virtus erat, & apud Romanos Numen, cujus nomen Dea *Tacita*, ut Plutarchus narrat. Ab hujus ſimulacri collo Bulla pendet, quam pueri ingenui antequam ad pubertatis annos pervenirent, deferebant: qua de re fuſius erit alias dicendi locus.

XXXVIII. In hac effigie plures Deos ſimul conjunctos quam in illa ſuperiore intuearis. *Solem* indicant radii; *Luna* ipſa per ſe patet creſcentis forma eminente ex capite; *Harpocrates* ex digito ori admoto; *Ceres* ex cornu copiæ; *Cupido* ex Pharetra; ex Serpente *Æſculapius*; Talaria nexa pedibus *Mercurium* objiciunt; Corona ex hedera *Bacchum*. Quare ſignum Pantheum credi poteſt; de quo mox. Etenim ſæpe Ethnici ex Diis pluribus unum efficiebant pro arbitratu, quod confirmat hæc Inſcriptio, quam ego plures regiones peragrans nactus ſum.

In Delo.

ΠΟΠΛΙΟΣ.........
ΤΟΥΤΩ............
ΥΠΕΡ. ΕΑΥΤΟΝ.....

A ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ
ΙΣΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟ
ΚΡΑΤΕΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ
ΣΤΑΣΕΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟ
ΚΛΕΟΥΣ ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ.

Id eſt: *Publius... pro ſuorum ſalute... Serapidi, Iſidi, Anubi, Harpocrati, Dioſcuris* (ſcilicet Caſtori, & Polluci) *votum ſolvit de ſuo, Sacerdote Staſeo Philoclis Filio ab agro Colono*. Ne-
B ſcio autem utrum Dioſcurorum nomine veniant Anubis quoque, & Harpocrates tanquam filii Jovis, aut Serapis; quemadmodum Caſtor, & Pollux, qui cum Deis Ægyptiis conjungi minime ſolent, hoc nomine nuncupantur. Hos omnes Ægyptios Deos συννάυς, & συμβώμυς græce dictos ejuſdem Fani, & ejuſdem aræ honore dignabantur, & una cum iis *Oſiridem*, *Bubaſtim*, *Apim*, & *Horum*. Artemidorus in Interpretationibus ſomniorum ait, ſi Serapis, Iſis, Anubis, & Harpocrates, aut ipſorum, aliorumve
C qui σύνναοι, & σύμβωμοι iiſdem in Fanis, Ariſque coluntur, ſtatuæ, vel ritus per ſomnia noctu conſpiciuntur, id ſollicitudines, pericula, minas, infortunia portendere. Omnia Harpocratis myſteria ſcire cupienti conſulendus eſt liber, cujus titulus, *Giſberti Cuperi Harpocrates*, editus Amſtelodami anno 1676.

De Signis Pantheis.



Hæc ænea antiqua ſtatua ejus altitudinis, qua hic objicitur, habetur Romæ in Muſeo Joannis Petri Bellorii Pontificis antiquarii, qui explicata Trajana, & Antonina columna, aliiſque ſcriptis pluribus in lucem datis in eruditos homines manavit. Cum primum Italiam peragrarem ejus mihi copiam ille fecit, indeque exemplum deſumſi.

Gallice derivato nomine ab antiquo vocabulo dici poteſt *Statue Panthée*, Latine *ſignum Pantheum*. Parvas enim ſtatuas æneas altas pedem unum, aut pedem, & ſemis, qualem hic vides, & etiam aliquanto majores *ſigna* Romani appellabant: *Statuas* autem quæ rei naturam magnitudine imitabantur, aut etiam aliquanto minores; moles vero longe majores coloſſos vocabant. Verum quia apud Gallos vox *Signe* rem eamdem non reddit, iccirco illi *Statue* promiſcue uſurpant, quemadmodum ſæpe Latini ad ſtatuas molis cujuslibet, ex metallo quolibet ſignificandas.

Signa *Panthea* variis notis, quibus inſignita erant, Deos omnes referebant, aut ſaltem majorum pleroſque: πᾶν enim Græce valet *omne* θεὸς *Deus*. Itaque Panthea appellabant Templa in cultum Deorum omnium exſtructa, ubi eorum omnium imagines extabant, cujuſmodi Romæ fuit *Pantheon* illud celeberrimum a Bonifacio IV. in honorem B. M. V. & omnium Sanctorum conſecratum. Ædificatum eſt forma rotunda, unde etiam dictum *Santa Maria della Rotonda*. Athenis quoque hujuſmodi Templum fuit, quod Pauſanias ait Diis omnibus commune; in pluribus quoque aliis Urbibus ſimilia Templa fuerunt.

Qui rerum antiquarum paulum aliquid deguſtavit, plurium Deorum notas hoc in ſigno ſimul conjunctas facile deprehendet. In ejus capite propria *Iſidis* inſignia eminentia vides. Caput enim ejus criſtis, fructibus, ſerpentibus, caniſtris, quibuſdam Infulis, aliiſque pro libidine inventis rebus ornari ſolet. *Luna* ipſa per ſe creſcentis forma apparet; corona quæ ſubeſt ſine controverſia *Junonem* quæ Regina Deum audit, ſignificat. Compti capilli, ut ad humeros deſcendant, & jucundi venuſtique vultus habitus ejuſmodi ſunt ut *Venus* referri videatur; Alæ quæ hærent humeris eæ ſunt quæ *Victoriæ* tribuuntur. Pharetra eſt *Dianæ* Sylvarum Deæ, *Cupidiniſque*. Cornucopia quod læva manu hoc ſimulacrum geſtat eſt nota *Cereris*, & *Abundantiæ* aliorumque Numinum quæ agrorum fertilitati prodeſſe putabantur. Deæ *Salutis*, quæ hominum ſaluti præerat inſigne eſt ſerpens brachio dextero circumplicatus. Caprinam pellem, quæ tegit partem pectoris *Junoni*, aut *Bacchis* Veteres aſſignabant. Oblonga ad talos Veſtis ea eſt, qua Artium Dea Minerva utebatur. Clavus tandem, quem dextera manu tenet, refertur ad *Fortunam*, quæ, ut clavus Navim, Terrarum Orbem, ſi audis Ethnicos, regit. Ita omnes prope Deos hoc ſignum exhibet; Ut ſunt nonnulla quæ Deos omnes, non autem Deas; alia Deos, Deaſque referunt, ut parva ovata figura ibi in imo poſita, quam mox explicabimus, oſtendit.

Deæ Statuam, quæ revera Junonis erat, ſed eam Palladis, Veneris, Lunæ, Rheæ, Dianæ Nemeſis, & Parcarum nonnulla inſignia habentem ſe vidiſſe in Syria teſtatur Lucianus. In Hiſtoria Eccleſiaſtica Ruffinus (*a*) narrat Imperatore Theodoſio fuiſſe adhuc Alexandriæ Serapidis Idolum ex omni metallorum genere, ex omni genere Deorum compoſitum. Deam Iſidem invocans Apulejus in metamorphoſi, *Dianam*, *Cererem*, *Venerem*, & *Proſerpinam* eam vocat. Et extat apud Gruterum Deæ eidem inſcriptio ejuſmodi: *Te tibi una quæ es omnia Dea Iſis*. Macrobius tandem, quem ante appellavimus, Deos omnes ad Solem referri contendit. Quapropter mirandum non eſt ſi eas Imagines Antiqui efficiebant quæ Deos omnes variis notis ſignificarent.

Quam in ima hujus ſimulacri parte effigiem vides ſumtam ex veteri cælato typo, illa eſt ſignum *Pantheum*. Fulmen eſt inſigne *Jovis*; Caduceus quem illa manu geſtat, *Mercurii*; Papaveris ſemen *Proſerpinæ*; Spica *Cereris*; Siſtrum *Iſidis*; Cornucopia, & Clavus *Fortunæ*; Rota *Nemeſis*; Galea in capite *Martis* & *Palladis*, Veſtis oblonga *Minervæ*; Alæ *Victoriæ*.

Ut quod de Pantheo diximus, quo nomine hujuſmodi ſtatuæ vocabantur, inſcriptionibus confirmemus, habe hanc ex Grutero (*a*) *Fortunæ Primigeniæ Signum Liberi Patris Panthei*. Habe & alias duas, quæ illum latuerunt, quaſque ego varias regiones peragrans exaravi.

Romæ in Hortis Juſtinianeis.

DIS DEABVS
C. IVLIVS C. F. ARN.
AFRICANVS BRIXEL
LO OPTIO EQVIT.
COH. VIII. PR. 7. IVLI
SIGNVM AEREVM
PANTHEVM
D. D. V. L. L. M.
DEDICATVS X. K.
AVG. BARBARO ET
REGVLO COSS.

Dono Dedit Voto Lubenti Libero Munere.

Hi Conſules fuerunt anno ab Urbe Condita 910. ann. vero Chr. 157. Imperatore Antonino Pio: Notandum tamen in Faſtis Capitolinis pro *Barbaro* legi *Barbatum*, contra hujus Lapidis, & Caſſiodori, & Faſtorum Siculorum auctoritatem, qui *Barbarum*, & *Regulum* Conſules nominant. Ad vocem *Dedicatus* intellige *Lapis*, niſi de violatis Grammaticorum regulis Cælatorem poſtules.

Optio in Militia Romana is erat, quem adjutorem Centurio ſibi adoptabat, ut dum abeſſet ille vices gereret; a verbo *Opto* dictus, quia illum ſibi centuriones optabant, ſive eligebant. (*b*) Vegetius, *Optiones*, inquit, *ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine impeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii ſolent univerſa curare*. Conſulendus hanc in rem Stevechius in Vegetium, & Salmaſius de Hiſtoria Auguſta in vita Hadriani.

Superiorem Inſcriptionem, duaſque ſequentes omnibus dicatas Diis, jure mihi *inſcriptiones Pantheas* appellare poſſe videor, eadem ratione, qua *Panthea* dicta ſunt Templa, ac ſimulacra in omnium Deorum honorem ab Ethnicis conſtructa.

R O M Æ.
DIIS OMNIPOTENTIBVS
LVCIVS RAGONIVS
VENVSTVS V. C.
AVGVR. PVBLICVS
P. R. Q. PONTIFEX
VESTALIS MAIOR
PERCEPTO TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE
X. KAL. IVL.
DN. VALENTINIANO
AVG. IIII. ET
NEOTERIO CONS.
ARAM CONSECRAVIT

a *l.* 11.

a *P.* 77. b *l.* 11. *c.* 7.

Tauro-

Taurobolium erat sacrificium Taurorum, & *Criobolium* Arietum a κριὸς *Aries*. Qui harum victimarum sanguine totus perfundebatur, censebatur hac ratione Taurobolium accipere, & expiari, lustrarique, ut a criminibus purus esset. Consules qui hic nominantur, fuere anno Domini 300. X. Cal. Jun qui dies, hoc est vigesimus tertius Maii, erat festus, ut habetur ex Calendario vetere Constantii, ubi legitur *macellus rosas sumat*, id est ornetur rosis, atque ita statutus dies hic erat apte Sacrificiis. Reperta est hæc Inscriptio inter rudera Cemenelei in Provincia prope Nicæam.

B

IOVI. O. M.

CETERISQ. DIIS
DEABVSQ. IMMORT.
TIB. CL. DEMETRIVS
DOM. NICOMED.
V. E. PROC. AVGG. NN.
ITEM CC. EPISCEPSEOS
CHORAE INFERIORIS

Hæ duæ voces *Episcepseos*, & *Choræ* Græcæ sunt latine scriptæ loco *Inspectionis*, & *Regionis*; quippe qui hanc Inscriptionem fieri jussit Græcus erat græcarum literarum studiosior, quas Latinis arbitrabatur significantiores. Eamdem originem habet *Episcepsis*, quam *Episcopus*, quod nomen apud Ethnicos sonat *Inspector*, *Provisor*: Habetur Nicææ eodem in loco Romana, & Ethnica Inscriptio, ubi mentio fit *Episcopi Nicæensium*, qui idem fortasse erat ac *Procurator Episcepseos*. *Episcepsis* apud Christianos idem etiam valet ac *Provi-*

C

A *dentia*, ut in exigua Inscriptione, quæ extat in mœnibus Hadrianopolis.

ΕΠΙΣΚΕΨΙΣ ΕΠΙΣΚΕΨΑΙ. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. Σκ.

hoc est

Providentia provide Urbi tuæ.

Procuratores Imperatori tributa colligebant, ut in vita Antonini Pii testatur Capitolinus. *Procuratores suos modeste suscipere tributa jussit ducentesima*. Quæ itaque tributa Imperatori conferebantur, erant ducentesima. Hinc conjectare licet, qui in Libris, ac Lapidibus appellantur *Ducenarii*, eos fuisse, qui Tributa susciperent.

Deorum quædam capita in Nummis cernuntur, quæ dici capita *Panthea* possunt. Ita in quodam Nummo Antonini Pii ex parte aversa insculptum est Dei caput, quod præ se fert sextarium in capite ut *Serapis*, cornu Arietis, ut *Jupiter Ammon*, coronam radiorum, ut *Apollo*, in occipite serpentem scipioni circumplicatum, ut *Æsculapius*, ac demum forcipem, ut *Vulcanus*. Proposuissem hic exemplar, nisi esset in *Selectis Numismatis* apud Seguinum *Decanum* Fani S. Germani.

Festum solenne omnium Deorum Græci, Hesychio teste, Θεοξένια vocant. Pindari quidem Scholiastes fuisse festum ait tantum Mercurii, & Apollinis. Ut ut sit, quemadmodum signa, ædes, Inscriptiones Diis simul universis ponebant, ita credendum est fuisse quosdam statutos dies, qui solenni ritu in omnium Deorum honorem celebrarentur. Hæc mihi fuerunt, quæ de Harpocrate, & Pantheo dicerem.

OCTAVA DISSERTATIO

De Cymbalis, Crotalis, aliisque Veterum Instrumentis.




VArii Lapides, & Anaglypta, quorum exempla Romæ facta sunt, postquam Bagarrius formam dedit, hujus Tabulæ figuras suppeditarunt. Instrumenta, quæ tres hæ saltatrices mutuo alia in aliam facie conversæ varioque corporis habitu saltantes pulsant, *Cymbala*, a Veteribus dicebantur. Ea plane est harum Imaginum conformatio, qualem Auctores describunt. Fulgentius mythologicon lib. 1. capite de Musis, ait, *duo labia velut Cymbala verborum commoda modulantia, lingua ut plectrum, quæ curvamine quodam vocalem format spiritum*. Isidorus Pelusiota ep. 457. ubi ad varias corporis partes retulit *Psalterium*, *Cytharam*, *Tympanum*, *Chordas*, & *Organum*, quibus instrumentis veteres in Ludis, & Sacris utebantur, *Cymbala* tandem ad labia refert, quia sonum non edunt nisi invicem collidantur, ut & Cymbala. Cymbala porro fuisse cava evincit illud Clem. Alexandrini: (*a*) *ex Cymbalo bibi*. Quam sententiam ii versus Ovidii confirmant, quibus ait pro galeis adhibita fuisse etiam Cymbala.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Æra Deæ comites raucaque terga movent.

Vox *Cymbala* fit a Græco κύμβος *cavus recessus*, quia facta erant instar scutularum ex ære; quocirca aliquando sine addito dicta sunt *Æra*. Rotunda ea fuisse & hæ figuræ arguunt, & Propertii versus probat eleg. 7.

Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles.

Cassiodorus ea cum describit vocat *acetabula* hoc est sinus quosdam; qualis & sinus ossis, in quo alterius ossis caput volvitur, dicitur acetabulum.

a *Protrept. p.* 11. 3.

A Divus Augustinus in Psalmum CL. necesse esse ait Cymbala invicem percuti, ut sonum edant, eaque a Veteribus labiis comparari. Deum Comum Phurnutus ita describit, dextra contractis digitis subjectam sinistram ad clavum plectit, ut manus Cymbalorum more percussæ consonæ fiant. Ovidius de Arte Amandi perobscuro utitur Epitheto.

Discite & duplici genialia nablia palma
Vertere.

B *Genialia* ait, quia Cymbala in nuptiis, saltationibus, cæterisque omnibus oblectamentis adhibebantur, ea generali voce appellans *Nablia* pro quolibet Musico instrumento, non autem pro organo quod vox illa proprie significat. *Palma* ait, quia ad pulsanda Cymbala opus est manum contrahere.

Quia hoc instrumentum constabat ex duabus distinctis partibus, scriptorum plerique ad illud significandum plurali numero utuntur. Petronius, *Intrans*, inquit, *Cymbalistria, & concrepans æra*. Catullus, *Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant*. Divus Paulus tamen epist. ad Co- C rinthios utitur numero singulari, ubi hominem eloquentem charitatis expertem cum Cymbalo confert. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut Cymbalum tinniens.*

Plerumque ex cupro hoc instrumentum erat; Aliquando tamen ex ære, immo etiam ex argento si Cassiodoro credimus. Præcipua quadam ratione Cybeli magnæ Deum Matri sacrata fuisse videntur Cymbala; hæc enim in ejus omnibus sacris adhibebantur; fortasse quia eorum rotunda forma non inepte terra significatur, cujus Dea Cybeles erat. Quare in anaglyptis semper Cybeles cum D Cymbalistis effingitur, aut ita certe, ut prope hujusmodi instrumentum habeat. Gruterus pag. 27. Lapidis Cybeli dedicati formam exhibet, in qua Cymbala non vero Crotala, ut ille putavit, picta sunt; quod ex iis intelligi potest, quæ hic positæ imagines sunt.

Apulejus (*a*) describens sacra solennia quibus Cybeles simulacrum per loca publica deferebatur, „ ait, cum ad quemdam locum pervenissent, Virum quemdam principalem, & alias religiosum, „ & eximie Deum reverentem tinnitu Cymbalorum, & sonitu Tympanorum, cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitum procurrisse obviam, Deamque votivo suscipientem hospitio, „ omnes qui comitabantur intra conseptum domus amplissimæ constituisse, Numenque summa „ veneratione, atque hostiis opimis placare contendisse. Ovidius in Fastis agens de Cybeles festis, quæ dicebantur *Megalesia*, Cymbala commemorat.

Ibunt semimares, & inania tympana tundent.
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Quia hæc Cybeles sacra ex Phrygia, & Ida Monte, ubi ejus præcipuus cultus erat, translata sunt, credendum est Cymbala quoque inde originem habuisse; eoque magis, quia in multis adhuc Orientis partibus eorum servatur usus, ex quo Instrumenta barbara Apulejus illa nuncupat.



Crotala, quæ in hac Tabula vides, erant arundines per medium, & in oblongum fissæ, quarum duæ partes sic digitis movebantur, ut ex collisione sonum ederent, qui Ciconiæ vocem imitaretur. Hinc Ciconia superiorem rostri sui partem cum inferiore collidendo, ab antiquis *Crotalistria* dicta est, quasi crotalo crepitaret. Etiam qui lingua est expeditiore κρόταλος ab Aristophane vocatur. (*b*)
Teste Pausania Pisander Camirensis dicebat non sagittis Herculem Stymphalidas aves interfecisse, sed Crotali sonitu fugasse, ac terruisse; quapropter si illi Auctori fidem habes, valde antiqua instrumenta Crotala sunt, cum Herculis tempore tractarentur. Ovidius cum Cymbalis ea conjungit.

Cymbala cum Crotalis prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulsa manu.

Varie ad Crotalorum sonitum saltabant, ac movebantur, quemadmodum in iis choreis fieri videmus apud nos, quibus colliduntur laminæ; eas patrio sermone dicimus *Sarabande*. Cæterum ex *Copa*, quod carmen Virgilio tribuitur, has saltatationes cognoscimus.

a *l.8. Metamorph.* b *Nub. Act.* I. *sc.* 3. *n.* 38.

Crispum sub Crotalo docta movere latus.

Clemens Alexandrinus, qui hæc instrumenta Siculis accepta refert, Christianorum conviviis arceri Crotala voluit: fortasse, quia saltationes lascivæ eorum sonitu excitantur. *Tympana, & Cymbala, & Crepitacula quæ dicuntur Crotala inventa a Siculis.*



Crumata vocabantur testulæ, & officula, ut in *Copam* Virgilii animadvertit Scaliger. Fuerunt Hispanis maxime in usu, præcipue iis, qui Bæticam Provinciam, Gadesque incolebant. Quo spectat Martialis. (*a*) *Nec de Gadibus improbis puellæ vibrabunt sine fine prurientes lascivos docili tremore lumbos*, (*b*) & alibi de muliere, quæ docte pulsabat has testulas, & sonos gestu sequebatur.

Edere lascivos ad Bætica crumata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Et Juvenalis. (*c*)

Forsitan expectes ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro.

Ita Hispani, & maxime Gaditani etiamnum iis utuntur in saltationibus, & *Castagnetas* vocant, ab iisque ad nos eorum pervenit usus.
Nec tamen Græcis crumata incognita erant. Aristophanes (*d*) appellat ὄστρακα quasi *ostrei cortices*. Martialis *testas*. *Audiat ille testarum crepitus*.



a *l.* 8. 26. b *l.* 6. 71. c *Sat.* XI. 162. d *Ran. Act.* V. *sc.* 2. *v.* 49.

A Aliis quoque instrumentis Veteres utebantur, quibus moventes pedem sonitum edebant; hujus instrumenti hic formam vides: ea porro instrumenta *Crupezia* appellabantur a *κρούειν pulsare*, & *πέζα* pedis planta juxta Hesychium. *Crupezia*, inquit Pollux, *sunt Tibicinum calceamentum.* Arnobius l. 7. adversus Gentes vocat *Scabilla*; irridens earum superstitionem, *etiamne*, inquit, *Dii afficiuntur quassationibus Cymbalorum, & crepitu Scabillorum?* Eruditissimus Salmasius, qui omnia quæ de hisce instrumentis dici possunt commentariis in Vopisc. Carin. accurate persecutus est, ait dicta esse *Scabella*, *Scamilla*, *Scamella*. Instrumentum enim illud in modum scabelli factum, B vel scabellum potius erat revera, quod pede feriebatur cum lignea, aut ferrea solea. Sed varii generis puto fuisse hujuscemodi instrumenta. Hic enim pictum videtur sandalium cum duabus soleis, inter quas illud de quo loquimur instrumentum; quod pictura magis quam descriptione declaratur.

Qui plura scire in hanc rem desiderat, ei videndus est Salmasius loco appellato, Albertus Rubenius *de re vestiaria*, & Gaspar Bartolinus *de Tibiis veterum*, unde hujus instrumenti formam desumsi.

C





D

Quæ duo instrumenta in harum Fœminarum manibus vides *Tympana* sunt cymbalis nostratibus similia; quorum forma in multis anaglyptis, Nummisque antiquis cernitur. Hoc instrumentum erat circulus ligneus, vel ferreus tenui corio obductus, quem pulsabant manibus, quemadmodum apud nos illæ mulieres, quas appellamus *Zingare*.

Nonnulli putant nomen hoc a græco verbo *κτύπειν obstrepere* derivari: At Vossius in etym. Linguæ E Latinæ ab Hebræa voce deducit, quæ *Tympanum* significat. Neque hoc nullo nititur fundamento; Syrorum enim id inventum est, ut constat ex Juven.

Jampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit.

In ludis publicis, in saltationibus & in festis Bacchi, atque Cybeles maximus erat illorum usus, ut his versibus Catullus confirmat:

F

Cybelles Phrygiæ ad nemora Deæ,
Ubi Cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant.

Et his Ovidius lib. 4. Metamorph.

Et adhuc Mineja proles
Urget opus spernitque Deum, festumque profanat,
Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis, & adunco tibia cornu
Tinnulaque æra sonant.

Heliogabalo, ut narrat Herodianus, sæpe libido incessit audiendi tibiarum sonitum, ac tympanorum, quod fieri in Bacchanalibus consuevit.



Cythara est instrumentum illud quod præ manibus hæc Mulier habet; tangitur illud plectro, quod manu tenet dextera. Forma ejus erat triangularis, ut hic cernitur, & refertur in epistola de Musicis, quæ D. Hieronymo tribuitur; ait enim Cytharæ triangulari forma instar Græci Delta Ecclesiam repræsentari.

Cytharam, ac Lyram differre inter se novimus ex Pausania, ac Lyram quidem a Mercurio inventam esse, ab Apolline Cytharam. Plerique tamen Poetæ solent hæc duo vocabula promiscue accipere, cum ea similia instrumenta sint, neque valde distincta forma. Cythara enim Trianguli, Lyra vero duorum SS oppositorum formam efficit. Statuæ Nummique extant, in quibus ut Lyram sic etiam Cytharam tenentis Apollinis effigies inest. Vossius Cytharæ etymologiam ab Hebræa voce deducit. Sic liber fac illum consulas.





Hoc instrumentum est Sistrum Isidis Deæ quæ magno in honore apud Ægyptios habebatur. Erat illud formæ ovatæ, cujusmodi apud nos *la Rachetta*, per cujus mediam laminam tres erant transmissæ virgulæ, quæ facile agitari poterant, & crispante brachio sonum edebant, qui suavis Veteribus videbatur. Molinetus ex Cœnobio D. Genovefæ Lutetiæ Parisiorum, Nummorum, aliarumque rerum antiquarum studiosus parvum sistrum totum æreum habet. Plerumque ex ære fiebat, ut ex Apulejo addiscimus qui sistrum describit. (*a*) Servius in octavum lib. Æneidos ait: *Isis est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus, recessusque significat.* Multi de Sistro scripserunt, inter cæteros Hieronymus Bosius, qui opus edidit hoc nomine *Isiacus de Sistro*. Oyselius in Thesauro Nummorum de eo copiose disputat. Quocirca nolo hic ego plura, ne, quod supervacaneum est, aliorum scripta compilem.

a *vers.* 696.

NONA DISSERTATIO

De duabus Ædibus antiquis Nemausi, & Viennæ.







Uodnam, & quorsum extructum fuerit antiquum hoc Nemausiense Ædificium, quod vulgo appellant ædem quadratam, tametsi revera quadrata non sit, sed quadrata in oblongum, cum in longitudinem pedes 74. in latitudinem 41. cum sex unciis habeat, juxta mensuras quas dedit Joannes Poldo d'Albenas, rerum antiquarum cupidi homines ut intelligant curabo.

Nonnulli putarunt hanc esse Basilicam in honorem Plotinæ, teste Spartiano, apud Nemausum Hadriani jussu extructam: Verum hoc est ad credendum difficile. Neque enim quadrata hæc ædes ita magnifica est, ut Basilicam Spartianus describit: en ipsius verba; *In honorem Plotinæ Basilicam apud Nemausum mirabili opere extruxit*. Præterea Basilicæ, ut notat Perrault in Vitruvium, ex interiore parte columnis fulciebantur, Templa vero, ut hæc ædes quadrata, ex parte exteriore. Casaubonus etiam, aliique eruditissimi antiquarum rerum amatores una sentiunt ex hoc superbo Ædificio nihil reliqui superesse.

Ad rem propius accessisse arbitrati sunt d'Albenas, & Deiron, ubi de Nemausi rebus antiquis agunt, rati hoc esse Capitolium, hoc est ædem Consularem quo Urbis Magistratus conveniebant: vulgo enim dicitur adhuc *Capdueil*, quod patrium vocabulum Capitolium significat, & in monumentis quæ 400. aut 500. ab hinc anno repetuntur, dicitur Capitolium; ut etiam proximum Templum S. Stephani ad Capitolium. At notum est Consules nisi Romæ fuisse, neque usquam legimus in qua Urbe alia Capitolium fuerit. Proconsulibus quidem, & Prætoribus, qui ab Imperatore, aut populo Romano mittebantur jus dicturi, ædes publicæ positæ erant in præcipuis Imperii Urbibus. eæ dicebantur Prætoria, ut illud quo ad Pilatum Christus Dominus ductus est. Itaque non illud ego Capitolium nuncupem, sed Prætorium potius, si vera dicunt d'Albenas, & Deiron.

Id magis ut confirment memoriam nescio quam posteris ore traditam afferunt, qua constat 300. aut 400. ab hinc annis eam quadratam ædem, publicam ædem fuisse, in qua Nemausienses Consules cogebantur. Quod verum potest esse, tametsi Romanorum Prætorium minime fuerit. Habeto sententiam meam.

Equidem minime dubitanter pronuntio hanc quadratam Ædem nihil esse aliud quam Templum a Romanis olim extructum instar aliorum in oblongum quadratorum, ut Athenis sunt Templa Minervæ, ac Thesei, quorum formam in Græciam profectus descripsi. Et quidem Thesei Templum magnitudine, & commensu huic est prope par, ac totidem columnas habet, sex a fronte, undecim a lateribus. Hoc discrimen est quod Thesei Templum est ratione Dorica extructum, cujusmodi *Peripteron* (*a*) Vitruvius vocat, id est circum alatum, ut intercolumnii latitudinis intervallum sit a parietibus circum ad extremos ordines columnarum, habeatque ambulationem liberam. Hoc vero Templum est ratione Corinthia, cujusmodi idem appellat *Pseudoperipteron*, quod valde quadratæ huic ædi affine est. Exemplar quod Perrault in Vitruvium tradit, videtur ab æde quadrata desumtum. Ibi vides, quemadmodum in æde Nemausiensi, porticum, seu vestibulum, & est loco *Pronai*, sicut in Templis apud Ethnicos, & inter cætera in Templo Minervæ Athenis. (*b*) „Alii, Vitruvius inquit, removentes parietes ædis, & applicantes ad intercolumnia pteromatos spatio parietis sublati, efficiunt amplum laxamentum cellæ; reliqua autem proportionibus, & symmetriis iisdem conservantes, aliud genus figuræ, nominisque videntur *pseudoperipterum* procreavisse. Hæc autem genera propter usum sacrificiorum convertuntur. Non enim omnibus Diis iisdem rationibus ædes sunt faciendæ, quod alius alia varietate sacrarum religionum habet effectus. Quod sine controversia hoc esse Templum indicat est fastigium, ita enim Latini appellant, Græce ἀετὸς dicitur Aquilæ volantis speciem repræsentans. Id erat tectum

a *lib.* 31. *c.* 1. b *l.* 4 *c.* 7.

e medio in altum exurgens Pyramidis obtusæ instar, Templorum peculiare. Apud Romanos, inquit Perrault, privatorum domus tecta plana habuerunt, non in altum surgentia, ita ut domus Cæsaris primum, quemadmodum Templa, fastigium habere cœperit. Architecturæ magistri mediam, & eminentem fastigii partem Tympanum vocant, idque statuis, & anaglyptis ornari solebat, ut Athenis Minervæ Templum. Stylobatæ qui in summis fastigiis in medio,lateribusque Templi statuas sustinent dicuntur acroteria. In hoc vero Templo nullis ornamentis insignito, neque acroteria sunt, neque statuæ in Tympano. Zophorus totam ædem ambit acantho, ac nascentibus foliis distinctus, & est ejusmodi ut periti artificis opus videatur.

Intelligere porro, cui Deo Templum hoc dicatum sit, difficillimum est; neque enim ex inscriptionibus, aut anaglyptis conjectura id assequi potes. Dicam id unum, cum quædam rebus antiquis tributa nomina longo temporis decursu ad nos pervenerint, quibus quid fuerint intelligentia sæpe consequimur, hujus Templi nomen (dicitur autem Capitolium) multorum sæculorum spatio ad nos deductum satis nobis suppeditare, cur Templum Jovis Capitolini, cujusmodi Romæ fuit, judicemus. Verumtamen si cui probabilius videatur, Martis hoc fuisse Templum, quem summo cultu ea civitas prosequebatur, non repugno; propterea quod a Marte ii Cives vocabantur *Arecomici*, a voce Ἄρης Græce *Mars*, & *κώμη pagus*. Et quidem Nemausum in 24. Pagos, si priscis Scriptoribus credimus, jus habuit, nisi malis vicos dicere; Strabo enim utitur nomine *κώμη*; aut 24. *oppida*, hoc enim vocabulo Plinius utitur, quamquam ea ignobilia esse testatur. D'Albenas, quem aliqui Mal Poldo appellant, id enim modo nomen est, quod illi est, cum Baptismi aquis lustraretur, inditum, caput integrum conscripsit in locum Stephani Byzantii de rebus Nemausi. Hæc verba Stephani Νέμαυσος πόλις Ἰταλίας, *Nemausum Urbs Italiæ* conatur defendere. Sed ne vi detorta huc transferamus, ego malo cum emendatioribus Stephani editionibus legere, Νέμαυσος πόλις Γαλλίας *Nemausum Urbs Galliæ*.

Ex iis quas hic Scriptor addit, vocibus ἀπὸ τῦ Νεμαύσυ Ἡρακλείδυ, *a Nemauso ex Heraclidis Urbs condita*, ansam arripit d'Albenas multa ad satietatem usque dicendi de Nemausi conditore, quem ait fuisse filium Herculis, ut vocabulum ex Heraclidis indicat; contendit autem ille Herculi fuisse filium nomine Nemausum; cujus ope se quo anno conditum Nemausum fuerit jactat deprehendisse. Verum cum infirmis nitatur fundamentis, id unum satis est dicere Heraclidarum nomine non vere Filios Herculis significari, sed ejus tantum posteros; cui rei stabiliendæ innumera possent, si liberet, scriptorum testimonia proferri. Itaque quo propinquitatis gradu hic Nemausus Herculem contigerit, qua ætate vixerit, quoque propterea tempore Urbis fundamenta jecerit plane obscurum est. Quod est certissimum, id est, eam Urbem esse antiquissimam, ejusque conditori divinos honores a Nemausiensibus habitos. Confirmant id quas subjicio Inscriptiones, & communis Veterum consuetudo in Deorum numerum suarum Urbium Conditores, & Heroas referentium.

NEMAUSI.

ΝΕΜΑΥΣΩ
ΤΟΝ ΟΥΑΠ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ
ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ

NEMAUSI.

DEO SILVANO ET LIBERO
PATRI ET NEMAVSO
....ARCHVS SIÑODI

Prima Inscriptio *Deo Nemauso* posita est pro salute Imperatoris Trajani. Altera vero posita est Silvano, Baccho, & Nemauso.

Habetur parvus Nummus Æreus, in cujus parte altera armatum galea caput objicitur, in altera Dea Salus escam duobus Serpentibus præbenti similis, his additis litteris COL. NEM. hoc est *Colonia Nemausi*. Nonnulli affirmant caput illud hujus Herois, aut Dei Nemausi caput esse, alii vero Martis, a quo ea regio nomen accepit.

Guyramus a Consiliis, aut judiciis Nemausi ita Nemausi Nummum interpretatus est, ut ex parte adversa sint Augusti, & Agrippæ capita, ex aversa autem suspensus palmæ Crocodilus, cum litteris COL.NEM. D'Albenas hæc M. Aurelii, & L. Veri capita judicavit. Ignoscendum id iis facile, quod iis temporibus non ita ut nostris Nummorum cognitio in pretio erat.

Quandoquidem in cognoscendis Nummis tunc temporis callidi non satis erant, iccirco neque Inscriptionum erant satis periti: quocirca quæ primum edebatur, eam facile probabant. Itaque inscriptionem attulit ille Scriptor, quæ Basilicæ meminit in honorem Plotinæ ab Hadriano extructæ, quam commentitiam esse nostrorum temporum Viri eruditissimi Scaliger, Gruterus, & Salmasius deprehenderunt: & quidem præterquam quod ejus primum exemplar nusquam visum est, ea est ex Spartiano, ac Dione prope ad verbum reddita.

Quæ rationes quadratam Ædem Templum fuisse probarunt, eæ Viennensem Ædem B. M. V. Romanorum Prætorium fuisse ostendunt. Ibi enim Templi columnæ dispositæ sunt, ibi demensiones, ibi fastigium. Id unum observandum est, cum murus, qui est inter columnas nostrorum temporum ritu extructus sit, dici posse hoc esse Veterum Romanorum Templum, quod *Monopteron* dicunt; de quo Vitruvius, & eruditissimus Perrault, qui eum interpretatus est, & in eumdem Commentarios conscripsit. Perrault hæc prodidit: *Ædes alatæ, quarum tectum non muris, sed columnis tantum innititur*, monopteræ *sunt*; *Omnes Interpretes explicant* monopteron *tanquam unica ala cinctum, quasi* monopteros, & dipteros, *h. e. duas alas habens opponantur, & hoc vocabulum derivetur ab adjectivo* μόνος *solus non vero adverbio* μόνον *solum, ut &* monogrammos. *Alioquin si Ædes monopteræ hoc nomine iccirco donarentur, quia illarum unica sit ala, non differrent a Peripteris rotundis, quarum quoque unica ala est: At in hoc Ædes peripteræ, & monopteræ differunt, quia peripteræ muro circumvallatæ porticu cinguntur, non habent autem murum monopteræ.*

Contra Vulgi opinionem non est mihi institutum differere, qua dicitur hoc Templum Pilati fuisse Prætorium, in quo jus ille aliquando dixerit, antequam Viennæ, ubi natus etiam dicitur, exularet. Errorem hunc vulgi sermone adeo disseminatum ut in fastigio decepti Magistratus hæc verba scribenda jusserint: *C'est icy la pomme du Sceptre de Pilate*, Chorierius qui de rebus antiquis Viennæ agit, firmis rationum monumentis confutat. Nihil enim est quod Viennensem fuisse Pilatum, aut ibi unquam exulasse probet. Nimis enim jucundum id ei fuisset in Patria exulare. Verum est ex nomine cujusdam Itali, qui dictus est Humbertus Pilati, quique fuit ab Epistolis postremi Delphini Humberti, has omnes fabulas ortas esse, ut Turris quæ Viennæ est prope Rhodanum, *Turris Pilati* diceretur, & Villa quæ est ad S. Valerii, *Villa Pilati*, ac Templum Beatæ Virginis *Vitæ*, *Prætorium Pilati*. Fortasse mons quoque Pila, aliquando *Mons Pilati* nuncupabitur, cum qui hanc Etymologiam deducerent jam non defuerint. Verum Chorierius qui accuratissime Delphinatus historiam conscripsit, hunc errorem publice sustulit. Ille tamen hoc Templum fuisse Romanis Prætorium arbitratus est; quod meæ quidem causæ nihil officit, neque abhorret a veritate. Nam Romani in Templis jus dicebant, ut sacræ summæque auctoritatis haberentur ipsorum sententiæ.



DECIMA DISSERTATIO

De Inscriptione in Annulo antiquo : Tecla vivat Deo cum Marito seo : *ex Epistola Peirescbii ad Holstenium Bibliothecæ Vaticanæ Custodem* VIII. *Idus Augusti* 1619.



UM ex Aula discessissem, & per Arelatem transirem, emi crassum annulum aureum antiquum e terra nuper erutum. In eo vultus est pingui Minerva effictus, & circum hæc Inscriptio ✠ *Tecla Segella*. Hæc in lamina aurea ornata circum foliis, & echinis, & in ejus cavo scriptum est ✠ *Tecla vivat Deo cum Marito seo*: & in parte hujus annuli circulo opposita cernitur parva ovata forma, quæ intus has litteras continet RA' ΓE: de qua quidem re sententiam tuam libenter audirem.

Annulum æreum antiquum vidi cum instrumento, quo Prisci sigilla imprimere solebant, & illud ipsum æreum erat, offerebatque has inversas anaglypticas litteras ◁ |IN DEO / SVAIA| ▷ (inverse impressæ) ut VIVAS IN DEO. hæ redderentur.

Sunt mihi præterea parvæ gemmæ quadratæ duæ, quæ in similibus annulis aliquando commissæ fuerant, & quæ duas Inscriptiones litteris ætatis ferreæ complectuntur: altera quidem hanc |Bonam / Vitam| & altera hanc |Amo Te / Ama Me| & alia gemma mihi est figura hexagona, in qua cælata est Luna crescens, & cælatum illud *Serva Fidem*. Omnes in plano candidis cælatæ litteris spectantium oblectant oculos, non minus quam Plinii Indicæ Sardonyches. Quod non tantum videtur factum, ut candidæ essent litteræ propter colorum, qui gemmis insunt varietatem, sed ratione aliqua superstitionis, cui valde addicti Veteres erant.

Hic annulus aureus qui ita crassus est ut faciat unciam pondere, fuisse videtur mihi annulus *Pronubus*, seu *Genialis*, cujus ex litteris votum colligis. *Tecla vivat Deo cum Marito seo*: ubi nota *seo* pro *suo*. Quæ scribendi corruptio quarto, & quinto, multoque magis consecutis sæculis in Orthographiam invecta est. Ejus annuli Auctores fuisse Christianos homines, & quod præfigitur Crucis signum, & ipsa evincit loquendi ratio. Habebant enim Ethnici annulos, & ipsi suos plerumque ex cupro, aut ferro ita factos, ut nescio quid clavis instar extaret tanquam signum quo, sponsæ tradito pronubo hoc annulo, Maritus in claves, resque domesticas, quarum ad eam cura spectaret, potestatem dabat.

Hos quoque tres annulos eodem spectare puto, ita tamen ut tum qui præ se fert ea verba, *Bonam Vitam*, tum qui ea, *Vivas in Deo*, ad Christianum hominem pertineat, tametsi desit Crucis signum, ex quo vetustiorem utrumque, quam illum alterum Teclæ esse conjicio. Et ea verba *Vivat*, *Vivas*, *Vitam* ad præsentem potius vitam referri, quam ad futuram arbitror: Sunt enim annuli pro-

A nubi, hoc est pignora consuetudinis, societatisque, quo vinculo conjuges vinciuntur.

Apud Gruterum (*a*) inscriptio est, quæ videtur futuræ potius quam præsentis vitæ vota prospicere, *Regina Vibas in Domino Zesu*, ubi errores scriptionis observa duos, *vibas* pro *vivas*, & *Zesu* pro *Jesu*. Ea in marmor candidum incisa est. Sepultura autem est Christianæ nescio cujus mulieris *Reginæ* nomine.

Quæ in ovata forma litteræ sunt RA'ΓE difficiles explicatus habent; tametsi primo intuitu id Mariti nomen esse putavi, qui *Raugenius* diceretur, tamen postea multum dubitavi: Interim vero, quo-

B niam conjecturis res agitur, dicam conjectando quod mirum tibi videatur, ut meliora possis impertiri.

Itaque hoc in primis pro certo statuo, significari his litteris Arram genialem, Annulum seu pignus sponsaliorum. Cur ita sentiam hac ratione moveor. Cum littera *e* pro *u* ponatur, uti *seo* pro *suo*, intelligimus Latinam Linguam corruptam fuisse, ut is tunc temporis esset quotidianus, & patrius sermo; sicut ad hæc usque tempora Galli in Provincia obsoleto Romanorum sermone *sieve* ajunt pro *sienne sua*, quo vocabulo nostri interpositam litteram *e* retinuerunt. Crediderim itaque simili

C quadam corruptione pro iis Gothorum temporibus, cum primum Regia stirps apud nos in Galliis extitit (tunc autem confectum hunc esse annulum censeo) perperam demtam esse hujus vocis *Arra* primam syllabam; ut quotidiano sermone vulgus ait *Toni* pro *Antoni*; idque esse Nationum Septentrionalium vitium, quarum omnia propemodum vocabula Monosyllaba sunt. Ita ab Anglis dicitur *Pit*, *Nic*, *Firt*, *Petrus*, *Nicolaus*, *Franciscus*, idque genus alia. Illi quidem plures consonantes litteras in unum conferunt; sed vocales omnes missas faciunt præter unam quæ in pronun-

D ciatione principem locum tenet, estque aliis litteris sonantior, ut Alemanni pronuntiant *Hans Joannes*. Itaque aut per Gothos, aut per Burgundos qui Arelate potiti sunt, ubi inventus hic annulus est; aut per eos Gallos qui Burgundos expulerunt, aut eos qui cum Romanis eum locum incoluerunt, corrupta hæc loquendi consuetudo invecta est: quod adeo verum est ut lib. I. *de la Siete Partidas*, *titre* 28. *part.* 7. Hispani vetusto Castellæ vocabulo *Rafez* dicant, quod hodie *Arreoy Adurno de una persona y appostura de casa y criados*. Dicunt etiam *arrear* pro *adornar y engalvar*

E *de arras las joyas que el desposado da a la desposada*: dare arras, aut pignora sponsæ suæ. Ductum id est ab antiquo vocabulo *arra* aut *arrabo*, quod valde affine est Orientali, seu Chaldaico *Hharrab*, sponsam ducere. Fortasse alterum ab altero derivatum est, cum sæpe Nationes ab Oriente ad Occidentem migrarint. Quod eo mihi persuadeo magis quia ab hominibus Hebraicæ cæterarumque linguarum Orientalium longe quam ego peritioribus audio primam syllabam AR, a Græcis

a *Pagina* MLVIII. *n.* 6.

modo

modo, Latinisque, quorum suavior lingua est, additum esse, ita ut si huic voci *Rau* in hanc sententiam nihil simile Linguæ Septentrionales habent, ab Orientalibus fortasse ejus rei origo tracta sit.

Hinc illud mea quidem sententia consequitur, nihil prohibere quominus prisci Hispani Gothos hac in re imitati sint, eademque ratione meus aureus annulus careat prima syllaba vocis *arra* aut *arrabo*: & præterea nihil esse cur hæc syllaba *Ra'* in hoc annulo insculpta pro *arra* poni non potuerit, atque ita etiam quæ sequitur ΓΕ pro *Genialis*; quemadmodum dicitur *Lectus* aut *Thorus genialis*. Vocabulum illud quo his temporibus in Provincia vulgus utitur, *Raubo*, in Italia *Robba*, in Galliis *Robbe*, in Hispaniis *Ropa*, & *Rafez* pro vestimentis præcipue, ac generatim pro omni supellectile, ex his vocibus *Arrabo*, *Rabo* aut *Rau* factum esse affirmare non ausim: Nolo enim ad eam Ethymologiam confugere, quæ non multum habet probabilitatis. Tu qui in Linguis Septentrionalibus versatus es, aliquid magis affirmate pronuntiabis. Expendi etiam posset utrum Christianorum inscriptiones votorum quoque funebrium, non modo nuptiarum occasione factæ sint, & utrum ex prima interpretatione apta erui sententia possit, quemadmodum ex altera, quæ majorem veritatis speciem præ se fert, & ad illud etiam Tertulliani spectat: *Nubat in Domino*. Nimis modo gravibus obstringor occupationibus, quamobrem in hanc rem libros consulere non vacat, & nescio qua ratione tantum mihi otii sumserim, ut minutis his de rebus ad te scriberem. Quare me excusatum velim habeas: ut enim minus hac de re sollicitus sim, humanitas tua, comitasque facit. Vale.

Aquis Sextiis VIII. Idus Augusti 1619.

PEIRESCHIUS.



UNDECIMA DISSERTATIO

De nonnullis Annulis aureis, & argenteis.



IN alterum aureum annulum alteri pondo prope parem inventum Lugduni anno 1679. Hunc habuit a structore quodam nescio quis, a quo is veniit Fabro aurario. Tunc temporis in cœnobio Sancti Petri fundamenta reficiebantur; quapropter ibi videtur inventus. Diutius per Fabrum aurarium apud me annulus fuit, quo eum expenderem. Aurum optimum est, quo Nummi scilicet percuti consueverunt. Satis parva, & crassa onyx in eo compacta est: in ea effictus homo ante palmam sedens: omnia tamen rudia, quamobrem eum non feci plurimi. Tria tamen sunt quæ observatione digna duxi.

I. Crassior, & gravior est quam annulus esse soleat; ejus enim pondus gravius est quatuor nummis aureis cum dimidio. Recurrit animo hoc loco quod festive in Satyris ait Juvenalis,

Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit Annulus ingens.

Et alibi:

Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.

Plinius (a) ait eo luxuriæ sui temporis Romanos progressos esse, ut ingentis ponderis annulis ad ostentationem uterentur. *Jam alii pondera eorum ostentant.* Primis temporibus Romani annulos ferreos gestabant, id enim ut virtutis bellicæ insigne, ut erant militiæ dediti, ferrum pretiosioribus metallis præferebant. Tarquinius Priscus primus annulum aureum habuit. Longo tempore ne Senatum quidem Romanum ausum esse gestare annulos compertum est. His tantum qui Legati ad exteras gentes ituri essent annuli publice dabantur: tamen in publico tantum utebantur his aureis, intra domos vero ferreis. Plinii temporibus, ut ipse testis est, *Sponsæ muneri annulus ferreus mittebatur, isque sine gemma.* Tanti iis temporibus annulos aureos fecerunt, ut unius causa exitiale bellum exortum sit. Inter Cæpionem & Drusum ex annulo in auctione venali inimicitiæ cœpere; unde exitia rerum. Promiscui tamen usus altero Bello Punico annulos fuisse credendum est: Neque enim aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti, quibus equitibus, militibusque Romanis detractis, ingentem eo prœlio occisorum numerum ostentaret. Neque enim antea fas erat populum annulos ferre,

a *lib. 33.*

A cum annulus aureus insigne esset nobilitatis. Consecutis quidem temporibus Commodus annuli deferendi potestate vel Libertos donavit; neque ullæ Mulieres, neque gregarii Milites, atque adeo servitia fuere, quæ annulo carerent.

II. Quod deinde observandum est, est Domini nomen: ibi enim inscriptum est: *Memorini*; ut si unquam amitteretur, ei ad quem pertineret, redderetur. *Memorinus* est agnomen, quod familiis pluribus potuit esse commune, ut pluribus communia fuisse novimus *Memor* & *Memorianus*.

III. Tertio loco notandum, quod, cum hic Annulus sit valde gravis, habeatque extrinsecus angulos duos (quamobrem si medio, aut annulari

B digito gestandus erat, futurus erat impedimento) nisi pollice deferri commode poterat: omnibus enim digitis tunc temporis aptari annuli consueverunt. In Peireschii Museo, quod, si res antiquas spectes, quodvis aliud facile superavit, ut ex ejus indice comperi, plurimi variique annuli antiqui erant, inter quos magnus annulus aureus, in quo commissus erat Nummus aureus Antonini Pii, qui totus pondere æquabat Nummos sex. Annulus præterea argenteus cum jaspide, in quo Diana inter Martem, & Victoriam incisa erat: & argen-

C teus annulus alius encausto nigro pictus cum Sardonyche Arabica in pala auro circumdata; alius æreus, in quo compactus Nummus æneus Imperatoris Juliani, in cujus aversa parte hæc inscriptio *Isis Faria*: alius ferreus qui pro gemma exiguum florem argenteum continebat; alius item ferreus cum onyche cincta auro: alius crystallinus complexus fœmineum caput pictura monochromatea, aut opere anaglyptico; alius tandem aureus connexas habens quatuor margaritas. Ingentem præterea Peireschius habuit gemmarum sculptarum vim, quæ cum annulis coagmentatæ fuere ad obsignandas litteras Veteribus symbola.

D Claudium Imperatorem memoriæ proditum est ipsius annuli metallo sigilla fieri jussisse, indignum putantem ad id efficiendum gemmas adhiberi. His de rebus scripsere Duchoul lib *de Relig. Roman.* Gorlæus in *Dactyliotheca*; Augustinus Romanus librum confecit; & Chifflettius *Abraxas*, seu *Apistopistum de gemmis Basilidianis*.

Nuper quidam ex hac Urbe Aurifex annulum antiquum aureum mihi ostendit, cujus pondus minæ aureæ par erat, in quo pro gemma quadratum ex eodem metallo erat; & in hoc caput viri, & caput mulieris, alterum in alterum conversum. Super avis stabat, & in extrema prope rostri par-

E te exigua corona, & circumductæ hæ litteræ: *Vivatis*: quid isthuc sit si quis me interroget, annulum genialem, seu nuptialem hunc esse dicerem, in eoque effictas Viri, & Uxoris imagines, quorum conjunctionis Turtur, & corona sint indices, felicitatis autem votum sit illud *Vivatis*.

DUODECIMA DISSERTATIO

De Nummo Antiquo Severi, & Juliæ Domnæ.





Penes me Numiſma hoc aliquando fuit, nunc eſt penes De Camps Adjutorem Glandatenſem, cujus Muſeum, ſi Numiſmata ſpectes, inter totius Europæ celeberrima facile referas, cujus qualis ſit Dominus ex ipſo intelligas. Forma Nummi neque exigua, neque maxima, ſed mediocris eſt: temporum injuria nihil detrimenti paſſus eſt, & præſtantis artificis is videtur opus. Pars altera Imperatoris Severi, ejuſque uxoris Juliæ Domnæ ſe ſe e regione intuentium vultus exhibet. Ita poſiti vultus, ut cum ſtudioſis Nummorum loquamur, dicuntur *capita adverſa*: quæ capite occipite conjunguntur, *capita averſa*: quæ tota conſpiciuntur facie, ita ut alterum retro aliquantum emineat, dicuntur *capita jugata*.

Nomina præciſis litteris ſcripta ſunt: ΑΥΤΟ-Κρατωρ ΚΑΙσαρ Λουκιος CΕΠΤΙμιος CΕΟΥΗΡΟC ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CΕΒΑCΤΟΙ, hoc eſt *Imperator, & Cæſar Lucius Septimius Severus, & Julia Domna Auguſti*: qui neque Nummos, neque Inſcriptiones callent ſciant hanc notam C eſſe rotundum *Sigma* uſitatiſſimum in monumentis Græcis Romanorum Imperatorum temporibus ab Auguſto uſque ad Conſtantinum. Uxor Imperatoris Severi modo nuncupata eſt *Julia Pia*, modo *Julia Domna*. Obſervant tamen qui hæc diligenter perquirunt, rariores eſſe hac altera, quam illa altera inſcriptione Nummos.

Animadverterunt eruditi, & inter cæteros Salmaſius, in Ægypto, Syria, totoque Oriente cognomen *Domna Dominus* commune fuiſſe. Notum eſt hanc Imperatricem Syriacam eſſe; proinde Oppianus, qui *Domna* pro *Domina* dici putat, non recte ſentit. In eumdem errorem incidit ex Recentioribus Scriptor neſcio quis, qui Imperatorum Matres omnes appellatas eſſe *Domnas* aut *Dominas* arbitratus eſt: quod quidem monumentis, quæ ab antiquitate accepimus, adverſatur. Non eſt inficiandum Conſtantini ætate *Dominarum* titulo Imperatrices, & *Dominorum* Imperatores fuiſſe donatos; Itaque in Inſcriptionibus reperias *Dominæ noſtræ Helenæ, & Domino noſtro Conſtantino*, aut *Diocletiano*. Cognomentum autem *Domna* proprium eſt Juliæ Severi uxoris, & ubi additur *Pia*, *Domna* prætermittitur. Habeto elegantem Inſcriptionem ab Africa Minore translatam opera Eminentiſſimi Principis de Medicis, eaque nunc temporis in Magni Ducis Muſeo ſervatur.

FLORENTIÆ.

IVLIAE DOMNAE AVG.
MATRI CASTRORVM
MATRI AVGVST....
IMP. CAES. L. SEPTIMI SEVERI PII
PERTINACIS AVG. CONIVGI
Q. SILICIVS VICTOR ET C. TADIVS FOR
TVNATVS OB HONOREM FLAM.
SVI PERPETVI STATVAM CVM BASE
EX HS. BINIS MILIB. N. LEGI
TIMIS ADIECTIS TERTIS EX DE
CRETO PAGANOR. PAGI MERCVRIALIS
VETERANORVM MEDILITANOR.
S. P. F. IDEMQVE DEDICAVERVNT

Hic titulus *Mater Caſtrorum* occurrit etiam in Nummis Juliæ Domnæ, & Fauſtinæ junioris, quæ dicta eſt etiam *Mater Patriæ* & *Auguſtorum*. Fuerunt enim illi Filii duo Imperatores Caracalla, & Geta. Quod quidem eſt ab iis, qui eam Caracallæ, & Getæ parentem cenſuerunt, contra eos qui illius Novercam eſſe exiſtimarunt; in qua ſententia fuere Spartianus, Eutropius, & Aurelius Victor. Teſtantur etiam eam a Caracalla defuncto Patre uxorem ductam fuiſſe, quod illorum temporum Scriptores non prodiderunt. Contra vero ex Dione conſtat Juliam Caracallæ fuiſſe matrem: *Julia*, inquit, *Tarantis mater cognita filii cæde*: Per jocum enim Caracalla *Tarantis* nomine vocitabatur; & de hujus Imperatoris ingenio locutus ait, *inerat ei malitia matris, Syrorumque*. Quocirca Julia ejus mater erat, cumque duo Fratres Caracalla & Geta ſuas ſibi cœperunt res habere, utrumque ea filium vocat; hæc enim ab Herodiano accepimus: *Diviſiſtis, Filii, inter vos terram, ac mare, matrem vero quomodo dividetis?* Si Noverca tantum alterius fuiſſet, rationem ut eos conjungeret non ſatis firmam attuliſſet. Philoſtratus, qui diu in Aula Severi verſatus eſt, Filium Juliæ Caracallam vocat.

In Inſcriptione apud Gruterum p. 266. ubi pro *Doninæ* lege *Domnæ*, ea dicitur *Mater Cæſaris Antonini*, & in ea quam modo attulimus (deſunt enim nonnullæ litteræ in fine tertiæ lineæ) lege *Matri Auguſtorum*, Nummorum ac Lapidum notis infiſtens; aut vero *Matri Auguſti noſtri*, ſcilicet Imperatoris Junioris; quemadmodum in prima Inſcriptione Albani quam mox proponemus. *Pagus Mercurialis* erat profecto prope Africæ promontorium *Hermæum*, aut *Mercurii* dictum, non longe a Tu-

neto distans. Indeque hic lapis sublatus est. Ad illud porro *Meditilanorum* quod pertinet, quæ ea regio fuerit me quidem latet.

Observatione digna est aversa quoque Nummi pars. Seleucianis ad Calycadnum fluvium referenda inscriptio est, CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. Cum enim plures urbes Seleuciæ dicerentur, distinctione opus erat. Plinius loquitur de Seleucia, quæ est ad Belum fluvium in Cœlesyria. In eadem regione alia est Seleucia dicta *Pieria*. Alia est apud Babylonios ad fluvium Hedyphontem. Alia Babylonia ad Tygrim fluvium, *Bagdatum* dicitur a recentioribus. Alia in Pisidia: Alia tandem in Cilicia ad Calycadnum fluvium, cui Seleucus Nicator nomen dedit, cum ante Olbia, & Hyria diceretur. Eadem hæc est quam Ptolemæus Seleuciam Tracheam appellat, Plinius vero Seleuciam Tracheotidem, propterea quod in Cilicia Trachea eadem Seleucia sita est. Quod si autem nominis significationem a Græcis, ut revera vox Græca est, repetas, τραχεῖα idem sonat atque *via aspera inacessa*. Nunc quoque ea dicitur Seleucia.

In aversa Nummi parte currus a duabus Pantheris trahitur, in quo stat adolescens homo læva manu vas tenens, brachio pellem Tigris. Ex his notis Bacchus Indiæ, totiusque Orientis domitor satis perspicitur: Ille enim triumphat curru vectus telum jacienti similis, & hostis ante ipsum sternitur. Vase Pantheris potum præbet; pellis autem Tigris, seu Pantheræ est propria Bacchi nota; Tigres, Pantheræque, ut notum est, sunt Baccho sacræ. *Bacchum Veteres*, Athenæus inquit, *pro ebriorum statu, ac moribus, quoniam ad violentiam temulentos vinum concitat, nunc cum Tauro comparant, nunc cum Panthera: sunt enim vinolenti quidam iracundi ut Tauri, quidam ob pugnacem audaciam efferuntur, ut Pantheræ*. Panthera est genus quoddam Leopardi: est autem magis candida, & maculis distincta magis quam Tigris. Omnes istiusmodi feræ Baccho, Phornuto teste, immolabantur; sive id ad maculas ipsarum referas, sive ad vini vim, quæ ejusmodi est ut a morum asperitate ad humanitatem non immodice sumtum homines revocet. Ita Bacchum Philosophus Albricus describit, ut muliebrem vultum, pectus nudum, in capite cornua, & ex vitis foliis coronam ostentet, Tigri insideat, læva manu vas, dextera racemum præferat. Verum Deorum descriptiones constantes non sunt, & si antiqua monumenta consulas, in Bacchi capite cornua raro videas. Quare Nummus hic non eum ebriorum Deum, sed orientis Victorem exhibet; neque enim vitis foliis circumdatum caput habet, neque est ita plenus vultu ut solet esse mulier, & præterea armatus telo est, non racemo.

Bacchi Victoriis, Imperatoris Severi, qui ut antea Bacchus, Arabas, Adiabenos, Parthos, Osrhoenos Orientis populos subegit, Victorias profecto assentandi causa Seleuciani indicare voluerunt. Non potuit Imperatori non esse accepta isthæc ingeniosa adulatio, qui laudis erat appetentissimus, & Bacchum peculiari quadam ratione venerabatur, quod ex ejus quodam Nummo colligas, in quo Baccho, & Hercule conjunctis, unaque stantibus inscribi jussit; *Diis Auspicibus*, quod est tanquam Patronos, & Auspices coluit: & quemadmodum exiguo tempore Bacchus Orientem perdomuit, ita Severus Didium Julianum, Pescennium Nigrum, & Albinum, qui omnes ad Imperium adspirabant, ubi imperare cæpit, incredibili celeritate devicit. Herodianus in oratione quam Severus adversus Albinum moturus ad milites habuit, eum ita loquentem inducit; *eamus amici Diis Auspicibus, quos iste perfidus impie contemnit*.

Quæ diximus currus quoque confirmat, quo Bacchus invehitur: est enim ille Triumphalis currus eorum similis, quibus Triumphum Imperatores acturi Urbem ingrediebantur. Bellis adversus Orientis populos præclare gestis certum est Severum Triumphum promeruisse, ut ex Nummis, Inscriptionibus, & Fornice qui ei pro monumento Triumphi ad Capitolium erectus est licet conjicere, quem tamen ille respuit ad vitandam populi invidiam, ne videretur de civibus triumphare voluisse: Nam Parthi, Arabes, & Adiabeni contra eum arma sumere coacti sunt, ut Pescennii Nigri partes tuerentur, qui ut ille alter Imperium affectabat, & a Romanis Legionibus, quæ in Oriente erant, Imperator salutatus fuerat. Verum Spartiano, qui in Vita Severi hunc, ne in se Parthorum iram concitaret, Parthici cognomen rejecisse memoriæ prodidit, qua tandem ratione adhæreamus? quandoquidem sæpissime in Nummis, & Inscriptionibus hic titulus occurrit. Ut missas faciam Inscriptiones quæ apud Gruterum sunt, en alias quæ Severi omnes titulos complectuntur.

1

ALBANI.

IMP. CAES. SEPT. SEVER. PII PERT. AVG.
PARTH. ET IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINI
PII FELIC. AVG. PARTH. MAX. BRITANN.
MAX. P. P. ET IVLIAE AVG. MATR. AVG.
N. ET SENAT. ET PATRIAE ET CASTR.
MINERVAE AVG. SACRVM
DASIMIVS FIRMAN. CORN. LEG. ET AVR.
VICTORIN. ACTAR. CVM IMM. LIB. ET
EXACTIS VOT. M. F.

2

SUESSULÆ.

HERCVLI SANCTISS. INVICT. SACRVM.
PRO RED. IMP. CAES. L. SEPTIMII
SEVERI PII PERTINAC. AVG. P. S.
ET POP. SVESSVL. M. IVNIVS. M. F.
STEL. SEVERIANVS II. VIR. D. T.

Hinc probatur illud quod diximus Herculem Severi Patronum fuisse.

3

PANORMI.

IMP. CAES. SEPTIMIO SEVERO
PIO PERTIN. AVG. ARAB. ADIABEN.
PART. MAX. PONT. MAX. TR. POT. VI IMP.
XI. COS. II. P. P. PROCOS. IMP. CAES. DIVI
M. ANTONINI PII GERM. SARMATIC. F.
DIVI COMMODI FRATRI DIVI ANTONI
NI PII NEPOTI DIVI HADRIANI PRONE
POTI DIVI TRAIANI PARTHICI ABN.
DIVI NERVAE ADNEPOTI INDVL
GENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO NOSTRO RES. P. PANHORM.
II VIR. SATYRI DONATI ET M. MAECI
RVFINI D. D.

4

Anagniæ.

IMP. CAES. L. SEPTIMII PII PERTINACIS AVG.
ARABICI ADIABENICI PARTHICI MAXIMI
FORTISSIMI FELICISSIMI P.P. FILIO M.
AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG.
TRIBVNIC. POTEST. IIII COS. PROCOS.
S.P.Q. ANAGNINVS

5

Romæ.

LVNAE AETERNAE SACR.
PRO SALVTE
IMPER. CAES. L. SEPTIMI
SEV. PII INVIC. PRIN.
PON. MAX. P.P.
IVL. BALBILLVS IVL. F.
ANVLLINVS
PRAEF. VIGIL. V. S. L. M.

Habeto tandem elegantem Severi inscriptionem, dignam, quæ ab antiquitatis amatoribus legatur. Hic habes milliarium hoc est columnam, a qua milliariorum numerus, quibus Veteres itinera metiebantur, incipiebat. Eam ego in Chirographis Peirescii deprehendi; & Abbas Pecolius Lugdunensis, qui multas orbis partes peragravit, quique Græcas, & omnes humaniores litteras in deliciis habet, testatus est apud me se eam inter antiquas Orientis res vidisse; quemadmodum etiam fragmenta, quæ habentur ibidem, hoc confirmant.

Ad secundum Lapidem e Sidone Tyrum versus.

IMPERATORES
CAESARES
L. SEPTIMIVS SE
VERVS PIVS PER
TINAX AVG. ARA
BICVS ADIABENIC.
PARTHICVS MAXI
MVS TRIBVNICIA
POTEST. VI. IMP. XI. COS. II.
PROCOS. P. P.
ET M. AVREL. ANTONI
NVS AVG. FILIVS EIVS
VIAS ET MILIARIA
PER Q. VENIDIVM RVFFVM
LEG. AVG. PR. PR. PRAE
SIDEM PROVINC. SYRIAE
PHOENIC. RENOVAVERVNT
II

Fragmentum columnæ eodem in loco.

::::::::::::::::::::::::::::::
ET VIAS ET IMPERIVM
PROVINCIAE SYRIAE
RENOVAVIT
....
VENIDEVM RVFFVM
....

Numerus ille II. indicat ad secundum Lapidem a Sidone eam columnam positam fuisse.

DECIMATERTIA DISSERTATIO

De Pictura antiqua prope Amphitheatrum Romæ reperta.

Pictura antiqua prope Amphitheatrum Romæ reperta, ex I. P. Bellorii veſtigiis veteris Romæ.



Lictores aliiq; miniſtri et milites præcedunt triumphantem Romam, quam coronat à tergo victoria



Am præclara de Veterum Pictorum monumentis jactantur, ut quin ii præſtantiſſimi fuerint, dubitandum minime ſit. Neminem fortaſſe reperias, qui Zeuxis cum Parrhaſio certamen ignoret: ii ætatis ſuæ Pictores alios longe ſuperarunt, & ejus ætatis, qua in Græcia artes maxime floruerunt. Alter uvas ita ad vivum pingendo expreſſit, ut ad eas deceptæ aves advolarint; alter vero picto linteo ipſum adverſarium decepit, qui flagitavit, ut remoto linteo pictura oſtenderetur. Sed quod etiam maxime miror illud eſt, quod ipſorum pictis tabulis non facile diuturnitas temporis officiebat, quod mehercule ex perfecta colorum, quibus utebantur mixtura proficiſcebatur. Plinius narrat æde Salutis picta anno Urbis conditæ 450. eam picturam ad ſuam memoriam duraviſſe, hoc eſt annos 250. diutius duraturam, niſi ædes Claudii principatu exuſta fuiſſet. Sed nihil neceſſe eſt hac de re a Scriptoribus auctoritatem petere, ſatis eſt quæ Romæ ſuperſunt Veterum picturarum reliquias perpendere, quarum vel exiguæ hiſce temporibus ſervantur. Harum ab ipſis Ethnicis etiam quatuor ſaltem, aut quinque ſæculorum decurſu ſervatas nonnullas accepimus. Conjicimus id ex cæremoniis, Diis Ethnicorum, quos in iis expreſſos cernimus, & ex artis peritia, quæ tunc viguit, quæ una cum cæteris artibus, & humanioribus litteris, paulatim Ethnicorum Imperio, ritibuſque ruentibus, in deterius ruit: Neque enim de iis Chriſtiani, quippe ſimplices homines, magnopere fuere ſolliciti.

In hortis Aldobrandinis Romæ habetur hac noſtra etiam ætate pictura antiqua, quæ nuptias neſcio quas, & earum ritus repræſentat. Bellorius Antiquarum rerum peritiſſimus picturam nonnullis ab hinc annis in ſepulcro familiæ Naſoniæ re-

A pertam explanavit. Eidem accepta referenda eſt deſcriptio, quam antiquitatis amatoribus hic ſubjicio:

Pictura hæc prope Amphitheatrum Titi extabat in atrii muro tectorio recens inducto: Itali dicunt, *Pittura a Freſco*. Cum igitur hujuſmodi picturæ non ita diuturnæ ſint, ut illæ noſtris temporibus inventæ, quæ olei mixtura conficiuntur, mirum eſt illam tam venuſtam, ac tam diu perſtitiſſe.

Triumphantem itaque Romam ea Pictura refert; ſtant circum milites, aliique miniſtri, quas ſpecies libet ſingulas examinare.

B Roma quæ hac in Tabula primas tenet, Palladis more induta eſt: ejus habitus eſt adoleſcentis, ut intelligas Romam ætatis flore vigentem non feneſcere. Galeam capite geſtat, haſtam manu, veſtem autem humeris oblongam: qua ratione ſe tam belli, quam pacis Amicam oſtentat. Videtur enim ex galea, & haſta Pallas, ex oblonga veſte Minerva; illa enim ratione Pallas, hac Minerva pingi ſolet. In Conſularibus Nummis ſæpe, in Græcis aliquando Romam ita effictam deprehendas, ut ejus caput una cum Senatus capite conjunctum ſit: Senatus autem caput objicitur Senis forma: ex ſenibus enim Senatus conſtat, aut certe gran-

C dioribus natu Viris, & prudentioribus, cujuſmodi ii ſolent eſſe, qui rerum humanarum experientia valent. Hæc duo Romæ, Senatuſque capita in Nummis Græcis, ut populorum excitetur veneratio, magnificis titulis decorantur; nempe ΘΕΑ ΡΩΜΗ. *Dea Roma:* & ΘΕΟΣ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, aut ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Deus Senatus; ſacer Senatus*. Itaque Religione quadam ac Divino Numine, qui in ditione Romana erant, Romæ Senatuſque imperata facere cogebantur. Immo ubique Templa Deæ Romæ poſuerunt; tantaque erat adulatio, ut ii eſſent modeſtiores Tituli: *Roma Victrix*, *Roma Invicta*, *Roma Æterna*, *Roma Sacra*. Duo illi priores tituli tacite hac pictura continentur. Roma enim cumulo armorum in-

ſidet, prope tropeum hoſtium ornatum ſpoliis, ad quod captivus revinctis poſt tergum manibus jacet.

Captivus hic Barbarus eſt, nempe neque Latinus, neque Græcus Romæ ſubditus, qui ex impexa barba, & braccis ad pedem fluxis cognoſcitur; his enim Romani non utebantur, qui pede prope nudo incedebant, & plerumque, quod quidem in his figuris manifeſte patet, ſandalia modo geſtabant, quæ duabus corrigiis ad tibiam alligabant, aut vero ocreas ad medium pedem, ac præſertim imbre decidente.

Ad Romæ latus miles ſtat, aut Miniſter alius Romanus, qui Clypeum quidem fert, enſe vero caret, quemadmodum cæteræ quoque figuræ. Ex quo conjicias hic ita Romam triumphantem repræſentari, ut Triumphi præmio pacis tempore fruatur potius, quam armata cupiat terrorem hoſtibus incutere. Et quidem Triumphus confecto bello decernebatur, & haſta quam Roma, & miles trahens equum fert, eſt *haſta pura*, hoc eſt nullo armata ferro, quæ pro ſceptro, ac tanquam auctoritatis ſigno adhibebatur, in belli adminiſtratione non adhibenda.

In equo qui manu ducitur, Ephippia tantum hoc eſt ſtragulum vides, ex more nempe Romanorum, qui neque ſellas, neque *Stapias* (hoc enim vocabulo uti neceſſe eſt) equis imponebant. Quod quidem in cauſa fuiſſe Galenus ait, cur quibuſdam pedum morbis Romani equites quandoque laborarent, quia inſidentes equo nihil habebant, quo pedibus inniterentur: & ante Galenum Hippocrates animadvertit Scythas, qui plurimum equitare ſolebant, hujuſmodi incommodis iccirco fuiſſe obnoxios, quia pendentibus ex equo pedibus iter faciebant.

Lictores duo cum faſcibus hoc eſt virgarum faſciculis, quibus obligatæ erant ſecures, ita ut ferrum in ſummo extaret, quæ erant ipſorum muneris inſignia, ſignificantius quam cætera hac in Tabula majeſtatem, auctoritatemque Romanam indicant. Id Romulus inſtituit, ut in populi, ac plebis animis erga magiſtratus reverentiam excitaret. Dictatori, qui erat ſupremus apud Romanos magiſtratus, & periculoſiſſimis dumtaxat Reipublicæ temporibus creabatur, viginti quatuor Lictores faſces præferebant; Conſulibus duodeni; Proconſulibus, & Prætoribus Provincialibus ſeni; Prætoribus Urbanis bini. Quocirca Lictorum numero Romani magiſtratus diſtinguebantur. Ubi magiſtratus juſſiſſent, Lictores ſontibus manus colligabant, & inde dicti Lictores. Primum quidem magiſtratus pronunciabat, *Lictor, colliga manus*; deinde, *Virgis cæde*. Tum Lictores virgas expediebant, ſonteſque cædebant.

Quod ſi quos deplorata malitia offendiſſent, itaut magiſtratus diceret, *Plecte ſecuri*, tum vero nulla habita ratione, noxios ſecuri feriebant. Quapropter ſecures non ſolum Magiſtratus auctoritatem ſignificabant, ſed etiam ad juſſa capeſſenda adhibebantur.

Reliqui autem magiſtratus, ut Ædiles, & Tribuni Plebis, quorum munus erat potius perficere, ut ſervarentur leges, quam ferre, Lictoribus non utebantur, ſed tantum Viatoribus, quia itineri ſæpe ſe committebant, ut abſentes in judicium arceſſerent. Qui duo ſtant ad equi latus eos facile hujuſmodi Viatores crediderim; Nullum illi ſui muneris geſtabant inſigne, geſtabant vero inſigne ſuum Lictores.

Cæterum Magiſtratus, quos jure Lictores præcedebant, quoties Populo, aut cuipiam eximio viro honorem haberi vellent, inclinari faſces, ac deprimi jubebant; atque hoc eſt quod ajunt *ſubmittere faſces*. Itaque P. Valerius Poplicola Conſul vocato ad concionem populo, *Faſces*, inquit T. Livius, *Majeſtati Populi Romani ſubmiſit*. Pompejus vero Magnus Poſſidonii Philoſophi domum ingreſſurus, faſces lictorios januæ ſubmiſit, ad Litterarum, quas impenſe amabat, honorem. Hinc nobilium Venetorum mihi venit in mentem, qui donec in Provinciarum adminiſtratione verſantur, ſervis, miniſtris, aliiſque pluribus ſtipari ſolent, ubi vero Venetiis degunt ne unum quidem ſervum comitem iis habere licet. Hæc habui de hac pictura quæ dicerem; quamquam nihil pluribus opus eſt: commendatur enim venuſtate ſua ipſa ex ſe ſe, ut vel nullis additis interpretationibus rerum antiquarum ſtudioſis placitura videatur.

DECIMAQUARTA DISSERTATIO

De Nummo Commodiano.





IN nostro olim fuit, nunc vero in Decampii Adjutoris Glandatensis Museo est iste Nummus, quem modo objicio. Per quam rarus ille est, ac singularis: Cum enim ego Musea in Galliis, Italia, & Alemannia viserim prope omnia, non sum ejus nactus similem, nisi in Regio Parisiorum Museo, & Eminentissimi Principis de Medicis; quorum alter quidem minor est, alter vero major: eorum tamen utroque hic noster integritate potior. Est hic præstantis Auctoris opus, & obtegitur eximio viridi antiquo. Qui rerum antiquarum cognitione oblectantur satis norunt Commodi Nummos vulgares esse: sed hujus aversa pars tam singularis est, ut inter tot Consulares, & Imperatorios qui supersunt Nummos, alterum frustra fortasse inquiras, qui Navim velis, non remis impulsam exhibeat.

Hujusmodi navis apud Romanos dicta est *oneraria* quia mercibus, & commeatibus deferendis potius, quam ineundis præliis inserviebat: tametsi onerariæ quoque naves instructæ copiis & armis pugnæ aliquando committebantur: qua ratione apud nos quoque navigia, & quæcumque vectoriæ naves adhiberi solent. Petitis navali prælio Tarentinis hujusmodi Naves onustæ commeatu classem secutæ sunt, eæque ab hostibus captæ: Ita refert T. Liv. *Mox prædæ fuere Thurinis, Metapontinisque, ex onerariis quæ cum commeatu sequebantur, perpaucæ in potestatem hostium venere: aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela in altum evectæ sunt.*

A Plauto istiusmodi Navis *geraria* nuncupatur, quia commeatus, apparatus militares, militesque gerit; & a Cæsare in commentariis *frumentaria*, quia frumento onerabatur. Tunc temporis apud Gallos hæ Naves *Pontones* dictæ sunt, immo nostris quoque temporibus *Pontons* Galli dicunt. Libro 3. de Bello Civili Cæsar hæc habet. *Plerasque naves in Italiam emittit ad reliquos milites, equitesque transportandos, Pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lyssi reliquit.*

Appellatæ illæ sunt etiam *Corbitæ*, cum in malo summo pro signo corbis suspendebatur. *Corbita*, inquit Nonius, est *genus navis magnæ, & gravis.* Hinc Plautus de pigris proverbio dixit; *Tardiores multo quam Corbitæ in tranquillo Mari.* Nihil enim lentius onusta Navi impulsa tantum velis tranquillo Mari. Lepide idem Plautus usus est verbo *Corbitare* pro ventrem implere, quasi navigium cibariis onerare.

Navis oneraria plerunque instructa erat trinis velis: hinc dicta est τειάρμενος: hic tamen duo
A modo vela vides; alterum ad malum, alterum ad proram. Unus magister navis in puppi sedet, neque alius præterea nauta est, quod admonet quemadmodum unius gubernatoris peritia navis regitur, ita Imperii administrationem unius Commodi mente geri. Nimis fortasse longe petita videntur hæc; At eum præconiis longe amplioribus cumulatum fuisse constat, ita ut per eum restituta ætas aurea diceretur, isque Hercules, Invictus, totiusque humani generis Pacificator audiret. Percussum Nicææ rarum hujus Imperatoris gloriæ appetentissimi Nummum vidi, inque effigie ibi corona legi hæc: ΒΑϹΙΛΕΥΟΝΤΟϹ ΚΟΜΟΔΟΥ
B Ο ΚΟϹΜΟϹ ΕΥΤΥΧΗϹ, id est, *Imperante Commodo Felix Terrarum Orbis.*

A Gubernatoris tergo est quoddam uncum ornamentum Navis, quod in ora proræ, puppisve, ut hic vides, poni consuevit. Illud est quod ἀκροςόλιον dicebatur; & quoties pugnatum erat erepta hostibus ἀκροςόλια eorum, qui vicerant navibus affigebantur. Nescio quid simile apud Venetos in usu est, qui Cymbarum proris læve ferrum, & acutum collum anseris imitatum præfigunt. Fortasse illud puppis ornamentum est, quod *Anserculum* appellabant, Græci χηνίσκον, cujus for-
C mam velut anserini capitis Baysius reliquit.

Inscriptis hoc in Nummo litteris subter Navim notam esse voluit Senatus Romanus Imperatoris *Providentiam*, qua missis in omnes oras Navibus res humanæ vitæ necessarias parandas curavit. Fortasse id generis certum quoddam beneficium designari voluit, quod certo quodam Imperii sui anno illa attulerit. Hic annus ambientibus Navim præcisis litteris significatur. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. quibus percussum esse Nummum intelligimus, *Commodo Pontifice Maximo, Tribuno Plebis XI. Imperatore* (cui commissa fuerat belli administratio) *VIII. Consule V. Patre Patriæ.* Id
D est paucis Litteris multa dicere. Quod si Romani Annum ab Urbe Condita non repetebant, quod quominus facerent nihil prohibebat, saltem expressis Consularis, ac Tribunitiæ potestatis adjunctis, quos Magistratus is, qui pro tempore Imperator erat, singulis annis inibat, annum sæpissime significabant. Notandum est hac potestate sæpe donatos fuisse antequam Imperatores essent, simul atque *Cæsares* appellati fuerant in ejus, qui tum imperabat locum, ubi decesserit, successuri. Itaque hic annus Commodi, si fastos Consulares inspicias, est Urbis Conditæ 939. Christi vero 187. ipsius autem Imperii sextus: fuerat enim, antequam Pater ejus M. Aurelius oppeteret, quinque annos una cum ipso Tribunus Plebis.

Hanc peculiarem Providentiam, quam hoc in Nummo expressam vides, alio quoque Nummo Oyselius pagina 61. aliique Auctores exhibent. Extat hujus

hujus Imperatoris Nummus aureus, & alius mole major, at æreus, in cujus aversa parte leguntur hæc: *Providentiæ Aug.* duabus figuris stantibus. Altera Commodum tanquam Herculem objicit: etenim Leonis spoliis indui arroganter voluit, dicique Hercules Commodianus, ac tanquam Numen divinis honoribus cumulari. Pede dextero proram Navis premit, ut eum in Mari præclare aliquid gessisse intelligas. Altera figura est Fœmina, cujus caput Elephanti spoliis obductum est: ad ejus pedes Serpens jacet, qua nota Africam, quæ Elephantis abundat, Romani repræsentabant. Sistrum Isidis magni apud Ægyptios Numinis ea manu tenet, & Commodo spicarum manipulum offert, ad indicandam ejus Imperatoris sollicitudinem, qui ab Africa, & Ægypto in Italiam pro totius Imperii commodo frumenta exportanda curavit. Id ex Lampridio in vita Commodi eruas, ubi hæc ille ait; *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.* Itaque Historicus Nummum explicat, Nummus vero quæ Historicus scripsit invicem confirmat.


Neque vero ex eo colligas ante hoc tempus ab Africa in Italiam frumenta devehi non consuevisse; sed ad hoc Mercatorum Societas instituta non fuit, neque instructa classis, quod post Augusti Imperium factum est, ut Alexandriam peterent. Hæc habui de hoc Nummo quæ dicerem, quæque viderentur mihi propius ad veritatem accedere. Titulos vero, qui Commodi caput circumstant, missos facio. Qui enim Historiarum cognitione vel leviter imbutus est eos ignorare non potest, qui in antiquis ejus Imperatoris monumentis omnibus occurrunt.



DECIMAQUINTA DISSERTATIO

De Nummo Treboniani, ex Epistola Antonii Gallandii Ad Auctorem.







TReboniani Nummum, quem e Smyrna superiore anno ex Museo Regio devexi, ut explicem me rogas. Id libens facio, tum ut amicitiæ nostræ, quod æquum est, satisfaciam, tum ut ex meo aliquid in ea conferam, quæ es de rebus antiquis in lucem editurus. Quæ mea sententia sit exponam paucis; neque enim hic quibus ad id opus est libris, ii mihi in promptu sunt. Itaque quæ mihi in mentem venient ad rem accommodatiora, ea ad te mittam.

Græcus iste Nummus ad nos pervenit prorsus integer. Ex altera parte Trebonianus Imperator, ex altera sacra ædes tetrastyla, id est quatuor columnas habens objicitur. In januæ limine Apollo sedet, quem Lyra satis indicat; sub ædis gradibus legis ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΙΩΝΩΝ. *Jonum Civitas*. Infra Bos cerni ur ad aræ pedes. Homines decem, ac tres tollentes ad cælum manus circumstant, ita ut semicirculum efficiant; Nummum ambit hæc Inscriptio: ΕΠΙ ΚΛ. ΑΡΙϹΤΙΟΝΟϹ ΙΕΡΕΩϹ ΙΩΝΩΝ ΚΟΛΟΦΟΝΙΩΝ: hoc est, *Claudio Aristione Sacerdote Jonum Colophoniorum*.

Colophonios hunc feriisse Nummum ex hoc postremo vocabulo cognoscimus: Inter celeberrimas Joniæ illorum Urbs numeratur, de qua qui scripserint hic referre supervacaneum est. Ex eo maximam illa celebritatem consecuta est, quod ibi antiquum Templum fuit Apollini Clario sacrum, quod erat totius Joniæ, uno excepto Ephesino, laudatissimum, tametsi teste Pausania in Achaicis absolutum non fuerit, oraculorum tamen Apollinis, quæ inde reddebantur, celebritate.

Nullus dubito quin Templum illud hoc in Nummo referatur, non solum quod incidi nobiliora Græcorum Templa in Nummis, apud eos in more positum fuit, verum etiam quia Apollinis statuam in vestibulo collocatam plane video. Non illud quidem Colophone extructum fuit, sed in oppido apud Colophonem, *Claros* dicto, ubi Mons,

A & Lucus erat Apollini Clario sacer.

Aversam hanc Nummi partem considerans equidem ita sentio, nihil aliud quam vota precesque Joniæ nomine pro Treboniani Imperatoris salute, felicitateque Apollini factas exhiberi, & ad ejus Numinis gratiam promerendam Bovem mactari. Tredecim effigies Legati sunt e duodecim Joniæ Urbibus una cum Sacerdote Claudio Aristione missi, qui manibus in Cælum sublatis Apollinem precantur, ut victimam gratam habeat, & vota secundet: Aut vero tredecim Legati sunt ex tredecim ejus Regionis Urbibus, quandoquidem duodecim antiquis Urbibus addita Smyrna est: Illæ
B porro fuere Ephesus, Miletus, Myus, Lebedus, Teos, Colophon, Priene, Phocæa, Erythræ, Clazomenæ, Chios, Samos. Hinc nonnullos Antonini Nummos tredecim Urbium nomine factos reperias, ubi hæc leguntur: ΚΟΙΝΟΝ Γ. Ι. ΠΟΛΕΩΝ: & in alio qui in Regio Museo extat, hæc: ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙΚΟϹ ΚΑΙ ΦΡΟΝΤΩΝ ΑΡΧ. ΚΑΙ ΑϹΙΑΡ. ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ: hoc est *Commune Tredecim Urbium, Prodicus & Fronto, Pontifex & in Asia Princeps tredecim Urbium*.

Myuntis quidem Cives facta ex Mæandro palude, indeque Muscis quibusdam enatis, ingenti
C earum copia vexati Urbem deseruere, & Miletum petierunt; & Pausanias refert sua ætate unum Bacchi Templum ex ea reliquum fuisse. Atque ideo fortasse Treboniani tempore inter duodecim Joniæ Urbes non illa recensebatur, & ejus loco Smyrna numerabatur.

Antequam finem dicendi facio, empti a me ærei & rari Numismatis te certiorem faciam. Est illud Imperatoris Maximini, & adolescentem hominem nudum exhibet in parte aversa aræ proximum, qui in eam una manu fundens pateram vertit, alte-
D ra innititur hastæ: hæ circum leguntur litteræ ΝΥϹΑΕΩΝ ΑΘΥΜΒΡΟϹ. Ex tribus Urbibus Nysæ una est in Caria, quæ in *Athymbri* sui Conditoris honorem hunc Nummum feriri jussit. Ille enim Heros eam Urbem extruxit, ut Stephanus auctor est; quapropter illa dicta fuit etiam *Athymbra*. Ἄθυμβρα, inquit, πόλις Καρίας Ἀθύμβρου κτίσμα.

DECIMASEXTA DISSERTATIO

De Tempore, quo ocularia vitra reperta sunt, ex epistola Francisci Redi Medici Florentini ad Paulum Falconerium.



Um Priorem (ita enim loquuntur) Horatium Rucellai Franciscus de Andrea Neapoli nobili loco natus, & litteratissimus, aliique plures cum genere, tum doctrina illustres Florentini viri vespere convenissent, & Carolus Dati, cujus molliter ossa cubent, quam confecerat de ocularis vitris disceptationem iis audientibus legisset, ultro citroque de incerto tempore dicta sunt, quo instrumentum hoc inventum fuerit imbecillæ videndi facultati utilissimum, dignissimumque quod inter inventa humani ingenii eximia referatur. Memoria teneo in eam me partem dedisse ut dicerem hoc inventum recens esse, & Hebræos, Latinos, Græcos, & Arabas latuisse; si vero, quod non ausim affirmare, ignotum iis non fuit, longissimo tempore intermortua deinceps fuit, & rursus prope ad annum 1300. intermortua ejus memoria renovata est. In me tunc illud etiam recepi, quæ casu potius, quam consulto collegi me ad te scripturum. Assiduæ, quibus districtus sum, occupationes, quominus promissis starem adhuc impedimento fuere. Itaque cum in dies amplius tibi debeam, jure vereor ne quæ tua humanitas est imminuatur, & ira paulatim accedente ne graviter accuses tam diuturnam, antequam tibi fecerim satis, litterarum tarditatem. Ut officio aliquando ne desim meo, scito in Bibliotheca Religiosorum hominum qui Divi Dominici castra sequuntur in κοινοβίῳ D. Catherinæ Pisis extare quædam Chronica Latina in membranis manu exarata, quibus multa quæ eo in religioso loco evenere continentur. Initium habe; *Incipit Chronica Conventus S. K. PI. O. P. Prologus in Toga &c.* Ea chronica primum scribere aggressus est Frater Bartholamæus a *S. Concordio* egregius Concionator & Auctor Libri cujus titulus *Ammaestramenti degli Antichi*, quem emendatum aliquot post annis Eruditissimus Franciscus de Ridolphis Academicus Florentinus in apertum protulit. Ubi Bartholamæus obiit anno 1347. senio jam confectus (nam septuaginta prope annos in D. Dominici familia stipendia meruit) iis Chronicis manum admovit Frater Ugolinus *di Sernovi* Pisanus *de Cavalasariis* qui tum cum esset, ut ajunt, *Visitator* quotidiana febri Florentiæ occubuit. Præeuntes secutus est scribendo Frater Dominicus *de Peccioli* Pisanus, qui cum omnia, ut ipse testatur, quæ illi duo antea complexi sunt, retulisset, scripsit quæ postea contigerunt usque ad annum 1408. mense Decembri, quo tempore functus fato est. Habentur hæc ex Fratre Simone *de Cascia* Cœnobii S. Catherinæ perpetuo Alumno, qui summam operi manum imposuit. Initio narratur mors Fratris Alexandri *de Spina* Pisani, quæ contigit anno 1313. ibique ocularia vitra ejus ætate quidam invenisse dicitur, de quibus tamen omnes celabat; at ipse quoque Alexander confecit, & in hujus beneficii communionem omnes vocavit. En ipsa verba: *Frater Alexander de Spina vir modestus & bonus, quæcunque vidit aut audivit facta scivit & facere: Ocularia ab aliquo primo facta & communicare nolente, ipse*

A *fecit & communicavit corde ylari & volente. Ingeniosus in corporalibus in Domo Regis Æterni fecit suo ingenio mansionem.*

Ex quibus intelligis Alexandrum de Spina non fuisse illum quidem hujus instrumenti primum auctorem, fuisse tamen eum, qui præcipiente nemine ejus conficiendi artem ingenio suo consecutus est, & dum hanc mortalem vitam viveret, tum primum instrumentum hoc utilissimum, & acceptissimum in lucem prolatum esse: quemadmodum simili mortalium beneficio contigit, ut celeberrimus Galilæus Galilæi, cum auditione accepisset quædam longa vitra, quæ Græco nomine dicuntur τη-
B λεσκόπια a quodam Belga fuisse inventa, similia confecerit una adjutus refractionum doctrina, tametsi Belgæ instrumentum non viderit. Fratris Alexandri de Spina tempore ocularia vitra reperta fuisse id habeo præterea quod confirmat. Nimirum inter antiqua, quæ apud me sunt manu scripta, unum præ se fert hunc Titulum. *Trattato di Governo della famiglia di Sandro di Pipozzo, di Sandro Cittadino Fiorentino, fatta nel 1299. assembrato da Vanni del Busca Cittadino suo Genero.* In hujus Libri proœmio ea leguntur, quibus ocularia vitra illius ætatis inventum esse percipias. Hæc
C sunt ipsissima verba. *Mi truovo così gravoso di anni, che non avrei valenza di leggiere e scrivere sanza vetri apellati Okiali truovati novellamente per commodità delli poveri veki quando affiebolano del vedere.* Huc adde quod in oratione Fratris Jordani a *Rivalto* quæ manu scripta est, quamque Florentinum nostrum Lexicon appellat ad vocem *Occhiale* legimus hæc: *Non è ancora vent' anni, che si trovò l'arte di fare gli Occhiali, che fanno veder bene, che è una delle migliori arti, e delle più necessarie, che il Mondo abbia.* Frater Jordanus morum integritate, concionandi præstantia, ac Theologicarum rerum doctrina maxi-
D me floruit, qui cum unum, ac triginta annos D. Dominici legibus Florentiæ, ac Pisis vitam egisset, mense Augusto anno 1311. obiit Placentiæ, quo Frater *Amico* Placentinus summus Sectæ D. Dominici Rector invitaverat, ut eum Parisios docendi causa mitteret. Quare si Frater Jordanus ann. 1311. vitam cum morte commutavit, eo tempore floruit, quo Frater Alexander de Spina ocularii vitri inventor, qui 1313. de statione vitæ decessit. Itaque vixerunt una ad D. Catherinæ Pisis. Quocirca quod dixit superius de tempore quo nota cœperunt esse hominibus ocularia vitra, jure potuit affirmate dicere; sicuti etiam Frater Bartholamæus a *S. Con-*
E *cordio* vere potuit, certoque scribere artem conficiendi ocularia vitra uni Fratris de Spina ingenio acceptam referri, ab eoque omnes quicumque voluerint eam artem didicisse; Nam Frater Bartholamæus eodem tempore, eodem in loco atque Frater de Spina Pisis vitam duxit. Hinc vere mihi videor esse dicturus, artem conficiendi ocularia vitra recentem esse, & Florentiæ repertam eo tempore, ut longum spatium complectar, quod inter annum 1280. & 1311. fluxit. Si certum esset quo anno hanc suam orationem Jordanus habuit (quam tamen in quibusdam scriptis inter eas reperio quas habuit Florentiæ circiter annum 1305.) brevius tempus definiri posset. Observabis ita-

que, si libet, expressis verbis horum Vitrorum A mentionem fieri ab Alexandro de Spina tantum repetita temporum memoria, cum in ante hoc tempus nulla ratione constet, quod quidem noverim, de iis verba facta fuisse. Bernardus Gordonius Publicus Professor Agathopoli postquam in libro *Lilium Medicinæ*, quem scribere cœpit, ut fatetur ipse anno 1305. mense Julio, collyrium nescio quod tradidit cap. *de debilitate visus* magnificentius ait; *& est tantæ virtutis* (scilicet collyrium illud) *quod decrepitum faceret legere litteras minutas absque ocularibus*. Guidus de Cauliac Professor ibidem in *Chirurgia magna*, quem B composuit anno 1363. remedia quædam videndi facultati utilia proponit; addit tamen magis ingenue quam Gordonius: Quod si hæc aliaque similia remedia minime juvant, ad ocularia auxilia confugiendum est.

In aliquibus actis Senatus Parisiensis die 12. Novembris anno 1416. quæ citat tametsi aliud agens Eruditissimus Ægidius Menagius libro, qui præ se fert hunc titulum *Amœnitates juris civilis*, Nicolaus de Bage Dominus de Gié cum nescio quid a Senatu postularet, hæc ipsa verba habuit: *Car aussi estois-je aucunement debilité de ma vüe, & ne pouvois je pas bien enregistrer sans avoir Lunettes, &c.* C Joannes Franciscus Picus cap. 10. de vita Fratris Hieronymi Savonarola ait: *Ad indagandam quoque veritatem, & ad invidias, reliquasque affectiones animi pravas effugandas profatum hoc persæpe repetebat. Eum qui exquisitissime videre velit infecta oculorum conspicilia deponere oportere: Nam si pura, & nitida sint perspicilia rerum species, uti sunt in pupilla recipi; si vero viridia, cærulea, purpurea, cerea, vel fusca fuerint, adulterari quodammodo formas, quæ ex rebus depromuntur, talesque qualia sunt conspicilia videri solent.* Et Frater Timotheus Perusinus (*a*) in vita ejusdem Hieronymi Savonarola refert quendam bene moratum hominem oculariorum vitrorum artificem plebem bonis alioquin verbis increpantem a nebulone nescio quo in capite fuste percussum fuisse. *Occorse*, inquit, *che un buon Uomo il quale faceva l'arte degli occhiali uscendo dalla porta del Convento con sue pianelle in mano incominciò con buone, e amorevoli parole a riprender la Plebe, il che sentito da uno de' compagnacci gli diede in sul capo con un gran Bastone.*

Nimis longum facerem, tædiumque afferrem, si pluribus scriptorum locis ad id probandum uterer. Id unum satis est dicere plurima esse exempla apud Morgantem Pulcium, in rythmis Burchielli, in ligatis, solutisque numero orationibus Alexandri de *Allegris*, aliisque amœnis carminibus, & Comœdiis Italis; ut mirum videatur, si Poetis Comicis Græcis, Latinisque ocularia vitra nota fuissent, nunquam eorum nomine vel jocandi causa per Actores usos esse. Mirum quoque foret, si Plinius, qui scripsit accuratissime capite de Inventoribus rerum, id silentio præteriisset. Non me latet recentes quosdam Scriptores Plauti fragmenta quædam nominare. Jam cognita mihi sunt illa *Faber Ocularius*, & *Ocularιarius* in Sepulcrorum lapidibus, & cælata in Sulmonensi Lapide figura, quam Carolo Dati aliquando communicavi; & quæ tandem de Smeragdo Plinius (*b*) ait non me fugiunt; sed quanti sint isthæc momenti, ex disputatione Caroli Dati digna luce, quemadmodum & alia quæ nobilis vir ille, & eruditissimus manu scripta reliquit, ipse per te satis intellexisti. Vale.

a *cap.* 48. b *cap.* 5. *lib.* 37.



DECIMASEPTIMA DISSERTATIO

De Judicio Paridis, ex Nummo Antonini Pii a Patino explicato. Ad Angelum Maurocenum D. Marci Procuratorem.




Esumptum e tuo Museo Nummum eo redire æquum est, quemadmodum ad mare unde deductæ fuerunt, revertuntur aquæ. Duo sunt quibus Nummum una cum interpretatione illarum rerum quæ in eo exhibentur, cogor ad te sine ulla dubitatione remittere, & jus quod habes in rem, & quam habes in me tot tibi beneficiorum vinculis obstrictum summa auctoritas.

Hic Nummus æreus est, eaque est ejus magnitudo ut inter majores referri possit, immo quia aliquanto crassior, inter maximos fortasse recensendus. Contectus est viridi antiquo Smeragdis proximo. Intactus ille est qualis ab antiquitate traditus, contra atque facere Itali consueverunt, qui summa antiquitatis injuria nummos aliquando polierunt. Itaque invenias Othonis nomine insignitos Neronianos nummos, Pertinacis, & Pescennii Severianos; & Africanos factos Gordianii Pii nummos, additis Litteris AFR. & Æmilianos Philippi. Hæc reputanti Saturnaliorum mihi venit in mentem, quibus diebus Servis Dominorum habitum induere fas erat, eorumque vices gerere.

Adversa nummi pars Antonini Pii effigiem exhibet, qui oris conformatione, & vitæ norma ad Numam quam proxime accessit. Verba ex parte scripta circum vides, ac legis Imperatoris nomen, titulosque. AYTοκράτωρ Καίσαρ TITOC AIΛIOC ANTΩNINOC CEBAϛος, hoc est, *Imperator* & *Cæsar Titus Ælius Antoninus Augustus*. Annum quintum indicant in parte aversa, præter typum quem explicabimus, Litteræ L. E. Sed cum altera littera Latina sit, & altera Græca, id adhuc torsit antiquarum rerum studiosos homines, non intelligentes cur Latinum L. pro Græco Λ. positum sit, & qua ratione illud annum significet. Mihi quidem id unum occurrit, quod Ægyptii ex Priscis litteram L. servarunt, & Græci primis temporibus eamdem litteræ formam adhibuerunt, Latini vero qui a Græcis accepere litteras, id sunt imitati. Illud præterea certissimum est annum apud Græcos primis temporibus dictum fuisse λυκάβαντα, ut ex Homero liquet, qui hoc nomine sæpe utitur, & ex Macrobio, qui unde deductum sit nomen tradit. Itaque littera L significat λυκάβαντος hoc est *Anno*, & littera *E* quæ inter Græcas

A litteras est quinta, *quinto*; atque ita indicatur Annus quintus Imperii Antonini Pii, qui hic non dictus est Pater Patriæ, quod initio Imperii sui eum Nummum feriri jussit. Illud est ad intelligendum difficile, quinam hunc Nummum ferierint, cum neque Urbis, neque Populi alicujus nomen in eo sit inscriptum, ut in aliis Græcis Nummis, quos per Ephesios, Smyrnæos, & Pergamenos constat cusos fuisse. Si Nummi elegantiam, & proconsulatum quem in Asia Minore Antoninus gessit, & præterea tres Deas, quæ in Ida monte judicium Paridis subierunt, hic pictas spectes, eum Nummum in Troade factum non temere judices.

B Ex forma tamen, circuitu, & cælatura, & anno more Ægyptiorum inscripto, eum in aliqua Ægypti principe Urbe, ut causa exempli Alexandriæ cusum fuisse jure licet conjicere.

Ut aversam Typi partem explanemus, Mercurius ibi est manu caduceum tenens, qui ad sententiam de pulchritudine Dearum pronuntiandam Paridem ducit. Cognoscitur ille ex Pileo Phrygio juxta illorum populorum morem curvo, & ex Pomo quod Jovis jussu daturus est *Pulchriori*. In Montis vertice, qui profecto est Ida Phrygiæ, Juno sedet hastam tenens manu nullo armatam ferro, quam *hastam puram* Prisci appellabant,

C eaque primis temporibus pro sceptro adhibebatur. Pallas armata est Pharetra, Hastaque, Venus nuda: unaquæque suum locum obtinet, prout effingi consueverunt. Ad montis pedem inter arbusculas Taurus, & aliud nescio quod animal est.

Fabulam de judicio Paridis nemo est, qui ignoret; qui non eam satis tenet consulat Hyginum Fab. 92. cujus titulus *Judicium Paridis*, & Lucianum in Dialogo de *Judicio Dearum*.

Non exquisite hic ego personarum notas investigabo. Mercurius, ejusque alatus pileus, alati pedes, & caduceum, omnia sunt apte expressa.

D Caduceum erat aurea virga duobus anguibus circumdata, quam Mercurius ferre solebat, præsertim vero hac occasione, idque confirmat Ovidius epistola Paridis ad Helenam;

Inque Dei digitis aurea virga fuit.

Cum Paride hic loqui videtur Mercurius, ac dicere, quod Ovidius ait:

—— *Pone metum nuncius ales ait,*

Arbiter es formæ, certamina siste Dearum,
Vincere quæ forma digna sit una duas.

Paris, si typum spectes, contra atque omnes senserunt, occurrit Deabus, non Deæ Paridi. Id hic propterea fortasse factum, ut elegantius imagines disponerentur, aut vero ut Dearum verecundiæ ratio haberetur.

Pastoris Paridis indumentum non satis in Nummo distinguitur. Interim tamen ex mitra satis cognoscitur. Hic pileus ex anteriore parte incurvus erat ornamentum capitis pluribus Orientis populis usitatum; & in eorum Nummis adolescentem Julum Æneæ Filium, Ganymedem, Deum Lunum, & ipsam Provinciam Phrygiæ cum hujusmodi mitra videas; quod ubi cogito quamdam cum Pileo Serenissimi Ducis Venetiarum similitudinem deprehendo, quem appellant *Corno Ducale*. Ille enim aliquantulum ex parte anteriore incurvus est, fortasse quia Veneti, cum in Orientis Regionibus, ac præsertim Constantinopoli dominati aliquando fuerint, aliquos ritus inde acceperunt. Dares Phrygius qui Paridem vidit libro de excidio Trojæ eumdem describit. Erat ille, si Dareti credimus, statura grandior, colore candido, oculis pulcherrimis, voce suavi. Erat impavidus, animosus, animo præsenti, & gloriæ cupidus, quod confirmat Dio Chrysostomus, & Cornelius Nepos, qui Daretem Phrygium versibus latine reddidit. Immo ei pulchritudinem objecit Hector, quippe quasi amoribus aptior, quam armis foret. Homerus eum fortem vocat, & ab illo ait Diomedem, & Machaonem vulneratos: Dares addit Menelaum, & Palamedem; Antilochum & Achillem ab eo interfectos. Certamen Hyginus narrat, quod is cum Pastor esset, cum Fratribus habuit, quo superior evasit. Itaque si minus prospere contra Menelaum pugnavit, cum a pugna eum Venus revocavit, & contra Philoctetem a quo occisus est, id adversæ fortunæ referendum potius, quam ejus imbecillitati.

Ad tres Deas, quod attinet, Dares de excidio Trojæ earum verba refert, quibus devincire sibi unaquæque Paridem conabatur, ut pro sua quæque voluntate sententiam audiret. At Pastoris judicium subire indignum fuit, inquit Dio Chrysostomus, Junonis, Jovis conjugis gravitate. Pallas a lævo Junonis latere armata stat lancea, & clypeo, qualem secundo Mythologicon eam Fulgentius describit. Videtur illa cum Paride locutura his Daretis versibus.

Macte Paris mea bella Viri, mea pensa puellæ,
Et mea laurigeri meditantur carmina Vates.

Venus a dextero Junonis latere videtur nuda, quia ut nonnulli scribunt, nudos reddit, quos suo Imperio subjectos reddit. Rationes illi non desunt, quibus Paridis in amores proni capiatur animus, quo eam sententiam dicat, quæ sit Veneri gratissima. Etenim Helenam Menelai uxorem fæminam prorsus omnium longe pulcherrimam ei pollicita est; adeoque promissis stetit, ut ipsius ope Helene rapta in Paridis potestatem venerit; ex quo exitiosum illud bellum inter Græcos, ac Trojanos exarsit.

Mons Ida arboribus, & arbusculis consitus, ut describit Ovidius, eximie hoc in Nummo impressus est.

Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ,
Devius, & Piceis, Ilicibusque frequens.

Non minus rupes distinguas, quarum Lucianus meminit, cum inducit cum Junone loquentem Mercurium. *An non vides*, inquit, *buculas ex mediis rupibus progredientes, & quemdam e scopulo decurrentem, pedum tenentem?* Alia præterea quæ in fabulis sunt, qui Nummum feriit minime prætermittenda putavit. Taurus quem vides is fortasse est, quem Paris in deliciis habuit, & cujus causa cum Fratribus manus conferuit.

Inferius est animal, quod secernere, ut quodnam sit intelligas, difficillimum est; si certum esset esse Murem, id profecto ad Phrygum religionem spectaret, qui Mures cultu prosequebantur. Etenim audi Clementem Alexandrinum. Polemon narrat Trojanos solitos fuisse mures colere, quos appellant σμίνθας, quia arcuum chordas aliquando corroserunt hostibus, & inde etiam Apollinem dictum Smintheum, & Strabo de Apollinis simulacro locutus ait ad ejus pedes fuisse murem. Hic murium cultus, ut ex Scriptoribus patet, altius repetendus est. Senacharib Assyriorum Regem potitum Asia Ægyptiis bellum indixisse, Sethon vero Ægypti Regem, cum non satis copiarum haberet, quibus hostium conatus retunderet (erat idem etiam Vulcani Sacerdos) confisum Diis Pelusium pervenisse, ibique castra posuisse, noctu autem horrendam Soricum multitudinem in hostium castra illatam arcus, sagittas, & clypeorum corium rosisse, ut illi mane arma inutilia cum cernerent, follicite ingenti tamen cum cæde fugerint, hæc omnia memoriæ prodidit Herodotus. Immo addit se lapideam statuam Regis Sethon in Templo Vulcani positam vidisse tenentem manu murem, hac inscriptione posita, *Qui me aspicit discat revereri Deos*.

Fortasse Ægyptii Trojæ eversionem mure significarunt. Nam illi mure rodente quidquid potest, & conterente, tanquam nota rei alicujus consumtæ uti hieroglyphicarum litterarum studiosi consueverunt, ut libro primo de Horo Apolline traditur. Nihilominus quia cognosci facile non potest animal, fortasse ex grege Paridis illud est. Nonnulli Homeri Interpretes, inter quos Spondanus, ignotum Homero fuisse hoc quod fertur Paridis judicium arbitrati sunt. Hanc opinionem Plutarchus videtur confirmare, cum ait tres versus, qui in hanc rem habentur lib. 24. Iliados, ab alio quopiam insertos esse; dedecere enim credere Deos hominum judicio commissos esse, neque alibi hujus rei mentionem faciente Homero, jure credendum eos fuisse suppositos: sed, bona Plutarchi viri cæteroquin doctissimi venia, licet nobis hujus Nummi auctoritatem sequi, quo intelligimus Antiquos vere hoc judicium credidisse. Antiquam Paridis statuam factam ab Euphranore Plutarcho opponere præterea possumus, qua Paris teste Plinio probatur Judex Dearum, Amasius Helenæ, & Achillis interfector.

Alii putarunt hoc Dearum judicium fuisse Paridis somnium. Qua in re longe aliter atque Hercules se gessit qui contra vitium pro virtute licet ardua pronuntiavit; Paris vero divitias, Imperia, quæ promisit Juno, neglexit, & liberales etiam artes quas Pallas obtulit; in voluptates vero se se ingurgitavit. Id vero Eusebius ad Historiam, non Fabulas refert: Trojam enim iccirco dirutam fuisse scribit, quod Helena una ex tribus illis Græcis fæminis, quæ de pulchritudine certarunt, rapta fuerit. Finem facio; verum quia

Linguam Gallicam in amoribus habes, præstantis Poetæ Gallici cantiunculam de judicio Paridis subjicio.

A

A la beauté c'est trop que tout pretende;
Trois Deitez de la Celeste bande,
Furent trouver autrefois sur cela
La beau Pâris: chacune luy parla,
Comme son droit au Juge on recommande.

Chacune espere & chacune apprehende,
Pour obtenir le prix qu'elle demande.
Chacune joint les beaux talens qu'elle a
A la beauté.

Moy, dit Junon, je suis riche, & suis grande;
Moy, dit Pallas, des Sçavans j'ay l'offrande;
Moy, dit Venus, je suis belle & par là,
Je dois avoir la pomme que voila.
Aussi l'eut elle: il faut que tout se rende
A la Beauté.



DECIMAOCTAVA DISSERTATIO

De Diis Manibus.



UM Veterum Romanorum sepulcra pleraque, & epitaphia Diis Manibus sacrata sint, quod ex iis quæ hoc in opere attulimus perspici plane potest, operæ pretium est, qui Dii fuerint illi, quique hoc nomine donarentur, aliquando tradere. Non erit res isthæc prorsus ad aggrediendum facilis, cum ipsi quoque antiqui Scriptores hoc in argumento vehementer incerti pendeant. Id agemus tamenut Lectoribus, qui quantis involuta tenebris Ethnicorum Theologia fuerit non ignorant, satisfaciamus.

In partes quam varias illi abierint ex Servio in tertium Æneidos librum cognoscas. „ Manes, inquit, sunt animæ illo tempore, quo de aliis recedentes corporibus, necdum in alia transierunt: sunt autem noxiæ, & dicuntur κατ' ἀντίφρασιν: Nam *manum*, veteri voce, est bonum, quemadmodum Parcæ ita dicuntur, *quod nemini parcant*, & Bellum quia minime *Bellum*. Alii manes a *manare* dictos intelligunt. Nam manibus plena sunt loca inter Lunarem, Terrenum circulum, unde & defluunt, ut homines circumstent. Quidam manes Deos infernos tradunt. Plurimi Deos cælestes ut Virorum, ita manes mortuorum tradiderunt. Alii tandem manes nocturnos dicunt esse ejus spatii, quod inter Cælum, Terramque est, & ideo humoris qui noctu cadit potestatem habere, unde *mane* quoque ab iisdem *manibus* dictum.

Apulejus de Deo Socratis ita de manibus disputat. „ Animus humanus, inquit, emeritis stipendiis vitæ corpore suo abjurans est species Dæmonum. Hunc vetere latina Lingua reperis *Lemurem* dictitatum. Ex his ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato, & quieto numine domum possidet, *Lar* dicitur *Familiaris*. Qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique *Larvas* perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum *Lar* sit, an *Larva*, nomine manem Deum nuncupant. Scilicet & honoris gratia Dei vocabulum additum est.

Hi Lares, qui & Penates dicti, quibusdam icunculis argenteis, æneis, aut fictilibus in privatorum domibus colebantur, quorum etymologia inde sumta est, quia *penes nos nati sunt*; (*a*) aut a *Penu* ducto nomine, quod interiora domus significat. Alii Lares erant, qui viis præsidebant, appellabanturque *Lares Viales*. Hinc Plautus (*a*) Charinum iter facturum, ita loquentem inducit:

Invoco vos
Lares viales, ut me bene tutetis.

A Laribus, sive Lare, quæ Vossii sententia, est vetus Hetrusca vox, & *Principem* significat, dictum est *Lararium*, hoc est sacrarium domesticum, in quo Larium simulacra reponebantur, & adorabantur: Hinc dictæ etiam *Larvæ*, hoc est Personæ, quæ, ut mali Genii, pueris sunt terriculamento: hinc tandem dicta est *Larunda* mater, seu custos Larium.

Quod autem pertinet ad *manus mana manum*, quod pro *bono* accipi audivimus, id dicendum est apud Latinos, aut etiam Hetruscos fuisse antiquissimum, quandoquidem vel antiquissimos Auctores si consulas, id usurpatum non invenies. Nihilo tamen secius hanc in rem quædam afferuntur Saliorum carmina, ubi duo hæc verba *Cerus manus* idem valent, atque *Creator bonus*. Comprobat id Varro lib. 5. de Lingua Latina, ubi adverbii *Mane* etymon tradit. *Diei principium mane, quod tum manet dies ab Oriente; nisi potius quod bonum antiqui manum dicebant*. Hinc *Immanis* dicebatur, qui minime bonus erat. Ex eodem fonte fluxit *Mana Geneta* partuum præses, eadem fortasse, atque *Bona Dea*, quam Mulieres præcipue venerabantur. Hinc tandem Pluto appellatus est *Summanus*, quasi *Summus* Manium: quamquam alii alia dicunt, ut videre est in Vossii de Lingua Latina Etymologiis.

Manes, inquit Festus, *ab Auguribus invocantur, quod hi existimabantur favere vitæ hominis, qui Dii Superi, & Inferi dicebantur*; quod nomen ille derivat a verbo *manare*, *quod ii per omnia ætherea, terrenaque manare credebantur*. Cum itaque Manes Dii benefici essent, quo nomine, si Apulejo credimus, honoris gratia donabantur, est cur dicamus cum Vossio, aliisque hanc vocem simpliciter a vocabulo *Manus*, id est *bonus*, descendere, tametsi ad Servii antiphrasim non confugiamus. Hinc Orpheus in Hymnis Deos Inferos vocat μειλιχίυς, *suaves*, *mites*, & defuncti apud Græcos dicebantur χρηςοὶ boni. Hinc Plutarchus in quæstionibus Græcis, & Romanis utitur hac dicendi ratione ubi agit de fœdere inter Lacedæmonas, & Arcadas, μη ἐξεῖναι χρηςὺς ποιεῖν, *non licere quemquam interficere*, cum cæterum ita verba sonent, *non licere bonos homines facere*. En aliquot Inscriptionum Græcarum exempla, ubi mortui hoc nomine dignantur.

a *Act.* 5. *Sc.* 2.

a *Cicero de Nat. Deor.*

VENETIIS
e Græcia.

ΜΗΝΟΔΟΤΗ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

hoc est
Menodote bona Mulier
Vale.

IBIDEM.

ΝΙΚΩΝ ΞΗΝΩΝΟΣ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Nicon Zenonis Fili
bone Vir, Vale.

IN

IN INSULA PARO.

ΕΙΡΗΝΗ ΕΥΩΝΥΜΟΥ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Irene Evonymi Filia
bona Mulier,
Vale.

IBIDEM.

ΗΑΛΛΙΤΥΧΗ ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Callityche bona Mulier
Vale.

VENETIIS
e Græcia.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΚΤΗΤΟΥ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Demetri Ctetis Fili
bone Vir, Vale.

CONSTANTINOPOLI.

Ab Ægeo Mari per Nointellium
Gallorum Regis Legatum.

ΔΙΟΝΥΣΙΕ
ΒΔΑΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Dioniſi
Bdai Fili, Philometor
bone Vir, Vale.

IN CYPRO.

ΟΛΥΜΠΙΑΣ
ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Olympia
bona Mulier,
Vale.

IN RODO.

ΤΕΧΝΗ ΛΥΔΑ ΓΥΝΑ ΔΕ
ΧΡΗΣΙΠΟΥ ΧΡΗΣΤΑ
ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Techne Lydia Uxor
Chreſipi, bona Mulier
Vale.

IN COO.

ΕΡΩΤΙΣ ΧΡΗΣΤΕ
ΧΑΙΡΕ

hoc eſt
Erotis, bone Vir
Vale.

Pauſanias narrat apud Sicyonios id moris fuiſſe, ut in ſepulcris hominum tantum nomina, addito Χαῖρε, inſcriberent. Ex his tamen Epitaphiis conſtat multos alios Græcos alia poſuiſſe: certe ſæpe Χρηςὸς, ut etiam ἥρως; tametſi non, ut vox ſonat, omnes qui hoc donabantur nomine, Heroes forent. Exempla ſuppetunt in meis Inſcriptionibus Tomo 3. ubi de meo per Græciam itinere verba facio. Galli quoque qui Picardiam incolunt de ſene loquentes ajunt *le bon homme*, & Alamanni de Patre, aut Matre fato functis quoties loquuntur dicere conſueverunt, *Felix Pater meus; Felix Mater mea.*

Ut ad manes revertamur, intelligere facile eſt varia ab Antiquis eos accipi ſignificatione. Primum quidem generatim pro illorum animis qui ex hac vita migrarunt; quod quædam probat Inſcriptio, quam Romanus neſcio quis ſuæ Gentis manibus conſecravit, cujus hoc initium eſt: *Manibus Gentis ſuæ*, & Virgilius:

Maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

& idem alibi:

Id cinerem aut Manes credis curare ſepultos?

Quod Poetæ quoque Galli imitari conſueverunt. *Deſpreaux dans Lutrin.*

Et mes Manes contens au bord de l'onde noire
Se feront de ta peur une agreable hiſtoire.

Deinde vero Manes metonymice accipiuntur pro Inferis, hoc eſt loco quo Animæ continentur hominum, ſive boni fuerint, ſive mali, ita tamen ut boni in Elyſios campos mitterentur, impii vero in Tartara, ubi ſontes plectuntur: *Inferi* vero, ut & *Orcus*, & *Erebus* utrumque locum deſignant. Virgilius porro:

Hæc Manes veniat mihi fama ſub imos.

Quod de ipſis Animis intelligi non poteſt, verum de loco ubi continentur. Hinc eos alias profundos vocat.

Maneſque profundi.

Hinc Galli quoque vetuſta lingua ſepulcra *Manois* dicebant. *Scarron.*

N'es-tu pas un felon de ſçavoir mons Manoir,
Et de n'y pas venir.
J'iray te dire en ton ſombre Manoir
Cent grand-mercis.

Tandem manes ſunt Inferni, & ſubterranei Dii, verbo Dii qualeſcumque ſepulturis præeſſent, & mortuorum curam gererent. Qua in ſignificatione in antiquis Gloſſis, Manes Græce dicuntur δαίμονες, θεοὶ καταχθόνιοι, & δαίμονες καταχθόνιοι. *Dæmones, ſive Genii: Dii Inferni, Genii ſubterranei.* Hinc illorum epitaphia *Diis Manibus* dedicata ſunt; quæ duo verba ex dimidia parte aliquando notata ſunt, ita *Dis Man.* ſæpius duabus litteris *D. M* & in typis Romanis, quorum Inſcriptiones ſæpe Græce erant, Θ. K. hoc eſt, Θεοῖς καταχθονίοις legas; ut his Inſcriptionum exemplis, quas ego orbem peragrans collegi.

Romæ apud Justiniani.

1

Θ. Κ.
ΙΟΥΛΙΑΙ ΑΜΜΙ
ΑΙ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ
ΙΟΥΛΙΟϹ ΘΕΟ
ΦΡΑϹΤΑϹ ΚΑΙ
ΑΠΑΜΑ ΓΟΝΕΙϹ

hoc est

Diis Manibus
Juliæ Ammiæ
Filiæ Dulcissimæ
Julius Theophras-
tas, & Apama
Parentes.

2

Θ. Κ.

ΙΟΥΛΙΩΙ ΑΛ
ΚΑΙΩΙ ΠΑΤΡΙ
ΕΥϹΕΒΕϹΤΑΤ
ΩΙ ΙΟΥΛΙΟϹ
ΛΑΜΠΡΟΚΛΗϹ

hoc est

Diis Manibus
Julio Alcæo
Patri Piissimo
Julius Lamprocles
posuit.

3

Θ. Κ.
ΚΑΤΑ ΚΕΛΕΥ
ΣΙΝ ΤΗΣ ΔΕΣ
ΠΟΙΝΗΣ Γ. ΑΠΡΙ
ΚΙΟΣ ΘΡΕΠΤΟΣ
ΖΗΣΑΝΤΙ ΕΤΗ
ΙΜ... ΚΑ.....

hoc est

Diis Manibus
Jussu Dominæ
Cajus Apricius
Threptus
....

A Gruterus, & quæ ego conscripsi *Miscellanea* exempla plura suppeditant. Animadverto tamen Romanorum, qui in Græcia, aut Græcorum qui Romæ morabantur, has omnes Inscriptiones esse. Utrum Diis Manibus sacrata fuerint sepulcra hominum vere Græcorum, & eorum maxime qui, antequam Romano Imperio subjicerentur, extitere, affirmare non possum. Certe ego in ea Græciæ parte, quam lustravi, id nusquam inveni. Athenienses, quod liquet ex meorum itinerum tertio Tomo, mortui, ejusque Patris, ac Tribus nomen, & præterea nihil addebant. Θουκυδίδης Ολόρυ Αλιμούσιος. *Thucydides Olori Filius Leontide.*

B Deos Manes summopere Romani colebant, rati fore ut sacrilegas manus Viatores abstinerent, si propositis publice epitaphiis Deorum Manium ipsis in mentem veniret. Urnæ, in qua nescio cujus cineres continentur, Inscriptionem elegantem habeto.

R O M Æ

In Ædibus Ducis d'Altempt.

NE TANGITO
O MORTALIS
REVERERE
MANES DEOS

Et aliam præterea, quæ servatur in hortis Magni Ducis:

FLORENTIÆ.

C. IVLIVS CL.
BARNAEVS
OLLA EIVS SI QVI
OVVIOLAVIT AD
Inferos. IFEROS NON RECIPIATVR

Notandum hic *Ollam*, *Urnam*, & *Cinerarium* idem esse. Observatione dignum est verbum *ouviolavit*. Ex hoc cælatoris errore intelligimus parum discriminis ad pronunciationem quod attinet, tunc temporis fuisse inter litteram *b* & *u*, legendum enim esset *violabit*; præterea ex syllaba *ou*, quæ præposita est (profecto quod ita pronuntiabant, *ouiolabit*) recte conjicimus litteram *u* Alamanorum, & Italorum more, quemadmodum Gallicam diphtongum *ou* proferri consuevisse; & quidem in Nummis Lapidibusque plura suppetunt exempla, quæ hos duos sonos confundi demonstrant; quemadmodum, exempli causa, scribebant *Furius* & *Fourius*.

Ad *Inferos non recipiatur*, si Ethnicorum Theologiam spectamus, erat execrandi ratio omnium maxime formidanda. Tunc Animæ errare cogebantur Larvæ factæ, aut mali Genii, de quibus jam antea. Hinc est quod veriti ne Charon, quem C Animas mortuorum per Inferni flumina ad aliam ripam transvehere fabulantur, si minus quod erat pro pretio statutum persolveretur, eas retro repelleret, Nummum in os Cadaveris inferebant, cum in feretro collocandum erat, aut vero inter cineres, quoties illud cremabatur, quo moroso seni fieret satis. Hoc pretium quod vectori pro navigatione solvebatur, appellabant Romani *Nau-*

A *lum*, quod in Antiquorum sepulcris sæpe occurrit. Pleruraque ejus Imperatoris, qui tunc temporis dominabatur, Nummi erant: quo more tempus quo ille obierat significabatur.

Itaque de mortuorum sepulcris maxime solliciti erant, cum putarent eos qui insepulti forent per centum annos juxta ripas erraturos, antequam Charontis cymba ad Inferos traducerentur. Cinerum quoque habebatur ratio, quos commoveri nefas erat, ne molestia manibus inferretur. Quapropter mortui inscriptis epitaphiis vivos orabant ne ipsos tangerent. Exemplum habe.

B FLORENTIÆ.

OSSA HIC SITA
SVNT AVCTAES
APVSTIAE RVFAE QVAE
FVIT ROGO PER SVPEROS
QVI ESTIS MEA OSSA TVEATIS

Elegans Inscriptio hæc est, tametsi in verbo *tueatis* Grammatica vapulet, cum legendum sit *tueamini*: qui inter mortales vivunt eos rogat Apustia Rufa, ut ipsius ossa ne violent, eosque tacite vult monitos futurum, ut ipsi quoque idem sint a posteris flagitaturi, cum & ipsa inter vivos fuerit, ut & ipsi, & ipsi sint vita decessuri, ut ipsa decessit. Spectabat huc illa antiqua Inscriptio quæ olim Genuæ servabatur: *Vixi, ut vivis, morieris, ut sum mortuus, vale viator, & abi in rem tuam*.

C ROMÆ.

HERIAE THISBE
MONODIARIAE
T. CLAVDI GLAPHYRI
CHORAVLAE
ACTIONICAE ET
SEBASTIONICAE
TERRENVM SACRVM
LONGVM P.X. LAT. P.X.
IN QVO CONDITA EST
FODERE NOLI NE
SACRILEGIVM COMMITTAS

D Quid illa verba *Actionicæ*, & *Sebastionicæ*, sibi velint prorsus ignoro. Qui Veterum Musicas res magis callent ii viderint.

ROMÆ, APUD JUSTINIANI.

D. M.
CVSPIA AEGLA
LIS HOC SARCO
PHAG. APERIRI.
N. LIC.

E *Sarcophagus*, & *Sarcophagum* in Inscriptionibus legimus. Sepulcrum erat ex lapide, in quo defunctorum corpora, quæ cremari nolebant, condebantur. Hinc derivarunt Galli vocem *Cercueil*: & aliquando ad principium magis accedentes scribebant *Sarcueil*. *Feretrum*. *Sarcophagus* Græce id significat, quod *carnem edit*; consueverant enim primis temporibus, ut vacuæ sepulturæ forent, quibusdam lapidibus uti, quibus cito cadavera absumerentur. In Asso Troadis Sarcophagus Lapis scindebatur. (*a*) Corpora defunctorum condita in eo absumebantur intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. Hic lapis similis pumici lapidi rufo, & est gustu salsus. Podagras lenit pedibus in vas ex eo cavatum immissis, non diutius retentis: præterea omnia crurum vitia in iis lapicidinis sanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur. Alias virtutes habet, quas videre in Plinio potes.

Ex iis quæ dicta sunt colligimus eam sibi antiquos Ethnicos animarum formam animo effinxisse, ut essent leves quædam substantiæ, velut umbræ, oculisque subjectæ, & præditæ iisdem partibus, & obeuntes eadem munera, quæ corpora, quibus illæ olim continebantur. Etenim illæ videbant, loquebantur, intelligebant, egebant cymba, qua Infernas ripas trajicerent; ita ut illorum sententia, nihil essent aliud quam quædam corpora subtiliora: quo errore primis temporibus Christiani quoque imbuti fuerant, tametsi in iis Evangelii lux Ethnicorum tenebras fugavisset; adeo difficile est homini res spirituum intelligere. Hinc Anthropomorphitarum hæresis orta est, qui in Deo, ut in homine formam, & corpus esse voluerunt. Temporibus quoque nostris, quibus tamen multa sunt ad veritatis lucem præsidia, valde vereor ne innumeri prope sint, qui non alia quam Ethnici ratione animarum formam percipiant; ut non valde mirandum sit, si dapes quibus mortui vescerentur, in sepulcreta quædam Nationes deferrent. Quod nostram nobis ignorantiam prodit. Etenim valde vero simile est animam, quæ non se plane novit ipsa, non posse rerum, quæ extra se positæ sunt, nisi confusam speciem habere.

Huic disputationi colophonem imponat elegans Epitaphium, quod Deorum Inferorum mentionem facit. Hic nescio quis uxoris suæ, Filiique mortem conqueritur, qui dolore correptus ad Charontem orationem convertit, & illacrymabilium Parcarum crudelitatem lamentatur.

a *Plin. lib. 36. cap. 17.*

ROMÆ

In hortis Barberinis, aut Palestrinis.

HEV CRVDELE NIMIS FATVM DVA FVNERA MAERENS Duo.
PLANGO VIR ET GENITOR FLEBILE MERSA DEO
SAT FVERAT PORTHMNEV CVMBA VEXISSE MARITAM Porthmneu. i.e. Caron.
ABREPTAMQVE MIHI SEDE IACERE TVA
ADIECIT CLOTHO ITERATVM RVMPERE FILVM
VT NATVM RAPERET TRISTIS VT ANTE MIHI
ME DECVIT MORTI PRIVS OCCVBVISSE SVPREMAE
TVQVE MIHI TALES NATE DARE OBSEQVIAS

AD TV NE PROPERA SIMILI QVI SORTE TENERIS At.
DVNC ANNOS TITVLO NOMINA VT IPSE LEGAS Donec.
ILLA BIS VNDENOS VIXIT NATVS QVOQVE SENOS
NOMEN HVIC PRORVS EST HVIC QVIDEM ATHENAIDIS
QVAS EGO QVAS GENITOR PRO TE DABO NATE QVERELLAS
RAPTVMQVE STYGIO DETINET VNDA LACV
QVAM BENE BIS SENOS FLOREBAS NATE PER ANNOS
CREDEBANTQVE DEIS VOTA PLACERE MEA
STAMINA RVPERVNT SVBITO TVA CANDIDA PARCAE
ABSTVLERVNTQVE SIMVL VOTA PRECESQVE MIHI
CVM TE NATE FLEO PLANCTVS DABIT ATTICA AEDO
ET COMES LACRIMIS VENIET PRO CONIVGE SIREN
SEMPER VT ALCIONT FLEBIT TE VOCE SVPREMA Halcyon.
ET TRISTIS MECVM RESONABIT CARMEN ET ECHO
OEBALIVSQVE DABIT MECVM TIBI MVRMVRA CYCNVS.



DECIMANONA DISSERTATIO

De Urna antiqua, quæ olim fuit penes Auctorem, nunc vero penes Gaillardum Virum Nobilem Anglum. Ad Graverollum Causidicum & a judiciis, & Academicum Nemausiensem.



Aucis ab hinc annis rarum antiquitatis monumentum nactus sum, quo ipse memet indignum existimarem, nisi meam studiosos antiquitatis, qualem esse te novi, in ejus communionem vocandi cupiditatem notam, perspectamque facerem. Quæ mea tum esset circa illud opinio in apertum protuli, quam cum pro tua comitate laude dignam putaris, ad alia in præsens ea de re dicenda valde commoveor. Pictu- A ra, si Veteres audias, muta Poesis est, Poesis vero Pictura loquax: quod enim Poeta numeris, Pictor docet oculis. Nulla ratione melius me tibi eximium hoc opus, ipso deficiente, patefacere posse puto, quam expresso ad unguem exemplo ad te mittendo. Verum quia quod plurium sensuum ope in animos nostros inseritur fidelius custoditur, posita picta Tabula ipsum antiquum opus describam, descripto quæ mihi videor cogitatione assecutus addam. Nonnihil illa fortasse afferent oblectamenti, si probari prorsus non poterunt; si tu tamen, cujus acerrimum judicium est, illa probaris, probatum iri ab omnibus pro certo habeo.



De Urnis generatim pauca dicam, argumentum quibus exornem meum, nonnullaque eorum ostendam, quæ hac super re notavi in meis itineribus, Museoque, Auctoribus qui de Urnis scripserunt pervolutis. F

Atque ut ab hujus Urnæ descriptione exordiar, ea est vas æneum decem & octo librarum pondo, bis altius quam hic effictum vides. Hic partes singulæ ad ipsius typi speciem habent commensus exactionem: Ad latus interioris partis

conspectus est. Ex fundo, ventre, operculo, ac A statua desuper imposita constat opus; oneri ferendo tres Termini figura fœminea subsunt, quorum sex pedibus totum sustentatur. Inter tres hasce statuas, quæ a vase prorsus extant, tria capita sunt, quorum rictus anaglyptico opere celati; pars vero interior tubum ex eodem ære, quo totum opus, continet, isque in medio est, altus digitos transversa quatuor, & foramen subter habens transversum.

Hi Termini, hoc est figuræ sine manibus, quæ Urnam sustinent, sunt perelegantis formæ. Tegmen capitis idem gestant, atque statua superiore B in loco posita, ab umbilico deorsum venustatis causa foliorum toreumate desinunt. Quoties hæ statuæ in ædificiis coronas fulciebant appellabantur *Caryatides*, *Atlantes*, & *Telamones*, cujus etymologiam a Vitruvio de Architectura petas licet. Dicebantur etiam statuæ Persicæ quoties Persico ritu erant ornatæ. Has de quibus agimus statuas horum aliquo donare nomine minime dubitem, præsertim vero Cariatidum, tametsi non capite, sed lumbis tantum, cruribusque onus ferant. Tria item capita quæ Urnæ corpori ad latus hærent, foliorum, & racemorum varietate distincta sunt. Operculum C superiore parte cum foliorum serie ventris oram ambiente committitur. In eo sunt sirenes tres muliebri capite; at capite Satyrorum suspicientium totidem monstra, & rotundus stylobates, qui cochleæ intus impactæ ope statuam tenaciter fulcit; quæ statua inter cætera Pictores, expressa cum sit arte mira, in sui admirationem convertit, & exemplum summa licet cura confectum non satis proxime ad typum accedit. Tegmen capitis est ritu antiquo, in vertice est implicatus crinium nodus, & consulto incomposita ad humeros descendit reliqua coma. Habitus est elegantissimus. Tota ad talos amicta est, ita tamen ut vestis Romano D more ad cubitum sit genuque reducta. Manu dextera vas tenet, quod cum parvum sit solidius est tutiusque a temporum injuriis, hæretque parte basis globo.

Mecum profecto senties tam rarum opus hoc, tamque variis distinctum figuris ejusmodi esse, ut quorsum illud factum fuerit investigare qui volunt non possint alii in partes alias non concedere.

Nonnullis id instrumentum visum est, quo scribendi causa atramentum contineretur, ideo quia tubus intus est. Quidam etiam, cujus olim illud erat, plumbeam aptavit pyxidem, ne per foramen basis atramentum deflueret, si quando ad hanc rem eo E uti liberet. Operæ pretium facturus mihi non videor, si hanc refellendo opinionem tempus teram. Non enim est cur tam levis rei causa tam eximium opus elaboratum putemus, præsertim cum supervacaneum operculum foret, neque atramentum quo nos utimur inventum sit prorsus antiquum.

Putarunt alii id esse fontis archetypum; sed bona eorum venia liceat mihi ab ipsorum sententia recedere. Nam nulla figura fistulam habet unde effluat aqua, ut quamcumque vas in partem vertas nullam ejus rei notam invenias; nisi in ipso vase foramen, unde aqua educeretur fuisse credas, quod a statuæ tergo stanti nulla ratione conspici potuisset; F cumque vas neque satis rectum sit, neque satis inflexum, non erat ejusmodi unde aut emicare aqua posset, aut decidere; cæterum nullum ibi unde aqua exundet, labrum est. Quod si quis putet totum opus stylobatæ in medio alicujus labri incubuisse, enimvero venter hujus molis deformis fuisset, visuque injucundus.

Alii & Familiares mei dixerunt alia, non ea tamen quæ probari mihi, defendique posse videantur; quapropter singulorum sententias referre supersedebo. Revera plerique eorum, qui hoc opus accurate perpenderunt, optime mea quidem sententia judicarunt, qui sibi, ut & ego mihi, persuaserunt hanc esse mortuorum Urnam, qua eorum, quos cremaverant cineres Ethnici custodire solebant. Chorierius ubi eam vidit in hanc se partem dedit, & is est, ut tu optime nosti, cui in rerum antiquarum cognitione vix ullus videatur comparandus. Hæc opinio redditur ex eo firmior, quia ejus magnitudinis est, ut cremati corporis cineres complecti facile possit: Illa enim Urna Crateris instar facta est operculo superimposito, quod cohæret cum eo, quod Græce dicitur καλπίς crater. Non desunt etiam Urnæ quæ operculo hujusmodi carent; cum enim illud ab Urnæ corpore sejungi possit, amitti quoque potest. Adde quod figuræ omnes eæ mysticæ sunt, & ad mortem fataque referuntur: Præterea cinerum ibi aliquod vestigium apparet; verum ita obduruerunt, ut naturam lapidis induisse videantur, adeo ibi tenaciter hærent.

Hinc jure quidam Sanctus Doctor pronunciavit, Ethnicorum gesta, quæ cum virtute maxime videbantur conjuncta, speciosa potius ac splendida vitia, quam veras virtutes fuisse: Illi enim fere omnia ad inanem gloriam referebant. Tam avide illi hanc umbram falsæ gloriæ sectabantur, ut Gloriæ, Victoriæ, Famæ aras ubique posuerint: quibus numinibus etsi Romani divinos honores non habuissent, tamen illud satis amplum foret eorumdem immoderatæ honorum cupiditatis argumentum, quod Urbem tanquam magnum aliquod Numen coli voluerunt.

Neque id ubi fecerunt, satis videbantur sibi fecisse, qui inter Ethnicos maxime floruerunt, ut ostenderent se gloriæ cupiditate maxime ad facinora suscipienda commoveri, nisi post fata etiam hujus cupiditatis notas relinquerent. Hinc Mausolea, Obelisci, aliæque superbæ erectæ moles; quæ ejus rei sempiterna forent posteris argumenta. Pulchrum est, apud Herodotum Regina quædam inquit, magnifico aliquo monumento sui nominis celebritatem posteris commendare. Tonsorem quemdam Licinum nomine testatur Varro ad famam nominis marmoreum tumulum sibi poni jussisse.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo: credimus esse Deos?

Hinc Ægyptii ut mortalis vitæ cogitatio minus molesta foret, æternas appellabant domos, quas sibi extruebant sepulturas; cum domos hospitia, ac diversoria dicerent, quia brevi in hac vita commoramur, diu vero, immo perpetuo in sepulturis habitamus.

Perpetuas sine fine domos mors incolit atra,
Æternosque levis possidet umbra lares.

Ea Cestii Pyramis, quæ existit adhuc Romæ, & in qua est cubiculum ab antiquo perito artifice pictum, est privati hominis monumentum, quod si defuisset æternis ille fortasse in tenebris delituisset.

Si immortalitatem nominis concupierunt studiosissime, non minus accurate corporibus quoque speciem quamdam immortalitatis excogitarunt. Indi suorum cadavera devorare fuere soliti, ut ea in aliorum succum & sanguinem conversa quodammodo reviviscerent. Ægyptii opobalsamo illinire, quo ea a corruptione defenderent: Græci cremare, ut cineres, qui non ita facile, ut alia corpora, corruptioni obnoxii sunt, custodirent; & quamquam

Romani primis temporibus humare tantum illa A consueverint, paulatim a Græcis morem mutuati sunt: & licet humandi postea quoque extiterit, cremandi tamen communior fuit,& honestior consuetudo; sive quia hanc quam sibi animo finxerant immortalitatem consecuturas reliquias corporum putarunt, sive quia Reipublicæ maximam rationem cum ducerent, saluti communi consulere voluerunt, veriti ne aer, qui in Italia calidus, corporum humatorum corruptione inficeretur. Idque cavit Lex XII. Tabularum in hæc verba: *In Urbe ne sepelito, neve urito.*

Icciro fortasse cadavera exurebant, ut servatis domi magnorum hominum cineribus inflammarent B adolescentum animos egregiorum facinorum memoria, quæ ipsorum majores aggressi forent, quasi vero horum virtutis igniculi iis cineribus tegerentur. Agrippina delatis in Italiam sui viri cineribus populum Romanum proposita Urna qua ii continebantur, ad ulciscendam Germanici mortem excitavit. Cum idem populus Julii Cæsaris corpus quod cremabatur conspexisset, id satis fuit ut furore percitus conjuratos ex Urbe exterminaret, & ab ipsius rogo correptis torribus extemplo in conjuratorum domos flammas inferret.

Certum igitur est morem hunc cremandorum C corporum Romanis olim communem fuisse. Historici id afferunt, inscriptiones sepulcrorum confirmant,Urnæ cinerum plenæ quæ e terra quotidie eruuntur, nos hac de re dubitare non sinunt. Sed illud est ad intelligendum difficile, qua ratione cineres collegerint,ac prohibuerint quominus ii cum lignorum, aromatum, animalium, earumque rerum pretiosarum cineribus miscerentur, quas qui e vita decesserant in deliciis habuerant, quas una cum iis comburi in more positum fuit.

En quæ hanc in rem dicuntur. Plinius meminit cujusdam Lini Indici quod Græci ἄσβεστον vocant, quod ignibus non absumitur, quo telæ conficie D bantur, quæ in ignes magnos licet injectæ non urebantur; quæ involventes cadavera corporis favillam ab reliquo cinere separabant. Sed cum illud rarum inventu fuerit, ait idem Auctor Regum inde tantum funebres tunicas fieri consuevisse. Præterea idem Plinius, Strabo, & Plutarchus, aliique veteres fide digni scriptores affirmant similem telam ex lapide Amianto texi solitam fuisse; ejus enim nendi ars tunc temporis nota erat; quod quidem ejusmodi non est, ut credi non possit; idque sibi jam multi persuaserunt; is enim lapis in fila totus solvitur ut probe norunt antiquarum rerum amatores; ex iis factam telam memoriæ proditum est E igni nihil deperdere, sed inde splendidiorem exire. Guenebaultius Doctor Medicus, qui Chyndonacis sepulcrum descripsit testatur se in cujusdam Viri Nobilis Veneti museo ex hujusmodi tela quartam fere partem ulnæ vidisse. Plutarchus narrat feracem hujus lapidis fodinam in Euboea sua ætate defecisse. Verum pluribus in locis aliis fodinas reperire est: exempli gratia in Cypro, in Teno, & alibi.

Erat igitur colligendorum cinerum, alia præterea nescio quæ ratio, quam tradere scriptores cum prætermiserint, intelligentia consequi difficillimum F est. Conabor tamen eam proponere, quæ neque ad intelligendum, neque ad perficiendum difficilis videatur. Certum est carnem corporis, & medullas ossium in fumum vanescere, & ossa tantum in cineres converti. Cum semiustum corpus erat, ita ut nudata ossa forent, fortasse removebantur, & seorsum in aliquo vase ferreo, aut fictili ignis vi in cineres redigebantur, aut quasi in calcem in Clibano posita: aliquando etiam semiusta in Urna collocabantur. Hinc Virgilius: (a)

Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Quod quidem non satis apte dictum esset, si ossa de quibus sermo est cineres omnino facta fuissent. Illud etiam addo non prorsus accurate, ac religiose cadaverum cineres a reliquarum rerum cineribus secerni consuevisse: sæpe enim in Urnis mixtos cum cineribus carbones reperias.

Ut ut res sit, qualiscumque tandem fuerit colligendorum cinerum ratio, certe in hoc ii maxime curam collocabant suam, ut in vasis cineres servarent, quorum alia ex alia materia erant personarum ratione habita. Appellabantur Vasa hæc (b) *Ollæ* & *Cineraria*, ut in antiquis Epitaphiis videre licet: Usitatius tamen eorum nomen erat *Urnæ*. Quam Urnam dicebant etiam illud vas unde eorum nomina sortiebantur, qui primi in ludis publicis in arenam descederent: Urnam quoque in judiciis dicebant vas, quo judicum suffragia colligebantur tabellis inscripta aut littera C id est *condemno*, aut L id est *libero*, ut in Nummis videre est. Absolutis funeris pompis, & cæremoniis omnibus collocabant Urnas aut sub Lapidibus Epitaphia continentibus, aut in privatorum monumentis, aut aliquando etiam in suis ædibus servabant.

Trajanus suos cineres in Urna aurea custodiri jussit, eamque in nobili columna ipsius pariter jussu erecta poni, quæ anaglyptico opere ejus prælia repræsentaret: ea Romæ extat adhuc tanquam eximium Antiquitatis monumentum, cujus vel Tempus videtur rationem habuisse. Urna quoque Regis Demetrii teste Plutarcho erat aurea; eodemque teste Marcellus qui Syracusas cepit,argenteam habuit. Mysenus vero æneam, ut ex versu quem superius attulimus Virgilii constat. Ex eodem ære pluribus in locis Urnas ego vidi, quarum una in nostro Museo fuit, quæ contractæ manus magnitudinem non superabat. Urnam Imperatoris Severi reperire oporteret ad varias scriptorum sententias dijudicandas. Spartianus refert ejus cineres Urna aurea Romam delatos: Dio vero amicior veritati Urna ex porphyrite: at Herodianus ex alabastrite. Frequentiores sunt Urnæ vitreæ,quam quæ sunt ex hujusmodi pretiosa materia confectæ. Chyndonacis Urnæ Divione repertæ & aliæ fuere similes, quarum nonnullas ego quoque aliquando in Museis eruditorum & curiosorum hominum vidi. Strabo narrat Alexandrinos reliquias Alexandri magni ostendisse in feretro vitreo, pro illo aureo, quo eum Ptolemæus exornaverat. Marcus Varro in fictili solio condi voluit, myrti, & oleæ, & populi nigræ foliis, Pythagorico nempe, ut Plinius ait modo, quæ erat condendi ratio a luxu omnium maxime remota, quaque major pars hominum utebatur; & quidem ea folia valde communia sunt, & vix ullam antiquam urbem reperias, ubi non aliquod aliquando inventum fuerit. Magna eorum copia est in Foro Genuensi, multaque Viennæ in Delphinatu similia quotidie eruuntur. Ingentem lapidum, marmorumque vim in hortis atque ædibus Romæ vidi. In hujus libri fronte ejus Vasis exemplar proposui, quod est Aquis Sextiis in Provincia, quod mira arte ex albo marmore elaboratum est.

Hujus generis unum hac in Urbe repertum est anno 1676. idque aliquando in basi lapidea, quæ ex eodem loco eruta est, collocatum fuit. Ex eo con-

a *Æneid. lib. 6.* b *Gruterus.*

jicimus eam Urnam superimpositam fuisse, quia rotunda est ima ejus pars, & ejus magnitudinis, quæ possit rotundæ formæ signo in basi aptari. Lapidea illa Urna erat operculum plumbeum habens, quæ aliam Urnam vitream in qua cineres, & ampullam pariter vitream in qua lacrymæ fuerant, comprehendebat. Hæc ego in hortis Comberti vidi *in fauxbourg de Veze*, ubi ea reperta sunt. Basis quæ est pro stylobate, hanc Inscriptionem continet.

DIS MANIBVS
C. AVCI GAL.
CELERIS IIIIII VIR.
AVG.
C. AVCIVS MACRINVS
PATRI

Urnæ fictiles, quibus vulgo utebantur, plerumque majores erant, quam eæ de quibus locuti sumus: cum enim non essent magnopere solliciti, ut vulgi cadavera in cineres prorsus redigerentur, ossa quæ semiusta erant latiorem occupabant locum. Adde quod totius familiæ cineres eæ sæpe continebant, aut saltem Viri, & Uxoris, ut hic ex antiqua Inscriptione versus confirmat.

Urna brevis geminum quamvis tenet ista cadaver.

Et quidem unius hominis cineres perexiguum cumulum efficiunt; ac si dicam manuum cavo eos posse contineri, nihil dicam, quod incredibile videatur. Hinc Spartianus de Severi Urna locutus eam appellat *Urnulam*. Quod si illa crassa fuit, cum aut aurea, aut porphyretica fuerit, qua ratione Severus jam moriturus eam, nisi parva fuisset, inter manus accepisset? cum superbiens, quod Anglis alium quæsiturus orbem bellum intulerit, ea dixit, *Tu Virum capies quem totus non capit orbis*.

Quod ad Urnarum formam attinet, fictiles quidem de quibus locuti sumus sunt nostratium ollarum fere similes, nisi quod illæ longiores sunt, & surgunt ad collum angustiores. Exemplum si a me quæris, vas illud indicarem, quod stans super hanc Urnam Statua manu tenet, quo quidem nihil aliud quam Urnam referri puto; nullum enim ibi apparet os, quod in Urceis nostratibus videre est, iisque vasis, quæ in sacrificiis præferri solebant, dicebanturque olim *præfericula*. Nonnullæ quidem fuerunt Urnæ, quarum ima pars in acumen desinebat, aliæ erant ansatæ, aliæ sine ansis. Nullis illæ ornamentis, aut anaglyptis distinctæ sunt; quasdam tamen humani, aut ferini capitis forma factas reperias, quales in regionibus nostris repertæ quandoque sunt. Æneæ vero, aut ex alio metallo factæ, quia illustrium Virorum cineres continebant omnes, aut certe prope omnes circum opere anaglyptico cælatæ sunt: qua de re scriptores, qui earum figuras prodiderunt (sunt autem multi) fac videas. Patinus, qui de Republica Litteraria optime meritus est unam edidit, & illam quidem eximiam, in qua expressum Toreutices opere Athletarum certamen vides, fortasse quia nobilis alicujus Athletæ ea Urna fuit. Familiari (*a*) cuidam meo ex hac Urbe, qui res curat raras huc ab oriente deferendas, Urnæ nonnullæ fictiles ex Ægypto allatæ sunt hieroglyphicis litteris insignitæ, formisque osseis plenæ quod quidem mirum est; cum enim Ægyptii integra corpora opobalsamis illinire consueverint, non his ea poterant Urnis contineri. Verumtamen non aliquando secatas a-

a *Dufour.*

A liquas corporum partes opobalsamo illinitas fuisse quis affirmate pronuntiet? Hic cælatæ litteræ dignæ sunt quibus explicandis animum quispiam addat. Inter Urnas plurimas quæ Romæ existunt aliæ rotundæ sunt, aliæ quadratæ, aliæ magnæ, aliæ parvæ, aliæ puræ, aliæ anaglyptico opere cælatæ; In aliis sunt etiam Epitaphia seu inscriptiones, in aliis eorum tantum nomina ad quos pertinent: nonnullæ notatæ sunt his duabus modo litteris D. M. aut figuli tantum nomine, quod in ansa scriptum est aut in fundo.

Quicumque Urnam hanc de qua loquor, videre Pictores, Cælatores, Statuarii, & rerum quæ
B rarae sint Amatores, & quicumque cæci non fuat, habentque cognitionis aliquid, eximium & eximii Artificis opus judicarunt, quique antiquarum rerum peritissimi sunt, quin illud antiquum sit minime dubitarunt. Nihilo tamen secius, quia non omnes res antiquas videndo ii sunt, qui eas hoc satis intelligant, par est rationes etiam afferre. Prima ratio cur eam Urnam vetustam putem hæc est, quia conflata est ex ære optimo, eaque æra nostra sonantia tinnitu imitatur; intus tota nigra est, & levem fucum nescio quem diuturnitate contraxit. Præterea formæ præstantia, celaturæ ar-
C tificium, vestes, calanticæ, & capitum elegantia, sunt mihi quidem ad id credendum argumenta; eaque esse antiquitatis vestigia, qui res antiquas vel leviter degustarunt satis norunt.

At inquiet aliquis, non desunt nostris temporibus sculptores præstantissimi, qui ad Antiquitatis artificium proxime possint accedere. An deerit, qui hac re nostros præstare etiam Veteribus affirmet? Neque enim nunc primum imperiti homines vel digniores irrisione sententias secuti sunt: Verum qui in hujusmodi arte felicius versati sunt, fatebuntur ipsi se ab iis longe remotos esse, qui cum sedulo ad eorum se imitationem conferant, satis
D declarant se putare hoc sibi laudi fore si Veterum discipuli videantur. (Hinc Michael Angelus, & Raphael satis nota nomina, quanti quanti sunt extitere; quos fama est ex Trajani columna figuras totas sæpe descripsisse, quo suum in antiqua opera studium & admirationem significarent, & eos quos in iis fecere progressus patefacerent.) Verumtamen quia solo rerum intuitu non omnia discere potuerunt, cum ei necesse sit historiam apprime callere, qui apte aliquid ex historia antiqua repræsentare, aut aliquod antiquum opus imitari velit, nonne Pictores nostrorum temporum, Scalptoresque in errores quotidie prolabuntur, eaque effingunt,
E quæ probari Veteribus minime possent? An Divus Hieronymus promissa barba, & cinctus fune, ut fecere nonnulli, & quidem celebriores artifices, pingendus est? Cum enim ille singularis sanctimoniæ vir in utrumque hujusmodi morem invectus sit, an ipse quod improbarat efficere non dubitavit? Nonne peritiores etiam Pictores, Cælatoresque ita Cœnam Domini exhibent, ut is cum discipulis subselliis insideat, tametsi is mos fuerit apud Orientis populos, ut in lectulis jacentes ad mensam accumberent? Raphael equidem exceperim, sed tamen eumdem in pictis ab eo Xistis errorem deprehendo.
F Et hoc in eodem opere, uti etiam in figuris Sacrarum Litterarum, quas expressit Bernardus Minor, qui superiore sæculo inter celeberrimos Viros maxime floruit, nonne videntur tecta domorum instar asinini dorsi, quale Turrium est, quamvis in oriente omnia tecta plana fuerint? ex quo ait Christus Dominus quæ in abdito loco fierent prædicatum iri super tecta.

Prætereo Romana arma quæ Israelis pueris aptant, fumum quem in Veterum præliis undantem Arti-

Artifex *Tempesta* effinxit, quasi vero tunc temporis tormenta bellica ignem emitterent. His commemorandis supersedissem, nisi ejusmodi argumentum hoc esset, quod ipsum per se summam voluptatem afferret. Quæ cum ita sint, hinc statuo formæ elegantiam, & cum rebus antiquis similitudinem, firma esse momenta, quibus opus aliquod antiquum esse credamus, si tamen indiciis aliis non careamus.

Ad Urnam, de qua instituta disputatio est redeamus: In ea ego antiquitatis notam satis magni mea quidem sententia momenti deprehendo: nimirum harum imaginum depressas oculorum acies, ut videre est in Nummis, statuisque antiquis, præsertim hujusmodi.

Huc illud adde, cujus causa hoc opus factum est; si enim verum est, quod ostendi, eam Urnam esse, cum cremandi corpora, servandique cineres consuetudo una cum Ethnicorum ritibus perierit, necesse est eamEthnicorum temporibus factam fuisse, ac tum quidem cum cælandi ars maxime floruit.

Jam tandem figuræ, quibus ornatum hoc opus est, explicandæ sunt, & ea præsertim, quæ super imposita est, quæ quidem non temere posi a est: quæ enim circum sunt, eas ornatus tantum causa constitutas quispiam fortasse dixerit. Et quidem persæpe nosmet ipsi torquemus arcana, ubi nulla sunt investigantes, eaque ex ore Veterum interpretando elicientes, quæ iis fortasse nunquam venere in mentem. Verumtamen non est isthæc prorsus inutilis quæstio: Ita enim in peculiarium quarundam rerum historicarum cognitionem sæpe venimus, ad quas animum cæteroqui non adjecissemus. Demum conjecturis res agitur, quas probet si quis eas firmas putat, aut rejiciat, si quid novit rectius istis.

Mors, & omnibus hominibus commune fatum illud argumentum est, in quo ex Veteribus præstantissimi ingenii homines versati sunt. Referta sunt gravibus, & ad mores spectantibus sententiis illorum epitaphia: adduntur sæpe admiranda Sculpturæ, & Architecturæ monumenta non ornatui modo sepulchri, sed posteris etiam documento; quippe & illustrium Virorum gesta repræsentant, & morum sententias continent. Hæ non ne gravissimæ sunt?

DECIPIMVR VOTIS ET TEMPORE FALLIMVR
ET MORS
DERIDET CVRAS. ANXIA VITA NIHIL.

IMMORTALES CAMOENAS MORTALIBVS IMMORTALE AEVVM LARGIRI NON POSSE TYRRHENI HETRVSCI IMMATVRA MORS DOCEAT.

Ex globo quem dextero pede premit, & ex vase, quod dextera manu tenet necesse esset cognoscere, quæ sit illa Statua super Urnam posita: sed illæ ipsæ notæ duæ simul conjunctæ cum raræ admodum sint, & præter consuetudinem, eo difficiliores explicatus habent. Et quidem ut plurimum in Nummis, & Anaglyptis antiquis ad Victoriæ, atque Fortunæ pedes globum videas, ita tamen ut illa alata sit, & sertum manu gestet, ut indicet eum, qui diligens fuerit Victoriam consecuturum, hæc vero plerumque temonem præfert, quo Orbis ad suos pedes positi administrationem notet; Vas autem ei tribui auditum adhuc fortasse non est.

Imperatoris Providentia Deæ quandoque imagine expressa est sceptrum manu tenentis, & pede incumbentis globo. Æternitas globo aliquando insidet, aliquando globum manu sustinet. Ex quo curiosus quidam, & doctus Amicus (*a*) meus

A Deam super hanc Urnam positam non posse non esse judicavit æternitatem; neque enim ex iis, quas nominavimus ullam Deam esse cui aptius congruere possit: addit autem per Urnam, quam illa manu gerit significari fortasse hoc a morte hominem æternitatem consequi; aut æternam fore ejus sedem, cujus cineres contineret.

Sed globi quem Figura calcat, positio aliam mihi opinionem objecit, quæ præcipuis quibusdam firmata momentis, videtur mihi magis naturæ congruens, magisque similis veritati.

Dea igitur hæc, ut ego quidem opinor, Fatum est, quod pedibus Terrarum Orbem premit, quodque in universam mundi molem jus habere arbitra-
B ta est Antiquitas. Sub ejus pedibus Mundus jacet, quia quidquid in eo continetur ejus legibus subjectum est. Illud autem vas est fatalis Urna, quam Poetæ finxerunt omnium mortalium nomina complecti. Quid aptius alicujus privati hominis Urnæ affingi potest, quam commune hominum fatum? Nihil frequentius in Ethnicorum Epitaphiis legas, quam has querimonias, maligna esse, invida, crudelia fata, quæ lacrymis ad misericordiam moveri nequaquam possint.

Nil prosunt lacrymæ, nec possunt fata moveri. (*a*)
C Atque ne quispiam dubitet quin Fatum Deæ forma proponatur, propterea quod ejus nomen non est generis fœminini, hæc argumenta sunto. Primum quidem quoad sexus pertinet, nihil est, quod objiciatur. Ostendimus enim alibi plura Numina, ut Venerem, Lunam, & Bacchum habita esse Viros, & Mulieres; quæ quidem ex Stoicorum sensu depromta est opinio, affirmantium Deos utrumque sexus habere.

Deinde Græci, a quibus omnes fere superstitiones mutuati Romani sunt, Fatum εἱμαρμένην vocant nomine fœminino, ut Phurnutus (*b*) de natura Deorum. Fatum, inquit, est cujus lege om-
D nium rerum humanarum ordo juxta æternum principium seritur.

Tandem Nummum aureum Diocletiani in suis notis de imaginibus Deorum expressum Pignorius affert, in cujus aversa parte Fata trium mulierum nostrarum ritu ornatarum forma exhibentur; at pro globo, & urna navis clavum manu tenent; legiturq; ibidem hæc Inscriptio: *Fatis Victricibus*.

Procopius ait Templum Jani fuisse in Foro positum juxta tria Fata, quæ Romani Parcas appellant, ubi vides ab eo promiscue Fata, & Parcas accipi, quemadmodum promiscue Apulejus etiam sumit. Et quia hoc in nummo Fata navis gubernaculum
E in manibus habent, quemadmodum Fortuna, hoc sententia nostra magis declaratur: cum enim Fortunam pingere modo cum gubernaculo, modo cum globo, modo cum utroque consueverunt, nil mirum si Fata sine discrimine, vel cum gubernaculo in manibus, vel cum globo ad pedes effingantur, cum eodem spectet ejus rei excogitatio, idemque semper indicent hieroglyphicæ litteræ: Tam enim clavus, quam globus penes Fata declarat esse rerum omnium administrationem.

Fata Veteres (*c*) in numerum trium Parcarum referunt: quidquid enim sub cælo est ingressum habere progressum & exitum. Hinc fortasse est, quod
F Fata trium etiam distinctis Terminorum imaginibus muliebri forma repræsentantur: quod quidem non conjectando tantum dico, sed antiquæ Inscriptioni adhæreo, quam Valentiæ in Hispania extare Gruterus ait in quadrato Lapide, cujus tres Frontes tres muliebres species exhibent dimidio

a *Sebastianus Feschius Basileensis.*

a *Grut. Inscr. t.* b ΕἹΜΑΡΜΕΝΗ δέ ἐστι καθ' ἣν μεμοίρανται καὶ συνείληπται πάντα ἐν τάξει στοιχεῖν, μὴ ἔχοντος πέρας γινόμενα. c *Phurn.* κατ' ἄλλον δὲ τρόπον, τρεῖς μοῖραι παρησάγονται, κατὰ τὸ τριωνυμον τῷ χρόνῳ.

A corpore, id est ad Terminorum similitudinem. Atque ut nihil dubitandum sit, quin ea tria Fata sint, hæc ad illorum honorem in quarta fronte posita Inscriptio nos certos reddit.

FATIS
Q. FABIVS
NYSVS
EX VOTO

Gruter. pagina XCVIII. I.

Tres hosce Terminos idem significare, quod effigies superiore loco posita ex eo mihi magis persuadeo, quia capita, & capitum tegmina omnino similia sunt, & ut Termini sunt Finium Dii, ita B Fata humanæ vitæ fini præsunt, hominumque consiliis finem faciunt. Quod si velis eas figuras secernere, dicendum est Deam quæ manu tenet Urnam supremum Fatum esse, quod in mundum universum Deos, Hominesque jus habet; Tres autem Terminos, qui Urnæ onus ferunt tres esse Parcas, aut tria Fata, quibus præcipue hominum vitæ, mortisque cura commissa est.

Minime dubito quin si rem quis ad vivum resecare velit, in cæteris quoque figuris detecturus sit aliquid, quod immotas Fati leges respiciat. Causa exempli quid prohibet quominus dicamus monstra, quæ in operculo jacent, & sursum aspiciunt, C indicare bruta quoque Animantia non secus atque homines Fatorum imperio subjecta esse? Videtur enim cælator ea re oblectatus, ut his formandis monstris præcipua animantium genera in unum conferret, vultum hominis, corpus canis, caudam serpentis, & præterea cornua, alas, aut pinnas piscium. Hisce figmentis oblectabantur Antiqui, qui Tritones, Sphynges, Chimæras, Minotauros induxerunt. Strabo (*a*) cujusdam monstri meminit Cebi nomine, qui *facie Satyro similis est, cætera inter canem & ursum*: Ut ea quidem quæ hic habentur monstra inter canem sint, atque serpentem. D

Ad latus est aliud monstrum muliebri facie, quod alas pro brachiis habet, & in piscem desinit. (*b*)

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Haud dubie ea siren est, cui avium alas Poetæ quandoque affingunt; verum in mari sirenes cum habitent, eis dimidia ex parte piscis corpus magis congruens est, ut eas plerique fingunt. (*c*)

Dulce malum Pelago Siren, volucresque puellæ
Scyllæos inter fremitus, avidamque Charybdim,
Musica saxa fretis, habitabant dulcia monstra. E

Qui in Fabulis prorsus hospites, ac peregrini non sunt, norunt sirenas fuisse marina monstra, quæ cantus dulcedine homines ita mulcerent, ut eos sopirent. Hinc Isocratis (*d*) sepulcro siren imposita est ejus eloquentiæ argumentum. Eloquens enim orator allicit Auditorum animos, flectitque quacumque ratione vult.

Unam modo hic picta Tabula plane potest exhibere, tametsi in ipso opere tres appareant in tribus angulis, ut & reliquæ figuræ positæ; sive quia id formæ ratio postulat, sive quia tres sorores sunt F Acheloi fluvii, & Calliopes Musæ Filiæ, quarum nomina fuerunt Parthenope, Leucosia, & Ligia.

Tradit Ovidius has fuisse socias Proserpinæ eo tempore quo rapta est: quocirca cum inter eas, Deosque Inferos intercederet consociatio, mirum non est si ad ejus Urnæ ornamentum additæ sunt, cui Fata, & Parcæ adhærescunt.

Tria capita quæ infra Urnam sunt, Silanos si libet appelles: ad ornatum modo illa efficta sunt. Verumtamen putavit Familiaris quidam meus iis referri Larvas, vel Lemures, quos Deos in sepulturis habitare Prisci crediderunt; de quibus superiore disputatione verba fecimus.

Interiorem Urnæ partem ad latus pingendam censui, ore ita ab una parte depresso, ab altera sublato, ut inspici possit tubus intus in medio positus, & arcte cum fundo constrictus, qui fortasse collocatus est pro ampulla, in quam immitti lacrymæ consueverunt. Hæc ampulla erat vas vitreum digiti longitudine, quo Veteres eorum lacrymas recipiebant, qui cum mortuo amicitia conjuncti fuissent, ut notum esset posteris non sine lacrymis funus perfectum esse. Quod si huic obeundo muneri familiares non satis fuissent, mulieres, quæ dictæ *Præficæ*, pretio conductæ in exequiis, qua ratione melius poterant ploratu, & ejulatu eo munere fungebantur.

Tibullus amicam suam admonet earum rerum quas sibi post mortem desiderat. Inter cætera lacrymas flagitat, postquam cæremoniis de more persuncta fuerit, ossaque annoso vino, ac lacte perfuderit, lino carbaseo siccaverit, & marmoreo in sepulcro condiderit.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant,
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent:
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem,
Sic ego componi versus in ossa velim.

Sæpe in sepulcris Urnisque reperias exigua terrea, aut vitrea vasa servandarum lacrymarum causa, quæ magnitudine tubo fere hujus Urnæ æqualia sunt: ex quo quidem conjicio ibi vas aliquod hujusmodi positum fuisse.

Hic interior tubus, & hoc foramen fortasse, ut nonnulli cælatores putarunt, factum est, ut harpagone Urna alicui stylobatæ astringeretur. Neque enim credi potest tam eximium opus humi ponendum fuisse, cujus venustiores partes ærugine corrumperentur.

Habeo quæ notatu digna dicam de ratione, qua Urnas Antiqui servabant, ut cineres cum terra ne miscerentur, neve facile in hostium potestatem venirent.

Primum quidem sub parvis quadratis columnis in quibus scripta erant Epithaphia, quasque nos, formæ ratione habita, cippos dicimus, Urnas collocabant. Foramina, quæ desuper aliquando cernimus, haud dubie ad Urnam in tuto ponendam erant opportuna. Eas etiam in lapideis, aut marmoreis loculis condebant. Utrumque morem hunc hæc Inscriptio confirmat.

Te lapis obtestor leviter super ossa quiesce,
Et nostro cineri ne gravis esse velis.

Itaque credendum non est, sepulcra hujusmodi lapidea constituta semper fuisse eorum tantum corporum causa, quæ humo mandabantur, non autem eorum, quæ urebantur; si quidem non ad cadaveris longitudinem, ac latitudinem hi loculi accomodabantur.

Deinde nobiliores sepulcrales quosdam fornices habebant, in quibus majorum suorum cineres occultabant; cujusmodi fornix olim Nemausi inventus est ornatus emblemate vermiculato, inque ejus muro

a *Cebus facie Satyro similis, cætera inter canem & ursum.* b *Horatius Art. Poet.* c *Claudianus.* d *Plut. lib. de decem Rhetorib.*

multæ circum ædiculæ erant, in quarum singulis vitreæ auratæ Urnæ cineribus refertæ ordine dispositæ. Chorierius, qui nonnulla hujusmodi ædificia se vidisse testatur, conjicit monumentum hoc fuisse Gentis Antoninæ ex Nemauso oriundæ, antequam ad Imperium pervenisset. Illustris enim nobilisque Gentis illud ædificium fuisse, ipsius pretiosa, ac magnifica ornamenta evincunt. Simile ædificium se vidisse Romæ affirmat Blanchettus, Urnas tamen, quæ cineres, ossaque simul coercebant fuisse fictiles, & circum fornicem cælata opere anaglyptico Athletarum certamina.

Sæpe alias ea in Urbe hujusmodi subterranea ædificia reperta sunt. Verum quia minima servandi, custodiendique monumenta cura fuit, non habeo de iis, quæ peculiariter dicam.

Paulo post in cujusdam monumenti cognitionem veni, quod in Lemovicensi Provincia detectum est, quo illustrium virorum cineres, atque Urnas servandi quamdam rationem novimus. Habeo quæ Furgaudus Orator in Senatu Parisiensi hac de re scripsit, Vir eruditissimus ac diligentissimus, ad Lacarrium Professorem Theologum in collegio Societatis Jesu Claromontii, qui me in ejus rei communionem pro sua comitate vocavit.

Quidam amicus meus, inquit, nonnulla monumenta Turris, quæ vulgo dicitur *d'Austrille* in Lemovicensi Provincia, se mihi missurum promisit. Is præterea mihi significavit, eam esse incolarum opinionem aliis ab aliis ore traditam, ut putent magnam olim ibi Urbem fuisse, cujus antiqua nonnulla extent vestigia: esse ibi duos tumulos ex aggesta aliunde humo, quorum major circuitu decem, aut duodecim, altitudine quinque & viginti *hexapedas* complectitur. Alter octo, aut decem *hexapedis* ab altero distat. Duos ego alios similes vidi *Drollis* tribus leucis a *Garacto* distantibus in Provincia Lemovicensi. Ibi magna est solitudo; ibi pratum abundans herbis; & mihi dignus fide nescio quis affirmavit, alium similem tumulum esse prope Castellum *de Dognon*, una leuca, & semis a *Drollis* distans; Loci vero Dominum, cum ambulacrum ad viam militarem *Garacti* ad *Burgum novum* ferentem faceret, tumulum explanari jussisse; atque intus certis quibusdam cavatos loculis lapides inventos esse, aliosque lapides superimpositos, & in horum lapidum, qui sepulcrorum formam præferebant, foraminibus Urnas fictiles signatas, & vitreas; in Urnis autem cineres, & exiguos annulos aureos, quos Veteres Galli gestasse creduntur.

Est Tumulus similis in via Lugduni, distans leuca a Vienna. Deserta solitudo ibi est. Vernaculo sermone dicitur is locus *la Motte*. Tumulus hic fortasse sepulcrum est, ut ii de quibus paulo ante. Neminem autem aperiendi tumulum cupido incessit.

Hos Tumulos Latini *cespites*, & *aggeres* vocant. Huc spectat quod Sidonius (*a*) Secundo suo scripsit. Se forte pergentem urbem ad Arvernam e vicino colle latrones aspexisse, qui Apollinaris avi sui (fuit hic Præfectus Prætorio Galliarum anno Domini 409.) tumulum temerabant, quibus in crimine repertis, supplicia se differre non potuisse: ait præterea tellurem humatis, quæ superinducta erat distentam jam in pristinam rediisse planitiem, pondere nivali seu diuturno imbrium fluxu sidentibus acervis. Quare se demandasse Secundo curam, ut Mausoleum pro sepultura erigeret, & Epitaphium hoc incideret.

Serum post patruos, patremque carmen
Haud indignus avo nepos dicavi:
Ne fors tempore postumo viator,
Ignorans reverentiam sepulti
Tellurem tereres inaggeratam.
Præfectus jacet hic Apollinaris, &c.

Virgilius quoque meminit horum tumulorum e terra nonnihil eminentium, ubi positi mortuorum cineres erant, & eorum hæc sunt nomina.

(*a*) *Terreno ex aggere bustum*

& (*b*)

Agger tumuli compositus.

Poeta (*c*) alius ait *coacervatum bustum excelso aggere*. Codex Theodosianus ait: *Terram sollicitare*, *& cespitem vellere proximum sacrilegio*.

Satis his tuæ voluntati mihi videor obsecutus; sed tamen addam aliquid de tempore, quo hæc Urna facta videatur, & cujus causa facta. Cum ibi nulla extet inscriptio, qua aliquid intelligere liceat, nimis audacter facerem si affirmate aliquid pronuntiarem. Id unum generatim dicam, & sine ulla dubitatione, eam tum factam fuisse cum cælandi ars maxime floruit primis Imperatorum temporibus. Capitis habitus ornatusque, qui videtur proprius Faustinæ junioris Uxoris Marci Aurelii, is est quapropter non temere adducar, ut credam iis temporibus, quibus hic Imperator vixit (vixit autem prope finem secundi sæculi) opus hoc quod præ manibus habemus, formatum esse: eæque sunt, quas inter alias Cælator selegit, muliebres formæ, quibus putarim lectissimæ nobilissimæque Fœminæ hac Urna cineres contineri.

Si plura dicerem, & liberius progredi conjectando vellem, ut ingenue fatear, præterquam quod ingenium torquerem investigando ipse meum, tandem ubi multa ad confirmandam sententiam meam dixissem, id unum fortasse consecutus essem, ut ingenii tenuitatem mei patefacerem. Interim quid de his, quæ ad te scribo, sentias scire velim, ut te Ducem secutus, aut confirmem, aut sententiam refellam meam. Vale.

a lib. 3. epist. 12.

a Æneid. l. 11. b Æneid. lib. 7. c Catull. in Argonaut.

VIGESIMA DISSERTATIO

Ex Epiſtola Franciſci Graverolli Cauſidici, & Academici Nemauſienſis. De Inſcriptione poſita in ſepulcro Poncii Filii Idelfonſi de Styrpe Raymondi Comitis Toloſæ. Ad Joannem Graverollum Fratrem.

✠ ANNO. DOMINI. JESV. CHRISTI. MILLESIMO. DVCENTESIMO. TERTIO. DIE. 15. APRILIS. RETRO. HVNC. LAPIDEM. FVIT. SEPVLTVM. CORPVS. DOMINI. PONCII. FILII. ILLVSTRIS. ILDEFONSI. DVCIS. NARBONÆ. DE STIRPE. PIÆ. MEMORIÆ. ILLVSTRIS. DOMINI. RAYMONDI. COMITIS. TOLOSÆ. MARCHIONIS. PROVINCIÆ. AC. DVCIS. NARBONÆ. ALMI. FVNDATORIS. HVIVS. SANCTÆ. SEDIS. NEMAVSENSIS. ECCLESIÆ. AD. HONOREM. VIRGINIS. MARIÆ. CONSECRATÆ. IN. QVA. DEO. FAMVLENTVR. VIRI. VNANIMITER. SVB. REGVLA. BEATI. DOCTORIS. AVGVSTINI. VIVENTES. QVORVM. ET. OMNIVM. FIDELIVM. DEFVNCTORVM. ANIMABVS. QVÆSVMVS. DOMINE. DEVS. MISERICORDIAM. CONCEDE. PERPETVAM. VT. EIS. PROFICIAT. IN ÆTERNVM. QVOD. IN. TE. SPERAVERVNT. ET. CREDIDERVNT. PER. JESVM. CHRISTVM. DOMINVM. NOSTRVM. Amen.



Um Inſcriptionem de qua A ego tecum collocutus ſum tuo in hanc Urbem poſtremo adventu, præ diſcedendi ſollicitudine videre ipſe non potueris, æquum cenſeo tibi hac de re ſcribendo gratum facere. Extat illa in lapide in neſcio cujus privati hominis ædibus invento paucis ante diebus Calendas Sextiles anno 1663. qui ſtatim in palatium Epiſcopi tum in ſacram ædem majorem delatus, ut vero videtur ſimile, furentibus bellorum civilium motibus. Exiſtit in O- B deo nonnihil ad latus cellæ magno ſumtu extructæ, ubi Illuſtriſſimus Anthymus Dionyſius *Cohon* ultimus hujus Urbis Epiſcopus ſepultus eſt, in cujus locum Illuſtriſſimus Jacobus Seguierius jure ac merito ſuffectus eſt.

Ejus Inſcriptionis litteræ auratæ ſunt, & opere anaglyptico expreſſæ. Et quamvis ut communi utar loquendi ratione Gothicæ judicantur, nullam habent cum veris Gothicis litteris affinitatem, quales videre eſt apud Jornandem prope calcem commentarioli de *Lingua Gothica*, aut vero in *Hiſtoria Dureti de origine linguarum*.

Gallicæ potius vetuſtæ litteræ ſunt earum ſimiles, quæ in antiquis noſtrorum Regum Nummis leguntur. Nonnullæ etiam ibi inſpiciuntur litteræ, quæ ad Veterum Saxonum litteras videntur accedere, quales in Ælfrici, qui initio undecimi ſæculi fato functus eſt, Grammatica inſpicere licet.

Inſcriptionem præcedit Crucis forma, ut ejus temporis, quo illa facta eſt, ferebat conſuetudo. Neque enim tunc temporis minus Chriſtianorum ſepulcris, quam antiquis donationibus, actorumque fere omnium publicorum ſubſcriptionibus illæ imagines præfigebantur, quibus ſublatis, non firmæ, certæque fuiſſent auctoritatis. Exempla, & rationes a Boſio de *Roma ſubterranea* petas licet, a Gretſero *Tract. de Cruce*, & diſtinctius a Spondano *de Cœmeter. Sacr. lib. 1. part. 3. tot. cap. 19.* cujus libri titulus eſt *De Crucibus ad ſepulcra appoſitis*.

Cæterum eo tempore quo hæc facta inſcriptio eſt, id erat in more poſitum, neque violabatur iccirco

A lex Theodosii, & Valentiniani Imperatorum, quam publicari jusserunt anno 427. Hierio, & Ardaburio Coss. quæ relata est in Codicem Imperatoris Justiniani hoc titulo: *Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut sculpere, aut pingere*. Annales Cardinalis Baronii, & Historiam Pauli Diaconi magis calles, quam ut necesse sit me hic pluribus immorari, ut quæ fuerint hujus constituendæ legis rationes explicem. Verum quia sublatæ hæ rationes erant cum Occitania Comitibus Tolosæ parebat, animadvertere supervacaneum non est, præter eam communem rationem, ut Crucis signum Christianorum sepulturas ab Ethnicorum distingueret, B & præter illud etiam, quod (ut sæpe alias in magnorum hominum funeribus) Crucis species extollebantur, ubicumque qui capulum deferebant, subsisterent, *ut a transeuntibus pro anima mortui deprecaretur* (ipsis enim utar verbis Thomæ Walsinghami referentis ea quæ in pompa funebri Reginæ Angliæ anno 1291. facta sunt) juvat inquam animadvertere sculpi fortasse cruces in sepulcris voluisse ad ostentandam Christianam Religionem quam professi essent. Cæterum hoc Gentis Comitum Tolosæ peculiare fuit, ut signum aliquod in ipsorum monumentis esset quod Christianæ Religionis professionem significaret. C Non hæc ego sine auctore dico: si enim fides habenda est Noguerio in Historia Tolosana pag. 170. in sepulturis Comitum Tolosæ erat arbitraria quædam nota, factoque circulo in ejus medio erat B. nexum cum X (quod hac figura ☧ referebatur, quæ erat in Labaro Constantini Magni) & extra circulum *a*, & ad utrumque latus *ω*, quod idem est atque *Christus Principium, & Finis*; quod profecto spectat ad illud cap. 1. Apocalipseos: *ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος λέγει ὁ Κύριος*: ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus.

D Quod ad ipsam Inscriptionem attinet, fatendum est eam difficillimam esse ad explicandum, sive nomen, seriemque natalium spectes ejus, in cujus memoriam sepulcrum constitutum est, sive ejus obitus tempus: certe si Inscriptionis sententiam cum iis, quæ ex historia petuntur consociare velis. Ex ejus dispositione hanc delineare figuram potes.

{ Raymondus S. Ægidii IV.
{ Elvira

E Bertrandus.... Guillielmius.... { Alphonsus aut Ildefonsus
{ Faydide

Raymondus V.... Alphonsus II.
Constantia.

Videtur hac figura Raymondus II. Comes Tolosæ, & IV. S. Ægidii fuisse Maritus Elviræ, aut Elviæ Filiæ naturalis Alphonsi Regis Castellæ ex Semena Concubina. Hic is est, qui vita excessit in Castello vulgo *Pelerin* anno 1105. Is ex Elvira tres liberos masculos susceperat: scilicet Bertran- F dum, qui Helenam duxit: at natalium series non est satis cognita, dum Raymondi nothus dicitur ab Andocho *in hist. Occitaniæ* lib. 10. pag. 278. atque hic *Garibay*, & *Surita* Scriptores Hispanos deceptos esse contendit, cum Elviræ eum ex legitimis nuptiis Filium dicunt.

Præterea Guillielmium, quem nonnulli Raymondum vocant, qui duxit Gautierii Principis Galatiæ jam fato functi uxorem, a qua liberos nullos habuit. Tandem Alphonsum, aut Ildefonsum, qui Raymondo, & Elvira parentibus ad *Terram Sanctam* proficiscentibus natus est, dictusque cognomento *Jordanus*, quia ad Jordanum Flumen Baptismo lustratus; quidquid nonnulli Historici decepti dicant, qui cognomentum hoc Guillielmio fratri tribuunt.

Hic Alphonsus, qui veneno sublatus est Cæsareæ anno 1147. fuit maritus Faydidæ, aut Faydettæ filiæ Gilberti, aut Geberti Comitis Provinciæ, & ut vulgo dicunt *de Tiburge*, aut *Tiburbe*, quæ Faydida fuit *Comitissa* in Occitania de *Gevaudan*. His fuere filii duo Raymondus V. cujus uxor fuit Constantia filia Regis Ludovici, qui dictus est cognomento *le Gros*, & mortuus est anno 1194. & ante Tolosæ Comes sex & quadraginta annos fuerat: alter vero filius fuit Alphonsus, qui ut a patre secerneretur dictus est II. Secundus.

Juxta hanc firmam certamque natalium seriem, certo scire quisnam hic Poncius fuerit, qui, ut ex Inscriptione habes, filius fuit Ildefonsi, nullo modo potes. Is certe non fuit filius Ildefonsi, aut Alphonsi II. Certum enim est hunc Alphonsum sine liberis immo ipsummet viridi ætate decessisse, ut ex his versibus qui in Epitaphio leguntur, liquido constat.

Parvulus ætate, vitæ puer immaculatæ,
Jungitur Angelicis, Virgineisque choris.

Quæ verba *Puer, parvulus ætate*, & *Virgineis choris*, eum nunquam uxorem duxisse plane evincunt. Neque illud magis affirmari potest, hunc Poncium esse alterutrum ejusdem nominis eorum, qui inter Comites Tolosæ ab hujus Provinciæ Historicis recensentur. Uterque enim Tolosæ humatus est: extant nimirum sepulcra ad januam D. Saturnini, quorum inscriptiones omisso anni mense, mensisque die in suum Tract. *de Gente, & familia Marchionum Gothiæ*, ad annum 936. & 954. Alphonsus Delbene Episcopus Albæ Helviorum contulit. Cæterum alter fuit filius Guillielmii Comitis Tolosæ, qui Frater (aut, si quosdam Historicos audias, Pater) Almerici fuit; alter vero filius ejusdem Poncii, ejus nempe qui Guillielmii filius fuit. Illud prætereo utrumque functum fato ante annum 996. proindeque duobus ante sæculis quam hic, de quo agimus, Poncius decederet.

Tandem neque illud dici potest hunc fuisse Poncium Patrem Raymondi I. Comitis Tripolitani, & Viri Cæciliæ ejus, quæ Patrem naturalem habuit Regem Philippum I. primis vero nuptiis virum Tancredum Nepotem Bohemondi Principis Antiochiæ. Is enim fuit filius hujus Bertrandi, de quo jam antea, & Helæ ejus secundis nuptiis uxoris.

Quod in tanta rerum obscuritate vero simile dici potest, hoc est, Alphonso I. plures quam duos mares liberos fuisse. Et quidem ex Andochi historia p. 281. colligitur præter Raymondum ejus successorem, alios liberos fuisse.

Addit ille quidem unum Raymondum Patri superstitem fuisse; ita ut colligi ex eo non possit Poncium, qui, si Inscriptioni adhærendum est, obiit anno 1203. ejus fuisse filium. Is enim anno 1147. Cæsareæ decessit, quod jam ante notavimus.

Tamen iis, quæ posuimus, quæque cum Historia plane congruunt, insistentes intelligere nequaquam possumus, qui non Alphonsi I. Filius hic Poncius fuerit. Quod quidem videor mihi probare posse, tametsi teste Andocho Alphonsus suis omnibus præter Raymondum V. liberis superstes fuerit. Neque enim est incredibile eum hoc in adjuncto deceptum esse, qui in sua Historia sæpissime arguitur falsus. Omnino id etiam ut mittam,

Inscriptio antiqui sepulcri, quod est monumentum publicum, majoris debet esse momenti quam ejus Historici auctoritas, qui res 400. annis a sua ætate remotas scribat. *Monumenta maxime si sint antiqua probant, nec possunt per Historiographos oppugnari*; si quidquam credis Floriano Dulpho *Tract. de sepultur. & defunctor. monument. cap.* 16. *num.* 12. & 13. aut Prudentio, quem profecto magis quam nostros Jureconsultos in deliciis habueris.

Ipsa patrum monumenta probant: Diis manibus illic
Marmora secta lego, quæcunque Latina vetustos
Custodit cineres &c.

Adde tria momenta hæc. I. qui de Alphonso I. scripsere Historici ferme omnes illum eodem tempore Ildefonsi inscriptionem ponentis nomine designant: quamquam re idem est, atque Alphonsi nomen: in pronunciatione tantum, ac syllabarum numero discrimen est. *Ibi* (sc. in Syria) *filium Alphonsum, sive Ildefonsum, peperit* (sc. Elvia) *cui Alphonso, sive Ildefonso, Jordano nomen fuit, quod in Jordano flumine aquis salutaribus esset lustratus*; ita Delbene ait Tract. quem superius appellavimus, pag. 50. & 51. 2. Unus Titulus Ducis Narbonensis, quo in inscriptione afficitur Ildefonsus Pater Poncii, aliqua ratione ostendit Alphonsum I. intelligendum esse. Videntur enim inscriptionis Auctores illi rei tantum institisse ut Narbonæ Ducem exprimerent, quo ejus in Narbonam jus magis, magisque significarent; propterea quod cum inde per Comitem Limoni ille expulsus esset, a Tolosanis sumtis armis anno circiter 1133. eo restitutus fuit, ac Tyranno exacto in ea ditione servatus, quam majores ejus tenuerant. Quam in rem consulendum est cap. 5. *de la Chronique de Guillaume de Puylaurens*: qui Raymondi Junioris Comitis Tolosæ minister a sacris fuit.

3. Ea verba *de stirpe Raymondi, Marchionis Provinciæ*, hoc certius certo faciunt Poncium fuisse filiolum Raymondi Patris Alphonsi I. & quidem præterquam quod vox illa altera neminem alium quam proprie, ac vere Nepotem unum ex eadem gente indicat, quod sexcentis & Legum, & Scriptorum testimoniis probari facile posset, si minus res esset extra controversiam posita, observandum est Titulum *Marchionis Provinciæ* non posse, nisi ad eumdem Raymondum Patrem Alphonsi I. pertinere; cum hunc titulum, ut ex Historia plane constat, concupierit, quoniam Urbes aliquot in sua potestate ultra Rhodanum habebat. Quicumque vel leviter in Historia Comitum Tolosæ versatus est hac de re nihil dubitat. Ad hanc rem stabiliendam non aliunde mihi momenta sumenda puto quam ab Andocho *pag.* 281. & a Catelo in Historia Comitum Tolosæ *lib.* 2. *cap.* 1. Sed antequam ulterius dicendo progredior, non possum facere, Frater mi, quin dicam, si Titulus *Marchionis Provinciæ* per inscriptionem, ut ad Raymondum, ita ad Ildefonsum referretur, nullum futurum fuisse dubitandi locum quin Poncius (hujus disputationis argumentum) vere Alphonsi I. Filius fuerit; ad quem utpote Faydides Virum Provincia ex dimidia parte spectabat, ab anno 1125. cum altera Provinciæ pars Raymondo Arnoul cesserit Comiti Barcinonis, quippe qui Dulcem Faydides sororem duxerit: hæ porro sorores in jus universum Gilberti Comitis Provinciæ successere, quod is masculos hæredes nullos reliquit. Qua ratione jus hoc divisum fuerit, vide apud Suritam: *In Indice rerum ab Arragoniæ Regib. gestar. lib.* 1. *ad Ann. Nat. Chr. MCXXV. pag.* 56.

Cæterum non illud prætermittendum est quod hujus Inscriptionis Compendium extat in Indice Tabularii Regii quod in hac urbe servatur pag. 168. *Memoire de la sepulture du corps de Monsieur Pons, fils du Duc de Narbonne, tirée de son Epitaphe de cette teneur*, MCCIII. *Retro hunc lapidem fuit sepultum corpus Domini Poncii, filii illustris Ildefonci, Ducis Narbonæ, de stirpe piæ memoriæ Illustris Domini Raymondi, Comitis Tolosæ, olim fundatoris hujus sanctæ sedis Nemausensis Ecclesiæ ad honorem Virginis Mariæ constructæ, & ceux qui y demeureront vivront sous la regle de S. Augustin.*

Cum ita se res habeat, notandum est Joannem Poldo Dalbenas (quem nonnulli perperam omisso Dalbenas nomine, tantum Joannem Poldo appellant, rati nomen illud, quod est nobilis ex hac Urbe Familiæ nomen ex qua is est, esse loci unde ortus fuerit, quasi vero oriundus sit ex Albenaco, urbe in Vivariensi tractu) notandum, inquam, est eum argui nonnihil posse falsi, dum, postquam cap. 12. de rebus antiquis Nemausi ait Epitaphium Ildefonsi Ducis Narbonæ in Claustro majoris Templi hujus Urbis esse hac inscriptione: *Ildefonsus, Dux Narbonæ, de stirpe Raymondi, Comitis Tolosæ, Marchionis Provinciæ, fundatoris Sanctæ Sedis Neumasensis*, seque monumenta plura hanc in rem vidisse, minime dubitat notare ejus Epitaphii diem 15. Aprilis 1203.

Quamquam enim Alphonsus hic aut Ildefonsus fuisset Alphonsus II. Frater Raymondi V. vitaque cessisset eodem anno, quo Poncius, de quo verba facimus (quod quidem Historiæ repugnat, ex qua intelligimus Alphonsum admodum adolescentem aliquanto ante quam ex ephebis excederet, obiisse) & quamquam Alphonsi I. qui Cæsareæ anno 1147. mortem oppetiit, reliquiæ sex, & quinquaginta ab ejus morte annis Nemausum delatæ fuissent, ut cum Raymondi Filii in majoris ædis claustro sepulti cineribus conjungerentur, tamen congruere, quod Dalbenas ait, cum Historia non potest, nisi ponamus duos fuisse Tolosæ Comites Alphonsi nomine, ut id fieri potuisse Deyronus excogitavit cap. 27. Rerum Antiquarum Nemausensium. Ut tibi quod sentio patefaciam, arbitror idque non temere, Epitaphium illud quod Dalbenas refert, nihil aliud esse quam Inscriptionis, quæ in Tabulario nostro custoditur, fragmentum; quemadmodum illa ipsa est tantum ejus Inscriptionis compendium, quæ proposita est in Templi majoris hujus Urbis Odeo. Revera enim in utraque eadem est diei ejusdem nota. Tum vero nihil aliud potuit Dalbenas dicere, nisi hoc esse Alphonsi Epitaphium.

Satis profecto hæc sunt ut intelligas, nihil repugnare quominus Poncius, cujus inscriptionem ad te mitto, Filius fuerit Ildefonsi. Id unum ut dicam reliquum est, quo cumulata sit totius rei explicatio, hunc Raymondum, qui dicitur *Sanctæ Sedis Nemausensis Ecclesiæ Fundator*, esse Raymondum II. ex Comitibus Tolosæ, quartum vero ex Comitibus S. Ægidii, & hujus Poncii Avum. Is est qui eam Ædem ditavit, iisque amplis donis auxit, quæ ex Regio Tabulario perspicimus, & quorum mentio fit pag. 69. in Indice. *Anno Domini* 1069. 4. *Idus Julii, Regnante Philippo Rege, Raymondus de Sancto Ægidio, Comes Tholosanorum & Rhutenensium, Dux Narbonæ, & Marchio Provinciæ, timens periculum animæ suæ & successorum suorum, in manu & præsentia Urbani II. Pontificis, & totius Sacri Concilii apud Nemausum tunc celebrati, desponsat Ecclesiam Nemausen-*


ſem, eique donat & concedit omne quod habebat in Villa Fontiſcopertæ, &c. pro emendatione ſuorum præteritorum criminum, & adeptione futurorum bonorum, &c.

Utrum hæc *Villa Fontiſcopertæ* (aut *Fontiſcoopertæ*) in qua totum illud erat quod dono datum eſt, ſit is locus qui vulgo dicitur *Fontcouverte* in tractu Ucetiæ, an vero alius ejuſdem nominis in regione Narbonenſi, ubi habitum eſt Concilium anno 911. in præſentia nihil ſtatuo. Dicam etiam alias, utrum præter Concilium Nemauſienſe Urbano II. Pontifice, quod in ejus donationis monumento nominatur, alia tria habita Concilia ſint; & quid ſit ille *Pagus Nemauſenſis, qui portus cognominatur*: & utrum anno 897. ſit habitum concilium illud, quod Baluzius inter Nemauſienſia concilia refert initio ſtatim conciliorum Galliæ Narbonenſis; quod anno 1668. publici juris fecit. Id interim dicam, quibuſcumque tandem verbis hæc donatio expreſſa ſit, nihil prohibere quominus, ut communis eſt opinio, ſacra ædes Nemauſienſis 1095. h. e. uno ante donationem anno ſacrata fuerit.

Illud addam ejus ædis miniſtros, qui in Inſcriptione dicuntur *Viri unanimiter ſub Regula Beati Doctoris Auguſtini viventes*, prope finem undecimi Sæculi (ut putant) anno circiter 1080. inſtitutos eſſe; etenim in *Breviario* autographo Alderberti Epiſcopi Nemauſienſis anno 1170. conſcripto legimus: *Petrus Ermengandi cœpit habere Canonicos Regulares ad annum* MLXXX. *Item Bertrandus, ejus ſucceſſor, cujus tempore conſecrata eſt Eccleſia Nemauſenſis, & dotata a Raymondo.* Interim quaſi præteriens illud obſerva, ex iis verbis non colligendum eſſe Bertrandum in Petri Ermengandi locum proxime eſſe ſuffectum. Certum enim eſt inter eos alium Epiſcopum Nemauſienſem interceſſiſſe: nempe Froterium, aut Proterium, cui Gregorius VII. Pontifex M. epiſtolam ſcripſit; quam inter Annales Baronius refert.

Utcunque res ſit, ut ad *Canonicos* veniamus ejus temporis, quo Comes Raymondus opibus ædem auxit, hoc quoque notandum eſt, eos tunc temporis fuiſſe, ut ajunt *Regulares*, neque certo numero comprehenſos: conſecutis vero temporibus *Sæculares*, & ad certum redactos numerum *Bulla* Pauli III. die 12. Decemb. 1539. quod perfici expreſſis litteris Rex Henricus II. anno 1551. menſe Auguſto cum juſſiſſet, poſt decreto Senatus die 12. aut 22. Septembr. ſequenti anno 1552. fuit confirmatum.

Hæc ſatis eſſe, mi Frater, arbitror ut id triſtitiæ dimittas, ſi quid ex eo, quod hanc Inſcriptionem Nemauſi non legeris, ſuſcepiſti. Si his de rebus quas ego conſcripſi ſententiam attuleris tuam, mihi gratum feceris. Illa ego natura ſum, ut aliorum monitis utar; præſertim in hujuſcemodi rebus, quas ut plurimum non nimis accurate, at relaxandi animi cauſa ſcribo. Quare ſi quid erratum deprehendes, æqui bonique facies.



VIGESIMAPRIMA DISSERTATIO

De singulari, & eximio antiquo Monumento nuper invento Parisiis. Molineti ex Cœnobio S. Genovefæ.





IN æde Berrierii ad S. Eustachii, aliquot ab hinc annis ea parte, quæ hortum spectat, laborantibus operis, inventa sunt Parisiis muri orbiculati fundamenta, quæ profecto alicui vetusto, magnificoque Ædificio, hoc est vel Templo, vel Palatio fulciendo jacta videntur esse. Etenim eruentibus Terram fossoribus ea altitudine quam duæ perticæ pertingerent, inter collapsæ cujusdam Turris rudera repertum mulieris caput est æneum, elegans quidem illud, sed aliquanto quam natura fert, crassius: gestabat illud Turrim, sublatos habebat oculos, fortasse quod erant argentei, quod in figuris antiquis valde usitatum erat. Ubi in Bibliotheca Abbatis Berrierii ego illud vidi, pro Nummorum notitia quamcumque habeo, illud ego Deæ caput putavi, quæ Parisiorum Ethnicorum tempore Patrona fuerit. Occurrunt enim sæpe Græci antiqui Nummi, quorum in aversa parte mulierum capita conspiciuntur cum Turribus, & Urbis nomine: Exempli causa, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, ΛΑΟΔΙΚΑΙΩΝ.

Cum mihi cupido incesserit quærendi quodnam illud Numen fuerit, quod aliquando Parisienses coluerint, magno mihi visus sum niti fundamento ut crederem eam fuisse Deam Isidem, tum quia in ejus capite Turris est, tum etiam quia ratio subest cur in honore apud Parisienses fuerit.

Ex plurium Scriptorum auctoritate constat, quæ a Græcis dicta est *Io*, ab Ægyptiis *Isis*, eam Cybeles nomine a Romanis esse cultam: scilicet Terram, aut Naturam ipsam, quam Ægyptii uxorem finxerunt esse Osiridis, nempe Solis, cujus ope fœcunda Parens fieret rerum omnium, quæ ex ipsius sinu proficiscerentur. Hæc est Plutarchi, & Apuleii (*a*) sententia, apud quem alterum Isis ipsa ita loquitur: *Rerum Natura Parens sum omnium elementorum Domina*. Neque aliud esse

a *Apul. lib. 6. Metam.*

A Osirim, Macrobius (*a*) ait, quam Solem, neque aliud Isim quam Terram, atque Naturam.

Et quidem tanta est inter effigies Isidis apud Ægyptios, & Cybeles apud Romanos, quas nobis Veteres reliquere, similitudo, ut facile perspicere liceat unam, eamdemque fuisse. Cybeles quidem, ut in Nummis pluribus videre est, Turrim gestabat capite, Leonem adjunctum habebat, manu cymbalum ferebat, appellabaturque *Mater magna*, nempe mater rerum omnium, quæ natura est. Isis vero & ipsa Turrim capite sustinebat, ut plures species ostendunt, atque illa præsertim quæ Romæ, Leone X. summum Imperium tenente, reperta est, de qua nonnulli scripserunt; & ipsa adjunctos Leones habet, ut celeberrima illa Isidis picta Tabula demonstrat Eminentissimi Principis Cardinalis Bembi, quam Kircherius effingendam curavit. Ipsa Sistrum, hoc est instrumentum musicum manu tenet: Ipsa tandem dicta est Terra, ac Natura: Hinc illa pingitur multa habens ubera, cujusmodi in Museo Regio effigies est.

Hanc Deam licet nomine vario, variaque specie totus venerabatur (*b*) Orbis: neque mirandum id est: Toti enim orbi illa profuerat. Observatum enim est Isidem fuisse Reginam Ægypti, & una cum Rege Osiride viro suo regnasse primis Israelitarum temporibus. Hæc enim Tacitus habet: *Regnante Iside exundantem per Ægyptum multitudinem Judæorum, in proximas terras exoneratam ferunt*. Prout erat magno animo mulier ad ardua quæque aggredienda parato, Liburnam navigandi causa parari, instruique jussit: & quidem in longinquas, & barbaras Terræ partes, quales tunc temporis Galliæ, & Alemannia erant, perrexit. Teste enim Tacito Suevorum fines ingressa est, ibique rudes ac rusticas nacta Gentes eas Deorum Religionem, Agriculturam, & sementem docuit: quibus rebus eo existimationis pervenit,

a *Neque aliud esse Osirim quam Solem, & Isim quam Terram diximus, naturamque rerum. Macrob lib. 1. Sat. cap. 11.*
b *Apul. cujus nomen circum, multiformi specie, ritu vario, nomine multi jugo, totus vetus veneratur orbis.*

ut ipsa

A ut ipsa Dea Terræ haberetur, cui se obstrictos esse ii populi fatebantur, quod Agrorum culturam, Deorum Religionem, res ignotas antea, ei primum accepta referrent.

Tacitus (*a*) ibidem etiam docet Suevos ei Liburnæ figura Divinos honores habuisse, ad ejus memoriam qua ea Regina vecta in ipsorum terras tam magnum beneficium intulerit. Juliani Apostatæ Ægyptios Nummos habemus, qui eam in Liburna positam exhibent; & Kircherius, aliique Isidis imagines Liburnam manu gestantes suppeditant. Et revera Diodorus, & Apulejus eam præesse mari testantur, quorum alter eam ita loquentem inducit. B *Navigabili jam pelago facto, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei Sacerdotes*. Quippe quæ prima navigandi artem invexerit, aut certe velis utendi consuetudinem.

Nonnulli Auctores undenam Parisiorum insigne, quod navigium est, profectum sit, cum deprehendere non possent, ab Isidis usque signo, ejus rei, ut etiam ipsius nominis hujus superbæ Urbis ab eadem originem petiere: Parisii namque nomen Græcum multi putarunt, ductum a παρὰ & Ἶσις, propter celeberrimum Deæ Isidis Templum. Hoc igitur statuendum est, & quidem ad C hæc usque tempora hæc tenuit opinio, Isidi sacratum Templum fuisse, eo Terræ tractu qui hac nostra ætate ad Abbatem S. Germani *des Prez* pertinet. Utrum illud eodem in loco, ubi Abbatis sacra ædes hodie stat, extructum fuerit, an in Pago *Issy*, qui nomen inde mutuatus sit suum, an vero circa alibi, non facile dijudices. Ut ut res sit stetit Templum illud donec Galliam Christiana Religio pervasit, cumque dirutum fuit, Isidis simulacrum quod olim in honore fuit, libuit monumenti causa custodire, quod in Ædis, quam Childebertus extolli jussit, ac Divo Vincentio dedicari, angulo positum est, tanquam Religionis an- D tiquorum per Religionem Christianorum devictæ, prostratæque Tropæum. Servatum illud est ad annum 1514. Tum vero Eminentissimus Princeps Brisconettus ejusdem loci Abbas cum illi simulacro rudes quasdam, ac superstitiosas mulierculas cereos obtulisse intellexisset, removeri illud, frangique jussit. Narrat id de rebus antiquis Parisiorum Brevillius unus ex eo de quo locuti sumus cœnobio, additque se fando de sui temporis Fratribus audisse eam statuam iis videntibus comminutam esse. Qui memoriæ prodidit illud κοινόβιον S. Germani in honorem S. Vincentii a Childeberto ex- E tructum, extructum etiam ait *in Urbe Parisiaca prope muros civitatis, in terra quæ aspicit ad Fiscum Issiacensem*.

Hæc Urbs, ut diximus, primum dicta est Parisii, quod esset prope Templum Isidis a παρὰ, & Ἶσις, quod nomen toti regioni cujus illa caput est postea commune fecit: ipsa vero dicta est *Leucotecia*, aut *Lutecia* a græco nomine λευκότης, *albedo*, quod albario opere iis domibus tectorium inductum esset. Mirandum non est si a Græcis Urbis Parisiacæ nomina derivata sunt, cum aliqua sit linguæ nostræ cum Græca affinitas: qua de re multi. Parisiorum igitur nomen totam regionem F amplectitur, quæ appellata est proprio vocabulo *le Parisis*, Urbs vero *Lutetia*, seu *Leucotecia*, vel *Locutitia Parisiorum*. Occurrunt hæc nomina in Commentariis Julii Cæsaris, in Strabone, in Ptolemæo, aliisque. Celeberrimum hoc Isidis Templum, unde toti Regioni, ac præsertim Urbi Regni Dominæ nomen, erat Collegio Sacerdotum, & Sacrificulorum commodo, qui *Issy* incoluisse creduntur, in oppido cujus aliqua in luderibus vestigia, sæculi hujus initio supererant, ut oculatus testis Brevillius de rebus antiquis Parisiorum affirmat. Plutarchus horum Isidis Sacerdotum mentionem facit: Iis præcipiebatur castitas, raso capite, nudis pedibus, ac lineis tantum vestibus incedebant: hinc illi dicti *Linigeri*: hinc Juvenalis

Nunc Dea Linigera colitur celeberrima turba.

Et infra

Qui grege Linigero circumdatus, & grege calvo.

Ad paranda victui necessaria Sacerdotes ii tenuere totum Agrum, & *Fiscum Isiacensem*, & quidquid circum est usque ad Parisios, hoc est *Issy*, *Vanves*, & eum locum qui postea dictus est *Vaugirard*, & *Grenelles*, quorum locorum reditibus potiti sunt, donec eversa per Christianos homines illorum æde, ipsi quoque sublati sunt, bonaque eorum Christianis Sacerdotibus attributa, quorum partem Clodoveus Cœnobio, quod extruxit S. Genovefæ tribuit: nempe *Vanves Grenelles*, & partem *Vaugirard*.

Videtur factum id hortatu S. Remygii Archiepiscopi Rhemensis, ubi hujus loci Templum dedicavit, cum primum Galliæ Christianum Regem institueret, cui dixit:

Incende quod adorasti.

Ad excitandum Regem dicta videntur hæc, ut Isidis tantopere ab iis incolis cultæ ædem solo æquaret: hinc videtur ortum, ut ædes τῆς παροικίας *Curiæ Vanvensis* (quæ ubi Christianæ Religioni nomen dedit instituta est) D. Remygio dedicaretur, tanquam in eum grati animi argumentum, cujus ope Ethnicorum Sacerdotum bona Fano D. Genovefæ adjudicata sunt. Hinc etiam hac quoque ætate D. Remygius ejus loci Patronus habetur.


Childebertus Clodovei, qui aliquanto post institutum S. Germani cœtum baptismum suscepit, Filius, cætera quæ circa erant nempe agrum *Issy*, & *Vaugirard* ei tribuit. Hi profecto fundi erant Ethnicorum Sacerdotum, qui ad veri Numinis cultum postea assignati sunt, cum Rex Hugo Capetus ad Aram SS. Petri, & Pauli in Æde S. Genovefæ Christianæ Religioni jurejurando obstrictus est, quam servavit integerrime. In autographo eorum quæ Frater Simondus collegit hæc extant verba: *Ut Charta gloriosæ memoriæ Caroli Francorum Regis de possessionibus Diis gentium quondam dicatis, & divino cultui applicandis, in omnibus observetur*. Ex his conjicimus jam ante Regem Carolum Martellum, aut Carolum Magnum, aut alium Carolum, qui superioribus temporibus regnaverit id statuisse: ita ut postea confirmata donatio, non autem facta fuerit bonorum quæ ad Idolorum Sacerdotes attinebant; quæ idola jam longe ante una cum ipsis cultoribus conciderant.

Hæc habeas de æneo antiquo capite, quod paucis ab hinc annis Parisiis inventum est, cujus exemplum ab ipso typo desumtum in Bibliotheca S. Genovefæ custoditur.

a *Pars Suevorum Isidi sacrificat, unde causa & origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnæ figuratum docet advectam Religionem*.

VIGESIMASECUNDA DISSERTATIO

Ex Epistola Sebastiani Feschii Professoris Basileensis, ad Hollandrum Quæstorem ærarium Scaphusianum. De Nummo Regis Pylæmenis.






NON ignoras altero ab hinc anno me in Italiam profectum ut & amini nostri Patini consilio, & meæ, quam diutius foveram, res antiquas Romanas contemplandi cupiditati satisfacerem. Inter eximios, quos vidi, Nummos, præsertim Græcos (hos enim utpote multijuges, & eruditos majore cura quærendos putavi) nonnulli valde singulares in manus mihi venere. Qui mihi difficiliores ad explicandum visi sunt, eos ego sepofui, ut in Patriam receptus per otium expenderem. Inter selectos hic parvus Nummus æreus erat, cujus exemplum ad te mitto quem dignum judicavi, quem tu contemplareris. Quibusdam antiquarum rerum Italis, & eruditis quidem amatoribus *Pyllimenis* nescio cujus Nummus visus est. Alii vero hujusmodi ignorantes nomen pro certo putarunt, alicujus Ptolemæi fuisse, cujus nomen qui Nummum feriit, corruperit. Non illis *Pylæmenis*, quod verum nomen est, in mentem venit; rarum enim est illud apud Auctores, &, adhuc ad Nummos quod attinet, incognitum. Tu vero cum superioribus diebus scripseris, atque hunc Nummum inter Antiquorum Regum Nummos recensueris, non modo mecum Pylæmenis esse sensisti, verum etiam ad id confirmandum ea ex secretioribus Historiæ adytis eruisti, quibus omnis prorsus tolleretur dubitatio. Acumen hocce tuum in iis quæ tibi propofueris explanandis, & privatorum amorem, & virorum Principum gratiam ac præcipue Serenissimi Electoris Palatini, qui Nummorum cognitionem in amoribus habet, tibi merito conciliavit. Itaque Pylæmenes tantum tibi debet, quantum Pompejo, cujus opera in majorum suorum sedem restitutus est.

Interim hoc singulare Antiquitatis monumentum in lucem edendum, tametsi adhuc ignotum fuerit, atque Paphlagonum historiam neglectam ab aliis, multisque involutam tenebris, in lumine collocandam curavi; atque illud accidit mihi perjucunde, quod acerrimo judicio tuo meam hac de re sententiam subjicio.

Ut inde unde altius fieri potest, initia repetamus, Homerus Poetarum Princeps lib. 2. Iliad meminit cujusdam Pylæmenis, qui interfuit Trojano bello Paphlagonum princeps.

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο ΠΥΛΑΙΜΕΝΕΟΣ λάσιον κῆρ.

hoc est:

Intrepidus Pylæmenes Paphlagonum Ductor erat.

Libro etiam quinto ejusdem meminit, aitque a Menelao hasta confossum. Titus Livius, & Strabo Homeri auctoritate freti ab Henetis Paphlagoniæ populis oriundum affirmant, eumque Trojæ sub mœnibus oppetiisse. Dictis Cretensis eum Paphlagoniæ Regem, Melii Filium nominat, Priamo cognatione conjunctum, qui Agenoris stirpe gloriabatur, cujus Agenoris filia Amalixo Dardano Regii Trojani sanguinis auctori nupsit. Is vero asserit obsidentibus Trojam Græcis, inito prœlio ab Achille jaculo Pylæmenem interfectum. Jam vero etsi injuria temporum, & Scriptorum injuria ejus rei memoria prope intercidit, tamen quin multi hoc nomine Paphlagonibus Reges fuerint, dubitandum minime est. Minime obscure id Justinus indicat eo loci, ubi narrat inita cum Nicomede societate Mithridatem Paphlagoniam invasisse, victamque cum socio divisisse: *Quam cum teneri a Regibus Senatui nuntiatum esset, Legatos*, inquit, *ad utrumque misit, qui gentem restitui in pristinum statum juberent. Mithridates autem non territus minis Galatiam quoque occupavit: Nicomedes, quoniam se tueri jure non poterat, justo Regi redditurum respondit: atque ita Filium suum, mutato nomine, Pylæmenem Paphlagonum Regum nomine appellat* (Pylæmenem enim, non Philiamenem legas oportet) *& quasi stirpi Regiæ reddidisset Regnum, falso nomine tenet.*

Hinc recte colligere possumus hoc fuisse Paphlagoniæ Regibus commune nomen a primo illo Homeri Pylæmene ad hunc postremum, de quo mox temporum serie derivatum, quemadmodum Cappadocum Regibus perpetuum fuit *Ariarathis* nomen; quapropter Mithridates ipse Cappadocia occupata Filio suo idem nomen indidit, ut in eam jus habere videretur. Ita Ægyptiorum Regibus Ptolemæi, Parthorum Arsaces, Osrhoenorum Abgari, Ponti Mithridates, Albæ Longæ Sylvii, ac tandem Romanis Imperatoribus Cæsares, & Augusti tanquam sacrata fuere nomina.

Hinc est profecto cur Paphlagonia teste Plinio Pylæmenia dicta fuerit. Nihilominus tamen Paphlagoniæ Regum omnium sine ulla a primo ad ultimum varietate, proprium fuisse Pylæmenis nomen, affirmate pronuntiare non ausim. Xenophon enim in juvenis Cyri expeditione Corylam nescio quem memorat, qui in eam Regionem imperium exercuit; idemque affirmat Agesilaum societatem cum Oty (quem Cotym in vita Agesilai Plutarchus nominat) Paphlagonum Rege iniisse. Est tamen quod pro ea sententia dici possit, nempe ejus Regni tunc multiplicem fuisse ditionem, aut vero nomen vel cognomen Corylæ, atque Otys nihil prohibere quominus hi Reges proprio ejus Nationis Principum nomine insigniti fuerint. Atque ita Plutarchus libro de Oraculis Pythiæ ait multa Græcorum nomina cognominibus silentio præterita. Id præterea frequens fuit Regibus Asiæ. Zeno quidam est apud Zonaram, & Josephum cognomento dictus Cotylas, Tyrannus Philadelphiæ, & apud Tacitum alius Zeno cognomento Artaxias, quem Germa-

nicus Armeniæ Regem constituit. In Syria duo fuere Alexandri, alter dictus Bala, alter Zebina, ut multos alios missos faciam. Orodes, Pacorus, Phraates, aliique Parthorum Reges Arsacis cognomen retinuerunt ob constitutum ab eo Regnum, qui primus etiam Rex fuit, & ab eo Regio ipsa dicta est Regnum Arsacidarum. Hæc omnia non modo scriptorum prodita sunt monumentis, verum etiam Nummis, & Inscriptionibus, cujusmodi inter cæteras unam habes apud Gruterum de Phraate Arsace.

Ut longam disputationem effugiamus, dicamus verbo Paphlagonum Regum plura fuisse nomina, præcipue cum inter plures Regnum divisum est; nihilo tamen secius Pylæmenis nomen, ut colligi ex historia potest, frequentius fuisse, in honorem ejus, qui primus fuit, quem adeo Homerus commendat, ut Marti parem prædicet. Cum igitur ejus nationis Regibus commune id nomen esset, & a parentibus Filiis traderetur, cognominibus illi distinguebantur, quæ iis ex virtutibus, ex affectibus, ex venusta oris, & corporis conformatione, aliisque quibus excellerent dotibus, tribuerentur; quemadmodum ab Ægypti, Syriæ, Ponti, & Cappadociæ Regibus fieri consuevit. Quocirca is cujus causa hic de quo loquimur Nummus percussus est, *Evergetes*, hoc est *Beneficus* est cognomento dictus. Etsi igitur sine ulla controversia certum est multos fuisse Pylæmenis nomine, antequam Asia Romani potirentur, Paphlagoniæ Reges; tamen eorum præclara gesta Historici adhuc monumentis non prodidere; neque uspiam mentio ulla ante bellum a Romanis contra Aristonicum Fratrem Attali susceptum, & per P. Licinium Crassum Consulem gestum, de quo Orosius in hæc verba. *Anno ab Urbe condita* DCXXII. *P. Licinius Crassus Consul, & Pontifex Maximus, adversus Aristonicum Attali Fratrem, qui traditam per testamentum Romanis Asiam pervaserat, cum instructissimo missus exercitu. Præterea a magnis Regibus, hoc est Nicomede Bithyniæ, Mithridate Ponti, & Armeniæ, Ariarathe Cappadociæ, Pylæmene Paphlagoniæ eorumque maximis copiis adjutus, conserto tamen bello victus est*. Eutropius quem Paulus Diaconus sequitur, eadem iisdem prope verbis narrat.

Pylæmeni huic ereptum, uti diximus, per Mithridatem, ac Nicomedem Regnum est. Eutropius, & Orosius Reges Pylæmenem, & Nicomedem socios populi Romani ab uno Mithridate Paphlagonia, ac Bithynia pulsos confirmant. Verum cum hic Nicomedes Superioris Nicomedis qui, ut habes ex Justino, cum Mithridate societatem inierat, Filius fuerit, dicendum est sæpe Pylæmenem exactum Regno, quod expressis verbis Sextus Rufus affirmat: eum scilicet socium populi Romani in Paphlagonia regnasse, & sæpe e solio deturbatum, in idem a Romanis restitutum, quo mortuo Paphlagoniam factam esse Provinciam. Paulus Diaconus a Pompejo restitutum ait. Quæ tamen ex Historicis de Pylæmene attulimus, de duobus, tribusve ejusdem nominis Regibus intelligenda sunt. Etenim inter Imperatorem Crassum adversus Aristonicum, & Æmilium Lepidum, ac Volcatium Tullum Consules, quibus Consulibus Pompejus bellum contra Mithridatem gessit, & ad Regnum Pylæmenem revocavit, tres & sexaginta numerantur anni.

De ratione qua Pylæmenes Regnum recuperaverit, ac Paphlagonia Regnum esse desierit inter Auctores non convenit. Si Paulum, & Rufum audis, victo, pulsoque Mithridate Regnum Pylæmeni redditum est, illudque post ejus mortem in Provinciam redactum. Non videtur Jornandes dissentire. *Paphlagoniæ*, inquit, *Pylæmenes Rex amicus populi Romani a multis dum inquietaretur Romanorum petiit auxilium; se quoque dum de inimicis ulcisceretur, defunctus Romanos per testamentum hæredes reliquit*.

Appianus non idem sentit: scribit enim Pompejum antequam bellum adversus Mithridatem susceptum conficeret, Paphlagoniæ Regnum Attalo dedisse. Ex alia parte Strabo fide dignus Scriptor, atque ætate iis temporibus proximus postremum Paphlagoniæ Regem testatur fuisse Dejotarum Castoris Philadelphi Filium: qui Castor ex Cicerone (*a*) videtur parvulus filius ejus Dejotari, cujus causam Tullius egit adversus Castorem qui Avi Dejotari ejecti Tetrarchiam Galatiæ injuste occupavit.

Ab horum omnium Scriptorum sententia videtur Justinus recedere. Narrat enim Nicomede, & Mithridate contendentibus in Romano Senatu pro suo quoque in Cappadociam jure, Senatum studio Regum intellecto aliena Regna falsis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi Paphlagoniam ademisse: Ac ne contumelia Regum foret ademtum illis quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus est. Ex quo intelligimus tunc Paphlagoniam Regnum esse desiisse.

Expellere hujus Historiæ tenebras difficile foret, nisi Strabo iis quæ nobis de Paphlagonia reliquit, satis lucis suppeditaret. *Hæc Paphlagonia*, inquit, loquitur autem de mediterranea, *multis subjecta fuit paulo ante ætatem nostram, nunc stirpe Regia extincta, eam Romani habent*: additque postremum Dejotarum Castoris Filium in parte ejus regionis Imperium tenuisse: Paphlagonia autem maritima Mithridatem potitum esse, eamque uti etiam Mediterraneæ partem suo Ponti Regno adjunxisse; Pompejum victo Mithridate Armeniam, & Colchidem inter quosdam Regulos, qui adversus Mithridatem auxilia tulerant, divisisse; Paphlagoniam autem quam Mithridates tenuerat in undecim urbes partitum esse, easque Provinciæ Bithyniæ adjecisse, earum tamen aliquas a mari remotas Pylæmenis posteris impertitum esse.

Ex his intelligi potest Paphlagoniam in plures divisam partes pluribus subjectam fuisse, ejusque unam tantum partem libertate usam esse. His stabiliendis magno adjumento Eutropius est, quo teste Pompejus confecto bello Armeniam minorem Dejotaro dedit, Paphlagoniam Attalo, ac Pylæmeni restituit, & Aristarcho diademate imposito Colchidem attribuit.

Hæc habeas de Pylæmenis nomine, cujus genitivus apud Homerum ratione carminis exit in εος, πολαιμένεος, apud Strabonem in ους, πυλαιμένους: At in Nummo hoc melius in ου, πυλαιμένου, ut cætera Regum Orientalium nomina μιθριδάτου Αριαράθου, Τιγράνου, Αριαβαρζάνου, & Αρσάκου.

Quod ad epitheton ἐυεργέτου pertinet, quod Pylæmeni hoc in Nummo tribuitur, non est facile in tanta rerum ejus Gentis obscuritate aliquid certi conjicere. Carpit eorum superbiam Regum Plutarchus, qui cum nihil, aut parum admodum egregie fecerint Deorum nomina sibi arrogarunt, qualia sunt Neptunus, Ceraunus (quæ vox fulmen significat) Evergetes (beneficus) Callinicus (pulchras victorias consecutus) Soter (Servator) Magnus. Sed multo gravius in eos commovetur qui Dii, Deorum Filii appellari voluerunt; ut Antiochus Deus Rex Syriæ dici voluit; quos quidem minus venia dignos ait, quam qui tantum Philadelphi, Philometoris, Evergetis, aut Theophili minus superba nomina sibi vindicarunt.

a *Orat. pro Dejotaro.*

Certum est Evergetis epitheton, quod proprie beneficum sonat, fuisse apud Veteres, eorum virorum Principum, qui singulare aliquod in homines beneficium, aut in Deos officium contulissent. Ut nihil de Arimaspis dicam, qui quod Cyrum, aut ut vult Stephanus, Argonautas benigne excepe-rint, Evergetes dicti sunt, in Oxonii Lapidibus e Græcia delatis cujusdam Dionysii mentio fit, qui appellatus est Evergetes, qui benefecit Diis Patriæ; & præterea Clinodemi, qui Deli Templo benefecit, atque Civibus.

Orosanges dicebantur a Persis benefici homines, eorumque benefacta publicis monumentis committebantur, quod non modo ex Esther Historia, sed etiam ex Ethnicis Historicis pluribus habes. Hinc Josephus tradit Regem Artaxerxem edixisse, ut Mardochæus Evergetes, ac Servator nuncuparetur, ad ejus Eunuchorum conjurationis memoriam, quam ille detexit.

Familiare Græcis fuit, ut Servatoris, ac Beneficii nomine is donaretur, qui aut ad Reipublicæ utilitatem, aut ad privatorum commodum magnum aliquid effecisset. Primis enim temporibus, ut auctor est Diodorus, non Regum Filii, aut consanguinei, verum quos virtus, & in populum benefacta commendarent, ii demum ad imperium arcessebantur. Ex hoc factum est, ut tot Reges in Deorum numerum referrentur, ac tanquam Dii a posteris colerentur. Etenim liberalitate potissimum ac beneficiis homines ad Deorum naturam videntur accedere. Quibus rebus intelligimus, quid esset cur Reges tantopere Evergetis nomen affectarent. Itaque mirandum non est, si Græci ad assentationem, ac dicacitatem, prout bene, vel male cum iis actum erat, natura proni hoc nomine Reges suos ornare consueverunt. Illi, ut habes apud Demosthenem, fucata Philippi Macedonis virtute decepti eum Amicum, Beneficum, Servatorem nuncuparunt. Antigonus cognomento Tutor, ac Dator, quia semper pollicebatur, ac nihil dabat, totius Græciæ consensu merito, optimoque jure Evergetes audiit, quandoquidem cum Cleomenem Regem Spartæ prœlio superasset, Urbemque vi expugnavisset, singulari Clementiæ exemplo, passus est eos cives liberos esse, ac legibus uti suis; quo facto, ut Polybius, ac Suidas prodiderunt, *Soteris* Servatoris est nomen postea consecutus.

Ante hoc Antigoni tempus, Demetrius Poliorcetes hoc est Urbium obsessor ab Atheniensibus in Urbem receptus, qui ut Athenas in libertatem vindicaret venisse dicebatur, ab ipsis servator, atque beneficus est appellatus: iisdem titulis Antiochum Epiphanem Samariæ cives exornarunt, veriti ne Judæa subacta ipsi bello peterentur. Nilus quoque aliquando, ut Julianus Imperator asserit, Regionis servator, ac beneficus dictus est, propterea quod stato tempore quotannis Ægypti agros inundatione feraces reddit. Ubi porro in has vitales auras Osiris prodiit, audita est, ut Plutarchus narrat, vox hæc: magnus ac beneficus Rex Osiris natus est.

Quocirca cum Evergetis cognomen Principum superbiam inflaret, id multi affectarunt, quo ab aliis quibuscum habebant commune nomen, distinguerentur. Regum Ægyptiorum ferme omnium nomen Ptolemæus erat; Tertius vero Rex, ut alium se a Patre, atque Avo esse demonstraret, Evergetis cognomen sibi adscivit. Ejus rei rationem reddit D. Hieronymus, quia cum is in Syriam, ac Babylonem exercitum duxisset, inter cætera hostium spolia, sacra vasa quoque, atque Idola Deorum ex Ægypto jam per Cambysem in Persidem asportata, is in Ægyptum retulit. Patrem imitatus minor Filius Ægypti Rex septimus, quem irridendi causa *φύσκωνα ventriosum* dicebant; etsi Ægypti Regum omnium scelestissimus fuit, & belluæ, quam homini similior, tamen Evergetes secundus dici voluit. Contra vero ab Alexandrinis *κακεργέτης* maleficus dictus est, quippe qui fuit crudelissimus.

Syriæ Reges inter alios maxime hoc Epitheton concupierunt, ut ex ipsorum Nummis constat, in quibus sæpe occurrunt Alexander Eupator Evergetes, Demetrius Philometor Evergetes, Philippus Evergetes Philadelphus, Antiochus Evergetes. Mithridates Rex Ponti, Pater Magni Mithridatis cognomento Eupatoris, a Strabone, Appiano, in Nummis, & Inscriptionibus dictus est Evergetes. Eorum exemplum Parthorum Reges secuti sunt: Arxanes enim, ut liquet ex ejus Nummo, dictus est Rex Regum, Justus, Evergetes, *φιλέλλην*, amator Græcorum; Arsaces vero, ut ex alio patet, Evergetes, Justus, Epiphanes, hoc est Illustris, aliisque hujus generis nominibus cumulatur. Ubi Græcorum rebus Romani potiti sunt; iisdem titulis Imperatores Græci exornarunt. Hinc Philo Hebræus Græcos imitatus Imperatorem Augustum, ut & Caligulam Servatorem, & Evergetem nuncupavit. Redeunte ab Judæa Vespasiano, & victo per Constantinum Tyranno Maxentio, eadem nomina suis Imperatoribus Romani tribuerunt.

Ut ad Pylæmenem, de quo agimus, revertamur, cujus beneficii causa Evergetis nomen sit consecutus difficile est assequi conjectura. Fortasse fecit id ut Regem Mithridatem, Ptolemæum Secundum, Alexandrum Balam, qui eo tempore regnarunt, quo adversus Aristonicum Populus Romanus bellum suscepit, imitaretur: quare adducor, ut credam hunc eum esse Pylæmenem, qui contra Aristonicum Populo R. opem tulit. Posteriorem enim Pylæmenem, quem Scriptores Amicum Populi R. sæpe dicunt, credendum est potius *φιλορωμαῖον* nomine donatum, quod sonat *amicum Romanorum*; quemadmodum ejus finitimi Cappadociæ Reges Ariobarzanes, & Ariarathes, ut non modo ex Cicerone, sed etiam ex ipsorum Nummis intelligitur, id nomen usurparunt: quemadmodum etiam Castor Dejotari Pater postremus Paphlagoniæ Rex, si Suidæ fidem habes, *φιλορωμαῖος* appellatus est.

Explanato nomine, atque epitheto Pylæmenis Evergetis, ad typum transeo in Nummo expressum, in quo quidem explicando non minus oboritur difficultatis. Ex una parte Mercurii caduceum vides. Erat is, Scholiaste Thucydidis teste, virga duobus serpentibus se mutuo intuentibus implicata, quod erat pacis, & concordiæ, & quæ inde proficiscitur felicitatis publicæ signum. Hinc Homerus vocat:

Ολβου καὶ πλούτου περικαλλέα ῥάβδον.

Beatitatis, ac divitiarum perpulchram virgam.

Quid enim, ex Ciceronis sententia, pace amabilius, qua non solum animantia, sed ædes ipsæ atque agri exultare videntur? Ita ut valde probabiliter liceat conjicere, caduceum ad Evergetis nomen pertinere, quasi id significet, parta per eum Regem iis populis pace, ac tranquillitate, eos felicitatem, & rerum omnium copiam esse consecutos.

Nihilominus tamen hic Mercurii caduceus referri etiam ad Mercurii, & Ius cultum posset, quod ad aversæ partis typum accommodatius foret. Bovis, aut Vaccæ caput effictum vides, cujus rei

rationem reddere, cum ad nos minima Paphlagoniæ, (A) ejusque Historiæ notitia pervenerit, difficillimum est. Bœoti quidem, & Eubœi hoc typo in Nummis usi sunt; sed quid illi cum Paphlagonibus commune habere potuerint nihil video.

Quod minus a veritate abhorrens dici potest, istud est: Græci suam opinionem, atque in Deos pietatem, ac Religionem Nummis patefacere consueverunt. Paphlagones primum Auctorem Riphum Gomer Filium teste Josepho habuere; aucti deinde sunt Ægyptiorum colonia, quo factum est, ut Ægyptiorum posteri crederentur. Paphlagones, ut apud Stephanum Constantinus Porphyrogenetes affirmat, (B) origine sunt Ægyptii, Phineus postea primus eo loci coloniam deduxit, cui cum Filius esset nomine Paphlagon, ea regio Paphlagonia dicta est. Cæterum si Istri Commentarii de Ægyptiorum coloniis non periissent, fortasse hoc in Nummo explicando non tantopere angeremur.

Verum quoniam non satis luminis ad veritatem clare intuendam suppetit, experiamur utrum ex hoc Labyrinto quasi tentabundi expediri possimus. Nota est Ius Inachi filiæ fabula, quam postquam compressit Jupiter in Juvencam transformavit, cui Juno Argum, qui centum habebat oculos, custodem apposuit, (C) quibus tamen prohibere non potuit quominus caduceo, ac tibia sopitus a Mercurio interficeretur. Quam ob rem irata Juno illi œstrum immisit, quo exagitata ac furens multa loca pervasit, Bosphorum Thraciæ penetravit (cui dicitur illa dedisse nomen) & in Ægyptum usque perfugit, ubi commiseratione permoto Jove pristinam formam recuperavit, & Regi Osiridi nupsit. Tum Ægyptiis omnibus adeo accepta fuit, & culta, ut post mortem Dea habita sit, quam illi Isidem appellarunt. Scribit Herodotus juvencas ab Ægyptiis, & omnium armentorum fœminas ei esse sacratas, quæ bovis cornibus, ut auctor est Diodorus, ac Philostratus, (D) apud eos, ut apud Græcos Io repræsentabatur. Plutarchus vero narrat Orum abreptum ira ex capite ornamentum regium Isidi matri suæ abstulisse, quapropter aliud ex bovis capite instar galeæ formatum Isidi a Mercurio missum esse. Astarte quoque, ut memoriæ prodidit Eusebius, magna Phœnicum Dea bovis caput pro ornamento regio, capite gestabat.

Mirandum igitur non est si Paphlagones ad suam erga Isidem venerationem, & ex Ægyptiis originem indicandam, hic bovis caput hoc Nummo obtulere. Erat enim in more positum, ut Coloniæ ejus loci Numina ac cæremonias custodirent, unde deductæ essent. Quod fecerunt & Eubœi, qui bovis capite tanquam symbolo utebantur ad memoriam tradendam posteris, quod Io in quodam Eubϧæ antro Epaphum enixa est, cujus rei causa ea Insula dicta est Antrum Bovis.

Sed ad hanc confirmandam sententiam duo præterea momenta afferri possunt. Alterum est origo superioris Pylæmenis, qui ex stirpe Agenoris erat. Agenor autem Phœniciæ Rex filius erat Neptuni ex Lybia, vel ut alii volunt Beli, qui Neptuni fuit ex Lybia Filius; Lybia vero Filia Epaphi, & Epaphus Ius Filius. Alterum est quod Phineus, qui primum ex Ægypto in Paphlagoniam Coloniam deduxit, Agenoris filius fuit; ita ut Paphlagoniæ Regum illustres majores non modo Agenor, Phineus, & Paphlagon, sed etiam Io fuerint. Quibus rebus confirmatur, quod Plutarchus prodidit, nempe Io non solum apud Barbaros divinos consecutam esse honores, verum etiam multarum nobilium, ac Regiarum stirpium originem fuisse.

Tandem caduceum ad cultum quoque Ius, & Isidis, ac Paphlagonum originem referri posse quis non videt? Etenim ea mystica virga Mercurius Argum sopivit, Io liberavit, & veram inter Osiridem, atque Isidem amicitiam perpetuo servavit, ut multi Scriptores tradiderunt. Antequam finem facio ex Macrobio illud addo, caduceum cum alis, ac serpentibus, cujusmodi hic vides, Ægyptiorum esse inventum. Nihil addo præterea veritus ne caduceus, cujus est sopire, soporem tibi inducat, aut saltem eam molestiam exhibeat, qua æquo longiores hæ tibi litteræ videantur. Dabis tamen, ut arbitror, facile veniam huic, quod in Antiquitatis arcana studium foveo. Eos ego fortasse imitatus sum, qui cum longinquas terras peragrandas sibi proposuerint, per calles & anfractus decurrunt, ut quo intenderint quocumque tandem modo perveniant. Quod si quis viam ea tutiorem quam ego ingressus sum munierit, gloriosum mihi fore putavero ejus vestigiis insistere, ejusque sententiæ adhærescere. Vale.

VIGESIMATERTIA DISSERTATIO

De Inscriptione antiqua in Hortis Palestrinis Romæ, qua Instituta Collegii Æsculapii, & Salutis continentur.

[1] SALVIA. C. F. MARCELLINA OB MEMORIAM FL. APOLLONI PROC. AVG. QVI FVIT A PINACOTHECIS ET CAPITONIS AVG. L. ADIVTOR. EIVS MARITI OPTIMI PIISSIMI DONVM DEDIT [2] COLLEGIO AESCVLAPI ET HYGIAE LOCVM AEDICVLAE CVM [3] PERGVLA ET [4] SOLARIVM TECTVM IVNCTVM IN QVO POPVLVS COLLEGI SS. EPVLETVR QVOD EST VIA APPIA [5] AD MARTIS INTRA MILLIARIVM I ET II AB VRBE EVNTIBVS PARTE LAEVA INTER ADFINES VIBIVM CALOCAERVM ET POPVLVM ITEM EADEM MARCELLINA COLLEGIO SS. DEDIT DONAVITQVE HS L. M. N. HOMINIBVS N. LX. SVB HAC CONDITIONE VT NE PLVRES ADLEGANTVR QVAM NVMERVS SS. ET VT IN LOCVM DEFVNCTORVM LOCA VENIANT ET LIBERI ADLEGANTVR VEL SI QVIS LOCVM SVVM LEGARE VOLET FILIO VEL FRATRI VEL LIBERTO DVMTAXAT VT INFERAT ARKAE N. PARTEM DIMIDIAM [6] FVNERATICI ET NE EAM PECVNIAM SS VELINT IN ALIOS VSVS CONVERTERE SED VT EX VSVRIS EIVS SVMMAE DIEBVS INFRASCRIPTIS LOCVM CONFREQVENTARE EX REDITV EIVS SVMMAE SI QVOD COMPARAVERINT [7] SPORTVLAS HOMINIB. N. LX EX DECRETO VNIVERSORVM QVOD GESTVM EST IN [8] TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI CONVENTV PLENO QVI DIES FVIT V. ID. MART. BRVTTIO PRAESENTE ET IVNIO RVFINO COS. VTI [9] XIII. K. OCT. DIE FELICISSIMO N ANTONINI AVG. N. PII P. P. SPORTVLAS DIVIDERENT IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI C. OFILLIO HERMETE Q. Q. P. P. VEL QVI TVNC ERIT [10] * III. AELIO ZENONI PATRI COLLEGI * III. SAL-

VIAE MARCELLINAE MATRI COLLE-
GI * III. IMM. SING. * II. CVR. SING.
* II. POPVLO SING. * I. ITEM PL. PR.
NON NOV. [11] N̄. COLLEGI DIVIDE-
RENT EX REDITV SS. AD MARTIS
IN SCHOLAM PRAESENTIBVS QQ̄.
* VI PATRI COLLEGI * VI MATRI
COLLEGI * VI IMM. SING. * IIII CVR.
SING. * IIII. PANES IIII VINVM MENSV-
RAS QQ̄ [12] ſ VIIII. PATR. COLL. ſ VIIII
IMM. SING. ſ VI CVR. SING. ſ VI PO-
PVLO SING. ſ III ITEM PR. NON. IAN.
[13] STRENVAS DIVIDERENT SICVT SS.
EST XIII K. OCT. ITEM VIII K. MART.
DIE [14] KARAE COGNATIONIS AD
MARTIS EODEM LOCO DIVIDERENT
SPORTVLAS PANE ET VINV SICVT
SS EST PR. NON. NOV. ITEM PRID.
MART. EODEM LOCO CENAM QVAM
OFILLIVS HERMES QQ̄ OMNIBVS AN-
NIS DANDAM PRAESENTIBVS PRO-
MISIT VEL SPORTVLAS SICVT SOLI-
TVS EST DARE ITEM XI. K. APR.
[15] DIE VIOLARI EODEM LOCO PRAE-
SENTIBVS DIVIDERENTVR SPORTV-
LAE VINV PANE SICVT DIEBVS SS.
ITEM VI. ID. MAI [16] DIE ROSAE EO-
DEM LOCO PRAESENTIBVS DIVIDE-
RENTVR SPORTVLAE VINV. ET PANE
SICVT DIEBVS SSS. EA CONDICIONE
QVA IN CONVENTV PLACVIT VNI-
VERSIS ET DIEBVS SS. II QVI AD EPV-
LANDVM NON CONVENISSENT
SPORTVLAE ET PANE ET VINV EO-
RVM VENIRENT ET PRAESENTIBVS
DIVIDERENTVR EXCEPTO EORVM
QVI TRANS MARE ERVNT VEL
QVI PERPETVA VALETVDINE DETI-
NETVR ITEM. P. AELIVS AVG. LIB.
ZENON EIDEM COLLEGIO SS. OB
MEMORIAM M. VLPI AVG. LIB. CAPI-
TONIS FRATRIS SVI PIISSIMI DEDIT
DONAVITQVE HS. X. M. N. VTI EX
REDITV EIVS SVMMAE IN CONTRI-
BVTIONE SPORTVLARVM DIVIDE-
RENTVR QVOD SI EA PECVNIA OM-
NIS QVAE SS. EST QVAM DEDIT DO-
NAVIT COLLEGIO SS. SALVIA C. F.
MARCELLINA ET P. AELIVS AVG. LIB.
ZENO IN ALIOS VSVS CONVERTERE
VOLVERINT QVAM IN EOS VSVS QVI

SSS. QVOS ORDO COLLEGI NON DE-
CREVIT ET VTI HAEC OMNIA QVAE
SSS. SVIS DIEBVS VT ITA ET ANT.
DIVIDANTQVE QVOD SI ADVERSVS
EA QVID EGERINT SIVE QVID ITA
NON FECERINT TVNC Q. Q. VEL
CVRATORES EIVSDEM COLLEGI QVI
TVNC ERVNT SI ADVERSVS EA QVID
FECERINT Q. Q. ET CVRATORES SS.
VTI POENAE NOMINE ARKAE N̄. IN-
FERANT HS X̄X̄. M. N̄. HOC DECRE-
TVM ORDINI N̄. PLACVIT IN CON-
VENTV PLENO QVOD GESTVM EST
IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI
TITI V. ID. MART. [17] C. BRVTTIO
PRAESENTE A. IVNIO RVFINO COS.
Q. Q. C. OFILIO HERMETE CVRATO-
RIB. P. AEL. AVG. LIB. ONESIMO ET
C. SALVIO SELEVCO.

Hanc inscriptionem distinctis verbis, & litteris si libet exscribas ex Miscellaneis Sponii Sect. 2. Artic. XI.

1 Alvia Marcellina dives, ac nobilis matrona Romana in memoriam Flavii Apollonii Procuratoris, qui fuit ab Augusti pinacothecis, & in memoriam M. Ulpii Capitonis Viri sui, qui adjutor fuit Flavii Apollonii, Collegio Æsculapii, & sanitatis locum ædiculæ dono dedit, & præterea ingentem pecuniarum copiam hoc est quinquaginta millia sextert. quæ ad monetæ nostræ rationem reducta valent bis mille & quingentis, uti vocant *scutatis*, ut liquet ex iis, qui de Sextertiis, & moneta Veterum tractarunt, inter quos Budæus, & Gronovius quisque volumen confecit. Apparet ex ipso eleganti Lapide in quos usus ejus summæ reditus insumendi sint. Nimirum ut statis anni festis diebus multa parva dona distribuerentur. Quo factum est, ut illa Collegii mater diceretur, Publius vero Zenon levir Pater Collegii, quia decem millia sextert. dono dedit.

2 Hoc Æsculapii Collegium, ut ex ipso Lapide apparet, erat societas hominum sexaginta, qui statis annis diebus conveniebant, ut pro iis sacra facerent, qui Æsculapii, & Hygiæ opem implorarent, atque ut ultro, citroque invitati epularentur.

3 *Pergula*, quæ vox in inscriptione est, proprie est tectum extra parietem porrectum, cujusmodi Genuæ videas in depressioribus viis, in quibus satis magna extant hujusmodi tecta ligneis fulta columnis; sed & in aliis urbibus in plateis publicis. Veteres venales pictas Tabulas in pergulis collocabant. Apelles, ut est apud Plinium, in pergulam suas picturas deferebat, atque ipse post Tabulas latens vitia, quæ a populo notarentur, ut emendaret, auscultabat: *perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus &c.*

4 *Solarium* erat instrumentum, quo horæ ad solem cognoscebantur: sed solarium dicitur etiam locus editus in domo, & apricus, in quo Veteres apricantes ambulabant. Ut ex Isidoro, & Glossario Cyrilli, & hoc loco intelligimus.

Ad Martis, intellige *Ædem*. Ædes Martis erat extra portam Capenam Via Appia. Hinc dicta est ædes *Martis extramurani*. Titus Livius: *Cum omnes extra Capenam portam ad Martis ædem convenire juniores armatos jussisset.*

6 *Funeratium*, est pecunia in funera impensa, quæ aliquando modum excessit, aucto Romanorum luxu. Nero in Poppææ funeribus tantum casiæ, ac cinnamomi insumsit, quantum uno anno non fert Arabia tota. Nero autem *funeratus est*, sunt verba Suetonii, *impensa ducentorum millium*, quæ docente Meursio efficiunt, ut vulgo dicunt, duos milliones.

7 *Sportulæ* erant munuscula argenti, quæ cum pane, & vino certis quibusdam festis, aliisve solemnibus anni diebus distribuebantur. Plerumque erant Nummi argentei qui ad monetam nostram revocati respondent septem solidis & semis, verum cum Imperatorum, aliorumve nobiliorum hominum jussu hæ largitiones fiebant, nummi dabantur aurei. Itaq; Trebellius Pollio de his largitionibus in Consulatu Imperatoris Gallieni factis locutus, memoriæ prodidit eum sportulam cuilibet Senatori, & cuilibet Matronæ nummos aureos sui nominis impertitum esse. *Senatui sedens sportulam erogavit, matronas ad consulatum suum rogavit, iis denique manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit.* Hic etiam mos erat, ut qui consulatum inirent, hæc munuscula amicis suis mitterent. Symmach. lib. 9. ep. ult. *sportulam consulatus mei, & amicitiæ nostræ & honori tuo debeo; hanc in solido misi.*

Ex eo factum est, ut hæc munera *Sportulæ* dicerentur (cæterum sportula parvam sportam significat) quia ea dona parvis sportis ferri solebant. Confirmat id Corippus lib. 4. de Consulatu Imperatoris Justini, ubi ait,

Dona

Dona Calendarum quorum est ea cura parabant
Officia & turmis implent felicibus aulam :
Convectant rutilum sportis capacibus aurum .

Hinc est quod in Græcis glossis sportulæ ita explicantur, ut sint munera, quæ corbulis mitterentur. Cum his sportulis Consules tabellas argenteas, aut eburneas dabant, in quibus ipsorum nomina scripta erant; quocirca Fasti dicebantur. Sidonius lib. 8. Epist. 6. ad Numatium, ubi de Asterii Consulatu verba facit, Sportularum, ac Fastorum distributorum mentionem facit : *ut primum*, inquit, *brevi peracta nec brevis Sportula datique Fasti*. Cæteri quoque cum magistratus inirent ad amicos munera, sed minoris pretii mittebant.

8 *Templum Divorum*, hoc profecto Templum sacratum erat Imperatorum manibus, & eorum præcipue, qui in Deorum numero relati erat. Arbitror hoc illud esse, quod Romæ primum Augusto dedicatum fuit, ac deinceps Cæsaribus omnibus, quos cultu posteri prosequebantur. Titus cellam, aut ædiculam habuit, quo Æsculapii, & Hygiæ collegium conveniebat.

9 Dies 19. Septembris, seu more Romano XIII. Calendas Octobr. Erat natalis dies Antonini Pii, ut, non modo ex hoc Lapide liquido constat, sed ex Calendario etiam tempore Constantini, & a Lambecio in descriptione Bibliothecæ Imperialis in lucem edito: extant in hoc Calendario dies natales multorum Imperatorum, & eorum præsertim, qui probitate commendantur, quorum memoria per aliquem diem festum servabatur. Eum signat natalem diem Antonini Pii Capitolinus.

10 * Hæc est Romani nummi nota. Inter hos Nummos, qui diebus solemnibus dividebantur, & Nummos argenteos in quibus, ac præsertim in consularibus ea nota conspicitur minimum discriminis intercedebat, tametsi pro dierum, quibus dabantur hæc munera, solemnium varietate, nummi variis typis seligerentur. Exempli gratia Ludis Circensibus dabantur nummi in quibus expressi currus erant duobus, aut quatuor equis vecti, dicti *bigæ*, aut *quadrigæ*, quapropter ipsi nummi *bigati*, aut *quadrigati* dicti. Aut vero alii nummorum typi erant, qui ad ludos eos aliqua ratione pertinerent. Ut in Nummis, quos *Conturniatos* vocant Athletæ repræsentantur, qui eo tantum facti videntur, ut darentur Victoribus: Heroes etiam prisci in iis effecti erant tamquam exempla Athletis proposita, aliisque quorum commodum his ludis ageretur. Dabantur nummi quoque Imperatorum, qui tum viverent, forma signati, qui sunt Nummi Imperatorii, cujusmodi sunt majores Nummi nostri, qui mea quidem sententia non pro Nummis vulgaribus habebantur.

11 Dies natalis collegii, hoc est instituti collegii dies, in cujus memoriam sportulæ duplicabantur.

12 *f.* Hanc notam Sextarium potius, quam sestertium interpretor; superius enim agitur de vini mensuris; præterquam quod hæc nota duas priores duarum priorum syllabarum, quæ in voce *Sextarius* sunt, litteras S. & T. complectitur.

13 Vox *strenua* pro *strena* observatione digna est. Primis Romanæ Reipublicæ temporibus strenæ dabantur strenuis, hoc est iis, qui se animose gessissent. Hinc *strenuæ* seu *strenæ* nomen his donis factum, ut & Deæ Strenuæ, cui, ut apud Publium Victorem habes, Romæ in quarta regione extructum Templum est.

Consecutis temporibus Viris Principibus, atque amicis hæ strenæ ineunte anno dari cæperunt, neque solum primo ineuntis anni die, sed aliquando etiam aliis, ut ex hac apparet inscriptione.

14 *Die caræ cognationis*. In Calendario rustico ad mensem Februarium refertur iste dies, qui Fasti extant Romæ in Lapide antiquo. At in Calendario Constantini, quod superius appellavimus, hæc festa dicuntur Charistia, quod idem significat. Valerius Maximus lib. 2. quid essent illa tradit. *Convivium*, inquit, *solemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur*.

15 *Die violari*. Hic dies non recensetur in Calendariis antiquis: sed ex hoc Lapide intelligimus celebrari die 22. Martii, quo tempore violæ se se exerere incipiunt, verque portendere.

16 *Die Rosæ*. Neque dies hic in Calendariis, quæ habemus Veterum Romanorum invenitur; fortasse quia festis, quæ *Floralia* dicuntur, hoc est Festa Florum, continetur. Calendarium quidem Constantini Rosarum festum designat iis verbis *Macellus rosas sumat*, hoc est *Macellum rosis ornetur*, quod profecto Laniorum festum erat, qui floribus Macellarias Tabernas exornabant; sed illud celebrabatur duodecim diebus ab eo, cujus hic Lapis meminit; quod agebatur x. Cal. Junias.

17 *C. Bruttio Præsente*, *A. Junio Rufino Coss.* Hic consulatus gestus est, anno Domini 154. Hujus Inscriptionis ope, error qui in Fastos Capitolinos irrepsit, emendatur, ubi hic alter Consul, pro Aulo Junio Rufino, Antonius Rufinus nuncupatur. Cassiodori quoque error corrigitur, a quo appellatur ille Rufus. Notandum est Bruttium Præsentem non hic dici Consulem secundum, ut neque a Cassiodoro. Equidem arbitror alium Bruttium secundo fuisse Consulem cum Antonino.

Nunc res ipsa monet, ut alia Collegia, quæ in antiquis Inscriptionibus deprehendimus, in medium afferamus.

Collegium Dendrofororum.

PUTEOLIS.

EX S. C. DENDROPHORI CREATI QVI
SVNT SVB CVRA XVVIR ST. CC. VV.
PATRON. L. AMPIVS STEPHANVS SAC.
M DEI QQ. DEND. DEDICATIONI HVIVS
PANEM VINVM ET SPORTVLAS DEDIT

C. VALERIVS PICENTINVS
C. IVLIVS HERCVLANVS
LONGINIVS IVSTINVS
A. FIRMIVS POLYBIVS

F C. LISIVS CRESCENTINVS
L. DECIMIVS FELINVS
CVPIENNIVS PRIMITIVVS
M. MINICIVS SABINVS
M. IVNIVS AGRIPPINVS

A. CAMELIVS PROTOCENSIS
A. AGNANIVS FELICISSIMVS
C. LITRIVS FORTVNATVS
TI. IVLIVS CALLINICVS
Q. CVRTIVS SCEMANVS
L. OPPIVS LESIGINVS
M. HERENNIVS ZERAX
C. LISIVS. PVDENTINVS
A. FIRMIVS FELICIANVS
M. BABBIVS SODALVS
L. MODESTIVS HILARVS
L. ORFIVS MAXIMINVS
C. IVLIVS GAVDITVNVS
L. LOLLIVS VIATOR
M. CVRIVS NIANVS
C. MARTIVS VITALIS
AERELIVS LVCIVS
C. IVLIVS DIANENSIS
C. ANTONIVS LVCILIANVS
C. MAGIVS CRESCENTIANVS
C. IVLIVS COGITATVS
C. IVLIVS CERIALIS
C. HERENNIVS SABINVS
L. ORFIVS MAXIMVS
N. POLLIVS PRIMVS SEN.
C. LITRIVS MAIOR
L. DECIMIVS FAVSTVS
C. IVLIVS SEVERVS
C. NAVTIVS PYNTPOPVS
N. VIBIVS SPERATVS
L. PACIVS MAXIMINVS
Q. GRANIVS GEMELLVS
M. GRANIVS MVRCIANVS
Q. SERVIVS NICETIANVS
C. LISIVS. SECVNDINVS
C. PVBLILIVS GENIALIS
L. CONNIVS CASTRENSIS
Q. GRANIVS CHORINTVS
TI. IVLIVS ATAINOPO

A Q. GRANIVS IANVARIVS
C. TVRRANIVS PRISCVS
L. PLAVTIVS VICTOR
A. FIRMIVS SEVERVS
C. FVLLONIVS TERTIVS
T. FLAVIVS ARCHILAVS
M. VALERIVS SYNTROPVS
M. VALERIVS IANVARIVS
N. LVCIVS CYRICIVS
C. IVLIVS CARITO
M. MALLONOVS SEVERIANVS
B C. CARTILIVS IRENICVS
N. POLLIVS PRIMVS IVN.
C. TITILIVS PRIVATVS
L. MARCIVS MARVLEIVS
Q. GRANIVS GEMELLVS
C. CLODIVS MERCVRIVS
N. VIBIVS SVPER
C. TVSCENIVS COMMVNIO
M. STENNIVS MARCELLINVS
M. VALERIVS EYTYCHES
C. RVFIVS SELEVCVS
L. GENTIVS NICO
L. PEDANIVS FAVSTINVS
C NAEVIVS POLLIVS PRISCVS
IVLIVS DECIVS FELICIVS
M. SAGARIVS SEDATVS
C. TOSCENIVS PRIMITIVS
M. SAMIANTVS CRESCENS
P. CARSICIVS FLORIANVS
C. STATRIVS FELICISSIMVS
T. MINVTIVS VERATINVS
M. PLAVTIVS HILARVS
M. SAMILARIS FORTVNIVS
C. IVNIVS MERCVRIVS
C. IVLIVS CRESCENS
C. AVRVNCVLEIVS
L. FLAVIVS CELER
SAMIARIVS SILVANVS

DEDICATA VII. ID. OCT. III. ET SEMEL COS

In Lapidibus antiquis Collegii Dendrophororum mentio sæpe incidit; tamen quodnam genus hominum fuerit illud, non licet facile intelligentia consequi. Rem in diversum Auctores trahunt. Salmasius in suis commentariis in Spartianum de vita Caracallæ, ait, Dendrophoros dictos, *qui in honorem alicujus Dei arbores stirpitus excisas per Urbem humeris ferrent*, a vocabulo δενδροφόρος, hoc est, qui arborem fert. Hinc Sylvanus Dendrophorus in veteri saxo apud Gruterum. Deus enim hic effingitur ramum Pini aut alius arboris ferens: ut vidimus in Musivo, quod explicuimus superius hujus operis dissert. 2. Artemidorus de præsagiis somniorum ait, qui sibi videntur in somniis choreas ducere Baccho, aut gestare thyrsum, aut arborem, aut quidpiam aliud quod Baccho gratum futurum sit agere, eos, nisi servi sint, in magno periculo versari. Ex quibus licet colligere in Bacchi festis maxime arbores deferri consuevisse. Itaque in anaglyptis ubi expressa Bacchanalia sunt, sæpe occurrunt qui arbusculas, aut ramos ferant.

Videtur confirmari sententia hæc lege xx. Codicis Theodosiani tit. *de Paganis & Templis. Omnia loca*, inquit, *quæ Frendiani, quæ Dendrophori, quæ singula quæque nomina, & professiones gentilitiæ tenuerunt, epulis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto, compendia domus nostræ sublevare.* Itaque huic opinioni si adhæreas, Dendrophoros non artifices dicendum est fuisse, sed id esse nomen religionis, vel superstitionis.

Verumtamen non minus videtur vero similis contraria sententia, quam doctissimi homines tuentur, qui putant Dendrophoros ita fuisse appellatos, qui materiam ad bellicas præcipue machinas adveherent.

Atque hinc est quod ex eo Collegio homines plerumque cum Fabris, quorum erat machinas, ac materiam bello opportunam parare, & cum centonariis, qui castrensem supellectilem suppeditabant, de quibus dicemus infra, sæpe conjunguntur. Centonarii cum Dendrophoris conjunguntur etiam tit. 8. lib. 14. Codicis Theodosiani, ubi jubet Imperator Constantinus quibuscumque illi in Urbibus reperiantur Dendrophoros cum collegio Centonariorum, & cum Fabris tignariis consociari. Quibus rebus quænam esset ipsorum professio certo cognosci non potest; hoc tantum intelligimus, fuisse hoc opificum collegium, quibus cum iis res esset, qui res ad bellum necessarias ministrabant. Quapropter nihil mirandum est si eos Senatus creabat, quod ex superius posito lapide manifestum est, erantque *sub cura quindecemviri*, quo Patrono, & Auspice statuam aliquam dedicaverint, & Panem, Vinum, ac sportulas dederint VII. Idus Octobr. quod additum est Consulis nomen profecto corruptum est: Nam Capacius Auctor Historiæ Neapolitanæ, a quo hanc inscriptionem mutuati sumus, mendis non vacat.

His quæ adhuc dixi illud addendum est, in inscriptione quam ex manu scriptionibus Eminentissimi Principis Barberini allaturus sum, Dendrophoros appellari Fabros: Neque enim, ut in aliis Lapidibus ibi legimus *Colleg. Fabror. & Dendrophororum*, sed tantum *Colleg. Fabrum Dendro-*

phor. ex quo intelligis eos in eadem professione recenseri.

Romæ, ad B. Virginis Trans Tiberim.

M. VLPIVS AVG. L.
PHILETVS
M. VLP. ARVATI NEP.
ANNI PRIMI MAG. QVIN
QVEN. COLLEG. FABRVM
DENDROPHOR. NOMINE
M. VLPI ARVATIANI NEP.
SVI ALLECTI IN ORDIN.
DECVRION. IIII. H. H. DEI SOLI
INVIC. MITRAE SIG
NVM. AENEVM PON. LXXXXV.
DONVM DEDIT

A B

Habeto inscriptionem aliam, quæ cujusdam Procuratoris collegii Dendrophororum Romanorum meminit.

ROMÆ.

M. ANNIVS. M. F. PAL. AVFVSTIANVS
PROCVRATOR COLL. DENDROPH.
ROMANORVM H. V. IN.
Q. Q. EPVLVM D. D. ET * D. DIVIS.
PER GRADVS

Mentio fit hic M. Annii Aufustiani ex Tribu Palatina Procuratoris Collegii Dendrophororum Romanorum, qui Epulum, & dona dedit. Duas posteriores lineas assequi nequaquam possum.

Collegium Centonariorum.

NICÆÆ.

Hæc Inscriptio est apud Joffredum.

P. PETREIO P. F. QVADRATO ET
P. EVARISTO. LAIS. MATER. STATVAM.
POSVIT OBCVIVS DEDICAT.
COLL. CENT. EPVLVM EX MORE EX
IP...... HS XII... VT QVODANN. IN
PERPET. DIE NATAL. QVADR. V. ID.
APR. QVA RELIQVIAE. EIVS. CONDITAE
SVNT. SACRIFICIVM. FACERENT. AN.
FARE ET LIBO ET IN. TEMPLO. EX
MORE. EPVLARENTVR ET. ROSAS.
SVO. TEMPORE. DEDVCERENT. ET
STATVAM. DECERNT. ET CORO-
NARN. QVOD. SE FACTVROS. RECE-
PERVNT

E

Cur quartam lineam mutaverim ratio afferenda est, antequam plura dico. Ubi enim Scriptor Nicæensis legit *Coligent*, ego lego *Coll. Cent.* quibus longe alia sententia redditur: nullo igitur modo *Coligent* legendum puto, quod verbum latinum non est; neque si *colligent* legeres verbum probo; nam *colligere epulum* nihil latine sapit; & quæ inde sententia erui posset prorsus ignoro. Si vero *Coll. Cent.* legas, aperta sententia est non secus atque in inscriptionibus aliis, *Collegio Centonariorum.* Collegium nempe Centonariorum, quod Lais mater Quadrati, & Evaristi jussit, in se recipit præstiturum.

F

Centonarii erant ii, ad quos pertinebat tabernacula, & militarem supellectilem parare, quas res Romani centones vocant, aut vero faces extinguere, quas machinis hostes injecissent. Vegetius lib. 4. ubi de tecto loquitur, quod tabulatis, cratibusque contexitur: *extrinsecus*, inquit, *ne immisso, concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur*, nempe Lanis coactis, quæ ignibus, ac sagittis resisterent: Julius enim Cæsar lib. 3. de bello civili, ait milites aliquando his centonibus usos, quibus tela vitarent. Collegia Centonariorum cum Dendrophororum, ac Fabrorum tignariorum collegiis conjunguntur. Quod ex hac, quam subjicio, inscriptione patet, ab ejus Collegii Decurione posita.

Spalati in Dalmatia.

AVR. QVINTIANVS DEC. COLL. FAB.
ET CENT.
QVI VIXIT ANN P. M. LI MENS. V. D....
VIVVS SIBI POSVIT ET AVR. IAENVA-
RIAE
CONIVGI SVAE COT. SI QVIS AEAM
ARCAM
POST MORTEM EORVM APERIRE
VOLVERIT
INFER. DECVRIAE MEAE * XXV.

* XXV. Magnos sestertios intellige, quorum singuli æstimantur mille sestertiis minoribus; horum autem singuli respondent septem solidis, & semis.

Inscriptionem hanc non primis positam esse temporibus, sed quarto a Christo nato circiter sæculo corrupta ostendit Ortographia, dum legimus in ipso Lapide AEAM pro EAM & COT pro QVOD, & illa P. M. *plus minus*.

Collegium Fabrorum Tignariorum.

R O M Æ.

L. CINCIVS L. F. SVC. MARTIALIS V. VIR
POSSESSOR. HVIVS. MONVMENTI. EX
TESTAMENO. L. MAMILI. FELICIS. DE-
CVRIAE. X. COLLEGIO. FABRVM.
TIGNVARIORVM. PARIETEM. DEX-
TRVM INTROITVS. OLLAS XXXII.
DONAVIT. EIS. QVI INFRASCRIPTI.
SVNT. SINGVLIS. SINGVLAS.

P. SVLPICIO. FELICI. DECVR.
L. CINCIO. L F PAL. MARTIALI. F.
M. AMATIO. CRESCENTI
T. POMPLINO. DRACONI
T. STATILIO. ISOCHRYSO
T. STATILIO HIERONI F.
C. PROCILIO SATVRNINO
C. PETRONIO. CELADO
SEX. IVLIO APRILI
T. STATILIO. ONESIMO
TI. IVLIO. TAVRISCO

TI. IVLIO. SPERATO. F.
P BAEBIO. EPAPHRODITO
TI. IVLIO. HYMNO.
L. FABIO APOLLINARI
C. VIBIO FAVSTILLO
C. IVLIO CELERI
C. HERENNIO CRESCENTI
P. LICINIO AGATHOPO
C. VIBIO PRIMIGENIO
M. VERGILIO EVCARPO
M. ANTONIO PHILOSTERG.

RELIQVAS. OLLAS. X. QVI IN
HAC DECVRIA. ALLECTI. ERINT.
SINGVLIS. SINGVLAS. DO. LEGO.
RELIQVM. OMNEM. IVS. MEVM. QVOD.
EST. IN. HOC. MONVMENTO. AMA-
TIAE. EVNIAE. VXORI. MEAE. ET. L.
CINCIO. L F. PAL. MARTIALI. F. ET. M.
AMATIO. CRESCENTI. DO. POSSIDE-
REQ. EOS. IVBEO

A Collegium hoc erat Fabrum, qui in trabibus, ac reliqua materia belli terra, marique gerendi usui necessaria elaborabant. *Tignum* enim est trabs, *Tignarius* autem, aut *Tignuarius Faber*, artifex qui in ea re elaborabat. In Inscriptione apud Gruterum conjunguntur illi cum *Fabris Ferrariis*, Dendrophoris, ac Centonariis, propter artis communionem, quorum alii aliorum ope mutuo indigent.

Nomen *Faber* amplam habet significationem, & quemlibet artificem denotat: Itaque in antiquis monumentis occurrit *Faber argentarius*, qui ali- B quid ex argento conficit, *Faber Ferrarius*, qui ex ferro, *Faber eburarius*, qui ex ebore, *Faber navalis*, qui trabes ad naves concinnat, *Faber balneator*, qui balnea construit, & venuste Plautus de homine, qui adulterinos feriebat nummos *Face*, inquit, *tu Faber, qui plumbeos nummos cuderes soles*. Nomen Græcum τέκτων idem sonat, quod Latinum *Faber*: Quare qui D. Josephum contra communem opinionem, Fabrum ferrarium potius, quam lignarium judicarunt, ad id animum non adverterunt τέκτονα, quæ vox in sacris litteris adhibetur, non ferrarium potius, quam lignarium fabrum designare. Illud enim auctore Hesychio est generale nomen ad omnes artifices. Ita apud Matthæum latine redditum *Nonne hic est Fabri filius?* Hippocrates (*a*), qui inter priscos scriptores Græcos numeratur eos fabros, qui serra ligna discindunt τέκτονας vocat. Etiam Galli nostri a latina voce *Faber* derivant, *Favre*, *Fabry*, *Febvre*.

Non est silentio prætereundum illud *omnem*, quod in inscriptione legis pro *omne*: est enim Solœcismus. Quod scalptorum incuria, atque inscitia aliquando accidit.

a *lib. 1. de vict. rat.*

VIGESIMAQUARTA DISSERTATIO

De Nummorum ad Physiognomonum artem utilitate.



Ummorum cognitionem utilem esse adeo inter Litteratos homines constans opinio est, ut nemo unus hoc studium ausus fuerit improbare, veritus ne in Litteraria Republica temerarius haberetur qui id accusaret, quod docti omnes laudarent, aut rerum ignarus, qui quod minime intelligit, id negligeret. Historici, ac potissimum Geographi jamdudum notitiam hanc tanti fecerunt, ut diligentiores, certioresque opportune ad res antiquas cognoscendas eo præsidio usi fuerint, quod Nummi, & statuæ suppeditarunt. Dio rerum Romanarum Scriptor, ut ostenderet Brutum significare voluisse per necem Cæsaris a se in libertatem Patriam vindicatam esse, Nummum protulit, in quo Pileus libertatis signum expressus erat cum pugionibus Bruti, & Cassii quibus hujusmodi commodum populo R. partum fuit. Suetonius etiam Augusto Infanti cognomen Thurino inditum fuisse nulla certiore probatione tradidit, quam quod puerilem imagunculam ejus æream dono habuit hoc nomine inscriptam, *Thurinus*.

Romanis illustrioribus hoc antiquitatis studium in amoribus fuit. Præstantissimorum omnium imagines Romanorum, qui superioribus vixerant temporibus inter res antiquas Varro investigavit. Cicero, & Atticus, quod in Disputatione de Hermis, & Hermathenis superius ostendimus, has res nonnulla cum sollicitudine conquisierunt. Julius Cæsar ad litteras & arma factus, qui cum eloquentiæ laude parem fortitudinis gloriam conjunxerat, Nummos, gemmas, ut Suetonius scripsit, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparavit. Alexander Severus adeo rerum harum studio tenebatur, ut dimidias statuas quascumque potuit, & excellentissimorum virorum, quos in Deorum numerum Ethnici retulerant, aut in vulgus præclaris factis manarant, imagines collegerit, & Apollonii quoque Philosophi, Jesu Christi, Abrami, & Orphei imagines in suo Museo ponendas curaverit.

Verum ne in Nummorum utilitate generatim amplificanda diutius immorer, quam rem multi nostræ hujus ætatis eruditi homines fecerunt, & inter cæteros eruditissimus Spanhemius, de ea modo verba faciam quæ in artem Physiognomonum redundat, de qua non alii scripsere, idque enitar, ut quantum potero planissime faciam.

In primis illud perpendendum est ex magnorum, atque Principum virorum vultu hanc artem addisci facilius posse; sive quod sublimi positi in loco cum essent, nactique magnam essent potestatem, nihil impedimento esse poterat quominus ad quas res natura ferrentur, iis obsequerentur; sive quod in omnes terras, ut ita dicam disseminata sunt ipsorum gesta, cum privati homines sua se fortuna involvant, ac in tenebris delitescant. Itaque ad liberalitatem quempiam fortasse natura impellet, at eam virtutem absorbebit inopia. Alius erit natura strenuus, sed servilibus artibus implicato deerit præclara gerendi facultas: cujus animo insita, atque innata est sæviendi, ac dominandi

A cupiditas, is rebus angustis, quibus severi Domini imperio subesse coactus erit, ea vitia occultabit, quæ, si liberaliore fortuna usus esset, in omnium oculis fuissent. Ignota foret hominibus singularis Abdalonimi virtus, si hortum perpetuo coluisset, neque ad Regium solium evectus esset. Non totius Græciæ sapientissimus Socrates judicatus esset, nisi vitiosam naturam, ut ipse confessus est, Philosophiæ præceptis superasset (quæ vitiosa natura ex ipsius oris conformatione se prodebat) & si in ea, cui se primum addixerat, cælandi arte perpetuo versatus esset.

Deinde concedendum est, nulla re aptius, quam
B Nummis veras, germanasque magnorum hominum, ac dignitate Principum quos jactat antiquitas, imagines referri. Cum enim iis quibus vixere temporibus præstantissimi Artifices eas formas elaborarint, magis ii quam Historici ad naturam accesserunt; hi enim eorum de quibus scripserunt, oris lineamenta non describenda sæpe putarunt. Certius etiam illi Nummis repræsentantur, quam statuis, & signis antiquis, quæ ut plurimum nomine carent, quæque nisi Nummorum ope ad quos referuntur, cognosci possent.


Illud insuper addo tum demum tibi ad Impera-
C torum Romanorum mores ex vultu, & corpore cognoscendos, Nummos profuturos, cum Latinos, & eos potissimum quos periti Artifices concinnarunt, scrutaberis. Latinos eos intelligo quos in Italia, & maxime Romæ, ubi optimi quique cælatores fuerunt, accepimus percussos: quos enim in Galliis, & Hispaniis ferierunt, ii non ita ut Itali veritatem imitantur. Græci vero Nummi magis recedunt: Artifices enim Græci non sunt cum iis comparandi, qui in Aula versabantur, neque ita sæpe ut Aulici Imperatores comitabantur. Qui Nummos probe callent alios ab aliis facile secernunt. Nam præter quam quod Græciæ, Co-
D loniarum, & Provinciarum Nummi plerumque notas aliquas hieroglyphicas habent, quibus locus ubi facti sunt intelligatur, ipso quoque opere inter se fere omnes differunt. Itaque Ægyptios Nummos facile cognoscas, quorum proprii sunt extremi ambitus; quos crassos videris Syros judices; in quibus imagines parum emineant, eos Hispanos. Nummos præterea non licebat aureos Imperatoris titulo exteris cudere; Italos vero aureos multos videas, ut argenteorum plerosque, & æreorum majorum his inscriptis litteris S. C. *Senatus Consulto*.

Non id mihi institutum est, ut Physiognomo-
E num regulas, quæ fallere aliquando possunt, redigam ad veritatem. Ejus artis peritis eam curam relinquo. Id unum generatim statuo, naturam id agere esse solitam ut animi nostri imaginem vultu sæpe exhibeat, & quadam faciei conformatione, & quibusdam lineamentis mores hominis indicet, indolem atque ingenium, ita ut hæc iis respondere videantur. Ita qui aliquam cum Leone, aut Aquila formæ similitudinem habent, ut observatum est, strenui, ac generosi esse solent: qui cum Simia, aut Vulpe, callidi, & astuti; qui cum equo, alite, aliave fera, ad ea quique proni solent esse, quæ in iis brutis animantibus natura inserit.

Observatum præterea illud est, qui ridendi, lugendi, mussitandi, cogitandi, irascendi habi-

tum natura fortiti sunt, iis affectibus plerumque sunt obnoxii, quorum ut ita dicam notas vultu gerunt. Hac ratione Campanella celebris Physiognomon, ut in Vita Boissati refert Chorierius, mores hominum, atque indolem cognoscebat. Fingebat sibi animo vultum, gestus, & reliqua corporis quam maxime poterat eorum quos expendere volebat, ac tum quo natura ferrentur, quoque affectu viderentur commoveri perspiciebat, ut quasi ipsorum animos penetrasset, intima eorum sensa cognosceret. Ille adeo intendere animum solebat, ut Judice, ut ajunt, *Inquisitionis* quæstionem in eum exercente, alio cogitatione attentissime abstractus fere omnem sensum doloris amiserit, quamobrem nihil fateretur. His generatim positis facile intelliges eorum plerumque idem esse ingenium, quorum idem est habitus. Janus Nicius Erythræus animadvertit Bernardino Stephonio Poetæ præstantissimo eam fuisse oris conformationem quam in Virgilii statua observarat. Diligentiores antiquitatis amatores in Numa Pompilio, & Antonino Pio vultus, ac morum similitudinem deprehenderunt, & in Michaele Hospitalio Politiæ, atque Philosophiæ callidissimo eamdem prorsus formam quam Aristotelis tradidit antiquitas.


Quæ ex Nummis in φυσιογνωμονίας derivabo, ea erunt illi arti præjudiciorum loco, cujus nulla sunt satis firma principia. Consulum Romanorum, & Antiquitatis Heroum Nummis nihil certi hac in re statuam: Cum enim effingi Nummis Consulum capita non licuerit, qui ad nos pervenerunt, eos ipsorum posteri ferierunt; Heroes vero antiqui cum virtute potius, quam auctoritate in hominum famam existimationemque profluxerint, post fata modo, immo aliquando nonnullis post sæculis Nummorum formis posteris commendati fuere: ex quo fit ut difficillimum sit veras ipsorum imagines naturamque ipsorum imitantes intueri.




Ab Alexandro Magno exordiamur; cujus vultus extra jugulum valde protensus, oculi apte eminentes, apteque diducti, ac suspicientes hominem ostendunt gloriæ appetentissimum, animosum, multa & præclara minantem. Obstipum collum, quod in ejus Nummis cernimus, Plutarchus ait juxta Physiognomonas, excelsi animi signum. (*a*) Statura mediocri erat, quæ a justa potius recederet, ut in aversa Nummi parte vides, & apud Historicos habes. Hinc illud:

Magnus Alexander corpore parvus erat.

Ferventiores pusilli, quam ingentes homines esse solent, cum spiritus collectiores sint, & citius sanguis circumeat, atque ita Alexandro nemo ardentior. Primum ejus rei argumentum dedit Bucephalum, quod nemo alius potuit, domando. Huc spectavit *Commune Macedonum* cum in aversa Nummi parte Alexandrum tam noto insidentem equo laxatis habenis currentem obtulit. De Regum Syrorum, qui consecutis temporibus Alexandri locum occuparunt, imaginibus nihil dicam; quoniam Vaillantus eorum historiam edidit, &, ut nemo adhuc melius, singulorum facies distinxit, quæ, quia plerique Antiochi dicti sunt, confusæ erant.



Pompejus, quem Alexandro Historici comparant, aliquam cum eo similitudinem habet, saltem exporrecto capite: at oculos depressiores habet, quod majorem indicat gravitatem, & capillos a fronte crispiores juxta Plutarchum, atque Nummos. Id Physiognomones ajunt argumentum fortitudinis, & audaciæ, quippe Ursis, ac Leonibus pili crispi in tergo, & capite sunt. Nummum hunc Græcum licet, Latinis posthabitis, proposui, propterea quod post mortem ejus Filii Latinos cudi jusserunt; Hunc vero, quem attuli, Urbs ab eo victa, dicta etiam inde Pompejopolis, cum antea a Mithridate Eupatore conditore sumto nomine *Eupatoria* nuncuparetur, hunc inquam Nummum, dum inter vivos Pompejus degeret, illa feriit. Urbs hæc, ut aliæ bene multæ, quas ille cæpit, mite, & beneficum Pompeii ingenium expertæ, si Dionem audis, libentissime in omnibus ejus voluntati sunt obsecutæ. In eo immodicam honoris cupiditatem, & cum levitate conjunctam invidiam Dio reprehendit, quandoquidem iis Cæsaris honoribus invidit, quos hic ut consequeretur, ipsemet curavit.



Ea fuit Julii Cæsaris vultus conformatio, quæ moribus, & ingenio prorsus responderet. De effigie ex Nummo, & Suetonio desumta, quam ego Andreæ Italo celeberrimi Argoli discipulo quondam misi, in hanc ad me sententiam ille scripsit. Statura excelsa, color candidus, vegeti oculi bilem, & pituitam Julio Cæsari (ut ego quidem arbitror) portendebant. Nasus grandior, & qua parte fronti jungitur nonnihil exsurgens, nares sursum aliquantum tendentes, & nasus imus depressior, hæc omnia naso aquilino congruunt, quod audentem animum denotat, & gloriæ, Imperiique appetentem. Hominem magna molientem, & in susceptis rebus constantem ex vegetis nigrisque oculis, fronte in medio paululum cavata, aquilino naso facile judices. Ex capite, & a fronte, & a tergo apte eminente, ex cervice sa-

a ἀνάτασις τραχήλου.

tis longa, & occipiti alte juncta, ex viridis oculis, ex fronte macra, & in medio paulum profunda, ex his omnibus aptum studiis eloquentiæ Cæsarem putes. Quod autem *ore paulo pleniore* fuisse Cæsarem Suetonius ait, præterquam quod ætas, & assidui militares labores hominem fortasse extenuarunt, crediderim hanc esse Suetonii sententiam, Cæsaris vultum medium fuisse inter longum & rotundum, aut vero inter magnum & parvum, nisi malis dicere carnosum potius quam pinguem fuisse. Illud prætermittendum non est ejus calvitium indolis in amores proclivis argumentum fuisse. Hinc illud jactatum a militibus per Gallicum triumphum: *Romani, mæchum calvum adducimus*. Id vitium ut tegeret obtinuit a Senatu jus laureæ perpetuo gestandæ, ut in Nummis apparet. Clementiæ quæ in Cæsare prædicatur, signa in ejus vultu equidem nulla deprehendo, ut ad ejus voluntatem potius, quam naturam referenda videatur: quippe id curavit, ut populum R. sibi beneficiis devinciret, & amorem populi hac arte conciliaret, quod Curio quoque dictitavit.

In aversa Nummi parte M. Antonius est, quia amicus Cæsaris; vultu oblongo, & pleno, mento in medio depresso quod hominem indicat voluptatibus deditum, atque conviviis. Nasus aquilinus illi est, quod animosum hominem notat. Sed Cleopatræ amore accensus gloriam posthabuit, & in præceps ruit.



Juba Mauritaniæ Rex vultum habet inferiore parte valde porrectum, habitum arrogantem, & sævum, qualem Scriptores describunt. Ejus capilli crispi, & ordine per gradus dispositi sunt. Ita comi Mauritaniæ Reges solebant, & capillos accuratissime inflectere, & aureo pulvere aspergere, cavebantque ne quis propius accederet, ne loco turbati capilli moverentur.



Augustus forma fuit eximia, modesto adspectu, naso ad frontem eminentiore, capillis leviter inflexis, atque ita erat animo miti, ac placido. Prudens erat, animosus sine ostentatione. Conjuncta ejus erant supercilia, quæ, si quosdam Physiognomonas audis, ad virtutem, stabilemque amicitiam pronum hominem significant; quæ res in Augusto vere fuerunt. Alii ad litterarum studia propensionem id interpretantur. Conjuncta enim supercilia melancholiam indicant, qua nonnihil opus est ad litteras. Is liberales artes adamavit, eleganterque scripsit soluta, & ligata numeris oratione. Hinc ea ætate præstantissima ingenia floruerunt. Exigui, & rari dentes, hujusmodi enim fuisse Suetonius refert, vitæ brevis indices erant. Id Hippocrates, nonnullique alii Philosophi illustres docuerunt. Istiusmodi enim homines cibos dentibus terere non satis possunt, ac proinde neque satis concoquere; cui incommodo parsimonia fortasse remedium attulit; vixit enim annos 76. etsi distillationibus, ischiade, articulari morbo, coliisque sæpe laboraret. Quotannis, ut memoriæ Suetonius prodidit, sub natalem suum plerumque languebat, cujus rei rationem non facile reddas.


Agrippa, qui Augusti gratia pollebat, eratque Præfectus classis, vultum habet ab imo extantem, oculos profundiores, frontem nonnihil rugosam; ex quo vultus severitas, qualem decet esse Præfecti classis. Ita facile videas eum, qui irascitur, & aliquid moleste fert, mentum protendere, oculos claudere, frontem corrugare. Præterea hac in effigie cernitur torosa facies, cervix pinguis, & carnosa, quod roboris signum est, docente Aristotele; & quidem talem boum cervicem, caputque inspicias.



Tiberius erat corpore amplo, latis humeris; quod plerumque robur, & animum indicat: prægrandibus quoque erat oculis, quæ est nota minime mala, ubi cæteræ partes apte congruunt: βοῶπις, hoc est, quæ bovis habet oculos, frequens est Homero Dearum epitheton, sed quod erat tunc temporis in laude positum, nunc in vitio poneretur. Admiratione dignum est, quod de hoc Imperatore Suetonius narrat, cui eos fuisse oculos ait, qui in tenebris etiam non secus, atque in meridiana luce, viderent, cum primum a somno patuissent. Ex hoc fervens natura, & ingenium perspicax cognoscitur, quibus erat ad litteras, & arma natus. Incedebat præterea is, ut apud eumdem Suetonium legimus, adducto fere vultu, cervice rigida, & obstipa; is erat plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, quibus rebus dicendum est eum fuisse animo a societate alieno, & solitudinis amico, quales nempe noctuæ sunt, aliæque aves nocturnæ, quas oculis imitabatur. Quæ omnia ingrata, & arrogantiæ plena, & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit, sæpe professus Naturæ vitia esse, non animi. Exiguum illi mentum fuit, & nonnihil prominens, argumentum crudelitatis, quod ideo existimandum est quia qui minantur, & ultionem meditantur, labra comprimunt, mentum tollunt. Crudelitate autem sæpius exercita cognita est crudelis natura; neque enim de cujuspiam natura judicandum est ex factis, nisi hæc sæpius repetita fuerint. Singulari documento est Sejanus apud Tiberium gratiosus. Servatus est hic Imperator a Sejano qui corpore super eum suspensus specus saxis opposuit se se incidentibus; quo


A factum est ut amicitiæ Sejani Cæsar magis fideret. Verum id ille consilio, & utilitatis suæ potius, quam amicitiæ, aut virtutis causa fecit. Etsi enim Imperatoris mortem desiderabat, in quem jam tum conspirabat, tamen ejus non intererat Tiberium tam cito mori. Nam tum Germanicus populo R. acceptissimus erat, & jure videbatur in Tiberii locum successurus: quare ante Tiberium Sejanus Germanicum e medio tollendum statuit, ut ad Imperium ipse posset adspirare.

B




Caligula naturæ monstrum mentum erectum habebat, quod ejus sævitiam indicabat, & vultum ita factum, ut, teste Tacito, suis vitiis falsam C virtutis speciem prætenderet. Vultum vero, teste Suetonio, etiam ex industria efferebat ad terrorem iis, qui accederent, incutiendum, quod erat dementiæ signum; idque ex eo etiam significabatur, quod erat gracilitate maxima cervicis, & crurum, fronte lata, corpore enormi. Capillo erat circa verticem nullo: hinc erat luxuriosus. Hæc est enim Aristotelis opinio; quod de iis intelligendum est præcipue, qui adolescentes calvi fiunt; cui rei confirmandæ afferri ex Philosophia petitæ rationes possent.

D



Si corpus & animum ejusmodi Imperatori Claudio fuisse credimus, cujusmodi nimio in Neronem E studio Seneca ἀποκολοκυντώσει descripsit, quæcumque vitia in hominem cadere possunt, in eo fuisse credi oporteret. Suetonius vero ait dignitatem formæ non defuisse. Illum quidem ingredientem poplites minus firmi destituebant, caput illi maxime tremulum erat: quæ incommoda veneno contraxit ei dato cum adolescens esset; quo stupidus evasit, memoria infirma, ac timidus, ut omnia arbitratu Libertorum ageret, & quocumque impellerent cupiditates, ferretur. Opimis cervicibus, spumante rictu (quod vitium nonnulli non minus ex Nummis, quam ex Historicis se depre- F hendisse putarunt) aliisque corporis infirmitatibus, animi infirmitas manifestabatur. Animus enim & mores corporis habitui, & naturæ solent respondere. Curasse tamen videtur ut hæc damna Linguæ Græcæ, Historiæ, & Grammaticæ studio rependeret. Ille etiam cum privatus adhuc esset volumen edidit de ratione trium litterarum, quas numero veterum latinarum quasi maxime necessarias addendas putavit, mox Princeps facile obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Verum una cum ipso perierunt. Neque enim uspiam eas reperias, nisi forte in ejus ætatis Inscriptionibus.



Vultu Nero animi habitum, naturamque præ se ferebat. Oculos enim parvos habuit, & circum pinguedine tectos, jugulum cum mento conjunctum, cervicem obesam, ventrem projectum, crura gracillima. Quibus omnibus ad unguem porcus videbatur, quod animal infami libidine est imitatus: mentum aliquanto erectius indicium, ut alias diximus, erat crudelitatis. Sufflavo capillo, cruribus gracillimis, ut testis est Suetonius, vultu pulchro magis, quam venusto cum esset, intelligis eum virum effœminatum fuisse. Quod si imperium a moderatione, atque clementia orsus est, qua cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, illud dixit, quam vellem nescire litteras! id ad modestiæ fecit ostentationem; callide quidem ad imperandum Præceptorum suorum ratione habita. Indigna profecto est Seneca insigni Philosopho ea assentatio, qua conscripta in Claudium Satyra, ita loquentem Apollinem inducit, ut Neronem pulchritudine, ac majestate sui similem prædicet.


Ille mihi similis vultu, similisque decore,
Nec cantu, nec voce minor, &c.
Talis Cæsar adest, talis jam Roma Neronem
Adspiciet, flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus, & effuso cervix formosa capillo.

Hinc profecto est, quod in Nummis Nero Apollinis imagine sæpe exhibetur. Non illi quidem deformis vultus fuit, non tamen ejusmodi quem valde formosum possis dicere. Fuit enim parvis oculis, cervice obesa, gracillimis cruribus, & totius corporis conformationi minime congruentibus. Tum quidem cum Seneca scripsit, pulchrior quam consecuto tempore ille fuit: junior enim erat, neque ita pinguis, ut perspicuum est ex iis Nummis, quos, cum tantum Cæsaris nomine gauderet, feriri jussit.



Galba fuit toroso vultu, rugosa fronte; ex quo robur, ac severitatem hominis conjicias: capite fuit

fuit præcalvo; ex quo libidinem: quod quidem Suetonius confirmat. Id intemperantiæ suæ acceptum retulit, ut manibus esset, pedibusque articulari morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret. Inter cætera tamen aduncus ejus nasus vere aquilinus observandus est, quo Aquilæ avium Reginæ habitum gerebat. Quibus notis Augustus eum, jam ante cum adhuc puer esset, prædixit imperium gustaturum, prævidit enim eum in senecta imperaturum. Rem exitus confirmavit, paucos enim imperavit menses. Plura exempla strenuorum hominum a Porta in suis de φυσιογνωμονία libris afferuntur, quibus aquilinus nasus fuit. Talis fuit Cyrus, Artaxerxes, Demetrius cognomento γρυπὸς ab adunco naso dictus, Scanderbegus, Sforza Magnus, Mahometus II. Turcarum Imperator, Usumcassanus, Ismael Sophi Rex Persarum, Selimus, & Solimanus. Alii satis multi in promptu sunt; ut Constantinus, Carolus Magnus, Franciscus I. Fronte erecta, adunco naso, statura grandi Galba liberalitatem præ se tulit. Licet enim antequam ad summum Imperium evectus esset, impositis Hispaniarum, & Galliarum civitatibus gravioribus tributis avarus haberetur (quæ tributa Belli profecto impensis necessaria putavit) tamen ubi Imperator factus est ea liberalitatis signa dedit immunitatibus populo concessis, ut ea prava avaritiæ opinio sublata fuerit.



Otho aliquam cum Nerone similitudinem habuit. Hinc illud jactatum a populo *Othoni Neroni*. Minus tamen Nerone plenus; cæterum munditiarum pæne muliebrium. Faciem quotidie rasitare consueverat: galericulum capiti propter raritatem capillorum aptatum gestabat; quod galericulum in ejus aureis, argenteisque Nummis expresse videas, cujus deferendi usum is in Italiam invexit. In æreis ejus Nummis, sunt hi porro omnes Ægyptii, aut Syri, galericulum nequaquam inspicias, fortasse quia ignota iis populis ea res fuit. Quare Itali nummi magis ad rei veritatem accedunt. Morum quam habuit cum Nerone, similitudo perfecit, ut arctissimo amicitiæ vinculo constringerentur, & omnia communia, vel uxores sine ulla zelotypia communes haberent. Otho tamen ubi appellatus est Imperator videbatur naturæ minime malæ; simulabat ille fortasse ad captandam populi benevolentiam. Animos ille ac bellicam virtutem ostendit, quandoquidem ter de Imperio cum Vitellio certavit, ter vicit; at demum quasi ad conditionem pacis militibus eductis fraude superatus est. Quamobrem manus sibi statuit consciscere, magis, ut Suetonius ait, *pudore ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione ulla*. Cum vero sponte mori, sibique violentas manus inferre Romanis gloriosum facinus videretur, id Suetonius non potest quin maxime admiretur; cum enim ille muliebri prope cultu incederet, calvus esset, vulso corpore, statura modica, male pedatus, quæ omnia hominem effœminatum indicant, *tanto animo*, inquit, quem scilicet moriendo præ se tulit, *nequaquam corpus, aut habitus competiit*.




Vitellio vultus fuit helluonis comissationibus saginati, propemodum ut Neroni. Joannes Baptista Porta de arte Physiognomonum ait eum vultu Bubonem esse imitatum. Pinguis, brevisque cervix, rubicunda facies, venter obesus (sic enim Suetonius describit) futurum portendebant, ut morbo, quem apoplexin vocant, corriperetur, nisi violenta mors finem vitæ prævertisset, quod perpetua intemperantia quoque erat eventurum. *Famosissima super cæteras* (Suetonius ait) *fuit cœna ei data adventicia a Fratre* (Lucio) *in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse* (non copiosioribus, at exquisitioribus cibis) *In hac scarorum jocinora* (qui pisces rari erant) *phasianorum, & pavonum cerebrella, linguas Phœnicopterum*, (rara avis ea est) *Murænarum lactes*, a Carpathio usque, fretoque Hispaniæ, & aliunde res petitas commiscuit. Omnino imperante Vitellio omnia perturbata fuere: is nobilissimos quosque occidit. Quare Vibius Crispus dicere non dubitavit præclare secum actum esse quod ægrotarit; hac enim ratione furorem illum subterfugisse; nisi morbo laborasset se certo fuisse periturum.



Vespasianus statura fuit quadrata, compactis, firmisque membris: hinc robustus fuit, & valetudine prosperrima perpetuo usus. Is hujus Imperatoris vultus in nummis ad vivum eductus est, qualem prorsus Suetonius descripsit: apparet enim hic vultus hominis alvo astricta, ac veluti nitentis. Fortis, probus, jucundus Imperator fuit: sola est quæ in eo merito reprehendatur pecuniæ cupiditas; gravia vectigalia, ac tributa imposuit. Sunt qui putent ad id necessitate compulsum summa ærarii fiscique inopia, de qua testificatus sit initio statim Principatus. Liberalissimus fuit in Senatores inopes, Litteratos, ac Civitates collapsas. Salibus delectabatur, ac ne in periculo quidem mortis absti-

nuit jocis. Moriturus enim, *ut*, inquit, *puto Deus fio*; quo Romanorum consuetudinem irridebat, qui Imperatores fato functos in Deorum numero collocabant.

A




B

Titus Vespasianum Patrem habitu imitabatur. Adolescentis egregia forma, & cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ, qua fortasse permotus ille Metoposcopus a Narcisso Claudii Liberto, ut Britannicum inspiceret adhibitus, constantissime affirmavit, illum quidem nullo modo, cæterum Titum, qui tunc prope adstabat, & ejus erat maxime familiaris, utique imperaturum. Is fuit carnosa cervice, latis humeris, facie virili, capite rotundo in vertice tamen planiore, fronte quadrata, quæ omnia erant roboris, constantiæ, ac prudentiæ signa, quarum virtutum plurima dedit argumenta. Illi contra accidit, atque cæteris Imperatoribus. Cum enim alii summum nacti Imperium deteriores se se ostenderint, quam antea visi fuerant, Titus in Imperio versatus honestius, & laudabilius se se gessit, omnesque pravæ indolis suspiciones adeo sustulit, ut amor, ac deliciæ generis humani diceretur, cum facilis, liberalis, beneficus in omnes esset. Quin & admonentibus domesticis quasi plura polliceretur, quam præstare posset, eam dignissimam laude sententiam protulit: *Non oportet quemquam a sermone Principis tristem discedere*.

C

D




E


Domitianus Titi frater, qui a benigna qua fuerat primis Imperii annis natura magnopere descivit, & ad crudelitatem, ac sævitiam animum convertit, ea vultus habuit lineamenta, quæ in fraudem homines impulere. Forma enim decenti fuit, statura procera, vultu modesto; cum enim ruboris plenus esset vultus ejus, id ipsum modestiam significabat, ac pudorem; erubescere enim solent quos pudet. Calvitio admodum adolescens deformis fuit, quod intemperantiæ, ut nonnulli putarunt, acceptum retulit. Id tamen ex Nummis non patet, ex quo intelligas non satis fideliter nobis effigies per nummos traditas esse. Hujus rei tamen ad hunc Nummum quod attinet in promptu ratio est. Calvitio enim ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco, vel jurgio objectaretur. Quare quorum erat Nummos cudere id caverunt maxime ne hoc vitium per

F

Nummos patefacerent, veriti ne suspiciosi hominis, & in ultionem ingenio præcipitis iram in se concitarent.



Nerva repræsentatur in Nummis vultu arido, ac rugoso, profundis oculis, & mento in acumen desinente. Is extrema ætate ad Imperium accessit: languore stomachi vehementer laboravit, quo cum haud facile concoqueret, eo fuit siccior, proindeque mutato quodammodo vultu, ex eo cognosci ejus mores non poterant. Licet ei magnus, & aquilinus nasus fuerit, fortis tamen fuit. Id in eo mitis admodum naturæ argumentum fuit. Timidus enim erat, ut qui maxime, at valde lenis. Itaque arietis potius placidi animalis, quam Aquilæ audacis avis formam imitatur. Facie fuit oblonga, naribus arietis similibus. Cur ad iram eum proclivem fuisse credamus, multa ex oris, corporisque conformatione, & habitu apparent. Inter cætera macer, & aridus vultus, acuminatum caput, statura procera, nasus aduncus, supercilia curva, mentum siccum, & acutum. Et quidem nimio iræ æstu in quemdam Regulum flagrans periit.




Trajanus natione Hispanus: hic primus inter exteros, qui Romanum adeptus est Imperium, caput habet mallei forma, in vertice planum, a fronte, & a tergo projectum, latam frontem, cervicem pinguem, quæ omnia hominem prudentia, robore, & constantia potius, quam vivido, celeri, & experrecto animi motu præditum demonstrant. Itaque magna confecit, & Romani Imperii fines, ut nemo alius Imperator antea, prorogavit; cui rei argumento est illa, quam in aversa Nummi parte legis, Inscriptio: *Armenia, & Mesopotamia in potestatem pop. R. redactæ*. Crassum caput ejus erat, breve collum, statura mediocris, & minus elegans; quæ ἀποπληξίαν minari videbantur. Revera semel eo morbo perculsus est, quo in Paralysim verso, aliqua corporis pars vexata est: mortuus tamen est ex Hydrope: quatuor & sexaginta vixit, viginti regnavit annos, id merito consecutus, ut *Optimus* diceretur.

A



B Hadrianus apta fuit membrorum constitutione, gratioso habitu, capite mediocri, & nonnihil acuto, intorta coma: quare ad bonas artes, ac laudabiles disciplinas, quarum quidem fuit studiosissimus, a natura factus fuit. Præcipue vero Poesi, Historiæ, Mathesi, Comœdiæ, Venatibus, peregrinationibus, amoribus ut qui maxime deditus. Caput, si diligentius inspicias, magis eminet a tergo, quam a fronte, ingentis argumentum memoriæ. *Memor*, Aurelius Victor inquit, *supra quam cuiquam credibile est, locos, negotia, milites recensere:* quod portento simile videbatur; quippe tot provincias circumierat, tot tamque gravibus distinctus occupationibus erat, tot agmina duxerat: ea fuit, tamque robusta natura, ut nunquam operto fuerit capite, & omnes Imperii provincias pedibus obierit. Videtur uxor ejus Sabina partem itineris cum eo fecisse; cum hoc in Nummo quem Imperatori ab Alexandria redeunti ferierunt, cum eo simul exhibeatur. Cum is ad superstitionem usque Religionis studiosus esset Romam Serapidis, & Isidis cultum detulit; quæ Numina apud Ægyptios in honore erant; quibus ubi Romam rediisset, eum aras, ac thura vovisse ex eo perspicuum est, quod eum id præstitisse ex aversa Nummi parte intelligimus. Id gratum esse sibi Serapis ut ostendat, manum porrigit, ac pollicetur eum in tutela futurum sua; Isis autem per Sistrum jurat se perpetuo morem ejus voluntati esse gesturam. Ea fuit gloriæ cupiditate, ut unus vellet excellere, & eos professores artium qui primas in iis tenerent, in quibus solus vellet eminere, de medio tolleret. Hinc Favorinus, cum verbum nescio quod Hadrianus reprehenderet, cedendum satius quam cum eo homine qui triginta Legiones haberet, de verbo certandum censuit. Regiones videndi fuit appetentissimus. Nihil de oris vel remotissimis legebat quod non ipse videre cuperet. Homines sicco vultu, qualis Hadrianus fuit, sciendi studio, & labori magis facti sunt, quam qui nimia quadam pinguitudine diffluunt. Hic primus inter Imperatores Romanos barbatus incessit, quod tametsi Scriptores minime commemorarent, ex Nummis liceret satis intelligere. Id is facere consuevit, ut menti verrucas tegeret: Sed consecutis temporibus tanquam ad ornatum Imperatores barbam aluerunt, ut nos hodie Caliendris utimur, quæ alioqui ad occultanda capitis vitia, & reparanda capillorum damna inventa sunt. Ejus natura fervens sanguine, & in bilem prona, & fortasse etiam labores, & solis æstus, quo iter sæpe faciens siccus evasit, perfecerunt ut ei crebro sanguis e naribus flueret, quod quidem profuit ad salutem: sed tandem tanta vi aliquando fluxit, ut prorsus debilitaretur, & in hydropem incideret, juxta Hippocratis monitum quod de magnis αἱμορροΐαις reliquit. Diu hoc morbo laboravit, neque poterat e vita excedere, tametsi doloris impatiens, & cruciatu confectus sæpe mortem anxie concupisceret.



Antoninus cognomento Pius a morum probitate, ac pietate ita dictus fuit, quo respicit aversa eximii hujus Nummi pars, qua proponitur Æneas Patrem Anchisem e Troja humeris ferens suis. Penes Veteres hoc pietatis, & amoris erga Parentes signum fuit. Sus cum parvis fœtibus ea est quam Æneas Lavinium, cujus portam, & muros hic vides, cum extrueret cum triginta fœtibus mactavit. Antonini vultus oblongus fuit, quod bonitatis, & amicitiæ argumentum Physiognomones ajunt. Is præterea comis fuit, modestus, gravis, atque ita procerus ut aptissima esset tota oris, & corporis conformatio, ut Princeps bonus, clemens, honestus, liberalis, sobrius, eloquens, vere dignus Imperio videretur. Eo fuit oris habitu, ut ex Nummis patet, ut Numæ jure compararetur. Mortuus est septuagesimo suæ ætatis anno, tanta cum omnium mœstitia, perinde ac si admodum adolescens obierit. Ille e vita quasi dormiens excessit, dignus cum suaviter vixisset, qui suaviter moreretur.

C

D



M. Aurelius ab Antonino in familiam adscitus fuit gravi modestoque vultu, qualem affectare Philosophi consueverunt. Longa quoque barba imitatus Philosophos est, ideoque ut ei gratum facerent, ejusque indolem ad Philosophiam, & Philosophicam vivendi rationem accommodatam demonstrarent, eum cognomento Philosophum appellarunt. In Nummis quidem, aut Inscriptionibus nomen hoc haudquaquam extat; Historici tamen hoc eum nomine ab aliis Antoninis secernunt; dictus enim etiam ille est M. Antoninus, & aliquando tantum Antoninus. Orationis quam apud hunc Principem pro Christiana Religione Athenagoras habuit, hic est Titulus: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Armeniacis, Sarmaticis, & quod magis est Philosophis*: & Capitolinus vitam M. Aurelii ita exorditur: *M. Antonino in omni vita Philosophanti viro*. Itaque frequenter Platonis illud usurpabat; *Tum demum florentissimas fore Respublicas cum aut Philosophi regnarent, aut Reges ipsi philosopharentur*. Clemens Imperator is fuit, sapiens, prudens, sobrius, liberalis, aliisque pluribus virtutibus præditus: at quia nimis in Literarum studiis occupatus infirma fuit valetudine.


E

F

Uxor M. Aurelii Faustina junior usque

A adeo Viri indulgentia abusa est, ut in omnem se se libidinem effuderit; ejus ingenium ex oris lineamentis conjicias. Erat gratiosa, oculo petulanti, vultu attonitæ simili, cujus caput pedibus moveri citius solet. Habitu imitatur avem, præsertim eam quæ semper canat, volitet, nunquamque consistat. Exiguum enim caput, exigui oculi, exiguus vultus & aliquanto projectior, & longum collum (quæ omnia in hac effigie vides) sunt ejus avis, quam nonnulli *Linariam* vocant, Itali *Fanello*, aut alius cujuspiam ejusdem naturæ avis propria.

B




C Verus, qui una cum M. Aurelio Imperium administravit, Philosophus videri voluit, etsi ad Literas minime factus fuerit. Ad ebrietatem, voluptates, spectacula natura ferebatur. Vultum ejus si attentius inspicias, Satyrorum, quos immensæ libidinis fuisse dicunt, aliquam imaginem, qualem effingere Veteres solebant, videre tibi videaris. Nemo ignorat Veteres pingendi, & cælandi arte mirum in modum excelluisse. Non enim tantum corpora, sed animos quoque, hoc est animorum affectus vultu repræsentabant. Itaque Satyros ita exprimebant, ut fronte essent prominente, naso acuto, exiguis oculis, at neque intus, neque extra nimis politis, & superiore genarum parte eminente. His Veri vultum descriptum putes. Fuit ille, ut ab Historicis proditum est, lentiginosus, sparso ore, in quo tumores crebri, unde eum se se in vinum ingurgitasse facile intelligimus. Tantæ luxuriæ fuisse dicitur, ut posteaquam de Syria rediit, popinam ad quam diverteret domi instituerit. Quare licet ille pinguis non fuit, neque collo brevi, mirum non est, si quadragesimum secundum agens annum ictu sanguinis, quem morbum Græci ἀπόπληξιν vocant, extinctus est.

D

E



F Commodus fuit animo quam corpore turpior. Nam omnino nihil M. Aurelii humanitatem imitatus est, tametsi oris habitu nonnihil similitudinis habuit. Is cum esset sævus & intemperans, Marcus autem Aurelius clemens, & continens, ex hac morum dissimilitudine factum est ut eum spurium crederent, quem Faustina ex Gladiatore, cujus amore tenebatur, habuerit. Atque ita præstans Gladiator, Auriga, Comœdus videri voluit. Vultu fuit insubido, oculis micantibus, sermone incondito, ut ebriosi solent, quorum facta imitatus est. Comperta prava ejus indole M. Aurelius magnorum, atque optimorum virorum disciplina illum erudire conatus est. Sed ea fuit ingenii vis, ut præceptores nihil profuerint. Impudicæ Matris vestigia sectatus est. Mortuo Patre honestiores viros submovit, quos suæ turpitudinis testes ferre non poterat. Eo præterea superbiæ devenit, ut Junior Jupiter, & Romanus Hercules appellari voluerit, eo usque ridiculus, ut quod nemo fecit alius, Leonis indutus spoliis incederet, & tanquam Hercules clavam gestaret. Tandem cum Commodus toti humano generi esset incommodus, ipsi ejus Familiares tantæ improbitatis tædio affecti, cum amplius molestissimum hominem ferre non possent, eum strangulandum curarunt. Senatus, populusque R. hoc monstro omnium hominum hoste liberati summæ lætitiæ argumenta dederunt. Aversam hujus Nummi partem Dissertatione 14. multis explanavimus.



Si Pertinacem ad Physiognomonum artem revoces, eam præ se fert felicitatem, quæ ab omnibus expetenda videatur. Scitum caput, latam frontem, reflexum capillum, immissam ac venerabilem barbam, adspectum gravem, habitum corporis pinguiorem, ventrem prominulum, staturam Imperatoriam, ut describit Capitolinus, & docent Nummi, in eo deprehendas. Hæc omnia prosperam valetudinem, generosum animum, populorum venerationem (etenim ipsemet habitus venerabilis erat) pollicebantur. Verum tam breve fuit Imperium ejus, ut quo natura ferretur ostendere non potuerit. Ætate prope confectus Imperium assecutus est, ejusque senectus contemta est. Præsentem tamen animum ostendit in eo tumultu quo interfectus est. Cum enim orta seditione in Palatium milites pervenissent, ad eos processit, eosque longa, & gravi oratione placavit. Unus tamen cum in iram milites loquendo rursus adduxisset, hastam in pectus Pertinacis objecit, & in causa fuit cur cæteri malo suo Principem optimum confoderent.




Albinus natus in Africa Africanum vultum habuit. Originem tamen habuit a Romana familia nobilissima. Colore albo fuit ut Europæus, barba crispa ut Africanus, alto & apte pingui corporis habitu: natura erat melancholicus, & helluo fuisse fertur, quod ore lato significabatur. Quidam antiquus Scriptor nomine Cordus hanc in rem incredibilia persequitur. Nam Albinum quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vo-

cant, jejunum comedisse dicit, & centum persica Campana, & melones Hostienses decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Quod cum ὑπερβολικῶς recenti cuidam Scriptori dictum videretur, inter Veterum Historicorum fabulas retulit. Iis enim continendis saltem eo stomacho opus esset, qui quatuor simul Gigantibus sufficeret. A



B

Severus fuit Africanus, nomine quidem sed & vultu, & factis severus, quod frons ejus rugosa, & mentum prominens indicavit. Sævus fuit in eos, qui ad Imperium secum adspirarunt, & præterea in viros nobiles eosque omnes, qui misero quodam fato suorum adversariorum partes secuti sunt. Byzantium male accepit, & Heracleæ subjecit, quod pro Pescennio Nigro steterat. Lugdunum quoque C cæde, & igne crudeliter vexavit, quod ab Albino fuerit. Sobrietas, frugalitas, & quoad vestitum pertinet moderatio, communes Africanis hominibus Virtutes, in eo laudantur. Cæterum fuit ille animosus, strenuus, laborum patiens, & Reipublicæ maxime necessarius, ita ut virtutes ejus, ac vitia Senatus expendens eum Imperio utilem judicarit, pronuntiaritque illud: aut nunquam natus, aut nunquam mortuus fuisset. Juliam uxorem ejus, quæ venustate, & facilitate celebrabatur, hoc eodem eleganti in Nummo una cum Severo effingi Seleucenses voluerunt. Hunc Nummum jam superius explanavimus, qui Græcus licet ad politam D Latinorum formam accedit.




Etsi in Caracalli vultu non facile reperio, quod E reprehendam, tamen, nescio quommodo, placere mihi non potest: Ita nempe non raro accidit, ut quosdam simul atque aspicimus, aversemur, in quibus tamen quid aversemur deprehendere non possumus. Quare quod ille Poeta Lesbiæ quam minime amabat dixit, hoc tantum possumus mutato nomine his dicere.

Lesbia, non amo te, nec possum dicere quare.
Hoc solum possum dicere, non amo te.

Verumtamen ut dicamus aliquid, ea vultus pars F quæ est inter crispa supercilia, oculi profundi, nares erectiores, quæ in hoc Caracalli Nummo dignoscuntur, videntur esse hominis animum in aliquid semper intendentis, dissimulantis, & scelesti. Adeo immanis Caracallus fuit, ut Patrem ense petierit, uxorem & fratrem Getam sustulerit, vini appetens, mulierosus, truculentus, male moratus, suis odiosus, & omnibus castris exosus. Tandem a Martiali Centurione interfectus est cum vixisset tres, & quadraginta, regnasset sex annos. Mirum est tot flagitiis coopertum Principem inter Deos relatum esse; ut illa verba quæ in Nummo legimus indicant *Divus*, & *Consecratio*. Nisi hoc iccirco a Macrino, qui in ejus locum suffectus est, & auctor cædis fuit, factum dicamus, ut hoc honore habito cædis suspicionem a se removeret.



Getæ vultus nihil male, omnia bene minatur. Fuit cito barbatus: etenim necatus est anno ætatis suæ 23. & tamen densa & promissa erat barba; unde prudentia sperari poterat, quæ ætatem superaret. Certe omen ingens est eum multo magis ætate provectum futurum consilio præstantem, qui primæ lanuginis ætate sapit. Et quidem prudens fuit, comis, carus populo: & hac nempe de causa Frater invidus ac perditus, cum eum plus se amari iniquo animo ferret, illum invidiæ suæ, ut ita dicam, mactavit, & impudens Papiniano mandavit, ut pro se facinus dilueret. At sapienter Papinianus, *non tam facile*, respondit, *parricidium excusari posse quam fieri.* Nummus rarus, qui apud me aliquando fuit, Getæ liberalitatem ostendit. Is enim una cum fratre Caracallo Populo congiarium dedit. Congiaria erant frugum munera populo collata.



Gigantea statura Maximino fuit, adeo quidem, ut octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Robustus ac fortis fuit tanquam alter Milo; quocirca terrebat omnes adeo, ut audito tantum Maximini nomine Balbinus contremisceret. Mentum ei erat valde prominens, & in acumen desinens, quæ, uti superius diximus, est certa feritatis, & crudelitatis nota. Itaque dirus, superbus, crudelis maxime fuit, ut nemo alius, cum id illi in animo insederit, Imperium nisi crudelitate teneri posse. Cæterum cum longitudine, & vastitate corporis præstaret, cum lato esset ore, quales solent esse helluones, non admodum mirum est, quod Historici narrant, eum sæpe uno die comedisse XL. libras carnis, ac totidem sextarios vini bibisse. Fuchsius de metoposcoporum arte in Maximino deprehendit lineam solarem, argumentum bonæ fortunæ. Hæc linea est transversa, & in medio frontis.

Aliorum Imperatorum effigies vocare in disquisitionem possem, si satis idoneus mihi Physiognomon viderer ad sententiam de cujusque vultu pronunciandam, & satis Historiæ peritus ad dijudicandum, utrum præcipua illorum gesta ab ipsamet indole, ingenioque manarint. Satis est me iis viam stravisse, quibus plus otii, & ingenii fuerit.

VIGESIMAQUINTA DISSERTATIO

De Virga Mosis, ad Graverollum Causidicum, & Academicum Nemausiensem.



Erius præsto quam par est, quod tibi promiseram de Virga Mosis. Si dignus tibi videor in quem animadvertas, nullam pigritiæ meæ prætexo excusationem. eas de me quibus me dignum putaris pœnas sumes; ea utere quam tibi Virgam offero. Et hæc jam alias, uti nosti, gravissimas plagas inflixit. At si vel Moses viveret, & antiqua Virgæ ea, qua prodigiis tantum terrorem incussit, virtus inesset, pro nostra amicitia in me nihil inde, nisi commodum redundaret. Eam tu ad musei modo tui ornamentum desideras, inter ea, quibus museum illud tuum tantopere commendatur, collocandam. Itaque eam tandem habe; quam expendere non secus poteris ac si *Rasiel* uctereris. Hebræorum hi libri sunt, in quibus agitur de *Kabala*, & arte magica: Inter cætera rationem tradunt qua Virga inspiciatur, iisque distinctam notis exhibent, quibus, ut ajunt, magna patrata, ac mira sunt. Quod fuerit eorum, qui inter Hebræos maxime præstiterunt ingenium ibi videas. Quis tamen miretur monstrosa eos excogitasse, qui in re omnium gravissima, ac potissima tantopere errarunt?

Plurium Doctorum sententiam habe. Quæ in Ægypto, & alibi miracula patravit Moses ejus baculi virtute patrata esse; quem, si fidem iis habes, inter duas Sabbathi vesperas Deus creavit, hoc est sexti diei vespere ex quo condi Mundus cæpit, in quo baculo miro artificio sanctum, magnum, & gloriosum Dei nomen, quod τετραγράμματον appellabant, expressum erat. Hinc in (*a*) *Zoar* in Exodum legimus in ea virga miracula inscripta esse, & SS. Dei nomen insculptum. Et Jonathan filius Usiel in paraphrasi in Exodum, quam (*b*) *Targum* nominant, idem ait. En quod ille refert.

Rehuel (qui idem erat atque Jetro, aut ejus Pater, ut Jonathan sensisse videtur hoc capite n. 18.) cum Mosem in domum Pharaonis aufugisse cognovisset, eum in profundum puteum demitti jussit, ubi Sefora ejus filia minor viginti annorum spatio eumdem aluit; elapso hoc tempore eumdem eduxit. Cum forte quondam Moses in horto Rehuel esset, effusus in preces Deo gratias egit, cujus potentia a periculo servatus esset, & cujus in se clementiam multis miraculis esset expertus. Cum ibi in Virgam oculi incidissent, factam inter duos soles, id est vespere Sabbathi, aut sexto dum universæ conditæ res sunt die; in qua virga cælatum erat magnum, & gloriosum Dei nomen, cujus virtute aliquando mare rubrum dividendo, e rupe aquas eliciendo, aliaque in Ægypto miranda facturus erat, illico Virgam terræ hærentem evulsit, & abstulit.

Quid sibi hic Scriptor velit apparet ex eo, quod de Virga Aaron legimus in (*a*) *Pirke Eliezer*, & in (*b*) *Schalseleth Hakabala*. Id tamen planius constat ex antiquis, & raris admodum Commentariis *Medrasch Vajoscha*, Constantinopoli in lucem editis, qui quod paraphrasis Chaldaica, aliique de quibus diximus Auctores narrant, in lumine collocant. Inducitur enim Moses pluribus sua gesta memorans in hæc ferme verba.

Annos natus circiter quadraginta de Ægypto exii: ad puteum aliquando cum venissem, Sefora Jetro filia supervenit: quam, modestissima mihi, atque honestissima visa cum esset, de nuptiis interpellavi. Tum illa quid cum Procis Pater ageret, narravit. Ille ad arborem in horti medio positam procos adducebat. Mortifera vis inerat arbori, ut ad eam qui accederent, extemplo interirent. Quod ubi intellexi, unde deducta hæc esset arbor interrogavi. Primi Sabbathi Vespere, inquit, ab origine Mundi, creavit Deus scipionem, eumque dedit Adamo, Adamus reliquit Enoch, Enoch Noe, Noe Sem, Sem Abrahamo, Abrahamus Isaac, Isaac Jacob, Jacob in Ægyptum detulit, & filio Joseph dono dedit. Ubi e statione vitæ Joseph decessit ejus domum Ægyptii compilarunt, & inter cætera hunc Scipionem nacti ad Pharaonem detulerunt: Jetro autem inter Ægyptios magos Princeps ubi eum vidit concupivit, furtoque ablatum domum tulit. Insculptum in eo erat τετραγράμματον magnum Dei nomen, ejusque nominis interpretatio una cum decem Ægypti suppliciis, & quia miris operibus totus distinctus erat, custoditus est diligentissime diu apud Jetro Vitricum meum. Qui tandem hortum ingressus humo scipionem fixit, quem cum mox evellere voluisset, deprehendit eum radices egisse, flores edidisse, & præter flores maturas amygdalas produxisse. Tum eum intactum reliquit; & converso in arborem Scipione periculum de iis faciebat, qui ducturi essent filias suas.

His rebus omnibus cognitis, cum intellexissem a Pastoribus prohiberi filias Jetro quominus aquam haurirent, ab illorum injuriis Seforam, ejusque sororem vindicavi, aquam hausi, & illarum pecori potum præbui. Tum illæ domum ad Patrem perrexerunt, quibus me comitem addidi. Eo ubi pervenerunt ingressæ sunt, ego vero ad januam substiti. Quandoquidem citius eo die, quam solebant, redierant, interrogatæ a Patre ejus rei causam, quia Pastorum prohibentium vim, inquiunt, comis quidam Ægyptius vir a nobis repulit. Me Ægyptium vocari extra portam ubi sensi, nullum contra verbum feci; quia vero simul atque dixerunt me Ægyptium esse, non me in domum intuli professurus me Hebræum esse, iccirco in terram Israel mihi aditus non patebit.

His auditis intelligens per Ægyptium filias a discrimine liberatas esse, quæsivit num pro beneficio mutuam gratiam reddiderint, meque per eas voca-

a Zoar *aut* Zohar *est interpretatio in* 5. *lib. Mosis Kabalistica.*

b Targum: *duo sunt libri hoc nomine, sive Paraphrases Chaldaicæ in Biblia: altera Jonathan, altera Onkelos Jonathan vixit aliquanto ante Jesum Christum. Onkelos aliquanto post, tametsi, ut nonnulli volunt, ii se se mutuo viderunt, & noverunt.*

a Pirke Eliezer. *Hic liber Historiam rerum creatarum usque ad Gamaliel complectitur: Gamaliel inquam II. filium ejus Gamaliel a quo D. Paulus fuit eruditus.*

b Schalseleth H[illegible]; *aut* Catena C[illegible] *Historicus, aut Chronicus a Mundi exordio usque ad Auctorem qui præterito sæculo vixit.*

ri jussit, arcessite, inquit, intus, & nobiscum cœnet. Iis A imperata facientibus ingressus sum, cibum, & potionem una cum eo sumsi. Post hæc enixe Jetro oravi, ut Seforam filiam suam nuptui mihi daret. Illam mihi ea conditione spopondit, ut scipionem in horto positum afferrem. Dicto parui; scipionem conquisivi, inveni, convulsi, & attuli. Rei admiratione Jetro suspensus, & rei novitatem expendens exclamavit; hic certe Propheta est, quem omnes Israelis Vates totam Ægyptum vastaturum, & exitium cultoribus allaturum prænuntiarunt. Inde ira excandescens me corripit, & in profun- B dum qui erat in horto puteum dejicit.

Si id mihi, Seforæ quoque multum mœroris attulit, quæ eo mentem eodem tempore cogitationemque defixit, ut a morte eum hominem, cui beneficiorum erat obstricta vinculis, aliqua ratione eriperet. Et quidem id excogitavit, se habere pauca si liberet Patri, quæ diceret; eum uxore orbatum esse, septem esse domi filias, necesse fore, ut sex sorores rei domesticæ curam gererent, se gregem ducturam pastum, nisi malit pascendi gregis sororibus, curandæ domus provinciam sibi demandare. Recte mones Filia, ut video, Pater inquit; Sorores tuæ gregem ducant, tu domus curam habeto. C Itaque cum sola esset domi Sefora quotidie exquisitos mihi cibos, quales Patri Jetro suppeditavit septem annorum spatio, quibus in puteo delitui.

Elapsis his septem annis ita Patrem Sefora allocuta est. Jampridem Pater Ægyptium hominem, qui defixam in horto Virgam attulit, jussisti in puteum demitti; patere ut ibi fodiam, & rei eventum videam. Si mortuus est, nisi quid, quod opponas habes, extrahendum cadaver puto, ne polluta, & contaminata domus tua sit; si autem vivit, integerrimus, & eximia præditus sanctitate sit necesse est. Recte mones, Filia, Jetro in- D quit; at ejus nomen adhuc meministin'? Utique, Pater, illa inquit, Filius est Amranni Moses nomine. Illico Jetro puteum aperiri jussit, bisque me compellans nomine Moses, Moses ait: vocanti adsum dixi. Is me statim eduxit, & osculatus est, & exclamavit: Benedictus Deus, qui te septem annos in hoc puteo te incolumem servavit, profiteor hodie eam ejus esse potentiam ut homines morti addicat, & a morte revocet. Quantum potero voce contendam, ut hoc omnes exaudiant: Tu vere probus vir es, tu olim Ægyptum vastabis, tu Ægyptios in mare merges, per te idem erit Pharaonis, & ejus exercitus fatum: & e vestigio pecu- E nias, & Seforam mihi pro uxore dedit.

Hæc sunt quæ hic scriptor posterorum memoriæ reliquit.

Abarbinellus Hebræus doctor, quem plurimi Hebræi faciunt, ad 2. caput Exodi ita hanc fabulam interpretatur. Postquam una cum Jetro Moses versatus est, perspecta hominis sapientia, & præstanti doctrina, eum sibi arctioribus vinculis obstringi concupivit; captus enim est ejus eximia rerum intelligentia, & apud eum esse non recusavit. Huc refertur illud quod Moses ait Exodi 20. v. 2. & *Moyses consensit habitare cum Jetro*, non amore Seforæ quam uxorem duxerat, sed Jetro sapientiæ admiratione. Hæc est, inquit, Doctorum nostrorum, quibus sit terra levis, sententia, cum in commentariis ajunt Virgam Dei in horto defixam esse, & neminem præter Mosem eam evellere potuisse, idque fuisse pro merito cur Seforam duceret. Nimirum Arborem Vitæ, quæ in medio horti est, per eam Virgam intellexerunt, hoc est sapientiam Mosis, cujus causa Prophetiæ dono ornatus est. Admirabili etiam ejus sapientia Jetro captus Seforam filiam suam Mosi uxorem tradidit. Hinc illi amici, aut socii dicuntur.

De hac Virga multa Galatinus (*a*) scripsit, & peculiaria quædam a Judæorum libro, cujus titulus *Gale Resaja*, hoc est *Revelans Arcana*, desumit.

Notandum est juxta Judæorum sententiam, Virgam hanc cui miraculorum patrandorum singularis, ac divina virtus inerat, summo in honore, ac veneratione habitam uni Mosi, neque unquam alii datam esse. Ne Josuen quidem ejus discipulum, qui in ejus locum merito successit, ea unquam usum fuisse, sed tantum lancea, sarissa, hasta, communibus bello armis.

Sed ne quidquam dissimulem, cum Virgam Aaron, Vas quo Manna, & acerra, qua Thymiama continebatur, in Arca Josue aliasque res sacras condidit, de Mosis Virga nihil dicitur, neque uspiam, aut in Sacris Litteris, aut penes Doctores mentionem ejus offendas, ex quo Abarbinellus colligit Mosen, cum moriturus Montem Abarin conscendisset, sumsisse in manum Dei Baculum, & inde utrumque & Prophetam & Baculum in sepulcro positum fuisse; noluisse Deum cuipiam mortalium post Mosen ejus usum concessum esse. Cum enim in Israel neque futura pronuntiandi dono, neque patrandorum miraculorum virtute par Mosi ullus unquam exstiterit, ita nemo nisi Moses miris perficiundis rebus eo scipione usus est.

Quod diu expectabas tandem præstiti: gratius opinor fuisset, si definito inter nos tempore misissem: Ut enim apud Doctores Judæos tritum est, *omnis res grata quæ fit in suo tempore*. Mora enim non solum in præsens nocumento est, sed aliquando etiam in posterum. Jam nosti quod Oresti sero redeunti dictum fuerit:

Μέλλων γὰρ αἰεὶ δρᾶν τι τὰς οὔσας τέμνει,
Καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν.

Cum prorogat semper facere, præsentia simul,
Etiam futuras spes omnes perdidit.


Saltem meam modo litterarum tarditatem accuses: cætera in me fac probes. Vale.

LABRUNE.

a *lib. 6. cap. 15.*

VIGESIMASEXTA DISSERTATIO

De Nummo Caracalli, in quo expressi sunt Funambuli.
Ex de Camps Adjutore Glandatensi.





N varias multi Antiquitatis studiosi Galli, Itali, & Angli abiere sententias, qui in explicanda, prout quisque opinatus est, hujus nummi, cujus typum habes in Museo Regio, aversa parte suum adhuc ingenium exercuere. De hac sententiarum varietate cur mireris nihil est. Neque enim in tanto Nummorum, quos nobis Antiqui reliquere numero, in tanta typorum, quos inspicimus dissimilitudine, alterum unquam hujus similem vidimus. Quare non me temeritatis, accusatum iri confido, si Nummum, de quo nihil adhuc certi eruditissimi homines pronuntiarunt, explanandum suscepero. Aggrediar opus nihilominus; namque ea jam animadverti, quorum ope spero me aliquid confecturum. Sambucus ad suorum *Emblematum* calcem (ea sæculo præterito prope confecto in apertum protulit) eum Nummum exprimendum curavit; at negligentius quidem, ut sive inscriptionem inspicias sive figuras, res non satis distinguas, neque satis præsidii ad intelligendum haurias. Saltem quod propono exemplum ad unguem factum est, & ad rei veritatem accedit, quibus sublatis nullus relinquitur ratiocinandi locus. Ex una parte caput Antonini Caracalli vides cum his litteris ANTONINOC AYΓOYCTOC *Antoninus Augustus*.

Ex altera parte legimus hæc: APXIEPEΩC AIΛIOY ONHCITOPOY AYPHKIΩN ANTONEINIANΩN KYZIKHNΩN ΔIC NEΩKOPΩN: at præcisis notis, quæ verba, ubi aversæ partis figuras explanaverimus, interpretabimur.

Sub unoquoque canistro duas aspicis trabes junctas in vertice, a quo ad terram usque demissi funes pendent. Ut firmiores trabes sint, ex utraque parte premunt duo homines: in utroque fune duo sunt Schœnobates, quos e canistris palmas secare velle diceres. Quos inferius vides ii profecto spectatores sunt.

Abbas Seguinus aversam hujus Nummi, quem Cyziceni percusserunt, partem ludos in Caracalli honorem institutos repræsentare censuit, cur ita sentiat nititur his vocibus AYP. ANTΩNEINIA pro AYP. legit etiam AKT. ut de *Actiis Antoninianis* quæsitum fuerit. Ea is est antiquarum rerum cognitione præditus, ut omnium consensu maxime excellat; ut ejus sententiæ sine ulla dubitatione subscriberem, nisi inspecto postea simili, at integriore nummo, ubi ingentibus notis leguntur

A hæc AIΛ. ONHCIΦOPOY AYP. ANTONEINIANΩN, ipse a suamet sententia discessisset.

Hac minus præcisa inscriptione intelligimus Marsamum Equitem Anglum a veritate interpretando aberrasse, & illo vocabulo ANTΩNEINIA non ludos Antoninianos significari, sed vocabulum abruptum esse pro ANTΩNEINIANΩN, quod conjicimus esse epitheton; quod ut Antonino Caracallo gratum facerent, afferendi causa Cyziceni sumsere, qui *Aureliani Antoniniani Cyziceni* appellari voluerunt. Urbium quæ hac ratione mutuatæ nomen sunt, exempla plura in Nummis occurrunt. Sic Tarsus dicta est *Trajaniana*, *Hadrianiana*,
B *Severiana*. Coloniæ quoque, quas Imperatores deduxerunt, non solum generale Cæsaris, & Augusti nomen, quod Imperatoribus omnibus commune fuit, sed etiam proprium, quo ab aliis Coloniæ conditor secerneretur, in Nummis usurparunt. Ita Patræ *Neronianæ* dictæ sunt, ut ex mirabili & singulari Neronis Nummo, qui in nostro Museo est, plane liquet. Extant enim in aversa ejus parte hæc verba. *Genio Coloniæ Neronianæ Patrensis*. Itaque Inscriptio qua de agimus Nummum percussum indicat fuisse: *Pontifice Ælio Onesiphoro, Cyzicenis Aurelianis Antoninianis bis Neocoris.*

C Sed investiganda ratio est, cur hic Funambuli objiciantur, & cur id in aversa Nummorum suorum parte fieri Cyziceni voluerint. Scias oportet Græcos omnes, cum honoris causa Nummos Imperatoribus cudebant (idque faciebant sæpe ad gratiam promerendam) quod peculiare in ipsorum Urbibus, aut agris erat, effingere in Nummis consueverant; ut Romani, atque exteri intelligerent, quænam essent ipsorum Patriæ ornamenta, & quænam ipsi Numina venerarentur. Hæc ratio est cur in Imperatorum, & Cæsarum Nummis, quos Græci ferierunt, Deorum, Dearumque quibus Patronis utebantur, imagines videamus, & præ-
D sertim in earum Urbium Nummis, quæ a Diis appellabantur. Templa quoque in iis cernimus, animalia, fructus, plantas, arbores, & alia si qua erant peculiaria. Exprimebantur etiam illustres Patriæ Viri; ut apud Trojanos Hector, & Æneas, apud Samios Pythagoras, apud Mitylenæos Sappho, eorumque gesta immortali digna gloria. Tandem, quod ad rem nostram facit, ludos publicos sculpebant, quos certis statutisque diebus anni festis dabant. Quod quia satis ex Antiquariorum libris perspicuum est, ad id confirmandum verbum non amplius addo.

Cyziceni itaque, mea quidem sententia, hoc nummo ad Caracallæ honorem elaborato, Schœnobatas offerente id sibi voluere, ut Imperator Cyzicenos

cenos maxime his exercitationibus præstare cognosceret. Accidit peropportune, ut, invento scriptore, cujus non extat nomen, qui ætate Constantis, & Constantii vixit, cujus autographa Scripta in Bibliotheca Regia diligentissime custodiuntur, ejus rei certior fierem. Hæc ibi ferme leguntur: *Cyziceni, finitimique populi ita saltibus, Choreis, & arte Schœnobatica præstabant, ut nationes reliquas superarent, ac se ejus artis inventores, ac præceptores venditarent.*

Quoniam hic Nummus funambulorum admonet, non ab re alienum putem in medium afferre, quæ de hujus artis origine, usuque posterorum memoriæ notatu digna tradita sunt.

Variis nominibus utuntur Græci. Hæc autem sunt σχοινοβάτης, ἀκροβάτης, ὀρειβάτης, Νευροβάτης; ut penes antiquos scriptores legimus, & apud Bulengerium in Theatro lib. 1. cujus caput 62. de funambulis agit, quorum quatuor esse genera ibi intelligimus.

Primum genus erat eorum, qui circa funem vertebantur, ut circa axem rota, iique pedibus, aut collo suspendebantur. Nicephorus Gregoras (*a*) ait sua ætate fuisse Constantinopoli qui circa funem volverentur.

Genus alterum eorum erat, qui funi hærente pectore, brachiis, pedibusque extensis a sublimi loco ad imum ferebantur. De his loquitur Manilius Nicetas, (*b*) & Vopiscus in vita Carini, ubi ait; *Neurobatem, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.*

Tertium vero genus eorum, quorum meminit idem Manilius, qui ibant per extentum, ut loquuntur, *borizontaliter* funem, aut sursum deorsum rectum, quales in hoc de quo agimus Nummo cernimus. Audi Manilium.

Et si forte aliquas animo consurget in artes,
In prærupta dabit studium, vincetque periclo
Ingenium, aut tenues ausus sine limine gressus.
Certa per extentos dabit vestigia funes,
Et cœli meditatus iter vestigia perdit,
Et pene suspendens populum suspendit ab ipso.

Quartum tandem genus eorum, qui non modo per extentum funem gradiebantur, sed etiam circumferebantur, & saltabant, perinde atqui ii, qui terram pedibus ad tibiæ sonitum percutientes choreas ducunt. Hos spectat Symposius cum de funambulorum Saltationibus verba facit.

Funambulorum ars antiquissima est, & longe ante Christum natum cognita. Terentius in prologo Hecyræ, *Hecyra*, inquit, *huic nomen Fabulæ, hæc cum data est nova, novum intervenit vitium & calamitas; ita populus studio stupidus, in funambulo animum occuparat.* In Marco Aurelio Capitolinus ait Imperatores M. Aurelium, & Lucium Verum habitu triumphali ludos ob Triumphum decretos spectavisse, & *Inter cætera*, inquit, *pietatis M. Aurelii, hæc quoque moderatio prædicanda est; Funambulis post puerum lapsum culcitas subjici jussit; unde hodieque* (Diocletiano scilicet imperante, quo tempore Capitolinus scripsit) *rete prætenditur.* Hi ludi dati sunt Marco Aurelio Imperatore, anno post ejus Tribunatum 18. Christi vero anno 164.

Illud maxime admirandum est, quod in Galba Suetonius narrat, quo non solum homines, sed etiam belluas arte Schœnobatica institui posse perspicimus. Anno Tiberii decimo nono (hoc est Christi Domini 32.) *Galba Prætor commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, Ele-*
A *phantos funambulos edidit.* Hoc factum est etiam Imperatore Nerone, *in ludis pro æternitate* (inquit Suetonius) *Imperii susceptis, quibus ex utroque ordine, & sexu plerique ludricas partes sustinuerunt. Notissimus Eques Romanus Elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* (Casaubonus *Catadromum* funem protensum explicat) ita ut funambuli decurrunt. Plinius lib. 8. cap. 2. ait, *Germanici Cæsaris munere gladiatorio Elephanti quosdam inconditos motus edidere, saltantium modo. Vulgare erat per auras arma jacere, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lascivientе pyrrhiche colludere, postea & per funes incessere:*
B & sequenti capite, *maxime mirum & adversis quidem funibus subire, sed regredi magis utique pronis:* ubi earum belluarum docilem naturam persequitur.

Qui de Schœnobatis scripsere, de eorum ludis, quos aut sua ætate videre, aut a majoribus acceperunt, loquuntur; & inter eos scriptores quos appellavimus, nonnulli sunt antiquissimi; & ut gradatim ascendamus, quarto & quinto sæculo a Christo nato D. Chrysostomus, Prudentius, & Julius Firmicus eorum meminere. Tertio D. Cyprianus; Secundo Tertullianus, Justinus Martyr, Arrianus Nicomediensis Historicus. Elegans est
C Tertulliani (*a*) *de Pudicitia* locus. *Age tu*, inquit, *Funambule pudicitiæ & castitatis & omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filum disciplina ejusmodi veri avia pendente vestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans.* Primo vero sæculo Petronius, Juvenalis, & Quintilianus de Funambulis verba faciunt. Primus ille his versibus Funambulum describit.

Stuppea suppositis tenduntur vincula lignis,
Quæ super aerius prætendit crura viator,
D *Brachia distendens gressum per inane gubernat,*
Ne lapsa e gracili planta rudente cadat.
Ecce hominis cursus funis & aura regunt.

Antequam Christus nasceretur, Horatius epist. 1. lib. 2. de Funambulis nescio quid injecit. Messala, qui 260. ante Christum annos vixit, primus Græcum vocabulum σχοινοβάτην latine reddidit Funambulum, ut Acron in Horatium refert. Difficillimum, ut verum fatear, est tempus definire, quo primum Funambuli ludos ediderunt. Mihi quidem persuadeo, inventos esse paulo post ludos theatrales, & fabulas comicas; qui ludi fieri cœperunt,
E cum Rustici collectis uvis ita oblectari solebant, ut viderent utres in terram impactos resilire, & ipsi per utres salirent. Horum enim ludorum utrumque genus habet nescio quid affinitatis, Græci porro quæ invenerunt perficere consueverunt. Itaque cum Theatrales ludi anno ante Christum 1345. a Baccho, aut Icario Erigones Patre instituti sint, profecto non multum temporis intercessit cum Funambuli spectacula dare cœperunt.

Comœdiam, Polydoro, Virgilio, & Ludovico Vives testibus, Romani Græcis acceptam referunt. Ita haud ægre in eam sententiam iverim, ut putem a Græcis artem quoque Schœnobaticam Ro-
F manos accepisse. Comœdia Romæ primum acta est Cajo Sulpicio Petico, & C. Licinio Stolone Coss. anno ab Urbe condita 390. ante Christum 364. & primum quidem in Insula Tiberina, consecutis temporibus in Theatro Censoribus Messala, & Cassio, eo, inquam, qui cum aliis conjuratis Cæsarem sustulit. Id habemus ex Valerio Maximo, Appiano, & D. Augustino lib. 1. de Civ. Dei.

a *lib.* 8. *cap.* 21. b *lib.* 5.

a *Cap.* 10.

Funambulorum ſpectacula nunquam pro Ludis publicis habita ſunt. Fuit hæc quædam exercitatio, oblectatioque privatorum potius, quam pertinens ad Theatrum publicus ludus. Et quidem nuſquam legimus Funambulis publica propoſita fuiſſe præmia, quemadmodum propoſita Comœdis erant, neque de iis aliquid peculiariter ſtatutum. Neque iccirco tamen omni prorſus mercede carebant, ſed collata a populo, qui ſpectaculis intererat, pecunia donabantur; non vero ut Comœdi rogatione aliqua populi, aut ſcito plebis, præmiis afficiebantur.

In hanc rem Alexander ab Alexandro, *non Ludiones modo*, inquit, *ſed elephantos, & eos, qui in certaminibus fortiter quid aut dignum laude geſſiſſent, a populo collatione ſtipis, & aſſibus donari legimus*. Græca vox θαύματρον ſignificat præmium illud quod mira ſpectante populo facientibus (cujuſmodi erant etiam Funambuli) dabatur. Simile huic erat *Niceterium* in Ludis Olympiis, & Circenſibus; ſimile quoque βραβεῖον, eorum præmium, qui in Theatris fabulas agebant, & Pantomimorum, aut ſaltatorum, qui tamen corona quoque donabantur.

Deinde Lipſius Funambulorum ſpectacula inter privatos ludos recenſet.

Præterea Funambulorum mentionem inter ludos publicos nuſquam invenias.

Tandem Funambulorum ſpectacula in ludis publicis erant quaſi exordiorum, & Attellanarum loco, non vero ad ipſos ludos publicos pertinebant. Id ex Terentio, aliiſque ſcriptoribus uſque ad Imperatorem Carinum facile percipias. Hæc habui ad rarum hunc Nummum explicandum, quæ dicerem.



VIGESIMASEPTIMA DISSERTATIO.

Non Servos tantum Medicinam Romæ factitasse; neque inde Medicos unquam exactos.



Romæ olim servos tantum medicam artem exercuisse, auctor est Robortellus recens scriptor, aliique sane multi. Quod ut falsum, ita populi Rom. sapientiæ, & Artis nobilitati injurium est. Refutat id Casaubonus in Suetonium, & Drelincourtus, qui medicam artem Lugduni Batavorum publice professus est, disputationem typis commisit, qua infirmis hanc propositionem niti fundamentis tam plane ostendit, ut nisi antiquis Inscriptionibus, monumentisque extra omnem dubitationem positis eorum argumenta confirmare necesse sit: quod tum præstabo, cum aliquot ad quæstionem hanc magis declarandam ex Antiquis Scriptoribus præcipua momenta proposuero.

Suetonius in Julio Cæsare ait eum a prædonibus captum mansisse apud eos prope quadraginta dies cum uno medico, & cubicularis duobus. Quem medicum Suetonius appellat, amicum ait Plutarchus: narrat enim a Ciliciæ prædonibus feris hominibus, & sicariis Cæsarem captum apud eos cum quodam amico, & duobus cubiculariis fuisse, & quidem minime male habitum, cum vel Piratis terrori esset, ac venerationi. Id præjudicatæ opinioni suæ adversari Robortellus cum animadverteret (Neque enim Servus tam magni Imperatoris amicitia dignus erat) contra chirographorum, & omnium antiquorum codicum fidem, ausus est Suetonii locum pro libidine invertere, & pro *uno medico, uno amico* scribere Plutarchi nixus auctoritate. Sed ex ejus præjudicata, & Medicis injuria opinione nihil necesse est hanc verborum mutationem admittere. Neque enim in historia Romana is unus locus est, quo medicos virorum dignitate Principum amicitia minime indignos habitos esse, ut propterea Servi illi fuerint, intelligamus. De Asclepiade ita Cicero loquitur tanquam de eo medico, qui egregia forma esset, qui cæteros eloquentia superaret, & quo ipse medico usus fuerit. Tacitus Eudemum medicum Liviæ Augusti uxoris amicum vocat. Plutarchus, & Sueton. referunt hunc, quem modo nominavimus Principem, primo Macedonico prœlio, quod adversus Cæsaris conjuratos gessit, amici somnio monitum e tabernaculo egressum esse. Hic porro amicus fuit Artorius ejus medicus, ut ex Vellejo, Valerio Maximo, & Dione colligimus.

Dioscorides Medicus Anazarbeus cum Romam venisset, factus est Civis Romanus & cum Licinio Basso nobili viro amicitiam junxit. Qui medicus Julii Cæsaris vulnera inspexit dictus est nomine Antistius, proindeque liber erat, & Romanus: Servi enim non gaudebant Gentis, aut Familiæ nomine. Idem dici de Antonio Musa potest, cui, quod Augustum curavit, in loco publico Statua ex Senatus Consulto posita est.

Medici omnes teste Suetonio per Julium, & Augustum Imperatores civitate donati sunt, & immunitate. Servis autem tantum honoris habitum esse, adduci ut credam nullo modo possum. Plinius quoque, qui de arte medica videtur aliquando non perhonorifice sentire, ait Quirites hoc est Romanos eam artem factitasse. Neminem autem civem R. fuisse servum nemo est, qui ignorat. Itaque præstantiores quique Græci, cum viderent Medicos Romæ bene habitos esse, præmiorum spe Romam habitandi causa venerunt.

Liberti quoque, non inficior, in medicina versati sunt; sed in Imperatorum aula maximi Liberti fiebant. Illi enim, qui in libertatem vindicabantur, eam sibi promeruerant singulari aliqua virtute præditi, quocirca honestum locum in aula tenebant, adeo quidem, ut ad publica gerenda negotia non raro inter primos accederent; qualis Pallas fuit, & Narcissus imperante Claudio.

Qui historiæ periti sunt, quanti Romæ, & alibi æstimata medicina sit, ipsi satis per se possunt intelligere, cum viri quoque Principes ad eam animum appulerint. Mithridates Rex Ponti non indignum putavit adversus venena pharmacum componere. Juba Mauritaniæ Rex de plantis scripsit; & Evax Rex Arabum, teste Plinio, librum de herbarum virtutibus Neroni misit.

Ferrettus Scriptor recens in *Musis Lapidariis* Robortelli sententiam secutus est, nempe medicinam servos tantum factitasse; cui stabiliendæ duos Suetonii locos affert, alterum in Nerone ubi medicus a Domino dicitur manumissus, alterum in Caligula: *Mitto tibi præterea cum eo ex servis meis medicum*. Id tamen nihil evincit: nihil prohibet quominus penes Viros Principes servus aliquis medicus fuerit; non tamen recte colligas servos tantum medicos fuisse, præterea neminem; quemadmodum inepte disputaret, qui diceret, medicinam, aut Chirurgiam ab iis exerceri, qui ad Triremes damnati sunt, propterea quod non desunt ex eo genere hominum, qui ad eam exercendam ingenio, & industria valeant. Præterea facile in eam me partem do, ut credam in ea medicinæ parte, quæ manu medetur, hoc est Chirurgia occupatos servos fuisse, quippe quæ dexteritatem potius, quam scientiam postulat. Itaque in quodam Epitaphio servus nescio quis Illyrius occurrit medicus ocularius; hoc est qui oculis medetur.

ROMÆ.
Apud Cæsarini.

ILLYRIVS
TI. CAESARIS
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIVS
PIVS PARENTVM SVORVM
VIXIT ANNOS XXX.
HIC SITVS EST IN PERPE.

Sed Medicorum, qui aut Liberi, aut Liberti fuerunt, inscriptiones libet in medium afferre, quas Gruterus prætermisit. Ubi nominibus additam videris litteram L Libertus interpretere.

ROMÆ.

M' FONTEIVS
NICANDER
MEDICVS.

Fonteja familia fuit Romæ illustris. Quocirca

hic *Manius Fontejus* Nicander fuit Medicus Liber: habet enim prænomen, nomen, & cognomen; servi autem solo cognomine utebantur. Idem dicendum est de alio, qui inferius ponitur, licet fuerit tantum medicus ocularius. Fuit Nicander quidam imperante Nerone magni nominis medicus, qui duo Poematia de feris virulentis, deque remediis adversus venena scripsit, quorum tituli sunt *Theriaca*, & *Alexipharmaca*.

BONONIÆ.

DIS MANIBVS
M. LATINIVS
MEDICVS OCVLARIVS
HERMES VIXIT ANNOS
XXXX

Hoc Epitaphium habes in libro rerum selectarum Bononiæ, cujus titulus *le cose notabili di Bologna*.

ROMÆ.

Apud Pamphili.

D. M.
T. VIBIO RVFO MEDICO
COH. V. PR. VALERIA
RVFINA CONIVGI OPTIM. FECIT.

ROMÆ.

Apud Eminentissimum Principem de Maximis.

L. APPVLEIVS
L. L. EROS MEDICVS
L. APPVLEIVS L. F.
PHILVMENVS
L. APPVLEIVS L. L. IANVARIVS

Incidebantur aliquando in Lapidibus eorum, qui sepulti erant tantum nomina, ut quinam ibi essent Viatores intelligerent: exemplum habes hoc in Epitaphio; ibi sunt Lucius Appulejus Eros Libertus Lucii, Medicus, Lucius Appulejus Philumenus, & Lucius Appulejus Januarius Libertus Lucii. Appulejorum familia, unde Auctor metamorph. Romæ erat nobilissima.

Eugubii, aut Iguvii in Umbria.

L. SABINVS L. L.
PRIMIGENIVS
ORTVS. AB. IGVVIO. MEDICVS. FORA.
MVLTA SECVTVS
ARTE. FEROR. NOTA. NOBILIORE. FIDE
ME. CONSVRGENTEM. VALIDA. FORTVNA. IVVENTA
DESTITVIT. RAPIDIS. IMPOSVITQVE. ROGIS
CLVSINO. CINERES. FLAMMAE. CESSERE. SEPVLCHRO
PATRONVS. PATRIO. CONDIDIT. OSSA. SOLO

In Via Neapolitana Nolam versus, inter rudera Palæpolis.

D. SERVILI. D. L. APOLLONI
MEDICI. SERVILIA. D. L.
AMBROSIA. FECIT. PATRONO
SVO. ET. SIBI. ET. SVIS

ΩΔ. ΕΠΑΦΟΥ. ΓΕΝΝΗΜΑ ΣΟΦΟΙΣ. ΕΠΙΕΙΚΕΛΟΣ ΑΝΗΡ.
ΚΕΙΜΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΣΠΕΡΜΑ. ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ
ΚΛΗΤΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΙΜΟΣ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΣ. ΓΙΔ. ΕΤΙ. ΕΛΘΩΝ.
ΕΝΝΕΑ. ΠΟΥ. ΔΕΚΑΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΡΙΑ. ΩΣ. ΕΛΕΓΟΝ.

Quatuor versus Græci ejus laudes continent, & ætatem: vixit enim tres, & nonaginta annos.

ROMÆ.

L. ARRVNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO T. F. I.
IN FRONTE P. XX. IN AG. P. XX.

Duos Medicos Asclepiades apud Scriptores invenias. Qui fuit medicus Domitiani fortasse est de duobus alter, alter qui fuit amicus Ciceronis. Sed sciendum est Græcos medicos ubi Romam venerant, usos esse prænomine, nomine familiæ, & cognomine, cum alioquin in Patria nomine tantum, aut cognomine uterentur. Nam Romæ donabantur jure Civitatis, in aliqua Tribu collocabantur, & in veteres Romanas familias adoptione asciscebantur. Atque ita Dioscorides dictus est Pedacius, aut rectius Pedanius, ex familia Pedania, ut commentariis in Bibliothecam Imperatoris Lambecius ostendit. Galenus ex Pergamo Claudii nomen sumsit, fuitque medicus Imperatorum M. Aurelii, Veri, & Commodi. Diodotus, qui de plantis scripsit, appellatus est Petronius, & Musa Medicus Augusti, Antonius; quem Lambecius eumdem putat atque illum de quo nos superius, quem corrupto nomine apud Scriptores Artorium legimus. Ita Asclepiades, qui Græcorum more uno appellabatur nomine, triplici sumto dictus est Lucius Arruntius Sempronianus. Asclepiadis autem nomen retinuit loco agnominis.

Non ignoro Reinesium in Inscriptionibus, quas in lucem dedit non ita multo post, hunc Asclepiadem ab eo secernere, cujus Scriptores meminerunt, quique conscriptis de re medica libris in hominum existimationem profluxit. Is præterea putat hunc Asclepiadem, de quo nos in Inscriptione, fuisse filium, aut nepotem Medici Arruntii, cui ducena quinquagena H-S annua mercede teste Plinio l. 29. fuere. Mihi vero is videtur unus &

idem. Quod si eum Galenus Asclepiadis modo nomine vocat, aut φαρμάκιον nuncupat, hoc est qui componit pharmaca, eum græco tantum nomine appellat, quemadmodum nos, ubi de Galeno, & Dioscoride loquimur, latina ipsorum nomina Claudium, & Pedanium missa facimus. Cæterum si eodem tempore duo Asclepiades vixerunt, alter qui scriptis famam nominis adeptus est, alter Imperatoris medicus, credendum ne est Galenum nullo discrimine usurum fuisse? Pro quo ergo ratio stat, pro Reinesio, an vero pro me? Non magis pro uno, opinor, quam pro alio. Neque enim ita mihi placeo sententiis meis, ut quicumque adversantur, eos damnem. Hæ sunt quæstiones ejusmodi, quarum causa nunquam ego quempiam ad certamen lacessam. His ego de rebus modo ita sentio, mox aliter: quæ de re antiquaria scribo voluptatis tantum gratia scribo, voluptatem aliis quoque fortasse allaturus. Eodem animo hæc audiam refutari, ac probari; & nullus dubito quin si postquam mea scripta publici juris fecero, aliquod mihi vitæ tempus reliquum erit, rigidos censores audiam qui tenuitatem meam, rerumque inscitiam manifestam faciant.

At quicumque fuerit hic junior Asclepiades, certe cum Nicetem, hominem adeo obesum, ut ambulare amplius non posset, ab eo incommodo liberasset, etsi nihil fecisset aliud, satis ad suam peritiam declarandam fecisset. Sed alium Asclepiadem habeto sequenti hac Inscriptione.

ARINIANI.

C. CALPVRNIVS ASCLEPIADES
PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS
PARENTIBVS ET SIBI ET FRATRIB.
CIVITATES VII. A DIVO TRAIANO
IMPETRAVIT
NATVS III. NONAS MARTIAS
DOMITIANO XIII. COS.
EODEM DIE QVO ET VXOR EIVS
VERONIA CHELIDON
CVM QVA VIXIT ANN. LI.
STVDIORVM ET MORVM CAVSA
PROBATVS A VIRIS CLARISS.
ADSEDIT MAGISTRATIBVS POP. R.
ITA VT IN ALIIS ET IN PROV. ASIA
CVSTODIAR....... IN VRNA
IVDICVM
VIXIT ANN. LXX.

Hanc Inscriptionem e Schedis Piccarti Reinesius affert, at decipitur dum putat hunc Asclepiadem Servum fuisse libertate donatum a Calpurnio quodam Romano, quod is Cajus Calpurnius Asclepiades dictus est: Id enim ut ostendi in more positum fuit, ut Medici Græci, qui Romam venerant cum alii, tum ii qui apud Imperatores erant, Romano nomine uterentur, in aliquam familiam veterem adoptione recepti: animadverti præterea servos libertate donatos distingui littera L quæ sonat *Libertus*: ejus patria fuit Prusa, quæ hodie quoque dicitur *Prussa*, Urbs Bithyniæ ad Olympum posita. Indidem ex Prusa fuit ille alter Asclepiades Ciceronis amicus, caput ejus sectæ, quæ se diæta potius quam pharmacis curare morbos profitebatur. Fuisse enim ex Prusa Bithyniæ, auctor est Strabo, & Galenus. Itaque si tempus quo uterque Asclepiades vixit, ad calculum revocemus, is cujus hac in Inscriptione mentio fit, ejus nepos fortasse fuit, ejusque peritiæ, atque existimationis hæres: etenim ab Imperatore Trajano (quem profecto ejus opera a gravi morbo convaluisse credendum est) septem Civitates impetravit, quod quidem memoriæ prodere omnes Scriptores prætermiserunt. Sed & alia sexcenta ad historiam spectantia ex antiquis Inscriptionibus addiscimus, quæ alioqui nos prorsus laterent. Natus est Domitiano XIII. Consule, hoc est anno Urbis 840. Christi vero 88 vixit annos 70. mortuus est Imperatore Antonino Pio, anno Urbis 910. proindeque medicinam factitavit Imperatoribus Trajano, Hadriano, & Antonino, & aliis multis magistratus administrantibus: ex quibus intelligas eum fuisse liberum, & plurimi habitum.

Præter hos tres medicos Asclepiades, est alius quoque *Titus Ælius Asclepiades*, Libertus Imperatoris apud Gruterum pag. CCCXXXV. & alius *Publius Numitorius Asclepiades*, Libertus, & Sextumvir Veronæ pagina CCCCXLIII. ac tandem Lucius Fontejus Fortis ex Asclepiadum stirpe, aut certe eadem professione pag. DCXXXIV. consecutis enim temporibus Asclepiadis nomen fuit nomen sectæ medicorum, aut artis.

TERGESTI.

C. ALFIVS L. L. ISOCRYSVS MEDICVS
L. ALFIVS ISOCRYSI FIL. EVDEMVS
SIBI ET PATRI ET
ALFIAE L. L. ATTICAE VXORI
SIBI ET SVIS
BONVS HOMO ET TV

Ea verba: *Bonus Homo & Tu*, satis explicantur iis quæ diximus cum de Diis Manibus ageremus; nimirum mortuos vocari *bonos Homines*: sive hæc Isocryso mortuo dicantur, cui filius vivus hunc lapidem posuit; sive hæc ab ipso mortuo dicantur Viatori Inscriptionem legenti, quasi ei felicitas eadem quæ mortuo contigit, desideretur.

PATAVII

P. CHARM.
SOSTHE.
MEDIC.
IIIIII VIR. AVG.
SIBI
ANCHAR.

Male descriptam lineam primam Reinesius putat, ut legendum sit *P. Ancharius* M. F. causa ejus vocis quæ in fine est *Anchar*. Fuit quidem Charmis nescio quis celebris medicus Massiliensis, qui Romam venit, atque ingens lucrum fecit: quicumque tandem fuerit cui posita est Inscriptio hæc, is certe non fuit mediocris conditionis homo. Fuit enim Sextumvir Augustalis, id est unus ex sex Magistratibus, quos in coloniis Romanis Imperatores instituerunt.

ROMÆ

D. M.
TI. CLAVDIVS. IVLIANVS
MEDICVS. CLINICVS. COH. IIII.
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET
TVLLIE. EPIGONE. CONIVGI
LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
CLAVDIIS. POSTERISQVE
EORVM
H. M. H. N. S.

Hæc videntur esse satis ad id quod proposuimus primo loco declarandum; nempe servos i

medicam artem exercuisse, a veritate abhorrens esse. Ad illud alterum gradum faciamus, quod ajunt medicos exulasse.

Medicos Catone censore Roma pulsos esse altera calumnia est, quam primus omnium Agrippa libro de Vanitate Scientiarum publicavit. Certe Drelincourtus publicus professor Lugduni Batavorum, qui ad eam refutandam elegantem disputationem typis commendavit, unde præcipua rationum nostrarum momenta duximus, vetustiorem Scriptorem neminem alium nactus est. *Romani quondam*, inquit ille, *sub Catone Censorio Medicos omnes & urbe tota, & tota Italia pepulerunt*.

Thomas Lansius, Melchior Junius, & Michael de Montagne Agrippæ vestigiis insistentes eadem ferme dixere. Præter hos alii quoque Scriptores recentiores in eum errorem se induci passi sunt. Sed si vel sexcenti recentiores Scriptores id dixerint, investigandum esset a quo antiquo Scriptore id essent mutuati, ut num decepti fuerint intelligeremus.

Id totum profectum est e Plinii loco, cujus sententiam non satis sunt assecuti: eum totum habe, ut unusquisque per se nulla præjudicata opinione dijudicet. *Mutatur ars quotidie toties interpolis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque est ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ necisque fieri: ceu vero non millia gentium sine Medicis degant, nec tamen sine Medicina: sicut Populus Romanus ultra sexcentesimum annum, nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicinæ vero etiam avidus, donec expertam damnavit. Etenim percensere insignia Priscorum in his moribus convenit. Cassius Hemina ex antiquis Autor est, primum e Medicis venisse Romam Peloponneso Archagatum Lysaniæ filium, Lucio Æmilio, Marco Livio Consulibus anno urbis* DXXXV. *eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. Vulnerarium eum tradunt fuisse vocatum, mireque gratum adventum ejus initio: mox a sævitia secandi, urendique, transisse nomen in carnificem, & in tædium artem omnesque Medicos: quod intelligi potest ex Marco Catone, cujus authoritati triumphus atque censura minimum conferunt: tanto plus in ipso est. Quamobrem verba ejus ponemus. Dicam de istis Græcis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, si Medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes Medicina. Sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios Opicos, appellatione fœdant. Interdixi tibi de Medicis. Atque hic Cato* DCV. *anno urbis nostræ obiit*, LXXXV. *suo, ne quis illi defuisse publice tempora, aut privatim vitæ spatia ad experiendum arbitretur. Quid ergo? damnatam ab eo rem utilissimam credimus? Minime hercule, subjicit enim qua Medicina & se & conjugem usque ad longam senectam perduxerit, &c.* Itaque duabus iis profecto vocibus, *expertam damnavit*, tanquam fundamento struendæ calumniæ Scriptores nituntur; quasi vero id significent Romanos, ubi advenit Archagatus, expertos medicinam eam Senatus Consulto damnasse; non vero hoc tantum sævitiam secandi (quod ad Chirurgiam pertinet) improbasse. Id clarius indicat paulo post: *Non rem antiqui damnabant sed artem*. Ubi vides vocabulum *damnare* non eam habere significationem, quam *in exilium mittere*, aut *decreto damnare*, sed tantum quam *improbare*. Itaque Plinius nullius in Medicos Senatus Consulti mentionem facit. Ille quidem inferius eodem capite ait: *Et cum Græcos Italia pellerent diu post Catonem, excepisse Medicos*. Nusquam legimus Archagatum a Chirurgia abstinuisse, licet hanc medicinæ partem non probarint, & eam maxime, quæ secando, urendoque gangræna infectos artus quodammodo sæviebat.

Summopere infensum Medicis Catonem fuisse inficiari quidem non licet, & iis maxime qui e Græcia erant: eam enim gentem, quæ vel tunc Romanos Barbaros vocabat, propemodum oderat. Sed ipse per se solus medicos pellere non poterat, licet censorio munere fungeretur. Par auctoritas Valerio Flacco fuit; erat is una cum Catone Censor. Si tanta fuisset Catonis auctoritas ut ad decernendam Medicorum exactionem inducere Collegam posset, id Plutarchus qui minute Catonis vitam conscripsit, silentio minime præteriisset, ut hinc constaret quanta esset in Senatu Catonis auctoritas, quantumque in Medicos odium. Neque enim minoris momenti rem prætermisit; nimirum septem civium, inter quos Q. Flaminii Consularis, exilium, quod auctore Catone decretum est.

Cæterum si Senatus Consulto exacti Medici sunt, id vel ante contigit, quam Archagatus Romam veniret, vel post. Certe non ante: Si enim fides Plinio habenda est, Archagatus primus Medicus, qui Romam advenerit: ac propterea si ante id tempus Romam Medici profecti non sunt, pelli nullo modo potuere. Neque vero ubi Romam Archagatus petiit, id accidit: ex eo enim tempore, quod probatu facile est, medici Romæ semper extitere.

Neque ex eo quod Plinius ait, populum R. sexcentos, & amplius annos medicis caruisse, est quod medicinæ dignitatem imminuat. Is enim non constat sibi, dum ait Archagatum anno Urbis 535. Romam venisse: Itaque satis erat si dixisset quingentos, & amplius annos. Sed hanc de centum annis quæstionem mittamus; credat per me licet quivis quod libet: id tamen medicis nequaquam esse injurium affirmo; quemadmodum ex eo nihil dedecoris in nobilissimam artem hanc his temporibus redundat, quod ea innumeris prope barbaris Gentibus, quæ Litteras nesciunt, ignota sit. Roma primis temporibus profugorum, ac militum asylum fuit, qui ad bellum potius quam ad artes liberales ferebantur: quid mirum igitur si tamdiu medicis caruerunt? Neque aliæ facultates citius receptæ sunt; *Poesis*, inquit Tullius, *tarde recepta a nostris*. Etenim anno tantum 410. ab urbe condita Livius primam comœdiam dedit. Ille etiam ad sua usque tempora contemptam Philosophiam fuisse conqueritur. Suetonius nullam Grammaticæ cognitionem primis temporibus fuisse Romanis in bello occupatis testatur. *Grammatica olim Romæ ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, nec dum magnopere liberalibus disciplinis vacante*.

Sed ut eos magis, magisque convincam, quos falsa hac in re opplevit opinio, expendenda sunt sæcula singula ab Urbe condita, ut an semper medici Romæ extiterint, ex quo ibi pedem posuere, intelligamus. Quamquam ad id probandum satis esset quod fatetur Plinius, nulli unquam Genti medicos defuisse; qui enim aliqua ratione in medicina versatur, sive peritus sit, sive imperitus, sive methodum, sive empiricen sequatur, ad artem medicam contendit.

Tribus superioribus ab Urbe condita sæculis Populo Romano perpetuis cum finitimis districto bellis, vel eos qui se vulnera utcumque curare pro-

fiterentur defecisse credendum non est. Chirurgia porro medicinæ pars est, nec illa quidem minima. Sed ne conjecturis agamus, (quas tamen ipsa naturalis ratio confirmat) Dionysium Halicarnasseum rerum Romanarum Scriptorem audiamus.* *Cum pestis*, inquit, *anno* CCCI. *Romæ post homines natos omnium gravissima oborta esset, servos prope omnes, ac dimidium fere Civium e medio sustulit, cum ægrotorum numero medici non sufficerent*. Itaque tunc temporis multi Romæ medici erant, tametsi peste laborantibus nimis multis non satis erant. Neque illud Historicus monet paulo post medicos convenisse. Certum est longo post tempore medicos Romæ fuisse: quod si probare non possumus prioribus duobus sæculis ejus artis homines ibi extitisse, inficiari nemo poterit ex iis qui anno 301. Romæ erant, aliquos intra tertii sæculi spatium eam de qua loquimur artem professos esse. Atqui his Plinii calculo trecenos annos demas. Si enim Auctori fide digno Dionysio Halicarnasseo credimus, anno 301. plures Medici Romæ fuere.

Postea vero cum quartum sæculum decurreret, non omnes profecto medici, qui grassante peste operam præstitere suam, mortui sunt; neque credendum est, postquam bene meriti erant, & in posterum necessarii, eos exulare jussos esse.

Consecuto sæculo anno CCCCLXI. pestis Romam iterum invasit, cumque morbus arte, atque industria medicorum expelli non posset, Populus R. Legatos in Græciam misit, qui Æsculapium medicinæ Deum, & depellendis morbis Epidauri mira patrantem arcesserent: eum Draconis forma Legati excepere, & conscensione facta Romam detulere. Quare sive Dæmon, ut fide digna sua viderentur oracula, & ipsemet curaverit, ut pestis illa exterminaretur, sive ejus ficti Numinis Sacerdotes medicinæ periti, propterea quod scripta in Templo Epidauri relicta legerint, consilium & operam ad expiandam eo morbo civitatem contulerint, quod beneficium Athenis aliquando Hippocrates contulit, ut ut sit, Civitas ea peste liberata est, quantique artem medicam fecerit, & quam grato animo fuerit, extructa in Insula Tiberina in Æsculapii honorem æde significavit.

Ad sextum sæculum quod attinet, tunc ut antea vidimus, e Græcia Archagatus Romam venit, cum antea indigenæ, ut conjicere licet, in arte medica versati fuerint, non ea tamen qua Græci peritia, & existimatione, ut ipse fatetur Plinius. Hinc Cassius Hemina eorum nullam mentionem fecit. Medici inducuntur a Terentio (*a*) comœdia quadam quæ data est anno DLXXXVIII. quod profecto factum non esset, si nulli Romæ medici extitissent, multoque minus si hinc exulassent. Apud Plautum (*b*) Medicorum officinas quæ Romæ erant invenias, appellanturque *Medicinæ*, quæ a Tonsorum, & Myropolarum tabernis secernuntur; dicuntur enim hæ *Tonstrinæ*, & *Myropolia*: ibique quidam præ desperatione ait:

Ibo ad Medicum, atque me ibi toxico morti dabo.

Sub hujus sæculi finem, & sequentis initio eximius medicus Erasistratus floruit, qui quamdam medicorum familiam duxit.

Sæculo VII. Herophilus, teste Plinio (*c*) Erasistrati principia evertit, & morborum genera ad certos musicæ numeros, legesque metricas revocavit. Sub ejusdem sæculi finem Asclepiades ille prior, de quo nos superius locuti sumus, magnam laudem adeptus est, postea vero ejus auditor Themison. A Catonis ætate, qui anno Urbis 605. e vita excessit, non multum abfuit ille medicus, qui a Piratis una cum Julio Cæsare captus est. Julius enim natus est anno 653. hoc est quadragesimo octavo post. Nihil dico de Cassio, de Arruntio, de Calpetano, de Rubrio, quos apud Plinium invenias, de celeberrimo illo Cratero, de quo sæpe Cicero ad Atticum, & Persius;

Sed quid opus Cratero magnos promittere montes?

Tanta erat ejus hominis existimatio, ut quidquid diceret oraculum putaretur. Testis est Horatius dum ait:

Non est Cardiacus, CRATERUM *dixisse putato, Hic æger.*

Hic is est de quo Porphyrius mirum narrat: quidam inusitato quodam morbo laborabat, ut ab ossibus sejuncta caro ejus esset. Ille composito ex viperis pharmaco hunc aluit, & in pristinam salutem restituit.

Octavo sæculo præter illustrem Augusti medicum Antonium Musam, & Eudemum, de quibus jam verba fecimus, floruere Romæ Celsus Scribonius Largus, & Charicles imperante Augusto, Tiberio, & Caligula; Vectius Valens, & Alcon imperante Claudio, & Cyrus Liviæ medicus, de quo Historici quidem nihil, Inscriptiones tamen ejus memoriam servarunt.

FLORENTIÆ.

Apud Strozzi.

CYRVS
LIVIAE DRVSI CAES.
MEDICVS

Liviam Neronis Drusi Uxorem postea Augustus duxit. Cyrus hic videtur ille idem Græcus medicus, cui positus hic lapis est, quem ego suscepto in Græciam itinere nactus sum. Græcorum enim in arte medica singularis fama erat. Lucri autem quod faciebant Romæ spe magnopere excitabantur; Imperatores præterea, & Viri Principes eos e Græcia vocabant, quocirca hic quoque Liviæ fortasse jussu Romam petiit.

LAMPSACI.

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΚΥΡΟΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΑΡ
ΧΙΑΤΡΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ. ΠΟΛΕΙ
ΤΗΝ ΕΠΙΣΗΜΟΝ. ΠΡΟΣ. ΠΟΛ
ΛΟΙΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑΣΙΝ ΕΙΣ
ΑΥΤΗΝ. ΑΛΕΙΨΑΝΤΑ. ΛΑΜ
ΠΡΩΣ. ΚΑΙ. ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ
ΚΑΙ ΑΠΟΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΝ. ΧΕΙΛΙΑΣ. ΑΤ
ΤΙΚΗΣ. ΤΗ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ

Id est: *Senatus Lampsacenus* (honore afficit hac Inscriptione) *Cyrum Apollonii Filium medicum præstantissimum, Civem insignem splendidissimis benefactis, multis impensis, & mille Drachmis Atticis Senatui dono datis, optime meritum*. De multis Apolloniis celeberrimis medicis Suidas memorat. Horum fortasse aliquis Cyri Pater fuit.

Nono Sæculo Romæ medicinam fecere Statius Annæus amicus Senecæ, & Neronis medicus, Andromachus ille major Theriacæ inventor, Thes-

* Λοιμικὴ νόσος εἰς τὴν Ῥώμην κατέσκηψε, &c. ὥστε τῶν Ἰατρῶν ἀρκέντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις.

a *Hecyra*. b *In Mercat. Act. II. sc. 4.* c *Plin. l. 14.*

salus, qui ἰατρονίκης dici cognomento voluit, tanquam medicorum victor, quia se sustulisse eorum qui antea fuerant medicorum principia gloriabatur. Crinas, & Charmis Massilienses, qui, cum rem pervidere sibi acutius quam alii viderentur, non aqua tepida, at frigida vel hyberno tempore lavari ægros voluerunt; Archigenes, Rufus, Soranus, Tryphon, Criton, & Andromachus minor; ut nihil dicam de Asclepiade juniore, & ejusdem nominis aliis, quorum jam mentionem fecimus, sexcentisque medicis aliis.

Decimo Sæculo Urbis Romæ, secundo vero Christi Domini, Galenus ex Pergamo vir fama celebratissimus, aliique multi, de quibus ipse commemorat, maxime floruere: eum primo medicum Imperatores M. Aurelius, & L. Verus adhibuerunt; & nondum ille Romam se contulerat, cum Hadrianus pluribus medicis usus est; quapropter morti proximus pronunciavit se per medicorum turbam periisse. Cum enim ille aqua intercute laboraret, nullum aptum remedium adhibitum est quo convalesceret.

Undecimo Sæculo multi & Romæ, & per totum Imperium disseminati medici in hominum oculis, ac celebritate vixerunt, deque Arte medica multa scripserunt, Galenum, aliosque tum illorum, tum superiorum temporum medicos secuti. Sui porro erant medici Imperatoribus profecto addicti. Occurrunt ejus rei satis firma argumenta historias diligentius pervolventi. Non eadem fuit omnibus, quæ Aureliano libido, qui quoties ægrotabat, ut Vopiscus prodidit, repudiatis medicis, diæta ipse per se curabatur. Utrum vero hoc an sequenti sæculo extiterint Aretæus, Aetius, ac Trallianus, incertum est.

A Decimo secundo Urbis Sæculo, Christi quarto, medicis totum Imperium passim abundavit. Inter hos Zenon Cyprius Alexandriæ medicinam docuit, e cujus Schola præstantes medici extitere. Christianus Religione fuit, eaque de causa Alexandria exactus est. Reductus tamen est per Imperatorem Julianum Apostatam, qui Litteratorum hominum studiosior erat: extat cum aliis ejus Epistola ad Zenonem, qua illum revocat. Jonicus Sardianus, Magnus Antiochenus, & Oribasius Pergamenus ejus Auditores fuere. Hic postremus fuit Juliani medicus, cujus in aula magna cum existimatione versatus est. Sardis tamen, si B Suidam audis, ejus Patria est, multosque libros conscripsit. Is hic videtur, cujus monumenta extant in eo volumine, cujus titulus *Medicinæ Principes*. Hoc sæculo finem facio, quod Imperii Romani postremum fuit; duodecim enim futura Romani Imperii sæcula duodecim a Romulo visi vultures portenderunt. Sed antequam finem facio, proferenda lex est quam pro medicis Julianus Imperator tulit: etsi enim a Christiana Religione descivit, eum tamen Litterati Viri doctum, & ingeniosum hominem judicarunt. Habetur hæc Juliani lex inter ejus Græcas epistolas: eam habe in C hæc ferme verba. Cum experientia compertum sit humano Generi utilissimam medicinam esse, non injuria Philosophi donum eam esse & inventum Deorum affirmant. Illa enim naturæ nostræ infirmitatem, & morborum incommoda expellit. Nos itaque juxta æquitatis documenta, & decreta, auctoritatemque Imperatorum superiorum volumus & mandamus, vos, qui medicinam factitatis, muneribus omnibus per Senatum injunctis immunes esse.



VIGESIMAOCTAVA DISSERTATIO.

Ex duabus Epistolis cujusdam Antiquarum rerum studiosi ad Auctorem, cum Responsionibus, de aliquibus Nummis Melitensibus.





E Melita rediens sperabam fore, ut te Lugduni viderem, cum illud accidit mihi injucunde, ut te Parisiis esse intelligerem. Solabar tamen ipse me spe eo perveniendi: at ubi perveni, cum mihi te hinc discessisse nuntiatum esset, majorem animo cæpi dolorem. De rebus Melitæ antiquis nonnulla tibi communicassem, quibus ejus Insulæ descriptio, quam, ut trito utar vocabulo, *Commendator* Abela Italico sermone conscripsit, argumentum suppeditavit. Sperabam futurum, ut mihi quidquid consonum veritati foret, quæ tua humanitas est, significares. Nihilo tamen secius casu accidit, ut me spes hæc ne re prorsus falleret; & vel absens ea mihi præstares, quæ ad harum rerum intelligentiam desiderabam maxime. Cum enim quæ de re Antiquaria egregie scripsisti, quæque non ita multo post publici fecisti juris (sunt autem hæc *Miscellanea Eruditæ Antiquitatis*) eorum mihi primum codicem quidam Amicus commodasset, aversam Melitensis Nummi partem, quæ mihi perobscura visa est, meque diu torsit, explanatam legens offendi.

Nummus mole mediocris est. (fig. 1.) Si caput aspicis, hanc mulierem judicas. Tegmen capitis descendit ad humeros, videturque intextum gemmis. Desuper quoddam coronæ genus vides. In ea parte in quam Imago conversa est, spicam aspicis, in altera ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ legis. In eam rem aliquid conscripsi, quo hanc Junonem videri contendo. At ex aversa parte adolescens homo objicitur, gestans capite mitram, quam Varro vocat *ricinam*, aut mitram Melitensem: quatuor & latis quidem fulcitur alis, duabus ad humeros, duabus ad coxendices quodammodo affixis.

Hoc illud arbirror Numen, de quo ad calcem articuli primi loqueris. Nempe Apollinem, quem Persæ, Parthi, aliique Orientis populi, Mithræ nomine appellabant ab ornamento capitis, quo eum pingebant. Romani quoque hoc eum nomine venerabantur. Nam præter illud Statii:

Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Tu a Romanis ei Aras extructas, & hoc barbaro vocatum nomine pluribus Inscriptionibus ostendis: *Soli invicto Mithræ: Numini invicto Soli Mithræ &c.*

Audienti abs te in cavernis, locisque subterra-

A neis ei sacra fieri, & plerumque Taurum mactari, eorum mihi venit in mentem, quæ Socrates, & Sozomenus ait, eum aliis quoque & inauditis coli Sacrificiis. Apud eos legimus Juliano Apostata, ac Theodosio Imperatoribus Antrum Mithræ, quod erat Alexandriæ, esse reclusum, inventumque immolatorum hominum calvis repletum; ejusque Urbis Episcopos rem eam oculis omnium, & irrisionibus exhiberi jussisse: qua re ita Ethnicos accensos ira, cum tantum dedecus propalam collocatum præ pudore ferre non possent, bis impetu in Christianos facto, ingentem stragem edidisse. Animadverti hunc Apollinis Mithræ cultum

B esse longe antiquissimum, eumque a Phœnicibus, qui eam Insulam ante tenuerant, & quibus Mercurius erat lucis Deus (atque hic est Apollo) Græcos Melitenses fortasse accepisse. Sed tamen, cum longis illi se navigationibus commiserint, & cum Orientis populis commercium habuerint, fieri potuit, ut ab iis hujusmodi cultum mutuati sint. Idem videtur dicendum de Assyriorum Junone, quæ *Melitta* appellata est. Hinc Melitensium, & Urbs, & Insula sumsisse nomen videtur, & hinc factum, ut Junoni sacram Ædem extruerent, quæ multorum scriptis est celebratissima. Quod

C autem Persæ, ut Auctor est Luctatius, Mithram non solum tiara, sive mitra, sed etiam rictu Leonis effinxerint, hoc nihil prohibet, quominus Melitenses hominis figura expresserint, & Apollinem, ac Mercurium Deum eumdem constituerint. Valde probabile est, Apollinis figura Mercurium maxime veneratos esse: Cum enim alter pro altero sæpe accipiatur, & uterque teste Macrobio sit unus & idem, hinc est, quod qui ex illa Insula nisi commutandis mercibus ditescere poterant, quem Deum sibi propitium fere, utilemque sperabant, eum sibi Patronum optarunt.

Cæterum hic alium Mercurium habes, ex duo-

D bus constantem nominibus, præter eos de quibus agis Differt. quarta, quorumque imagines proponis. Quocirca *Hermathenæ*, *Hermanubi*, *Hermheracli*, *Hermeroti*, *Herm-Harpocrati*, & *Hermaphrodito*, *Hermemithram* addas: ex alio Nummo, quem attuli ex Melita, de quo jam adhuc a nemine, quod noverim, disputatum est, illud liquidius patet (fig. 2.) Ad Nummum majorem ea forma accedit. Mulieris hoc caput est obductum velo. In aversa parte tres figuræ stant, quarum quæ sunt ad latera videntur eam, quæ in medio posita est, veneratione prosequi. Ea Imago mitram gerit, ac nititur Termino; quales imagines sunt *Hermæ* tui.

Inſcriptio tribus litteris Punicis continetur. Punicas reor, quia una cum Græcis Carthaginienſes eam Inſulam incoluerunt; & præterea eas litteras in aliis Inſcriptionibus deprehendas, quæ aliquando in Nummis occurrunt: in quibus Equi ſunt, & palmæ, quæ ſine controverſia omnes Carthaginenſium eſſe fatentur. Hanc formam idem atque illam alteram exhibere cenſeo, ab aliis tamen populis illam factam, ita ut ſuo quique ritu eadem Numina effinxerint. Illo vero velato capite Junonem repræſentari, effigie autem, quæ ornata mitra eſt, Mercurium una cum Apolline, aut potius *Hermemithram*. Si hæc vera non ſunt, ſunt certe veri ſimilia. Tuum tamen rectius quam cujuslibet judicium erit. Tuum eſt nos hujus rei certiores facere, quod a te pro tua humanitate me impetraturum confido. Vale.

Pariſiis v. Cal. Octob. 1680.

CHAILLOU.

RESPONSIO.

PErgratæ mihi acciderunt litteræ tuæ. Gallandus ſuſcepto in Melitam itinere, ubi tibi obviam factus eſt, ea ad me ſcripſit, quibus neque meritum ignorarem tuum. Honorem quo me dignaris communi utriuſque noſtrum in res antiquas ſtudio acceptum refero; eoque magis obſtringar tibi, ſi in earum rerum quas cognoris, communicationem me vocaveris. Quod de Nummis Melitenſibus ais, obſervatione dignum eſt.

Primi Nummi formam Iſidem ego dixerim: Capite enim criſtam gerit, qua ab omnibus cæteris Numinibus ſecernitur. Velum illud videtur ex Corio Arietis; ideo autem quia cum apud Græcos Iſis ſit eadem, atque Ceres, ipſa colendi agri, & pecoris gubernandi rationem docuit. Hinc Megaræ Templum Ceres habuit, dictaque eſt μαλοφόρος h. e. *lanam ferens*, ex eo velo id etiam intelligimus, velum Iſidis eſſe inventum. *Veliſicia primum invenit Iſis*, inquit Hyginus, *nam dum quærit Harpocratem filium ſuum, rate velificavit.* Tamen ſi vis, tecum ſentiam eam eſſe Junonem: facile enim eſt probare Iſidem Ægyptiorum eamdem eſſe ac Junonem Græcorum, ut illius maritum Serapidem eumdem, atque Jovem. Id Diodorus Siculus pro certo affirmat. Digna eſt quæ obſervetur Gruteri Inſcriptio. *Te Tibi una quæ es omnia Dea Iſis Arrius Balbinus V. C.*

Imago averſæ partis eſt nihilo minus ſingularis. Nihil mihi, ut neque tibi dubium eſt, quin ſit ille Deus Mithra, licet quandoque mitra, ex adverſa parte Phrygio more pendente, & quandoque Leonis rictu pictus conſpiciatur. Alæ celeritatem Solis indicant, qui Orientis populis Mithra eſt. Obſervandum quoque, quod ea mitra ſuperiore parte ſciſſa eſt. Euſtathius Mitram deducit a μίτος *licium*. Voſſius vero a μίω, ſeu μιτόω *licia tendo*: Mitra enim eſt ornamentum quo redimitur caput. Scaliger tamen derivat a voce Syriaca, quæ ſignificet tæniam, ſeu redimiculum, alii tandem a vocabulo *Mithri*, quod pariter Syriacum eſt idemque ſonat ac *Dominus*: & quidem huic ſententiæ adhærere ſi libet, mitra eſt inſigne Regium, non ſecus atque apud alios populos Diadema & Corona. Parthorum Regibus ornamentum capitis erat genus quoddam mitræ, dicebaturque *Cydaris*.

Alter Nummus, quem recte Carthaginienſem judicas, ſine ulla dubitatione Melitenſis eſt: habet enim ex una parte Junonis caput, quæ præcipuo in honore Melitenſibus erat, & Mithram Ter-

A mini, ſeu Hermæ forma ex alia, ubi ad latera duæ Iſides neſcio quid, quod manu tenent, illi offerunt. Ex criſtis, quarum utraque malum Perſicum continet, qua ratione Ægyptiorum Dii proponi conſueverunt, Iſides dignoſcuntur. At deorſum monſtroſo quodam modo exhibentur, bovis nempe, ut reor pedibus; ut hinc intelligas per eas terram colere homines didiciſſe, & extante femore ſine crure, quod quidem cujus rei ſignum ſit intelligentia non aſſequor.

Litteræ, quas ſuperiore loco vides, ſunt illæ Punicæ, quod nihil impedimento eſt quominus Melitenſis Nummus ſit. Finitimi enim Pœni cum B eſſent, factus eſt cum Melitenſibus ſermo communis; ut hodie quoque ea in Inſula Maurorum ſermo retinetur: quapropter Siculos Nummos litteris Punicis ſæpe deprehendimus. Hæc ſunt quæ tuis eruditis animadverſionibus addenda putavi. Sed velim arbitreris me tibi eſſe addictiſſimum. Vale.

Altera Epiſtola Chaillou, in idem Argumentum.

C

NUnquam ego inter nos litterarum viciſſitudinem interceſſuram eſſe ſperaviſſem, niſi tu ipſe anſam præbuiſſes, qua libenti utar animo quoties digna mihi ſuppetent, quæ ad aures tuas accidant. Jam nunc patere, ut ejus Nummi Melitenſis, quem tibi gratum eſſe per litteras ſignificaſti, nova arcana, quæ deprehendi ad te ſcribam. Quæ de capitis tegmine dixiſti non potui non probare, idque ego quoque Arietis corium cenſebam: apparebat enim, vel in Nummis nonnihil exeſis, pellis exiguis, ac rotundis diſtincta punctis, quæ D puncta Abela gemmas arbitrabatur. Sed cum forte apud me Nummus eſſet, tam bene cuſtoditus, ut prope recens videretur, animadverti eſſe totidem triangula ἰσοσκελῆς *cruribus paribus conſtantia*; quorum æqualia latera ſunt baſi aliquanto longiora, & quorum angulus ſuperior duas exiguas velut anſas habet, uti in figura cui pro nota eſt A. probe vides. Illa porro in eo capitis ornamento filis diſpoſita ſunt, atque inter ſe ſejuncta. Hæc exigua triangula aliqua ratione quamdam figuram imitantur, quæ hanc habet notam B. quam pro Spica in hiſce Nummis nonnunquam reperias; quamque idem Auctor pro veſte ſumit, & E ait eſſe notam veſtium ex goſſipio, quæ olim Inſulæ Melitæ peculiares erant, atque eas Diodorus Siculus ſua ætate plurimi habitas eſſe teſtatur, earumque uſum Lucretius confirmat.

Interdum in Pallam, & Melitenſia, Ceaque vertunt
Eximia Veſte.

Nihilominus ad ſuperiorem hujus figuræ partem reſpiciens caduceum veſtitum ego potius crediderim.

Ita ut quamobrem ad Junonem hic Nummus refe- F rendus non ſit adhuc nihil videam. Hæc olim Melitenſium Dea Patrona fuit. Celeberrimum Melitenſium Templum Junoni ſacrum fuit;& inter magnæ Græciæ Nummos Goltzius Junonem affert oblonga coma, corona ſeu diademate redimitam; qualem Argivorum Junonem Pauſanias deſcribit. Cæterum peregrina hæc forma eſt. Hinc fortaſſe Aſſyrii Junonem *Melittæ* nomine pingebant. Tandem cum minime proditum ſit ea in Inſula ullos peculiares honores Iſidi, aut Cereri habitos eſſe, cumque

de Herculis tantum, ac Junonis Scriptores, de Proserpinæ vero Templo Inscriptiones commemorent, hæc Dea non potest esse nisi Juno, aut Proserpina. Cur tamen in eam me partem dem ut Junonem arbitrer, id est, quod Pausanias eodem in Templo Junoni & Apollini sacra fecisse Græcos refert: quocirca non rem a ratione abhorrentem dixeris, si utrumque Numen in eodem quoque Numismate conjunctum fuisse dicas. Ad spicam vero quod pertinet, quippe quæ non in Nummis id genus omnibus objicitur, neque capiti proxima est, signum modo dicas fertilitatis; hanc autem alteram figuram optimarum telarum signum. Fertilitate enim illa Insula commendatur.

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ
Insula.

In aversa Nummi parte id novi deprehendi, quod Numen ornatum mitra manibus duos Scipiones complectitur, quorum alter est ita flexus, ut litteræ lambda λ formam efficiat, quam in Punicis Nummis, ubi dimidiæ Imagines mitra redimitæ offeruntur, sæpe cernas. Quo magis eadem esse Numina mihi persuadeo. Cæterum de his Scipionibus non minus quam de exiguis triangulis obscura mihi videtur quæstio.

Melitenses Inscriptiones novæ mihi non suppetunt. Undecim ab Abela mutuatus sum, inter quas tamen duas, quæ ex duabus tribusve vocibus constant, recenseo; quibus duabus exceptis cæteras omnes apud Gualtherium vidi. Præter quam quod magis emendatas, & aptius explicatas eas hic alter exhibet, sex alias affert, quas ille, ut quidem memini, nequaquam commemorat: earum tamen quatuor nomina tantum continent, incisa illa in albo marmore circum capita toreutices opere educta; quæ quidem antiqua non arbitror. Illa enim in hortis *Magni Magistri* ego una cum Gallando vidi. Ex iis Abelæ, & Gualtherii Inscriptionibus hanc in quadam pagella manu scripta exaratam legi:

ΛΥ... ΙΟΣ. ΚΥΡ. ΠΡΟΥΔΗΝΣ.ΙΠΠ. ΡΟΜΑΙΩΝ.
ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙ...Ν
ΚΑΙΙ. ΑΤΡΩΝ.Α.Ρ.ΕΑΣ ΚΑΙ ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΙΑΣ
ΘΕΩ ΑΥΓΟΥΣΤΩ ΕΣΥΙΝΓ....ΝΕ

Eam ubi posita est legere mihi non licuit. Marmor enim in quo cælata est inservit fonti tanquam septum, ac totum luto obductum est: eam illi ita interpretantur.

Lucius Cajus F. Cyri Prudens Eques Romanorum, primus Melitensium, & Medicorum artis, & Amphipoliæ, Deo Augusto dicavit.

Προύδηνς ita ab iis accipitur, ut cujusdam Græcæ Familiæ nomen sit. At ex hac litterarum collocatione, non ego opus esse putarim, ut ad ullam Græcam familiam referatur, sed post prænomen, & nomen familiæ, quæ sunt confusa, & ex parte deleta, legi posse ΚΥΡ. hoc est ΚΥΡείνα & Latine *Quirina* (tribu) Prudens. Id aliis Inscriptionibus confirmari posset: ubi ΚΥΡ (quod male exaratum est Κ. ΥΡ.) idem significat. Et quod omnem dubitationem tollit, est, quod vox illa proxime ponitur ante cognomen: quo loco solet notari Tribus: atque ita nomen id esset equitis Romani, qui Reipublicæ nomine eo missus, tanquam Prætor, aut Gubernator fuerit, cui honoris causa posita sit hæc Inscriptio; etenim cætera primæ lineæ verba id indicant. ΙΠΠΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. *Eques Romanus, primus Melitensium*. Prudens fuit cognomen Romanis valde frequens. Dignitas autem hæc, ut primus fuerit Melitensium, in Actis Apostolorum Publio qui profecto Romanus fuit tribuitur. Vale.

RESPONSIO.

DUO Ænea simulacra modo vidi, quæ ex Ægypto Dufour accepit. Ea cum tuis Melitensibus Nummis affinitatem habent, quamobrem ad eos explicandos nonnihil conferunt. Atque hæc ratio cur exemplum ad te mittam.





Memoria teneo, Lugduni Batavorum aliquando cum essem, inter Amphiteatri *Anatomici* res singulares duo parva simulacra propemodum similia me vidisse. Et pro certo habeo nonnullos esse qui res hujusmodi antiquas colligant, quæ pleræque, sive æneæ sint, sive fictiles inter se propemodum nihil differunt: eæ porro in Ægypto sæpe, ac præterea osseæ formæ inveniuntur.

Primum simulacrum Osiris est, dictus etiam Serapis maximum Ægyptiis Numen: mitram capite gerit, ejus quam gestat Mithra tuus non tamen similem. In bovis utrinque extensa cornua illa desinit. Colebatur enim bovis forma, quia agrorum culturam hominibus tradidit. Læva manu Scipionem gerit, cujus extrema pars curva est, dextera vero triangulare instrumentum, quale gerit Nummi Imago tui. Ille flagrum tribus instructum funiculis imitatur. Plutarchus ait Osiridem imperium in manes habuisse. Nonne flagrum auctoritatis potuit esse insigne, quemadmodum Furiæ cum flagro & facibus formari solent? Nisi hoc instrumentum musicum dicas, cujusmodi fuit Isidis sistrum: ita ut læva manu plectrum teneat, dextera instrumentum ferreum, aut æneum, quod percussum plectro sonum edit. De Antiquorum enim Musicis instrumentis cum aliquando disputaverimus, prorsus rudia fuisse diximus, quibus confusum potius, & incertum murmur, quam aptus concentus audiebatur.

Alterum simulacrum Isis est Osiridis uxor, cujus caput eadem plane ratione, qua tui Nummi Imago velata est, descendente ad humeros est velo obductum. Insidenti suis genibus Oro filio lac præbet. Ita sæpe toreumatis, & Ægyptiis simulacris solet Isis repræsentari: ex ejus capite extolluntur cornua. Huc pertinet illud quod Prisci dixerunt Isidem eam fuisse, quæ a Græcis nuncupata est Io in juvencam aliquando conversa; qua de re disputavimus cum de Regis Pylæmenis Nummo ageremus. Fortasse illi addita cornua sunt, quia Isis credita est Luna. Et quidem id quod inter cornua positum est ad Lunam significandam videtur positum, quo referuntur illa Apuleii de Iside verba: *Planam rotunditatem in modum speculi, vel candidum lumen in modum Lunæ, dextra lævaque sulcis insurgentium anguium cohibitam.* Quibus intelligis per Apulejum non cornua, at serpentes e capite utrinque eminere: & sane Ammianus Marcellinus, aliique multi idem testantur, & Nummi aliquando confirmant. Flaccus lib. 4. Argonaut. de Iside:

Aspide cincta coma, & ovanti persona sistro.

Verumtamen certum est eam cornibus quoque sæpe effingi consuevisse. Testis est Ovidius:

—— Inerant Lunaria cornua fronti.

Hac de causa Plutarchus Isidem cornutam vocat: κεραςφόρον. Athenagoras apud Justinum Martyrem Isidem muliebri forma cum bovis cornibus propositam fuisse commemorat. Quod fronte gerit (uti etiam Osiris, & Orus) nisi fallor, accipitris caput est. Is ales Diis Ægyptiis sacer erat, quibus accipitris pro humano caput esse sæpe videas.

Quamobrem ad Nummos tuos ut veniam, quæ Deæ ad Mithræ latera stant Isides sunt, & Isis est quæ velato capite in Melitensi Nummo objicitur, ubi legimus ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ: quod ut magis tibi persuadeas, Tabulam Bembi, & *Mensam Isiacam* Pignorii, aliosque de his Numinibus qui loquuntur fac consulas. Mihi enim non sat otii est, ut eos compilem. Satis est mihi rationem paucis ostendisse; qua tuam abunde possis explere cupiditatem. Vale.



VIGESIMANONA DISSERTATIO.

De Magno Vase marmoreo, in quo exhibetur ortus Bacchi.




Ajetæ, quæ est Urbs maritima Regni Neapolitani, custoditur elegans hoc antiquum marmor, & hodie in æde maxima pro fundo sacri fontis adhibetur. Opus hoc est prisci sculptoris Atheniensis Salpionis nomine; ex his tribus incisis vocibus id liquet: ΣΑΛΠΙΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ, *Salpion Atheniensis fecit*. Ipsa cælaturæ elegantia satis docet præstantem hunc artificem fuisse, & exisse e ludo Græcorum, qui sculpendi arte magnam sibi ubique terrarum nominis celebritatem compararunt, non secus atque aliis Liberalibus Artibus, quarum in Italia illustria reliquerunt monumenta. Fortasse continendis lustralibus aquis in aliquo Ethnicorum Templo aut ad usum alium nobis ignotum Religionis causa Vas istud factum est. Toreuma porro non admodum difficiles explicatus habet.

Hæc est Fabula de ortu, & educatione Bacchi, quam Apollodorus lib.3. de origine Deorum refert. Cadmo, inquit, quatuor filiæ fuere, Autonoe, Ino, Semele, Agave; filius autem Polydorus. Ino Athamanti nupsit, Aristæus Autonoem, Echion Agavem duxit. Jupiter cum Semelem deperiret, inscia Junone, cum illa rem habuit. Hæc a Junone, quæ quod erat suspicata est, suumque dolorem dissimulavit, decepta a Jove petiit, quo ejus amoris certum pignus haberet, qualis cum Junone congrederetur, secum decumberet. Quod cum Jupiter abnuere non posset, fulguribus ac tonitribus invectus in Semeles thalamum advenit. Quare Semele splendorem cum ferre non posset, semestrem partum ejicit. Jupiter Bacchum e medio abreptum igne femori insuit, opportuno deinde tempore illum Jupiter emisit, & Mercurio Deorum Nuntio, Jovisque amorum conscio custodiendum tradidit. Hunc ille ad Inonem Bacchi materteram, & illius virum Athamantem affert, ut puerum educarent. Quod iniquo ferens animo Juno, & in eos cupiens suam iram effundere perfecit, ut Athamas filium suum Learchum, velut cervum venatus interficeret, Ino autem cum filio Melicer-

A ta se in mare præcipitem daret. Ambo tamen Neptuni miseratione in Deos marinos versi sunt, & ex eo tempore Ino dici cœpit Leucothea, Melicerta vero Palæmon. Mox Jupiter Bacchum in hœdum transformavit, ut a Junonis ira eriperet. Hinc Mercurius sumtum puerum ad Nymphas, quæ tum Nysam Asiæ Urbem incolebant, alendum deduxit. Ex hoc factum est, ut Bacchus ἀπὸ τοῦ Διὸς Jovis, & a Nymphis τῆς Νύσης Dionysius nuncuparetur. Silenus quoque illarum Nympharum comes Bacchi nutricius fuit.

B Puer itaque quem hic vides Bacchus est; eum Mercurius Inoni, seu Leucotheæ materteræ porrigit, quæ infantem prima lactavit. Ex quadrato galero Mercurium agnoscis; ita enim cernitur in antiquis Nummis, licet neque alas capiti & pedibus, neque manui caduceum, qualem pingere solebant, sculptor addiderit. Verum scitum est, non eadem semper ratione Deorum imagines a Veteribus formari consuevisse. Albricus, cum sit illud instrumentum quo solem arcemus, *umbellam* vocat. *Galerum quoque, seu Umbellam capite deportabat*.
C Hoc ille utebatur ad arcendum solem instrumento, quoties Deorum jussu aliquid nuntiaturus huc illuc ibat. Vasis ora vitis Baccho sacræ frondibus ornata est. Circum Satyri, Nymphæque stant; hujus Dei suscepta cura illis Bacchorum, his Baccharum nomen dedit.

Proximus Mercurio Satyrus est gestans humeris Hœdi, aut Tigridis exuvias. Tres notæ sunt quibus eum cognoscas. Prima, est Capreæ cauda: hinc dictus *semicaper*, præsertim si hœdi pedes adderentur. Altera, sunt aures rectæ, & oblongæ, impudentiæ, ac libidinis, in quam ferebantur indices. Tertia, sunt crispi in fronte crines. *Fronte crinita Faunus*, Virgilius ait. Is tibiis canit,
D quibus Campestres Dii oblectabantur, & duabus paribus simul canit. Hoc illud est, quod in Terentii, aliorumque comœdiis dicebant veteres, *tibiis paribus canere*.

Sequitur ex Bacchis una percutiens tympanum, & caput Mænadum ac Bassaridum more rejiciens. Huc spectat quod Catullus ait: *ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ*. Hæc Tympana superius de Veterum instrumentis Musicis locuti explicuimus.

A tergo alius Satyrus eſt. Thyrſum ille geſtat, hoc eſt haſtam ex hedera, in cujus vertice pini pomum eſt. Sunt enim ea omnia Baccho dedicata. De Baſſaride Tacitus, *ipſa*, inquit, *crine fluxo thyrſum quatiens*; & Sidonius Apollinaris deſcribens Bacchi comites, Thyrſum, pellem Tigridis, ac tympana memorat.

—— Rotat enthea Thyrſum
Baſſaris, & maculis Erythrææ Nebridos horrens,
Excitat Odryſios ad myſtica tympana Myſtas.

Ab Inus tergo tres Nymphæ, ſeu Bacchæ ſunt Bacchi nutrices, comiteſque: Duæ incumbunt Thyrſo, alia truncum arboris, ſeu potius Vitis, quæ Baccho ſacra eſt, tangit.

Fulgentius cum Nymphis, & Bacchis Semelem Bacchi Parentem, ejuſque ſorores Inonem, Autonoem, & Agavem commiſcet, & morales etymologias ad vinum ſpectantes inveſtigat. Quidquid tamen eam in rem ſcribit, videtur longe remotum. Ut ut ſit, decantatus eſt apud veteres hic Bacchi cœtus, cujus ſeſta inſtrumentorum clangoribus, & ululatibus Bacchanaliorum tempore agebantur. Hinc Artemidorus de ſomniis ait: ſi quis ſomniando videatur ſibi cum Bacchis, Satyris, Pane, Faunis, aliiſque Semideis Bacchi ſociis verſari, huic turbas, pericula, diſſidia eventura. Nunquam enim ſine clamore, & perturbatione Bacchi ſacra celebrabantur. Inſcriptionem audi Nymphis, & Baccho poſitam.

ROMÆ.

NYMPH. NVTR. LIBERO
PATR. CONS. DOM. ORC.
L. ORCIVIVS MEMMIANVS
ET M. MEMMIVS ONESIMVS
ET ORCIVIA ORESTILLA
COM. CONSEN.
D. D.

Nymphis nutricibus.

Putarunt Veteres Nymphas Nutrices Bacchi fuiſſe, ſive quod aqua viti opus eſt, ut racemi matureſcant, ſive quia dilutum aqua vinum debet eſſe, ne mentem de ſede deturbet. Hac de cauſa fortaſſe Domus Orcivia Nympharum, & Bacchi tutelam optavit, ut his conjunctis Numinibus ſobrietatem præ ſe ferret.



A Pater Silenus Bacchi nutricius in antiquo candelabro æneo effictus eſt. Hic ab Horatio dicitur

—— Cuſtos, famulusque Dei Silenus alumni.

Is pingi ſolitus eſt capite calvo, fronte lata, preſſis tanquam ſimus naribus. Hæc ejus oris conformatio hominem vino deditum, ac petulantem notat, qualis fuiſſe Silenus traditur. Socrates, ut obſervatum eſt, hanc Sileni imaginem imitabatur, quam Phyſiognomon quidam intuens eum flagitioſum eſſe pronunciavit, & quidem non falleris, inquit Socrates, talis enim eram niſi vitioſam naturam B Philoſophiæ præceptis ſuperaſſem. Vas quoque quod altera manu tenet, & caniſtrum quod altera, Silenum arguit; quod in Bacchi feſtis nempe orgiis exhiberi ſolebat, quorum fœditatem, rituſque irridendos Ethnicis Antiqui Patres (*a*) objiciunt. Feſtum Athenis in honorem Bacchi celebrabant, quo feſto Virgines ciſtas auratas cum floribus, & frugibus ferebant: ea feſta dicta ſunt *canephoria*, Virgines vero *canephoræ* (*b*) a duabus Græcis vocibus, quæ ſignificant *caniſtrum ferre*.

II. & III. Toreuma Vetus & Nummus Perinthiorum, quæ huic Tabulæ addidimus, ad hoc idem C caniſtrum, & ſerpentem, quæ in Bacchi myſteriis, ac feſtis adhibebantur, referuntur. Catullus.

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis.

De his caniſtris Baccho, Cereri, & Proſerpinæ ſacris Suidas, & Theocritus in Idyl. verba facit. Videntur hæ ciſtæ ex nexis viminibus compoſitæ, ex quo fortaſſe Tibullus eas ciſtas leves dicit:

Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

D Operculum habent illæ, ut Bacchi myſteria tegerentur, & eorum, qui ſacris initiati non eſſent, qui tanquam Prophani arcebantur, oculos fugerent. Athenienſes (*c*) Agraulum, & Pandroſum magno ſacrilegio obſtrictos eſſe putarunt, quod Cereris, ac Proſerpinæ ciſtas recluſiſſent. In his ciſtis ſerpens inter cætera cuſtodiebatur. Epiphanius libro primo adverſus hæredes quorumdam Hæreticorum (hi dicebantur (*d*) ophites) mentionem facit; qui in Templis ſerpentem ciſta ſervabant, adorabant, oſculabantur, & pane alebant. Id ab Ethnicis mutuati ſunt. Antiquus enim ſerpens primi Parentis delicto damnatus ſerpentis forma ſe E hominibus ſæpe colendum præbuit. In Ægyptiorum Templis, ac præſertim in Serapidis, & Iſidis, ſerpens adorabatur. Æſculapius Medicinæ Deus magni ſerpentis imagine, quod jam alias vidimus, honore affectus eſt. Juſtinus Martyr, qui Ethnicus fuerat, ſuperſtitiones Ethnicis exprobrans, Vos, inquit, tanquam magnum aliquod myſterium veſtris Diis ſerpentem adjungitis.

Clemens Alexandrinus, cum de Bacchanalibus memorat, ſummam ait fuiſſe illorum dementiam, qui ſerpentibus corpus circumdabant, & hœdorum his ſordidis Numinibus immolatorum ſanguine vultum ſibi perfundebant.

F Plura de Baccho, & Sileno, & eorum cæremoniis poſſem dicere. At hoc nihil eſſet aliud, quam Scriptores inutiliter compilare, quos, de his rebus ex profeſſo cum egerint, cuique licet conſulere. Neque huc transferam, quæ ad rem meam facerent, monumenta antiqua libris per induſtrios, & ma-

a *Taceo ficulneum veretrum, quæque circa illud myſteria rituſque haberentur*. Theodoret. l. 8. de martyrib. b κανοῦν & φέρω. c *Athenagoras orat. pro Chriſ.* d ὄφις *græce ſerpens.*

vos homines prodita. Ea profero tantum, quæ ex monumentis ipsis egomet collegi, quorum exempla varias terræ partes peragrans desumenda curavi, aut quæ in Eruditissimorum hominum Peireschii, & Bagarrii scriptis jam desumta reperii. Cum

A enim illa nondum in lucem prodierint, ea si ponerem gratum Antiquitatis studiosis me facturum putavi. Quod antequam facio, anaglypticum opus, quo Bacchi nutrices Nymphæ expressæ sunt, propono.



Nymphæ sunt hæ, Deæ quæ fluviorum, & fontium præerant aquis; unaquæque vase fundit aquam, & herbæ folium manu ostentat. Hæc herba fortasse ποταμογείτων est, quæ in aquis nascitur, & cujus folium paludibus, & fontibus innatat: aut verius hæc herba, quæ gaudet aquis *Nymphæa* est sumto nomine a Nymphis. Hæ fontium Nymphæ appellatæ sunt etiam *Najades*, ut Silvarum *Dryades*. Sæpe, quod ante diximus, Deorum mysteriis apud Ethnicos Serpens intererat. Sed utrum quid peculiare subsit cur Nymphis adjungatur, ignoro. Qui hoc anaglypticum opus Musis dedicavit, ipsemet pictus objicitur liquorem fundenti similis in iis sacris, quæ hisce Deabus fieri jussit. Hoc est quod ajunt *libare* a verbo Græco λείβω, *stillo*, *fundo*, vel ut nonnulli volunt a nomine *Liber*. Baccho enim primum vinum in sacris fundi cœpit. Saltem hoc certum est, vinum in ignem libari sæpe in sacris consuevisse, ut ex innumeris Poetarum locis liquido constat. Qui stillabat antequam id faceret ipse liquorem degustabat, & aliis qui aderant degustandum dabat. Hic qui aquarum Nymphis

B sacrum peragit, Libertus erat Imperatorum nomine *Augustalis*. Littera G, bis repetita intelligis tres tunc temporis Imperatores fuisse; quod accidit ætate Gordiani Pii, Balbini, & Pupieni, & ætate Galerii, Constantini, & Maxentii, & sæpe alias.

Nymphæ aliquando Augustarum nomine donatæ sunt, ut alia quoque Numina. Testis sit hæc Inscriptio.

C


Vasione in Provincia.

NYMPHIS
AVGVSTIS
MATERNVS
V. S. L. M. — Votum Solvit Libens Merito

Honoris causa hoc iis Epitheton tribuebatur, quia ad Imperatorum custodiendam domum vigilias agere putabantur.

Aliud opus anaglypticum Nymphas continens habeto.

Romæ, apud Matthei.



Notent Grammatici *Nymphabus*, aut *Nymfabus* æque bene dici atque *Nymphis*.

F Hic quoque tres Nymphas vides, quibus tamen pro vasis Conchæ sunt, quæ in stagnorum ri-

pis, & maris littoribus reperiuntur. Ad umbilicum nudæ sunt, quas autem superius vidimus, illæ prope totæ obnuptæ sunt.

A parte dextera arcus in manu, pharetra in tergo, in fronte crescens Luna hanc Dianam esse confirmant. Cum Nymphis illa versabatur, quod silvis, & venatibus delectaretur. Hinc Philosophus Albricus de Deorum imaginibus ait Dianam cum arcu, & sagittis pingi solitam, Dryadum, Hamadryadum, Najadum, Nereidum corona, & nemorum, montium, fontium, marisque Nymphis; quin & Satyris, sunt enim silvestria Numina, stipatam.

Silvanus notissimus Silvarum Deus frondes dextera manu tenens, ramum arboris læva, & Hercules, qui clavam, & Leonis spolia gestat, Nymphas comitantur; ita ut si Hercules μυσαγετὴς cognomento dictus est, quia Musarum ductor constitutus fuit, etiam νυμφαγετὴς Nympharum ductor, qualis a Phornuto appellatur Neptunus, dici posse videatur. Illud quo que observandum est, a Veteribus Nymphas, ac Musas promiscue acceptas: Tanta est apud Deorum Genealogos confusio, ac perturbatio. Quare vetus Horatii Interpres hos versus notat, quibus musæ dictæ sunt Nymphæ.

Vidi docentem, credite Posteri,
Nymphasque discentes.

Virgilius autem, *Nymphæ noster amor Libethrides*. Hinc nonnulli tres tantum non vero novem musas putarunt: & Gregorius Gyraldus auctor est apud Lydios Nymphas Musarum nomine donatas. Illud & hic, & in altera Tabula observatione dignum est, quod Nymphæ numero tres proponuntur, qui numerus apud Veteres arcani aliquid videtur habuisse. Finxerunt enim illi tres Parcas, tria Fata, tres Furias, tres Gorgones, tres Sirenes, tres Harpyias, tres Hesperides, tres Gratias, tres Sybillas, quod ex antiquis & Poetis, & Lapidibus patet. *Matres* seu *Matræ* & aliæ Divæ dictæ *Suleva* & *Campestres*, quas opere anaglyptico impressas libro de *Aquæductibus* Fabrettus affert, tres simul junctæ sunt. Notum est etiam Mundi administrationem tribus Diis Jovi, Neptuno, Plutoni cessisse, & Dianam a triplici facie dictam *Hecatem triformem*. Legendum est undecimum Ausonii Idyllium, ubi ternarii numeri notas, quæ in Ethnicorum mysteria fieri possunt, pluribus persequitur. E fonte cui tres Nymphæ præerant *Eunica*, *Malis* & *Nycheja*, haurientem aquam Theocritus Idyl. XIII. Hylam inducit. Paucis ab hinc annis Romæ Gentis Nasoniæ sepulcrum inventum est, in quo inter cætera pictæ erant Nymphæ tres: vas erat in manu singulis circum Pegasum stantibus, qui saxum ungula feriens fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene est appellatus. Eodem libro primo, quem laudavimus, Fabrettus exemplum ejus rei proponit.

Balnea quæ sacra Nymphis erant, dicta sunt *Nymphea* æque bene ac *Lavacra*. Indici præcipue silentium ibi solebat. Quare extat apud Gruterum hujusmodi Inscriptio: *Nymphis Loci Bibe Lava Tace*. Legebatur aliquando Romæ hoc Epigramma dormientis Nymphæ inscriptum simulacro.

HVIVS. NYMPHA. LOCI. SACRI
CVSTODIA. FONTIS
DORMIO. DVM. BLANDAE. SENTIO.
MVRMVR. AQVAE
PARCE. MEVM. QVISQVIS. TANGIS.
CAVA. MARMORA. SOMNVM
RVMPERE. SIVE. BIBAS. SIVE. LAVERE.
TACE

Miscellanea nostra eruditæ Antiquitatis Sect. II. Art. VII. plures Inscriptiones Fontium & Aquarum Diis factas continent, quas huc transferendas non censui.



DISSER-

TRIGESIMA DISSERTATIO.

De Strenis.



Ab exortu pæne Urbis Martiæ, inquit Symmachus, strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Sabini Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco *Streniæ* anni novi auspices primus accepit; sive quod divini aliquid verbenæ inesse putarint, quemadmodum Galli nostri Druides visco quercus nihil habebant sacratius, ita ut illud primo cujusque anni die aurea falce demeterent; sive quod vocem hanc, quæ a *strenuus*, h.e. fortis, generosus, derivatur, ad Nomen Deæ Streniæ, cujus lucus verbenam suppeditabat, referent: atque iccirco pro *strena* apud veteres *strenuam* quandoque invenias. Id superius vidimus Dissertatione XXIII. & videre etiam est in Glossis Philoxeni. Itaque vere hæc dona strenuis instituta sunt, quorum divina plane indoles vigilantia potius, quam instinctu felicitatem ominabatur. *Strenam*, Festus ait, *vocamus quæ datur die religioso, ominis boni gratia*. Nomen *strenuus* alii deducunt a *sterno*, alii a Græco στρηνὴς *fortis, asper*.

Ex eo tempore caricæ, dactyli, mel dono dari consueverunt, tanquam hujusmodi voti argumentum, ut totius anni decursu amicis omnia jucunde, ac suaviter evenirent.

Progressu vero temporis rudioribus illis moribus excultis, & Deos ligneos aureis, atque argenteis excipientibus, donis etiam splendidiores Romani esse cæperunt, cum post alia, & longe pretiosiora eo die singulis annis miserint. Præcipue vero dabantur argentei Nummi, postquam experientia compertum est fuisse primis temporibus longe rudes homines, qui argento mel dulcius arbitrabantur, quod ait apud Ovidium *(a)* festive Janus. Hinc Dio *(b)* strenas uno nomine vocat ἀργυρῶν, *argentum*.

Muneribus ultro citroque mittendis mutuas benevolentiæ significationes dabant, & in totum annum omnia felicia & fortunata vicissim precabantur. Cum vero non minus Religio, quam Imperium cordi esset, illi quoque stabiliendæ leges ferre non prætermiserunt; quocirca hunc diem anni primum festum voluerunt esse, & sacrum præcipue Jano, cui duos affingebant vultus a fronte, & a tergo, quasi præteritum, & venientem annum aspiceret. Hunc diem sacrificiis celebrabant, & ad Tarpejam arcem, ubi ara Jano posita erat, magna populi multitudo novis induta vestibus conveniebat; ex quo intelligis non eam esse recentem consuetudinem, ut primo anni die nova vestimenta sumantur.

Etsi vero hic dies festus, & celeberrimus fuit, nam præterea Junoni quoque festus erat, quippe quæ omnium mensium Calendis præerat, & Jovi insuper, atque Æsculapio in ædibus ad Tiberim positis eo die rem divinam faciebant, tamen populus non prorsus feriabatur; quin potius mos erat singulos aliquid attingere in ea arte, quam exercebant, tanquam omen, ignavos, & pigros per eum annum non futuros. Apud nos quoque nonnulli præter morem ante lucem surgunt isto die, ut in posterum sint diligentiores.

a *Ovid. Fast. lib.* 1. b *lib.* 10.

A Tandem strenarum consuetudo Imperatoribus clavum tenentibus paulatim ita crevit, ut universus populus ad Imperatorem felicia precaturus se conferret, & unusquisque pro re domestica argenteum donum tribueret. Honoris hoc signum habebatur erga viros Principes. Nunc vero conversa ratio est. Ditiores potius strenas dant tenuioribus, Parentes Liberis, Domini famulis.

Augustus magnam strenarum copiam comparavit, at cum liberalis esset, neque privatorum munera in suam vellet rem convertere, in Deorum honorem id auri, atque argenti solitus erat impendere, & Deorum simulacra mercari, & dedica-
B re.

Tiberius Augusti successor natura magis parcus, in ludos, & convivia minime effusus, consulto aberat primis anni diebus, ne populi felicia ominandi causa confluentis molestiam ferret: & Augusti strenas accipiendi consuetudinem improbavit. Id enim incommodum erat, & expensas postulabat, ut munera dante populo par pari referretur. Adeo his obeundis populus sex aut septem primos anni dies occupabatur, ut coactus Tiberius sit cavere edicto, ne strenarum commercium ultra Calendas Januarias exerceretur.

C Caligula, qui proxime post Tiberium Imperio potitus est, cujus avaritia, non minus atque cæteri pravi mores, maledictis segetem suppeditavit, edixit strenas, quas Tiberius sustulerat, ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Calendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, ac sinu, omnis generis turba fundebat.

Claudius Caligulæ, cujus locum tenuit, acta rescidit, decretoque prohibuit ne sibi, quod factum erat Augusto, & Caligula Imperatoribus, strenæ deferrentur.

Post hoc vero tempus eam consuetudinem po-
D pulus revocavit, quam narrat Herodianus fuisse Imperante Commodo; ac Trebellius Pollio ejus rei meminit in vita Claudii Gothici, qui ad Imperium quoque pervenit.

Quæri hoc loco posset, cur primo anni die potius, quam alio tempore mutua dona mittere, & mutua Vota facere consueverint; quod a Jano Ovidius quærit, & dignum Jano responsum refert.

> *Omina principiis, inquit, inesse solent.*

E Atque hæc ratio est cur

> *Primum visam consulat Augur avem.*

Et quidem Romani divinum quid principiis inesse existimarunt. Caput res divina credebatur, quia est, ut ita dicam, initium corporis. Suscipiendis bellis Augures, sacrificia, & vota publica initium dabant. Cujusque mensis initium Junoni sacrum erat, ac tanquam festum agebatur. Itaque causa, cur hoc die Jano sacrificarent, eumque sibi propitium desiderarent, ea est, quia cum præesset cæli foribus, ad omnes Deos sibi aditum apertum reliquo anni tempore fore

A ſperabant, ſi initio ſtatim Janum ſibi benevolum reddidiſſent; & quia anni principio præſidebat, ſibi & amicis benignum futurum confidere ſolebant, ſi rerum ſuarum curam ei quodammodo commiſiſſent. Ei farre & vino operabantur. Hinc profecto natum eſt ut eum diem cibo, potuque hilariter traducerent; quod a noſtrorum quoque multis fieri ſolet.

Græci, quibus, antequam a Romanis conſuetudinem acciperent, ſtrenæ in uſu non erant, vocabulo quod vere ſtrenam ſignificaret, carebant. Nam εὐαρχισμὸς, quod nomen in Gloſſis quidem, at non in antiquis ſcriptoribus reperias, id tantum ſonat B *felix initium*; ξένιον pro quocumque munere accipitur. Θαλλὸς in gloſſis Philoxeni explicatur pro *verbena, ſtrenua*, hoc namque nomen ramum, ſeu arborem ſignificat, qualis eſt verbena, quæ primis temporibus, uti diximus, pro ſtrena dabatur.

Ab Athenæo Cynulcus inducitur Ulpianum reprehendens, quod ſtrenam ἐπινομίδα appellarit; profecto, quia ἐπινομὶς nihil aliud poteſt ſignificare, quam id quod dederis ultra illud, quod debeas, nempe quod tantum grati animi gratia dederis: ἐπινομίδες dici poſſent illa munuſcula, quæ famulis, aliiſque impertiri ſolemus, non vero illæ ſtrenæ, C quæ anni principio Amicis dabantur.

Primis Chriſtianæ Religionis temporibus atque etiam ſublata Veterum ſuperſtitione, ſtrenis Magiſtratus, & Imperatores donandi conſuetudo ſublata non eſt. Corippus lib 4. de conſulatu Imperatoris Juſtini.

Dona Calendarum, quorum eſt ea cura parabant
Officia & turmis implent felicibus aulam,
Convectant rutilum ſportis capacibus aurum.

Quia calendis Januariis Conſulatum, & alios magiſtratus inibant, Senatus Populuſque Romanus, & Flamines conceptis votis, inſtructiſque D dapibus feſtum celebrabant, Conſulibus, viriſque Principibus munera largiebantur. Id his verſibus Prudentius confirmat.

—— *Jano etiam celebri de menſe litatur*
Auſpiciis, epuliſque ſacris, quas inveterato,
Heu miſeri! ſub honore agitant & gaudia ducunt,
Feſta Calendarum.

Has a populo collatas ſtrenas ad reparanda publica ædificia Imperatores impendere ſolebant. Teſtis eſt hæc Gruteri Inſcriptio.

E

ROMÆ.

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVIIII.
EX STIPE QVAM POPVLVS EI
CONTVLIT. K. IANVARII. APSENTI
C. CALVISIO SABINO COS.
L. PASSIENO RVFO

F Ibi Gruterus notat Suetonii locum, ubi legimus; *omnes ordines in Lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute Auguſti ſtipem jaciebant*. Hoc eſt Nummum percuſſum Calendis Januariis. Huc ſpectat ille Nummus Antonini Pii, quem Bellorius rerum antiquarum amator Romæ in adſpectum protulit, in cujus averſa parte laurea corona eſt, inſcriptæque hæ litteræ. *S. P. Q. R. A. N. F. F. Optim. Principi Pio*. Id eſt *Senatus, Populuſque Roman. Annum Novum Fauſtum Felicem Optimo Principi Pio* intellige *precatur*.

Referri id quidem poteſt ad annum novum, cum primum Auguſtus ad Imperium evectus eſt, ita ut ab eo die, quo cæpit imperare, initium anni ducatur, nempe ſexto Idus Julias anno Urbis 890. Chriſti 139. eodem autem die repetitis votis precibuſque, & Nummo ſingulis annis oblato. Qui quidem Nummus quoddam ſtrenæ genus ſemper fuit. Plinius epiſt. 101. *Vota Domine priorum annorum nuncupata alacres, lætique perſolvimus, novaque rurſus, curante Commilitonum, & Provincialium pietate ſuſcepimus*.

Recepta a Chriſtianis hac diem anni primum ſtrenis, & oblectationibus celebrandi conſuetudine, Concilia & Patres in eam vehementer invecti ſunt. Ea feſta generali nomine Calendas vocarunt. Calendis autem deſignatur primus cujuſque menſis dies. Tertullianus libro de Idololatria: *Nobis*, inquit, *quibus ſabbata extranea ſunt, & neomeniæ, & feriæ Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & matronales frequentantur? munera commeant? ſtrenæ conſonant? luſus, convivia conſtrepunt? o melior fides Nationum in ſuam ſectam! quæ nullam ſolemnitatem Chriſtianorum ſibi vindicat..... Timerent enim ne Chriſtiani viderentur, nos ne Ethnici pronuntiemur, non veremur*.

Sextum Concilium Trullanum damnavit feſta, quæ dicta ſunt *Calendæ, Vota* & *Brumalia*. Balſamon ſcriptor Græcus poſtremis Imperii temporibus, qui Conciliorum canones interpretatus eſt, cum hæc duo nomina Βοτὰ, ſeu *Vota* & *Brumalia* explicaret, in duplicem errorem incidit. Ait enim primum feſtum in honorem Panos Dei pecoris inſtitutum, Βοτὰ enim idem valere ac *pabula*, aut *pecora*; alterum autem in honorem Bacchi, qui *Bromius* nuncupatus eſt. At certum eſt has duas voces Latinas eſſe: Βοτὰ, *Vota* ſunt ea quæ Calendis Januariis concipiebantur; *Brumalia* autem ſunt Saturni feſta, quæ ineunte hyeme, (hyems porro a Latinis *Bruma* dicitur) celebrabantur.

Matthæus Blaſtaris Conciliorum Interpres ait Calendar. feſtum primo Januarii die agi conſueviſſe, & illud perjucunde quidem, quoniam erat eo die Luna nova, & quia hilariter ſe totum annum tracturos putabant, ſi oblectamentis annum inchoaſſent. At hoc recte dicitur de anno Lunari, quem magis ſpectabant Veteres, quam Solarem. Balſamon decem primos menſis dies appellatos affirmat eſſe Calendas, quibus omni lætitiæ genere perfundebantur.

Aſterius Græcus ſcriptor, qui inter Patres recenſetur, ſcripſit adverſus Calendas, & ea feſta, quæ Calendis Milites agebant; erant ea genus quoddam Saturnalium, ut erudite Deſlionius Decanus Auguſtomagenſis contendit: Verum mos hic, & apud nos tam altas radices egit, ut evelli nulla ratione poſſit. Quemadmodum neque ille mos ſternutantibus ſalutem a Deo precandi, tolli nullo modo poſſet; qui mos ab Ethnicis profectus eſt, qui cum ſternutamentum morbi ſignum exiſtimarent, ſternutanti ſolebant dicere: *Jupiter te ſervet*. Etſi vero probe novimus ſternutamentum rem eſſe naturalem, & ſanitatis potius, quam morbi ſignum, tamen conſuetudo hæc adeo invaluit, & dominatur, ut eam arcte retineamus, neque vel ſi liberet, eam expellere poſſemus.

TRIGESIMAPRIMA DISSERTATIO.

De Historia Pseudomantis Alexandri ex Luciano, Nummis declarata.



Ucianum, licet Ethnicum, Ethnicorum Religionem, Deosque ad irrisionem traduxisse, nemo est, qui ignoret. Hinc ille impius, atque ἄθεος appellatus est, quippe qui Religionem quam profitebatur aperte contemsit. Id cum passim in ejus scriptis liquet, tum maxime in Dialogis, qui inscribuntur *Jupiter confutatus* & *Jupiter Tragœdus*. Quapropter cum is esset ingenio excellenti præditus, sed ad satyram summopere facto, licet credere, quæ de Pseudomanti posterorum memoriæ prodidit joci causa finxisse; ut Ethnicorum oracula fraudes esse, dolosque ostenderet. Alexandrum enim ita mendacem describit, ut fictis oraculis ex Aboni muro editis omnes nationes deceperit, & Luciani quidem ætate Imperante Antonino. Verumtamen cum hanc Historiam duo rari Nummi confirment, gratum me rerum antiquarum amatoribus facturum speravi, si eorum exemplum attulerim, ipsius Luciani narratione in disquisitionem aliquando vocata, quam totam protuli Ablancourti tamen vestigia secutus. Innumera audies, & incredibilia mendacia, quæ tanquam prodigia, & vera oracula hominum animos occuparunt. Cætera quoque oracula, certe pleraque, quod equidem minime dubito, ad hominum calliditatem potius, quam ad Magiæ artem referrentur, si censores ingenio, & acumine Luciano pares extitissent, qui eorum Historiam posterorum memoriæ mandassent. Vir peregrinandi studiosus deMonconis profitetur se in Ægyptum profectum Idoli antiqui reliquias ibi vidisse, cujus modo caput sex & viginti pedes altum erat. Hyæna illud simulacrum erat, aut potius forasse Sphinx: In Ægypto enim vulgares erant hujusmodi statuæ. Illud porro Idolum sub testudine positum erat, unde Sacerdotes Ethnici sese in statuæ cavum inferre poterant, & sciscitantibus oraculum reddere; & in ejus capite foramen erat, ubi aliquis stans poterat consistere, ut nulla ex parte conspiceretur.

Hujusmodi dolis ad Religionis firmitatem tum magis Ethnicis opus fuit, cum inter homines Christus versari cæpit; tum enim respondere oracula desierunt, ut eo magis ex Plutarcho patet, qui ejus rei causam pluribus investigat. Dæmon hominibus ad stabiliendum confictorum Numinum cultum opem præstigiis tulerat; at expulsis per Evangelii lucem superstitionis tenebris, homines vicissim Dæmoni præsto fuere, ut ejus retineretur, qualiscumque superfuerat, iniqua Dominatio. Mirum fortasse videatur neminem alium hujus Oraculi historiam conscripsisse. Verum cum ignobile fuerit illud oppidum, Oraculi domicilium, & a magnarum Urbium commercio longe remotum, fortasse Romanis Historicis ignotum fuit, aut vero cum aliis Asiæ minoris Oraculis, quæ plurima erant, permixtum.

Quot præterea scriptorum monumenta periere, quot adhuc in Bibliothecis exarata manu servantur, unde erui nonnulla possent, quæ Historiæ desunt? Casaubonus fragmentum Scriptionis Græcæ nominat, quæ typis commissa non est, & in Bibliotheca Regia custoditur, qua de Urbibus, quæ nomen mutarunt, agitur. Profecto ea si esset integra, aliquid in rem nostram haberemus: factum est enim, ut Ἀβώνυ τεῖχος postea Ἰωνόπολις diceretur.

Ablancourtus non religiose Luciani verbis adhæsit. Ut enim Gallice hanc Historiam reddidit, non poterat id eleganter facere, si ad verbum eam vertere voluisset. Hunc Pseudomantem initio statim Alexandrum Podalirii Filium vocat, quem Lucianus Alexandrum *Abonotichitam* nominat. Gallus autem Interpres Patriam silentio hoc loco præterit, quia ejus inferius mentio incidit. Nuncupat vero Podalirii Filium, quia hunc se Alexander venditabat, ut eo magis arte medica præstare videretur. Podalirius enim, qui Æsculapii Filius credebatur, fuit medicus præstantissimus, Machaonis frater, & a Creta ad bellum Trojanum profectus est, ut qua excellebat arte Græcis operam navaret.

Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi.

Ablancourtus Oraculi Severiano redditi sententiam modo complectitur, nugas vero nihil significantes præterit; ut aliud quoque obscurum, & nihil nisi verborum sonitum continens missum facit. Audi itaque Luciani Historiam.

ALEXANDER
SEU
PSEUDOMANTIS.

Ex Luciano.

TU, charissime Celse, levem forte quamdam ac facilem provinciam mandare putas, quum injungis, ut Alexandri filii Podalirii fallacissimi vitam, & commenta, facinora, præstigiasque libro complexus tibi mittam. Verum si quis accurate singula persequi velit, hoc non minoris est negotii, quam Alexandri (a) Philippi Filii res gestas conscribere; tantus fuit ille scelere, quantus hic virtute. Attamen si cum venia lecturus sis, & quod deerit narrationi suppleturus, hunc laborem subibo, & Augiæ stabulum si non omne saltem pro virili repurgare nitar, paucis aliquot elatis cophinis ex quibus conjicias, quantus, quamque immensus fuerit fimus universus, quem ter mille boves multis annis reddere potuerunt. Sed interim tibi, mihiq; ipsi a dedecore metuo: Tibi quidem, qui velis memoriæ litterisque mandari virum longe sceleratissimum: Mihi vero, qui operam collocem in scribenda historia hac, rebusque gestis hominis, quem a viris eruditis legi fas non esset, sed in frequentissimo, amplissimoque theatro spectari a simiis, aut vulpibus discerptum. Quanquam si quis hoc crimen nobis impegerit, poterimus ipsi exemplum simile producere. Etenim Arrianus ille Epicteti discipulus, vir inter Romanorum nobilissimos habitus, & assidue in litterarum studio versatus, Tillibori Latronis vitam describere non censuit indignum.

Nos vero Latronis longe crudelioris mentionem faciemus, quippe qui non in sylvis, & montibus, sed in Urbibus ipsis est latrocinatus, qui non desertiores partes est depopulatus, sed universam Romanorum ditionem suo latrocinio complevit. Primum autem hominem tibi verbis depingam, formam ejus quam

a *Dici etiam voluit Alexander Magnus.*

proxime repræſentans. Corpore igitur procerus erat, & aſpectu decorus, plane divina ſpecie, colore candido, barba non admodum hirſuta, coma tectus partim nativa, partim appoſita, tanto tamen artificio, ut id cæteri ignorarent: oculi verſatiles illi divina quadam acie refulgebant, vox ſuaviſſima erat, pariterque clariſſima. Hæc illius forma erat. Cæterum mens atque animus, o Dii! in hoſtes potius contingat incidere, quam cum ejuſmodi quopiam habere commercium. Ingenio, ſolertia, acumine, docilitate, memoria, aliiſque dotibus alios longe ſuperabat, quibus tamen peſſimam in partem eſt uſus, & egregiis hiſce inſtrumentis illico omnium, qui ſceleribus eſſent nobilitati, facile ſummus evaſit. Cum Rutilliano genero aliquando ſcriberet, ac de ſe modeſtiſſime loqueretur, Pythagoræ ſemet comparavit. At vero ſit mihi propitius Pythagoras vir ſapiens, & mente divina, ſed ſi ætate hujus vixiſſet, puer præ hoc viſus fuiſſet. Cave putes hæc in Pythagoræ contumeliam a me dici, quaſi velim eos ſimilitudine rerum geſtarum committere. Verum ſi quis deterrima quæque, quæ de Pythagora per calumniam feruntur, in unum conferat, ea omnia non fuerint Alexandrinæ verſutiæ pars minima. Tandem cogitatione finge tibi quam maxime varium ingenium mendacio, dolis, perjuriis, maleficiis refertum, promptum, audax, præceps efficiendis iis, quæ excogitaſſet, gnavum, appoſitum ad perſuadendum, ad ſimulanda optima quæque aptum. Nemo igitur cum illo primum congreſſus non diſceſſit, quin hanc opinionem de illo ſuſceperit, ut eum mortalium omnium optimum judicaret.

Itaque cum eſſet adhuc adoleſcens venuſtus admodum, at in tenui re promiſcue ſcortum agebat, & rogantibus ſui copiam mercede faciebat. Inter alios autem accipit ipſum amans quidam præſtigiator ex iis, qui magiam, & mira incantamenta profitentur, tum artem ad conciliandam in amoribus gratiam, ad immittenda in inimicos mala, ad eruendos theſauros, & hæreditates intercipiendas. Atque is apud populum medicinam profitebatur, & norat quemadmodum Thonis Ægyptii conjux, ut eſt apud Homerum, *Pharmaca mixta, ſalubria multa, & noxia multa*. Porro doctor ille, & amator natione Tyaneus erat ex iis, qui cum illo Apollonio Tyaneo verſati erant, totamque illius Tragœdiam pernoverant. Vides quanam e ſchola tibi hominem refero. Is cum hunc adoleſcentem conſpexiſſet, & ad miniſtrandum ſibi pronum, utpote qui non minus amaret illius doctrinam, quam ipſe hujus formam, erudivit eum, quo ſemper deinceps adjutore, & miniſtro eſt uſus. Verum ubi jam barba plenus eſſet Alexander, Tyaneo illo vita defuncto, ad egeſtatem redactus, cum oris gratia defloruiſſet, unde victum parare poterat, nihil poſtea parvum agitabat animo.

Sed inita ſocietate cum Byzantino quodam annalium ſcriptore (Cocconas autem cognomento erat) ingenii longe omnium ſceleratiſſimi, circumibant, ut rudiores homines, pingueſque detonderent. Inter hæc mulierem opulentam nacti ſunt exoleta jam forma, ſed quæ etiamdum amabilis haberi cuperet. Pellæa autem erat illa, qui locus olim floruit ſub Macedonicis Regibus, nunc a paucis iiſque humilibus incolitur. Eam a Bithynia in Macedoniam uſque ſunt ſecuti, quia ab hac victus copia ſuppeditabatur. Ibi cum immani magnitudine Dracones conſpicerent cicures, ac manſuetos, adeo ut a mulieribus alerentur, & cum pueris cubarent ac luderent, & eorum more lac a papilla ſugerent, unde illa de Olympiade (*a*) fabula increbuit,

a *Quæ cum Dracone concubuit.*

unum ex his ſerpentibus, qui eſſet pulcherrimus, emunt. Atque hinc, ut ille ait, jam bellum exoritur. Nimirum cum duo facinoroſiſſimi, magnaque audentes, neque non ad maleficia promptiſſimi ſocietatem iniviſſent, facile perpenderunt hæc duo potiſſimum in hominum vita tyrannidem obtinere, ſpem, atque metum, quibus divinatio, & ſuperſtitio reperta eſt; quare oraculum, & cortinam conſtituere ſtatuerunt, ſperantes ſe protinus divites, ac felices fore. Quod quidem negotium ſpe melius evenit. Hinc excogitare cœperunt primum, quem locum deligerent, deinde qua ratione cœptum auſpicarentur. Cocconas igitur Chalcedonem idoneam eſſe cenſebat, utpote regionem mercatoribus frequentem, qui a finitimis locis confluebant; at Patriam ſuam Alexander præferebat: Nam ad res hujuſmodi capeſſendas opus eſſe pinguibus, ac ſtolidis hominibus, cujuſmodi Paphlagones affirmabat eſſe, & hos præcipue, qui ſupra murum Aboni (*a*) ἀβώνου τεῖχος habitant, nempe ſuperſtitioſos pleroſque, & ſtolidos, qui, ſi quis tantum apparuerit, tibias, (*b*) aut tympana, aut cymbala pulſans, illico ad eum omnes concurrunt, ac tanquam e cælo lapſum ſuſpiciunt.

Vicit Alexander. Quare in Templo Apollinis, quod eſt apud Chalcedonios antiquiſſimum, tabellas æreas defodiunt, quæ dicerent brevi admodum Æſculapium una cum Patre (*c*) Aboni murum inhabitaturum. Eæ tabellæ cum eſſent de induſtria repertæ, facile effecerunt, ut hic rumor in omnem Bithyniam, & Pontum dimanaret, ac præcipue in Aboni Murum. Statuerunt protinus Templum erigere, jamque locum fundamentis effodiebant. Relictus Chalcedone Cocconas fallacia quædam, & ambigua, atque obliqua conſcribit reſponſa. Deinde ibi viperæ, ut opinor, morſu necatur. Arceſſitur in hujus locum Alexander jam comatus, cæſarie promiſſa, purpuream tunicam albo diſtinctam indutus, ſupra eam candida veſte amictus falcem tenens more Perſei, a quo ſe maternum genus ducere prædicabat. At ſtolidiſſimi illi Paphlagones, quamquam ambos illius Parentes norant obſcuros atque humiles, credebant ficto Oraculo, quo ſe Podalirii filium jactabat: qui profecto valde mulieroſus fuit, ſi a Tricca ad Paphlagoniam uſque in Alexandri matrem eſt incitatus. Edidit aliud oraculum quaſi Sibyllæ prædicentis.

Ad maris Euxini littus, juxtaque Sinopam
Thyrſide erit quidam Auſonia de gente Sacerdos
Qui veniet laturus opem mortalibus ægris.

Sed multis præterea obſcuris vocibus involutum. Alexander itaque multo poſt in patriam venit, & his oraculis ingreſſus conſpicuus erat, ac ſplendidus, ac tanquam Deus habitus, cum ſe ſe nonnunquam afflatum numine ſimularet, ore ſpuma pleno; id quod ille lanariæ herbæ ad tingendum aptæ radice manducata facile efficiebat. Cæterum inſipientibus divinum quiddam ac formidandum hoc videbatur. At is multo ante ſibi finxerat, paraveratque e linteis confectum draconis caput, ſpeciem humanam præ ſe ferens, quod pilis equinis os aperiebat, claudebatque. Porro Pellæus ille Draco jampridem erat in promptu, cum res poſtularet, oſtendendus, princeps hujus fabulæ futurus. Jam vero cum eſſet incipiendum, noctu venit ad nuper effoſſa Templi fundamenta, in quibus conſtiterat aqua ſive indidem ſcatens, ſive ab æthere delapſa. Illic anſerinum ovum deponit, quod ſerpentem jam modo editum occultabat. Mane vero cum nudus in forum proſiliiſſet, niſi quod ſubligari, eoque

a *Urbs Paphlagoniæ.* b *Veterum Prophetarum inſtrumenta.* c *Apolline.*

inaurato circa pudenda tectus erat, cumque falcem illam ferret, solutamque comam simul quateret, eorum more qui a Cybele afflari dicuntur, conscensa sublimi ara concionabatur, eamque civitatem beatam prædicabat, quæ mox Deum propalam esset ostensura. Porro qui aderant (nam concurrerat universa prope civitas) admirabantur, vota faciebant, & adorabant, eoque magis, quia Hebræorum, aut Phœnicum voces cum usurparet, quid diceret, non intelligebant. Deinde ad designatum Templum cursu contendit, ubi ovum deposuerat, & ingressus aquam magna voce canebat laudes Apollinis, & Æsculapii, invitabatque Deum, ut bonis avibus in Urbem veniret. Postea cum phialam in aquam immersisset, haurit ovum illud, in quo nimirum ille Deum concluserat. Id cum manu cæpisset, affirmavit se se jam tenere Æsculapium. Interim illi intentis oculis aspiciebant, quid accideret. Ovo fracto Serpentis fœtum in cavam manum recepit, quique aderant moventem se se eum conspexerunt, ac digitis circumvolventem; exclamare cœperunt, & salutarem Deum, & civitatem beatam prædicare. Tum vota quisque fundebat, thesauros, opes, sanitatem, aliaque id genus bona flagitando. Hic ille cursim se se domum abripuit, una secum asportans modo editum Æsculapium, non ex cornice (*a*) ut alias, sed ex ansere progenitum. Populus autem universus sequebatur ingenti, at vana spe plenus.

Ille se domi continuit, ut Deus crevisse videretur, & cum aliquando omnes prope Paphlagones convenissent, ac tota prorsus domus hominibus repleta esset, is in lecto sedens, eo cum ornatu qui vatem deceret, accipit in sinum Pellæum illum Æsculapium, quem suo collo totum circumvolvit, caudam prominere sinens, quæ adeo ingens erat, ut etiam pars humi traheretur. Solum caput sub ala abditum tenens, caput illud draconis ex linteo confectum altera ex parte tunicæ ostendebat, ac si illius qui apparebat, omnino esset, quo omnium in se admirationem convertit. Cæterum ejus ædiculis non sat luminis inerat, quique aderant plebeii erant, iisque jam ante cerebrum, & cor præstigiis eripuerat: quamquam vel fama, ac spe excæcari potuerunt. At ibi non iidem diutius morabantur, sed expellebantur ab iis qui novi superveniebant: erat enim e regione januæ patefactum aliud ostium ad exeundum, quemadmodum ægrotante Alexandro Macedones fecisse ferunt. Atque hoc spectaculum sæpius exhibuisse dicitur, maxime si qui divites advenissent. Mirum autem non est, si barbari rudes, & inerudici stupore suspensi, cum fraudem detegere acutiores non possent; videbant enim, ac tangebant Draconem, qui ex modo pusillo, intra paucos dies tam immanis extiterat, & insuper humana specie.

Res plane Epicurum, aut Democritum, aut quempiam Physicæ peritum requirebat, qui si minus quid res esset, assequi conjectura posset, saltem quidquid id esset, falsum esse, ac fieri non posse intelligeret. Brevi ergo tantæ rei fama tum Bithynia, tum Galatia, ac Thracia confluxit. Accedebant ad hæc picturæ, imagines, signa Deum referentia partim ærea, partim argentea. Postremo nomen etiam inditum, idque jussu divino; Nam carmen hoc prodidit Alexander:

Ex Jove tertia stirps Glyco sum ille salutifer orbi.

Et cum jam ferret opportunitas, ut responsa daret petentibus, divinaretque, accepta ansa ab Antilocho, qui post Patris Amphiarai obitum, Thebis pulsus, & in Asiam profectus, cum futura barbaris prædiceret, binos obolos pro singulis responsis accipiebat. Inde igitur arrepta ansa prædicit Alexander fore, ut Deus ipse responsa daret, cujus rei diem certum indicit: jussit autem ut quisque quod requireret, & maxime discere vellet, id in libello conscriberet, quem consutum obsignaret. Ipse vero receptis libellis in adytum ingressus, (jam enim extructum erat Templum) ordine per præconem eos vocabat, qui libellos tradidissent, eos redditurus, ita ut traditi fuerant, obsignatos, subscripto ipsis responso pro cujusque argumento, Deo nimirum respondente, quacumque de re quis esset sciscitatus. Perspicaci homini non fuisset hic dolus cognitu difficilis. At bardi, ac stupidi homines mente consequi non poterant eum sigilla resignare consuevisse, & cum ad interrogata, quod libuerat respondisset, rursum complicatos obsignatosque libros reddidisse. Multæ enim ad id perficiendum artes sunt, quarum nonnullas hic referam, ne versutiam miraculum putes. Is itaque eam ceræ partem, quæ sigillo subest, acu candenti liquefactam diducebat; tum ubi legisset, ceram acu rursum calefactam, eam quæ infra filo suberat, quæque sigillum ipsum tenebat, facile coagmentabat. Alia ratio est: nempe collyrium vocant κολλύριον. Conficitur ex pice Beryttia, (*a*) bitumine, & perspicuo lapide trito, cera, & mastiche. Confectum igitur ex his omnibus collyrium, igni calfactum, inuncto prius axungia suilla signo applicabatur, ac symboli figuram accipiebat: tum eo protinus exsiccato commode resignabat libellos, quos cum perlegisset, imposita cera, idem sigillum ad prioris similitudinem scite effictum, reformabat. Alia præterea multa ad id illi sunt excogitata, quorum omnium meminisse non est necesse, cum in his, quos de magorum artibus conscripsisti commentariis cum pulcherrimis tum utilissimis, ne imperiti decipiantur, satis multa retuleris.

Reddebat igitur oracula, & divinabat non mediocri ad eam rem usus ingenio, & arte, ne res tota patefieret: quare aliis obliqua quædam, & ambigua, aliis penitus obscura respondebat: quandoquidem hæc erat Oraculorum consuetudo. Alios dehortabatur, alios adhortabatur, prout magis conducere conjectasset. Nonnullis remedia morborum, vitæque rationes præscribebat, cum sciret plura, & efficacia pharmaca. Porro divitiarum, & hæreditatum spem semper in aliud tempus rejiciebat, aut cum ejus Vates Alexander (dabantur enim responsa Dei nomine) eum rogasset. Merces erat cuique responso statuta, nempe drachma cum obolis duobus. Ne exiguum fuisse putes quæstum hunc, cum in annos singulos septem, aut octoginta millia congereret, hominibus futura sciendi usque adeo avidis, ut singuli decem, vel quindecim interrogationes traderent, neque duas eodem libello conscribere licet. Cæterum iis quæ accipiebat non utebatur solus, sed multos secum habebat adjutores, ministros, exploratores, tum qui versibus oracula conderent, tum qui responsa servarent, qui subscriberent, qui obsignarent, qui interpretarentur, quorum unicuique pro merito lucrum impertiebat.

Jam & emissarios in remotis regionibus habebat, qui oraculi famam in Gentes inferrent, affirmarentque ipsum futura prædicere, res amissas invenire, thesauros effodiendos ostendere, ægrotos curare, idque genus alia mira facere. Undique igitur mittebantur victimæ, donaria, quæ

a *Hinc dictus Filius Coronidis, h. e. Cornicis.*

b *Pix Berytia.*

A Deo, ejusque Prophetæ offerrentur. Jam enim & tale quoddam oraculum exierat.

Muneribus decorare meum Vatem, atque ministrum
Præcipio, nec opum mihi cura, at maxima Vatis.

Verum ubi jam plerique prudentes, & maxime Epicuri sectatores dolos, & fraudes deprehendissent, quemdam ipsis terrorem incussit dicens, totam regionem Christianis, & impiis (a) repleri, a quibus audacter maledictis pessimis læderetur, B quos jussit lapidibus expelli, si Deum haberi propitium vellent. Sciscitanti cuipiam quid ageret apud Inferos Epicurus: plumbeis, inquit, compedibus vinctus in cœno sedet. Sævum enim erat illi cum Epicuro bellum, quia hic rerum naturam perspexit, isque solus quid veri rebus insit noscens, fraudes, & artes, quæ Religionis nomine grassarentur, detexit. Verum Platonis, Chrysippi, & Pythagoræ amicus erat. Urbem Amastrim in primis oderat, quoniam sciebat eos, qui cum Lepido erant, aliosque Philosophos Epicureos complures in ea Urbe versari. Nec unquam Amastriano cuiquam oraculum reddidit; quin ubi conare- C tur fratri Proconsulis respondere irrisus discessit, cum nec ipse inveniret, quemadmodum idoneum oraculum fingeret, nec haberet qui sibi opportune ad tempus posset componere. Nam cum illi de stomachi dolore conquerenti vellet præscribere, uti suillum pedem cum malva præparatum ederet, ridicula, & nihil significantia verba protulit.

Sæpe iis, qui vellent, draconem ostendit, non totum, sed caudam potissimum, & reliquum corpus prætendens caput, ne videretur, abditum in sinu servabat: cumque magis attonitam vellet reddere multitudinem pollicitus est se se exhibiturum ipsum Deum loquentem: atque hæc *responsa* D *Dei voce reddita* vocabantur. Deinde non magno negotio gruum arteriis contextis, & per illud arte factum caput insertis, alio quopiam per has foris insonante, ad interrogata respondebat, voce per Æsculapium illum linteo confectum ad aures promanante: neque tamen hæc responsa quibuslibet, neque passim dabantur, verum splendidis, opulentis, ac munificis. Illud oraculum, quod Severiano reddidit de expeditione in Armeniam suscipienda, ex eorum erat numero, quibus victoriam prædicebat. Verum cum ille cæsus esset, hoc oraculum a monumentis sustulit, aliud substituit, quo a bello gerendo eum revocabat. Siquidem & E hoc callidissime commentus fuerat, ut priora oracula quæ perperam, maleque evenissent, posterioribus emendaret; & ægrotis, quibus prædixerat fore, ut convalescerent, morientibus, alterum oraculum illico paratum erat.

Sed ut sibi redderet amicos, qui æque fallacia oracula in Claro, Didymis, Malloque dabant, ad illos eos qui venerant sciscitatum sæpe mittebat, præsertim cum in promptu responsum non haberet, velletque ab aliqua interrogatione se extricare. Hactenus de iis quæ intra Patriæ fines perfecit. Ut vero & Italiam oraculi fama pervasit, & F Romam ipsam pervenit, alii ibant ipsi, alii mittebant, potissimum hi qui potentia, & auctoritate plurimum in Republica pollebant; quorum princeps, caputque fuit Rutillianus, vir honestus quidem, ac probus, & in multis præliis Romanorum spectatæ virtutis, sed nimis superstitiosus, adeo ut sicubi lapidem vel inunctum, vel coronatum conspexisset, continuo procideret, atque adoraret. Itaque parum abfuit, quin relicto exercitu quem tenebat, in Aboni murum advolaret: alios autem post alios eo legabat. Porro qui mittebantur imperiti quidam famuli facile decepti mendacia mendaciis addebant, quo fierent Domino commendatiores; itaque eum inflammabant, & in vehementem insaniam impellebant.

Hic vero, ut qui plurimis, ac potentissimis erat amicus, eos adibat narrans, cum ea quæ acceperat, tum ea quæ, ut amplificandi gratia fieri solet, ex se se effinxerat. Quare Urbem implevit, & concitavit, perfecitque ut multi de suis rebus audire aliquid ab oraculo concupiscerent. Porro advententes Alexander comiter excipiebat, & magnificis donatos muneribus dimittebat, ut de ipso honorifice loquerentur, ejusque laudes dissemiarent. Hoc etiam excogitavit, ut resignatis, ac perlectis libellis si quid invenisset; quod cum interrogantis discrimine, ac periculo conjunctum videretur, apud se detineret, quo sibi qui libellum misisset obnoxium redderet, quo consequebatur, ut hic alter blandiri, adeo non conqueri cogeretur.

Libet autem aliquot ex his responsis commemorare, quæ Rutilliano reddidit. Huic sciscitanti de filio quem illi Præceptorem adhiberet, ambiguum responsum, qualia sunt oraculorum, dedit: nempe ait, *Pythagoram*, & *Homerum*. Deinde paucis post diebus extincto puero, ipse quidem hærebat, nec habebat, quod incusantibus responderet, oraculo videlicet ita re præsenti confutato. At Rutillianus optimus ultro occupans defendebat oraculum, affirmans Deum portendisse mortem filii, cum jussisset neminem e vivis adolescentulo deligi præceptorem. Rursus eidem ex doctrina Pythagoræ percontanti, cujus tandem animam esset sortitus, & quidnam futurus, ait:

Principio fueras Pelides, deinde Menander,
Deinde is qui nunc es, post fax Phœbea futurus,
Octoginta ævum, & centum produxeris annos.

At hic septuagenarius ex insania interiit, haud expectato Dei promisso, quamquam illud erat τῶν αὐτοφώνων, ex iis quæ propria Dei voce reddebantur. Eidem etiam aliquando de uxore ducenda interroganti respondit

Ducito Alexandro natam, Lunaque puellam.

Siquidem jam ante dictitarat filiam quam habebat e Luna sibi susceptam fuisse; quæ sui, quemadmodum Endymionis, amore capta fuisset. Tum Rutillianus nihil cunctatus protinus arcessit puellam, uxorem ducit, & Hecatombas socrui suæ litavit, seque e cœlitibus unum evasisse censuit.

At hic Pseudomantis majora in dies excogitabat, & in omnes partes qui perferrent oracula dimittebat, prædicens civitatibus cavendam esse pestilentiam, incendia, terræmotus, se remedia traditurum, ne quid horum accideret, pollicitus. Unum etiam oraculum *Autophonum* per Gentes omnes grassante peste divulgavit, quod miserat pro foribus ubique scribendum, tanquam adversus pestilentiam remedio futurum. Sed nescio quo casu eæ potissimum domus infectæ sunt, quibus carmen erat inscriptum, cum forte plerique freti carmine negligentius, ac segnius vixerint.

Exploratores etiam quam plurimos Romæ constituerat, qui sibi qua quisque mente esset indicarent, ac priusquam oraculum adiissent, illi significarent quidnam esset percontaturi, quidque potissimum cuperent, ut priusquam venissent, qui

a *Impii putabantur quia Diis non credebant.*

mittebantur, ille jam ad respondendum paratus esset. Societates etiam quasdam sacras, sive collegia instituit, ac tædarum ferendarum rationem, & sacrorum cæremonias instituit, quæ tribus ex ordine diebus continenter peragerentur. Ac primo quidem die Atheniensium ritu, denunciatio fiebat hujusmodi; *Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum contemptor accessit, discedat: sed qui Deo credunt, feliciter initientur*. Tum illo præeunte, ac dicente, *Foras pellantur Christiani*: Multitudo acclamabat universa, *Foras pellantur Epicurei*. Dehinc Latonæ puerperium agebatur, & Apollinis natalis dies, tum Coronidis Nuptiæ, demum adventus Æsculapii. Secundo die celebrabatur Glyconis ortus: tertio Podalirii, & Matris Alexandri Nuptiæ, qui dies *Dadis* appellabatur a facibus, quæ accendebantur. Postremo Lunæ, & Alexandri Amor, quo nata est Rutilliani conjux. In medio jacens Alexander, tanquam alter Endymion, dormiebat. Tum in eum e tecti fastigio tanquam e cœlo Lunæ vicem agens descendebat mulier quædam formosissima, cujusdam e Cæsareæ domus præfecti uxor, quæ tam erat inverecunda, ut ob oculos mariti Alexandrum oscularetur, & amplecteretur: fecisset præterea forsan & aliud, nisi complures tædæ fuissent: illa nimirum Alexandrum amabat, & ab illo vicissim amabatur.

Paulo post rursum introibat ornatu sacerdotali multo cum silentio. Deinde ipse primus exclamabat, *Io Glycon*. Assonabant autem egregii cantores, & præcones quidam Paphlagones carbatinis calceati, plurimum allii nidorem ructantes: *Io Alexander*. Porro subinde inter gestandas tædas, atque inter mysticas saltationes, femur illius de industria, ut videretur Pythagoras, nudatum aureum apparebat, pelle, ut conjicio, inaurata circumdata, & ad tædarum fulgorem relucente. Itaque inter duos desipienter sapientes de eo quæstio orta est, utrum, ut femur aureum, ita animam Pythagoræ haberet: quam controversiam ad oraculum retulerunt, & responsum datum est:

Pythagoræ mens emoriturque, oriturque vicissim:
Vatis at est animus divina e mente profectus.

Cum denunciaret omnibus, ut a puerorum concubitu abstinerent, ceu re nefaria, Ponticis, ac Paphlagonicis Urbibus imperavit, ut tertio quoque anno mitterent oraculorum consultores, qui Dei laudes apud se canerent; & selectos illos nobilissimos, ætate florentissimos, formaque eximios mitti oportebat; quibus ille ad libidinem modis omnibus abutebatur. Præterea legem condiderat, ne quis major annis octodecim se se admoto ore complecteretur, neve cum basio salutaret; sed reliquis manum duntaxat osculandam porrigens, solis formosis osculum dabat, quibus inde cognomen inditum, ut intra osculum constituti dicerentur.

Hunc in modum perpetuo stolidis illudebat, ut magnum quiddam, omnibusque optandum videretur, si cujus uxorem osculo dignatus fuisset, atque adeo stuprasset, puerosque vitiasset. Multæ præterea se ex ipso etiam peperisse gloriabantur, ejusque rei testes maritos appellabant. Libet etiam Dialogum referre Dei, & Sacerdotis, viri cujusdam Tianei, cujus sapientiam cognosces ex iis, quæ sciscitatus est. Hunc equidem legi Tii descriptum ipsis Sacerdotis in ædibus.

Interrogatio. Dic mihi Glycon quisnam es? A *Responsio*. Sum novus Æsculapius. *Int.* Num alius ab illo priore? *Resp.* Haud fas est, id te audire. *Int.* Quot annos oracula dando permansurus es? *Resp.* Mille, & amplius. *Int.* Deinde quo demigraturus? *Resp.* Ad Bactra, atque in eas regiones: siquidem oportet etiam barbaros mea præsentia frui. *Int.* At in Claro, Didymis, ac Delphis verane, an vana redduntur oracula? *Resp.* Ne istud quidem scire cupiveris; nefas enim. *Int* Ego quis tandem post hanc vitam futurus sum? *Resp.* Camelus, deinde equus, postea vir sapiens, nec inferior Alexandro Vates. Hujusmodi fuit Glyconis cum sacerdote colloquium. B Cæterum & oraculum reddidit Pseudomantis, quo hunc sacerdotem ab amicitia Lepidi revocaret; norat enim ejus esse amicum: Nimirum Lepido instare ait acerbum fatum. Metuebat enim Epicurum, ejusque discipulos, utpote suis artibus magnopere infensos. Itaque ex Epicureis quempiam ausum multis præsentibus illum coarguere, quod falso oraculo multos innocentes perdiderit, magnum in discrimen adduxit. Res ita contigit.

Is auctor fuit cuidam Paphlagoni, ut servos suos ad Provinciæ Præfectum capitis arcesseret, ut qui Filium ipsius occidissent: qui quidem adolescentulus C Nilum navigans amne adverso, cohortationibus permotus in Indiam (*a*) perrexit, neque tamen ad suos Alexandriam nuntium misit. Cum igitur diutius abesset, eum rati periisse ad Patrem reversi sunt, a quo fuerant hortatu oraculi ad Galatiæ præfectum accusati, tum vero capite damnati. Post hæc incolumis rediit Adolescens, quo illorum prodita innocentia est, cum rei nullum remedium superesset. Pseudomantis ira percitus, quod coargueretur, nec justam exprobrationem ferre potens, iis qui aderant imperavit, ut illum lapidibus peterent, alioquin & ipsos impios futuros; idque fecissent, nisi Demostratus quidam, qui versabatur D in Ponto, hominem amplexus morti subduxisset. Sed ille jure lapidibus obruebatur. Quid enim attinebat discrimini se objicere, ut eos qui minime id erant meriti, ab errore revocaret? Et hæc quidem illi evenerunt. Cæterum advocatis pridie, quam responsa redderet, consultoribus, præco magna voce rogabat, an vaticinari vellet? Si cuipiam ex adyto respondisset, ut in malam crucem abiret, hunc hominem nemo amplius tecto excipiebat, & a sua quisque arcebat societate; ut solum illi vertendum omnino esset.

E Librum aliquando nactus est, quo præcipua Epicureæ disciplinæ præcepta continentur, librum longe pulcherrimum, qui hominis animum a fœdis cupiditatibus longe melius, quam inanes superstitionis expiationes, purgaret. Etenim non solum spes inanes, & immodicas adimit cupiditates, sed etiam a pavoribus, spectris, ac prodigiis liberat. Hunc igitur librum nactus medium in forum deportavit, atque excussit, & cinerem edito in eam rem oraculo, in mare projecit. Accipe jam facinus unum inter omnia multo impudentissimum.

Cum jam non mediocrem in Regiam, aulamque Cæsaream aditum sibi patefecisset ope generi Rutilliani vigente Germanico bello (*b*) ad Imperatorem F M. Aurelium oraculum misit, quo Leones in Danubium immitti jussit, nobilem victoriam, moxque pacem pollicitus. At Leones, cum in regiones hostium enatassent, barbari interfecerunt. Tum protinus Romanorum magna strages edita est, viginti ferme millibus extinctis; deinde parum absuit quin Aquileja caperetur. At is ad id quod evenerat Delphicam illam defensionem, Crœsoque reddi-

a *Usque ad Clisma, aut Antinoem: ubi fluvius, qu mare Rubrum penetrat*. b *Cum Marcomanis, & Quadis*.

tum oraculum detorsit, Deum quidem prædixisse victoriam, haud tamen explicuisse, utrum Romanorum esset futura, an hostium.

Tandem cum jam plurimi confluerent, premereturque civitas eorum multitudine qui ad oraculum ventitabant, neque suppeditandis rebus ad victum necessariis sufficeret, oraculi genus comminiscitur, quod nocturnum appellabatur. Siquidem acceptis libellis indormire se ajebat, & tanquam divinitus in somnio edoctus respondebat; nihil certi tamen, sed ambigue, maxime si quem libellum accuratius obsignatum conspexisset. Nam citra resignandi periculum quicquid temere in mentem venisset subscribebat, ratus & hoc ipsum proprium esse oraculorum; præterquam quod id maximo erat emolumento. Erant enim nonnulli constituti Interpretes, qui cum mercedem non exiguam oracula explicando colligerent, singuli quotannis Alexandro talentum Atticum pendebant.

Nonnunquam etiam cum nemo esset, qui consultum veniret, oracula edebat ut stultos homines obstupefaceret; quale illud:

Illum quære tuæ, qui, clam te, scandit apud te
Conjugis in thalamum, vultuque, oculisque decoræ,
Primigenum, cui tu credebas omnia, Vernam;
Ejus enim florem libasti, hoc dedecus ille
Nunc tibi compensans cum conjuge dormit herili.
Verum quid faciant ne audire, & cernere possis,
Illi lethiferum tibi adornavere venenum,
Inveniesque tuo sub lecto, tum prope murum
Ad caput; est illis tua conscia serva Calypso.

Quis Democritus auditis accurate nominibus, & locis, non commotus fuisset? Verum cognita eorum arte, illico irrisisset. Si quando peregrina lingua interrogaretur, in aliud tempus responsum rejiciebat, ut eadem lingua responderet: & quando in promptu non erant quorum opera ad id præstandum uteretur, propria lingua citra carmen respondebat, ut cum ait: *Redito unde venisti: Nam qui te misit a vicino Diocle hodie est interemptus: & Latrones jam in vinculis detinentur.*

Audi modo pauca quædam, quæ mihi ipse respondit: cum sciscitarer essetne calvus Alexander, & libellos accurate, & palam obsignassem, responsum nocturnum subscribitur: *Sabardalachi Malach Attis alter erat.* Rursus variis libellis ex variis locis eamdem rogationem cum proposuissem, cujas esset Poeta Homerus, is a puero meo deceptus (qui interrogatus quorsum venisset, ut remedium, inquit, petam adversus lateris dolorem) respondit:

Cytmide te jubeo, & Latonæ rore perungi.

Alteri vero libello, quoniam a me missum consultorem audiverat sciscitantem, utrum mihi in Italiam navi an pedibus contendere satius esset, subscripsit nihil quidem quod ad Homerum attineret.

Carpe viam pedibus, rate ne sulcaveris undam.

Multa id genus adversus ipsum machinatus sum, quale & illud quum proposita unica interrogatione, pro octo mercedem misi; totidem enim reddebat oracula, quot mercedes pendebantur. Octo mercedibus deceptus oracula totidem dedit, quæ referebantur ad interrogationem prorsus nihil. Quod cum postea persensisset, & præterea me Rutilliano suasisse, ut ab ejus societate recederet, odio me acerrimo prosequebatur, & Rutilliano de me aliquando percontanti respondit:

Noctivagis gaudet scortis, spurcoque cubili.

Sed cum eo aliquando profectus essem cum duobus militibus, quos a Cappadociæ Præside mihi tum amico acceperam ne ulla mihi inferretur injuria, (*a*) ubi me advenisse compertum habuit, misit qui me comiter admodum, magnaque cum humanitate invitarent. Ego cum advenissem, & oblata mihi, ut oscularer, manu, præ odio in ejus fraudes acri morsu manum corripio; cujus rei causa parum abfuit quin me, qui aderant, strangularent, prius etiam indignati, quod Alexandrum illum, non autem Prophetam compellassem.

Sed is injuriam generose ferens compescebat ipsos, meque placidum facile redditurum pollicebatur, virtutemque sui Glyconis ostensurum, qui sævissimorum etiam hominum amicitiam sibi conciliat. Moxque dimissis omnibus, mecum conquestus est de iis quæ Rutilliano dixeram: ecquid me læsisset, ut ista in se facerem, cum sua opera possem magnas ad res promoveri. Quam equidem humanitatem non respui perspiciens, quo in periculo constitutus essem, & paulo post factus illi amicus simul prodivi: qua re omnes obstupuerunt.

Postea cum navim conscendere statuissem, missis donis multis navim quoque & remiges suppeditavit: quod quidem officiose fieri censebam, quo ego illi devincirer. Sed ubi jam in medio mari fuimus, vidique lachrymantem Gubernatorem, & nautis nescio quid contradicentem, non bene de rerum mearum eventu sperare cæpi; eoque magis quia ex meis unus mecum erat, reliquis cum Patre in Amastrim præmissis. Itaque rogavi ecquid contenderent. Is sic me est allocutus. Senex ego, ut vides, cum anteactam vitam pie & innocenter exegerim, nolim extremam vitæ meæ partem scelere contaminare, & uxorem ac liberos Deorum iræ committere. Rursus mihi instanti patefecit mandatum quod ab Alexandro acceperant, ut in altum provecti me in mare præcipitem darent. Tum ad Ægialos expositus, quorum etiam Homerus meminit, ibi forte nactus præternavigantes Legatos quosdam Bosphoranos, Eupatoris Regis nomine in Bithyniam proficiscentes, ut tributum annuum Imperatori deferrent, rem totam narravi: quocirca in eorum navim receptus Amastrim incolumis perveni.

Tum vero apertus hostis ei bellum indixi: jamque ad accusationem intenderam animum, non paucis mecum facientibus, & maxime qui erant ex Timocratis Heracleotæ Schola Philosophi. Verum qui tum Provinciæ præsidebat vehementer oravit, ut desisterem. Etenim ob necessitudinem, quæ sibi cum Rutilliano intercederet, nequaquam posse supplicio afficere, nec si manifesto in crimine deprehendisset. Sed quid? An non & hoc inter alia facinus audax Alexandri, ab Imperatore postulare, ut Aboni murus commutato vocabulo *Jonopolis* appellaretur, utque numisma novum signaretur, altera quidem ex parte Serpentis imagine, altera vero Alexandri, qui insignia avi Æsculapii, & Persei, unde maternum genus ducebat, falcem teneret?

Tandem cum edito oraculo de se prædixisset, fatis decretum esse, ut annos centum, & quinquaginta viveret, dehinc fulmine ictus moreretur, interitu maxime miserando periit, nondum septuaginta natus annos, videlicet pede ad inguen usque putrefacto, & vermibus scatens, exitu filio

a *Aut, quo me ad mare usque deducerent.*

Poda-

Podalirii plane digno. Quo tempore etiam cognitum est, eum esse calvum, cum ad mitigandum cruciatum, caput humectandum medicis præberet. Hæc fuit Alexandri καταστροφὴ, digna tantis sceleribus, flagitiisque pœna. Restabat illud, ut & epithapium ei fieret, & alius in ejus locum sufficeretur. Sed ab ejus sectæ hominibus Rutillianus arbiter constitutus nihil statuit, ipse sibi divinationem servans, postquam e vita migrasset. Fuit tamen quidam nomine Pætus professione medicus, jam canus, qui ista nec medico, nec homine cano digna faciebat. Hæc ex multis pauca scribenda putavi, ut tibi gratificarerer, & Epicurum ulciscerer. Præterea arbitror fore, ut iis qui legerint nonnihil utilitatis afferre hic libellus videatur, quos ille Pseudomantis deceperit. Non potui quin satisfacerem amicitiæ nostræ, dum te ego plurimi facio, teque ob virtutem, morum mansuetudinem, veritatisque studium maxime suspicio.

Hæc est quam de Pseudomanti historiam Lucianus tradidit. Vide modo Nummos quibus confirmatur, declaraturque. Aversam partem ostendere satis duxi. Adversa enim nihil ad Historiam confert.





Primus ille alter Antonini Pii Nummus est, quem *Abonotichitæ* ferierunt. Draconem vides multis flexibus torquentem caudam. Non est dubitandum quin sit ille quo subdolus Alexander usus est. Id arguunt illa verba ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ ΓΛΥΚΩΝ. *Abonotichitarum Glycon*. Cives ἀβώνου τείχους, muri Aboni, quod est Paphlagoniæ oppidum, alios populos imitati sunt, qui suorum nummorum aversa parte, quod suis urbibus præcipuum erat, imitati sunt. Ex his intelligimus illud oraculum in honore esse Antonini Pii tempore cæpisse, licet hoc Lucianus non indicarit, sed ad Marcum Aurelium, qui Antonini locum proxime tenuit, referre videatur. Quocirca non exigui temporis spatio tota hæc fabula videtur acta, neque brevi ejus oraculi famam tantum terrarum opplere potuisse. Ex hoc, & altero Nummo conjicimus Æsculapii nomen, quem Serpentis forma finxerunt, ab Alexandro impositum fuisse *Glyconem*. Neque illud refert, quod Goltzius similem Antonini Nummum attulit illo nomine ΓΛΑΥΚΩΝ. *Glaucon*. Ille enim profecto deceptus est, Nummi forma injuria temporis corrupta. Hanc emendationem confirmat Nummus, qui in Museo Regio servatur; & apud Sibonium Quæstorem ærarium Galliarum, & Nummorum studiosum Aquis Sextiis in Provincia, postremum Veri Nummum ipsemet vidi, & expendi. Itaque nihil est cur Glyconem Luciani emendemus, quod nonnulli ex ea Goltzii auctoritate faciendum putarunt. Si *Glauconem* probes, hic versus Græcus vapulat, quem Alexander pronuntiavit.

Εἰμὶ Γλύκων τρίτον αἷμα Διὸς φάος ἀνθρώποισι.

Glycon a Græco γλυκὺς *dulcis* ab Hesychio explicatur εὐήθης h. e. *bonis moribus*. Proinde hoc imposito Serpenti nomine id voluit Alexander, ut dulcis humano Generi, ac beneficus futurus videretur oracula prodens, & sanitatem impertiens.

Alter Nummus, cujus aversam partem proposuimus, est Lucii Veri, qui una cum M. Aurelio imperavit. Atque hic quidem pluris etiam quam ille alter faciendus est, mutato nempe oppidi nomine, ut τὸ Ἀβώνου τεῖχος dicatur ἰωνόπολις: quod græce sonat *Urbem veneni*, quod Alexander excogitavit, ut posteris Serpentis, qui veneno caruit, memoriam relinqueret, cum Serpentum plerique venefici sint. Ita ut, cum hic Nummus Imperatoris Veri sit, videatur Pseudomantis facultatem cudendi hujusmodi Nummum impetrasse, in quo Glyconis nomen inscriptum esset, & Urbs ἰωνόπολις, non amplius τὸ Ἀβώνου τεῖχος diceretur, cum M. Aurelio, qui una cum Vero regnavit, victoriam adversus Marcomanos prædixit. Lucianus autem fortasse deceptus est cum ait, ex altera parte signatum Nummum Alexandri imagine, qui Æsculapii insignia, hoc est Serpentem scipioni circumplicatum teneret. Nullum enim cum Alexandri capite Nummum inspicias, sed Imperatoris Antonini, (a quo *Abonotichitæ* id faciendi facultatem acceperunt, nisi ipsimet fecerunt) aut Veri, ac proinde etiam M. Aurelii: Ubi enim duo simul Imperatores erant, quot alterius, totidem alterius Nummi feriebantur. Cæterum privati cujuspiam hominis caput in Nummis cælari, per quam raro fas erat, sed aliquando Imperatorum tantum Uxores, Liberi, vel etiam alii, qui apud Imperatores gratia valerent, effingebantur. Rutilliani tamen, qui Alexandri gener erat, opera fieri potuit, ut id Alexander consecutus esset: & reperietur fortasse aliquando Nummus, qualem Lucianus descripsit.

Notandum est Serpentis caput in primo Nummo non esse prorsus hominis simile, sed tantum imitari. Huc spectant illa Luciani verba, ἀνθρωπόμορφόν τι ἐπιφαίνουσα. Cæterum cum ita omnibus imponere vellet, ut bis natum Æsculapium crederent, aptandum Draconi humanum caput duxit, quia hunc Deum Serpentis corpore, hominis capite exhiberi noverat, ut apparet in aliquibus Nummis, ac Toreumate sequenti desumto ex typis Bagarrii, qui ejus exemplum ex manu scriptionibus Ligorii exaravit (a). Non me latet Italis antiquarum rerum Amatoribus Ligorium in suspicionem venisse, & quidem multas adulterinas imagines cum veris immiscuisse. Verum hæc antiquitatem omnino sapit, & a Bagarrio hisce in rebus eruditissimo probata est.



Inscriptionis hæc est interpretatio: *Cneus Gavius Philonimus posuit* hunc lapidem grati animi argumentum *Æsculapio Servatori* omnium mor-

a *Tristanus in Nummo Nicomediensi.*

talium, *& ſanitati* quam Græci *ὑγίειαν* vocant, rebanturque Æſculapii filiam. Stat Gavius cibum aut potum præbenti ſimilis, tenenſque læva manu ardentem facem. In utriuſque capite ſextarium vides more Numinum Ægyptiorum Serapidis, & Iſidis; qua re apud Ægyptios non diſtinguebantur.

Spanhemius libro eruditiſſimo *de præſtantia, & uſu Numiſmatum* ſequentis Nummi Antonini Pii exemplum proponit, in quo duo Serpentes ſunt cum nomine *Abonotichitarum* ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ.



Hic quoque, non minus atque alii Nummi, ad hoc Oraculum refertur. Glyconis quidem nomen hic non legimus. Id fortaſſe contigit, quia nondum Serpenti inditum hoc nomen erat, ſed tum percuſſus nummus fuit cum Alexander & Cocconas Chalcedone indixerunt futurum, ut Deus Æſculapius, & Pater ejus Apollo iterum in hunc terrarum orbem veniret, & Draconis forma editurus oracula Aboni murum pro ſede eligeret. Quod horum ſerpentum unus alterius caput mordet, aut lambit, id ita intellige: Apollo medicinæ Deus ſuam artem in filium Æſculapium immittit, tum quoad morbos attinet, tum quoad oracula.

Hunc elegantem Antonini Pii ferientes Nummum, qui in Muſeo Regio, aliiſque ſervatur, fictum Æſculapii ad Urbem adventum fortaſſe ſpectarunt.



De Æſculapii in Urbem adventu ita loquitur Aurelius Victor de Viris Illuſtribus. *Romani ob peſtilentiam reſponſo monente ad Æſculapium Epidauro arceſſendum decem Legatos Principe Q. Ogulnio miſerunt. Qui cum eo veniſſent, & ſimulacrum ingens mirarentur, anguis e ſedibus ſuis elapſus venerabilis, non horribilis per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanorum perrexit, & ſe in Ogulnii tabernaculo conſpiravit. Legati Deum vehentes Antium provecti ſunt, ubi per mollitiem maris anguis proximum Æſculapii fanum petiit, & poſt paucos dies ad navim rediit, & cum adverſo Tiberi ſubveheretur, in proximam Inſulam deſilivit, ubi Templum ei conſtitutum, & peſtilentia mira celeritate ſedata eſt.*

Itaque Imperante Antonino Pio, ut hujus miraculi memoriam revocarent, & beneficium quod ope Æſculapii Urbs acceperat, oſtenderent, hunc Nummum cudere voluerunt. Et quidem Pius ille Imperator animo erga Deos grato, erga populum autem Romanum liberali, hoc nummo Deorum beneficia, & majorum præclara geſta voluit commemorari. Occurrunt in ejus Nummis Æneas ferens humeris Anchiſem, Lupa Remo, ac Romulo præbens lac, Ancilia e cælo delapſa, Hercules arborem ex Horto Heſperidum referens, Rheæ partus, Orpheus ſuavitate cantus animalia trahens, & Augur Navius, ut eorum quæ dixerat Tarquinio Priſco fidem faceret, cotem inſpectante Rege diſcindens. Ingentis igitur Serpentis forma hoc in Nummo Æſculapius inſpicitur, ſtans in prora, ut in Inſulam Tiberis jam jam deſilire videatur, cujus fluminis Deus medio corpore ab aquis extollitur eum excepturus. Ovidius (a) Metamorph. rem totam ſex verſibus complectitur, quibus hic Nummus magis declaratur:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Inſula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.
Huc ſe de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit: & finem ſpecie cæleſte reſumpta
Luctibus impoſuit: venitque ſalutifer Urbi.

Sed antequam Æſculapium dimitto, habe hos nummos alios obſervatione dignos eodem ſpectantes.



Primus Medicinæ inventor per Græcos, Romanoſque fuit Apollo Æſculapii Pater. Hinc apud Ovidium ita loquitur:

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & Herbarum ſubjecta potentia nobis.

Et Apollo ille eſt per quem ante alios jurare Diſcipulos ſuos Hippocrates juſſit, deinde per Æſculapium, Hygiam, & Panaceam. Hyginus tamen Auguſti Libertus vult Apollinem inventorem eſſe ejus medicinæ quæ prodeſt oculorum morbis, quorum maximus cæcitas eſt. Idem præterea Chironem Chirurgiæ auctorem eſſe affirmat, Æſculapium vero Clinices, hoc eſt medicinæ quæ ægris lecto affixis adhibetur.

1. Sed hæc viderint alii. Inter veteres enim de Auctoribus artium non convenit. Prima figura ex cælato marmore deſcripta Centaurum Chironem exhibet neſcio quid, herbam fortaſſe, adverſus vulnera efficacem, puero Æſculapio porrigentem. ACKΛHΠIOC *Aſclepios* eſt Græcum Æſculapii nomen. Infra Satyrum, aut Panem aſpicis, qui fiſtulam, Syrinx ea dicitur, inflat. Ea ex calamis aliis brevioribus, aliis longioribus concinnata eſt, quales ſunt Paſtorum fiſtulæ, quibus rudis Satyrorum muſice relicta eſt. Hujus inſtrumenti Pan inventor eſt. Is enim Syringem Nympham quam perdite amabat inſecutus, paluſtres calamos in quos converſa eſt, arripuit: Iis ad Nymphæ deſiderium levandum fiſtulam confecit, & eodem nomine Syringem appellavit, qua Paſtores maxime uſi ſunt. Hinc Virgilius in Bucolicis:

a *Lib.* 15.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit. Pan curat oves, oviumque Magistros.

& Ovidius his versibus rem narrat.

Panaque, cum prensam sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ, calamos tenuisse palustres:
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
Arte nova vocisque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi consilium tecum dixisse manebit:
Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.

Cæterum Æsculapius Chironi ab Apolline in disciplinam traditus tantum profecit, ut medicinæ Deus creditus fuerit, & magnam nominis celebritatem Epidauri compararit, ubi iis, qui ut convalescerent oraculum sciscitatum venerant, responsa dabat. Nonnulla hujusmodi oracula, quæ extant in Lapide antiquo, ego de Febribus agens interpretatus sum, ibique ostendo Dæmonem, qui Æsculapii nomine adorabatur, aut vero ejus Numinis Sacerdotes Abonotichitis, Clariis, Didymæis calliditate pares, ægris quædam remedia proposuisse, quæ morbis, quorum causa interrogabantur, utilia esse experientia comprobarat.

2. Hæc est aversa pars Nummi Caracallæ. Æsculapius ibi apparet cum Serpente scipioni circumplicato, qualem Romæ multa simulacra referunt. Serpens Æsculapio iccirco, ut auctor est Phornutus, tribuitur, quia quemadmodum depositis exuviis Serpens videtur rursus juvenescere, ita ægroti, qui in Æsculapii tutela sunt, recepta valetudine videntur juventutem rursus assequi, & senectutem exuere. Est & alia ratio cur medicinæ Deo sacer Serpens sit. Nempe Serpens est vigilantiæ nota hieroglyphica: vigilantia vero Medicis maxime necessaria est: cum scipione autem Æsculapius pingitur, ut quisque intelligat cura, &, ut ita dicam, baculo iis opus esse qui sanitatem recuperarunt, ne in morbum iterum incidant; aut vero quia medicina a doctis viris solatium, & baculum vitæ dicitur. Nodi quoque in scipione sunt: idque est ejus difficultatis argumentum, quæ medicinæ studiosis oboritur. Eam parvam imaginem, quæ Æsculapio proxima est, cum ejus simulacris sæpe videas, & apertius in hoc tertio Nummo proximo illi alteri, de quo modo egimus.

Pergæ cives, quod est oppidum Pamphiliæ, Imperatori Hadriano hunc Nummum ferierunt, tanquam salutis votum, qua postremis maxime annis indiguit. Hic puer cucullo tectus comes erat Æsculapii, Telesphorus nomine. Cucullus habebatur tanquam morborum signum; circa morbos autem medicina versatur. Ægri enim operto capite incedebant, qui vero firma utebantur valetudine, plerumque inoperto. Hunc morem Ovidius confirmat.

Sæpe fac ægrotum simules, nec turpe putaris
Pileolum nitidis imposuisse comis.

Salmasius pro *Pileolum* legit *Palliolum*, quod erat genus quoddam lacernæ muliebris. *Dorida nullo cultam palliolo*, inquit Juvenalis. Artemidorus libro primo somniorum docet, si quis per somnium sibi videatur laneam comam habere, hoc diuturnum morbum portendere; & Plato tertio de Republica libro ait, qui adversa utitur valetudine, eum ut bene habeat, debere sui curam habere, ac veluti ad normam vivere, & capite operto esse. Hæc Telesphori vestis videtur infantum propria: Cum vero hæc ætas debilis, & imbecilla sit, infirmitatis, & morbi esse potest index. Sozomenus in Historia Ecclesiastica (*a*) ait Ægypti Monachos cucullo usos esse, quo puram, & innocentem vitam ostenderent, qualis est Infantum, quibus hujusmodi cuculli imponi consueverunt ne capiti aer molestus esset. Spectabant profecto ad illa Christi Domini verba: *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Huc pertinet quod epist. 22. D. Hieronymus ait: *Sunt qui ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant.* Ab iis etiam cucullus adhibebatur, qui dolore aliquo, & luctu affecti essent; ut hujus voluminis pag. 1. ex ea pictura patet ab antiquo opere anaglyptico desumta, in qua multi comploratu mortuum prosequuntur.

a Κουκόλιον.

F I N I S.

MISCELLANEA
ERUDITÆ ANTIQUITATIS

IN QUIBUS

MARMORA, STATUÆ, MUSIVA, TOREUMATA, GEMMÆ, NUMISMATA,

GRUTERO, URSINO, BOISSARDO, REINESIO, aliisque Antiquorum Monumentorum Collectoribus ignota, & hucusque inedita referuntur ac illustrantur

Cura & studio *JACOBI SPONII*, Lugdunensium Medicorum Collegio, Patavinæ Recuperatorum, & Regiæ Nemausensi Academiæ Aggregati.

LVDOVICO BORBONIO
LVDOVICI MAGNI FILIO
LVDOVICI IVSTI NEPOTI
HENRICI MAGNI PRONEPOTI
ORBIS SPEI ORIENTI SOLI
DELITIIS GENERIS HVMANI
PACIS QVONDAM INTER GALLOS
IBEROSQVE SVAVISSIMO PIGNORI
NVNC VERO PACIS INTER
EVROPAEOS BELLO PARTAE
TVTELARI GENIO
GALLIA LVGDVNENSIS
DELPHINO AC PATRONO SVO
AETERNVM DEVOTA
POSVIT

CVRANTE IACOBO SPONIO LVGDVNENSI

PRÆFATIO.



DE Antiquitatibus tractaturus, pauca præfari mens est de scientia quæ illis enodandis incumbit, quam Archæologiam sive *Archæographiam* Græca voce nominare placet: nec non de hujus operis ratione, institutoque.

ARCHÆOGRAPHIA est declaratio sive notitia Antiquorum monumentorum, quibus Veteres, sui temporis Religionem, Historiam, Politicam, aliasque tum artes tum scientias propagare, posterisque tradere studuerunt. Pro variis ergo quibus imprimuntur subjectis in totidem scientias subdividenda videtur. Istas pro lubitu liceat unicuique partiri atque designare. Mihi præcipue octo statuendæ videntur, juxta totidem subjecta, nummos, lapides, ædificia, statuas, gemmas, toreumata, manuscripta, instrumentaque omnis generis.

1. Prima est *Numismatographia*, sive cognitio numismatum, cujusvis metalli, ætatis & regionis, quam hisce ultimis sæculis excitarunt adornaveruntque Fulvius Ursinus, Augustinus, Vicus, Erizzo, Sambucus, Occo, Strada, Goltzius, S. Amant, Hemmelarius, Angeloni, Seguinus, Patinus, Spanheimius, Vaillant & Oyselius: quamque variorum Principum cura ad perfectionem quasi evexit.

2. *Epigrammatographia* est Inscriptionum antiquarum lapidi, marmori, ærique incisarum notitia: cui insudarunt ex Priscis, Polemon Ptolemæi Epiphanis ætate, cognominatus ὁ στηλοκόπας, eo quod columnas sive cippos, quas *stilas* vocabant, in singulis Græciæ urbibus magno *labore* transcripsisset, Athenæo teste: Philochorus Atheniensis qui, referente Suida, Atticas inscriptiones collegerat: Aristodemus qui Thebanas: Neoptolemus Parianus qui omnis generis Epitaphia. Ex Recentioribus Apianus, Cyriacus Anconitanus, Lipsius, Boissardus, Panvinius, Seldenus, Lucius, Capacius, Paradinus, Gualterus, Reinesius, Guichenon, Chorerius, Ursatus, Marullus Spalatensis apud me manuscriptus, Peireskius ineditus, ac tandem instar omnium multiscius Gruterus.

3. *Architectonographia* est descriptio Templorum, Theatrorum, Arcuum triumphalium, Pyramidum, Balneorum, Portuum, Aquæductuum, Milliariorum, Sepulchrorumque. Eam excoluere plurimi Græci ac Romani veteres, labantemque restituerunt hac ætate Serlio, Marlianus, Palladius, Bosius, Poldo, Bellorius, Bergerius, Perrotius aliique.

4. *Iconographia* Statuas omnis generis, protomas, picturas, musivaque opera describit. Hanc sexcenti celebres opifices olim coluerunt. *Imaginum amore*, inquit Plinius, *flagrasse quosdam testes sunt & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & Marcus Varro benignissimo invento insertis voluminum suorum fœcunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere*. At eam nostris sæculis renovarunt, Michael Angelus, Ursinus, variique sculptores ac cælatores Romani non ignobiles.

5. *Glyptographia* versatur circa gemmas cælatas veluti Jaspides, Sardonyches, Carneolas, Amethystos, annulis aliisque ornamentis, & Hieroglyphicis inservientes. Eam sub priori non comprehendimus, quod perampla sit, cælatorumque ars a sculptorum arte diversa sit. *Gemmas plures*, ait idem Plinius, *quod peregrino appellant nomine Dactyliothecam primus*

omnium habuit Romæ privignus Syllæ Scaurus . Diuque nulla alia fuit , donec Pompejus Magnus eam quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejusdem ætatis Auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex Dactyliothecas in æde Veneris Genitricis consecravit. Fuit hæc scientia quasi postliminio revocata ab Ursino, Gallæo, le Pois, Pierio Valeriano, Gorlæo, Chiffletio, Kirkero, Augustino Romano, Caninio, Bagarrio, Reicheltio Argentoratensi, aliisque.

6. *Toreumatographia* exponit tabulas marmoreas exsculptas, quæ toreumata vocabantur, quorum avidus collector Julius Cæsar, teste Suetonio. *Primus* Phidias *artem toreuticem aperuisse atque demonstrasse merito judicatur: Polycletus consumasse* . Plin. lib. 34. cap. 8. Toreumata quamplurima , quæ *bas reliefs* appellamus , æri incidit Petrus Sanctes Bartolus, ea imprimis quæ in columna Trajana & Antoniniana visuntur a I. P. Bellorio eleganter & breviter explicata . Quæ in arcu Severi spectantur Suaresius Episcopus Vasionensis interpretatus est: aliaque ediderunt Bosius , Aringhius & Boissardus: multaque possident inediti Ligorii, Bagarrii, Equitisque a Puteo codices delineati.

7. *Bibliographia* Manuscriptis dignoscendis & perlegendis addicta est , cui tot insignes Critici operam navarunt, Scaliger, Sirmondus, Salmasius, Casaubonus, l'Abbæus, Busbekius, & nuper Lambecius, qui bibliothecam Cæsaream descripsit, nec non Æmilius Portus Cretensis, cujus tractatum de Manuscriptorum Græcorum abbreviationibus ipsiusmet manu exaratum possideo.

8. *Angeiographia* instrumenta omnis generis domestica, militaria, nautica, vasa, mensuras, pondera scrutatur: modo sub voce *angeion* , commodioris defectu, omne instrumenti genus comprehendere liceat. Hæc pertractarunt Bayfius, Ferrarius, Rubenius, Schefferus, Smetius in suis Antiquitatibus Neomagensibus, & ineditus Peireskius ὁ πάνυ.

Sunt & aliæ scientiæ hisce subordinatæ, aut per eas vagantes , veluti *Dipnographia* , quæ convivia; *Himatiographia* quæ vestimenta; *Doulographia* quæ servos; *Taphographia* quæ funera explicant: quæque passim ex numismatis, inscriptionibus, statuis, cæterisque peti possunt; sicque ad prædictarum unam, aut ad omnes referri.

Quia autem major pars nostri qualiscunque operis Inscriptiones attingit, earum usum & dignitatem prosequi deberem, nisi jam id factitatum fuisset ab omnis fere sæculi eximiis Scriptoribus, qui hisce monumentis volumina sua ditantes, quo in pretio illa habuerint satis indicarunt. Leges divinas quas Decalogum vocarunt a summo Dictatore lapideis inscriptas Tabulis quis ignorat, & exinde a Mose suis libris insertas? Herodotus Sesoosidem primum Ægypti Regem columnam posuisse scribit victorias suas declarantem.

Æschines, Demosthenes, aliique veteris Græciæ Oratores Psephismata, Decretave publica lapidibus insculpta recitare solebant: ea enim marmori incidebantur, antequam in ceras, libros, membranasque referrentur: sic Polybius antiqua fœdera, populique Romani sancita in historiis suis interserit: interque alia antiquissimum Epigramma aræ Jovis Lycæi ætate Aristomenis, cujus testem adducit Callisthenem Aristotelis discipulum. Tale extabat:

P R Æ F A T I O.

Apud Messenios.

ΠΑΝΤΩΣ Ο ΧΡΟΝΟΣ ΕΥΡΕ ΔΙΚΗΝ ΑΔΙΚΩ ΒΑΣΙΛΗΙ
ΕΥΡΕ ΔΕ ΜΕΣΣΗΝΗ ΣΥΝ ΔΙΙ ΤΟΝ ΠΡΟΔΟΤΗΝ
ΡΗΙΔΙΩΣ ΧΑΛΕΠΟΝ ΔΕ ΛΑΘΕΙΝ ΘΕΟΝ ΑΝΔΡΕΠΙΟΡΚΟΝ
ΧΑΙΡΕ ΖΕΥ ΒΑΣΙΛΕΥ ΚΑΙ ΣΑΟΣ ΑΡΚΑΔΙΑΝ

Ex Polybio.

Id est interprete Casaubono.
Injustum Regem tempus non sivit inultum,
Messenæ inventus cum Jove proditor est;
Perfacile: haud poterat perjurus fallere numen:
Juppiter o salve, protege & Arcadiam.

Dionysius Halicarnassæus Æneam refert Dodonæo Oraculo crateres æneos dedicasse, quorum aliqui antiquissimis literis inscripti sua ætate adhuc superessent. Zozimus aram hanc a Valerio Publicola Diti & Proserpinæ erectam, qua urbem peste liberavit, hisque verbis dedicatam:

Romæ.

P. VALERIVS
POPLICOLA
IGNEM CAMPI
MARTII DITI PATRI
ET PROSERPINAE CONSECRAVI
LVDOSQVE DITI PATRI
ET PROSERPINAE PRO
LIBERTATE POPVLI
ROMANI FECI

Ex Zosimo.

Plinius lib. 3. cap. 20. Inscriptionem adducit Augusto dicatam ob suas de Alpinis gentibus victorias, cujus adhuc supersunt vestigia, octavo a Nicæa lapide loco *Torbia* dicto, teste Joffredo in Historia Niciensi. His annumerare debemus Thucydidem, Appianum, Livium, Dionem Coccejum, sexcentosque alios, qui Inscriptiones libris suis tanquam narrationum certa testimonia inseruerunt.

Imo aliquando (quod notatu dignum contra quendam nuperum Auctorem, qui inaudito facinore earum fidem sugillavit) sola Inscriptionum authoritate dicta sua probarunt Veteres. Suetonius de Octavio Cæsare: *Thurinum cognominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis, ac pene jam exolescentibus literis hoc nomine inscriptam: quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur.* Idem in Galba, istius Imperatoris nobilitatem unica marmoris fide asserit: *Neroni*, inquit, *Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum: sed haud dubie nobilissimus, magnaque & vetere prosapia; ut qui statuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATULI CAPITOLINI se semper adscripserit.*

Frustra in contrarium duo male intellecti Titi Livii textus afferuntur. Primus Lucii Minutii, l. 4. *Hunc Minutium*, inquit, *apud quosdam auctores*

transisse a Patribus ad plebem, undecimumque Tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Meliana cæde sedasse invenio. Cæterum vix credibile est, numerum Tribunorum Patres augeri passos: idque potissimum exemplum a patricio homine introductum: nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certe tentasse. Sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum, *paucis ante annis lege cautum, ne Tribunis collegam cooptare liceret.*

Alius vero est Cornelii Arvinæ, lib. 8. *Id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit: an ut esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius Prætor gravi morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret.* Deinde concludit: *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor*, falsisque imaginum titulis, *dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt.* Inconcussis enim rationibus probavi in Responsoria ad Criticam itineris mei Græciæ Dissertatione diu jam edita, falsos imaginum titulos non esse statuarum Inscriptiones, sed *imaginum* privatarum, quas majorum suorum effigies in atriis reponebant Romani, in quarum additis dignitatum *titulis* facile erat aliquid immutare, ut familia ad se rerum gestarum honorem traheret: unde Plinius; *Sed pace Messalarum dixisse liceat, etiam mentiri Clarorum imagines.* In publicis vero monumentis jussu aut permissu Senatus erectis, quomodo mentiri licuisset, aut inscriptis falsum titulum quis non statim animadvertisset? Maneat ergo antiquis Inscriptionibus suus honor integer, inviolatusque.

His ex toto orbe conquirendis mirum quantam diligentiam adhibuerit Gruterus vir indefessus, acerrimique judicii: nec mirum minus est quod aliquos, quanquam non magnæ notæ, obtrectatores habuerit, quasi vero in tanta marmorum copia ipsi suministratorum irrepsisse aliquos errores, culpa ejus esset: quis enim errori non obnoxius sit? At hæc nihil de ejus laude detrahunt. Nec etiam si multa omisit, omnia nosse potuit, aut quæ adhuc sub terræ latebris condita erant exscribere. Verum hæc me φιλαρχαιότατον moverunt, ut eos omnes lapides ipsi ignotos consarcinarem, ab eoque editos pro re nata emendarem, ut aliquando emergeret ejus opus auctius, nitidiusque. Itaque sex ab hinc annis marmora ipsemet colligere, exarare, ab amicis librisque Grutero posterioribus emendicare non desii. Quibus tamen non satis mihi faciens, iter per Italiam, Græciamque suscepi, biennium extra patrios commoratus lares; tandemque redux non pœnitendam eorum mecum attuli copiam, aliarumque antiquitatis reliquiarum typos non prius vulgatos, ex ipsis prototypis, vel diligentium virorum schedis delineatos.

Quæ quidem Marmora, præcipua saltem, in quibus eruditionis aliquid reconditum est, nunc in lucem profero, omittens sexcenta alia, quæ aut jam a Reinesio in Syntagmate Inscriptionum Antiquarum sunt emissa, aut nuda continent Romanorum nomina ac epitaphia, quæ mihi & plerisque aliis Lectoribus fastidio essent. His non simplicis ornatus, sed illustrationis causa toreumata, statuas, gemmas, nummos, aliaque antiqui ævi non spernenda addidi monumenta: non repetitis iis, nisi admodum paucis, quæ jam in meo Græciæ Itinerario publicaveram, tum ne eandem recoquerem cramben, tum ne in majorem volumen hoc ascenderet molem. Igitur quæ olim in tres libros edere & extendere pollicebar, ea nunc unico contractiora habentur. Prolixas enim, aliorum id otio concedens, meæque tenuitati consulens, Notas addere nolui. Valeat porro & faveat omnis venerandæ Mysta, cultorque Antiquitatis.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO PRIMA.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatio inſcriptionis Græcæ & Palmyrenæ, quæ habetur apud Gruterum pag. LXXXVI. Sed ibi abſque figuris exhibetur.

Romæ, tabula marm.
In hortis quondam Carpenſibus



Interpretatio Græcæ Inſcriptionis hæc eſt.

[1] *AGlibolo & Malachbelo patriis Diis, & [2] Signum argenteum cum omni ornamento, Lucius Aurelius Heliodorus Antiochi filius [3] Hadrianus Palmyrenus de ſua pecunia, [4] ob ſalutem ſuam & uxoris & filiorum [5] Anno DXLVII. [6] menſe Peritio.*

NOTÆ.

1. Aglibolus & Malachbelus Dii quidem Syri erant, ut ex eo animadvertere licet quod a viro Palmyreno Patrii Dii vocentur. Palmyrene enim Syriæ pars: sed difficile est asserere quid sibi velint duo illa nomina Syriaca. Quidam Solis æstivi & hyemalis hæc duo simulachra esse opinantur: ego vero potius Solis & Lunæ seu Luni: istis enim in regionibus Luna pro masculo habebatur, teste Spartiano in Caracalla, idque præcipue apud Carrhenos qui Assyriæ populares erant, ubi *miserando funere Crassus Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas*, nuncupabatur autem Apollo *Belus*, *Belenus* imo & *Baal*, quidni & *Aglibolus* inter Syros. *Bolus* enim quin dicatur pro *Belus* dubium non est. *Agli* vero quid significet occultissimum est, nisi Eruditissimi Malavallii Massiliensis conjectura placeat, qui dici putat ἀπὸ τοῦ βάλλειν τὴν αἴγλην, *a mittendo fulgore*, unde Hesychio Αἰγλήτης est Apollinis Epitheton. Nec mirum esset levem hujus nominis corruptionem inter Barbaros & Græci idiomatis non admodum gnaros factam fuisse, ita ut ab αἴγλην βάλλειν, vel etiam ab Αἰγλήτης Βῆλος emerserit *Aglibolus*. Belus quidem Hesychio Cœlum est, vel Jupiter, *Bela* vero Sol. Hieronymus & Isidorus *Belem* Saturnum interpretantur. At simul cum Sole adorari testis est Herodianus in Aureliano, ubi istius Imperatoris de Zenobia Palmyrenorum regina victoriam recitat. *Tunc*, inquit, Romæ & *Templum Solis magnifice constructum donariis, quæ Palmyra secum advexerat, ornavit, collocatis in eodem Solis & Beli simulachris*: (ἡλίου τε καὶ βήλου καθιδρύσας ἀγάλματα.) Idem Herodianus in Maximino *Belem vocant Indigenæ*, sc. Aquilejenses, *magnaque eum religione colunt, Apollinem interpretantes*. Sed *Belenum* non Belem in manu scriptis codicibus, itemque passim in Aquilejensibus marmoribus legimus, quæ quia apud Gruterum edita sunt, hic non repetam. At *Malachbelus* dicitur a *Malach* quod Regem, & *Baal* quod Dominum apud Syros indicat, quasi dixeris *Regem Dominum*, unde ei corona capiti imposita: & Jeremiæ cap. 7. damnatur illa superstitio quæ *placentas offert Reginæ cæli*, id est Lunæ. Huicque voci affinis est denominatio Idoli *Moloch* in illis regionibus culti, de quo plures alii. Est autem Syriacus Deorum istorum habitus, ut solet unaquæque gens, teste Theodoreto in Ezechiel. proprios Deos patrio repræsentare habitu. Prior quidem crine tænia revincto, succincta veste, aliaque desuper indutus tanquam pallio, aliquid manu sinistra tenens, an ut ait Gruterus falcem ad Pinum admovens, quæ inter utrumque media stat. Is Aglibolus sive Sol est. Altera figura oculos in terram figens, crine pariter revincto, corona radiata cum Luna crescente retro humeros, parazonio & chlamyde militari accincta, cothurnisque induta, baculum vel hastile manu tenens, Malachbelum seu Deum Lunum, sive Herodiani Belum exprimit. Quo sane typo, sed nonnihil diverso, in antiquis numismatibus Deus Lunus exhibetur, cum pileo scilicet Armeniaco, qualem videre licet in selectis Abbatis Seguini numismatis, aliisque numismatographis.

2. ΣΙΓΝΟΝ, *Signum*, vox Romana pro Græca ἄγαλμα seu ἵδρυμα usurpata, idcirco quia Romæ positum erat marmor, qua licentia sæpius usi sunt Græci in vocabulis Latinis Græco modo enunciandis.

3. *Hadrianus Palmyrenus*. Palmyra Syriæ urbs ab Hadriano Imperatore restaurata fuerat, ejusque cives Hadrianopolitanorum epitheto gaudebant, teste Stephano Byzantino, unde etiam Heliodorus noster Hadrianus Palmyrenus nuncupatur. Palmyra ab Hebræis *Thamar*, id est, Palma dicta. Hieron. ad Ezech. cap. 41.

4. *Ob salutem suam*, &c. Hæc verba videntur denotare Heliodorum illum in aliquo periculo constitutum sive in mari, sive in itinere terrestri votum fecisse se tale signum argenteum positurum, ac tandem liberatum id solvisse. Fieri etiam potest ut illud posuerit futuri periculi avertendi causa.

5. *Anno DXLVII.* Numerat Syriaco more a Syriæ Regibus Alexandri magni posteris, sicque ab anno mortem ejus subsecuto. Cum ergo hæc Inscriptio istius Æræ anno 547. posita fuerit, consequens est sub finem Imperii Alexandri Severi fuisse sculptam, anno nempe Christi circiter 234. Si namque huic numero 234. addas 66. quibus ante Christum regnare desierunt Alexandri magni Posteri, itemque addas annos 247. quibus integris imperarunt, emergent anni 547. hic notati. Sed de hac Epocha, qui ulterius scire desiderat, consulat Scaligerum de emendatione temporum.

6. *Mense Peritio*. Peritius, mensis erat Macedonum Februario nostro respondens, cujus Eusebius & Suidas meminere, quemque Syri sic nominare consueverant vel in Alexandri magni honorem, vel quod verisimilius est ab ipsis Macedonibus victis orientalibus nationibus introductum. Patrios enim ritus & mores adeo religiose retinuerant, ut urbium etiam Macedonicarum & fluviorum nomina, plerisque Syriacis tum urbibus ubi sedem fixerant, tum fluminibus applicuerint, ut ex eorum historia patet. Nec mirum est si menses suos similiter servaverint, & ii usque ad hujus marmoris ætatem a Syris observati eadem appellatione duraverint. Notandum autem male apud Gruterum legi incorrectis litteris M. NOE ΠΕΡΙΤΙΟΥ.

Expositio Palmyrenarum litterarum a Samuele Petito Nemausensi, ex ejus ad Peireskium Epistola, anni 1632. cui titulum dat, *Hemina ad Libationem*.

Concepta est hæc Inscriptio Phœniciis Syrorum litteris, quæ eædem ac Palmyrenorum: sic enim Vopiscus in Aureliano: *Hanc*, inquit, *Epistolam Nicomachus se transtulisse in Græcum ex lingua Syrorum dicit, ab ipsa Zenobia dictatam*. Loquitur autem de se Aurelius Heliodorus his verbis. *Tremuit senectus, vacillavit planta pedis: sub volam utique Dæmonis lucis indigena tuus mœstus fuit, splendere squallor ejus* (id est, ad ejus splendorem factum fuit) *ligatus est ipse, age, projice, domus in summo periculo versata est, abundavit asser mansuetudinum irrigans petras sive solitudines, quemadmodum quod Memphim ducit iter* (Afflictam Palmyram indigitat Zenobiæ tempore, ejusque situm) *Datum abunde est quidquid in universum desiderabat angustia. Summe misericors est umbra tua, portio æterna Hemina ad libationem*. Hoc est, hæc lex dicta esto in perpetuum, e meis bonis in quotidianos libationum usus, in istorum Deorum honorem, inferendam esse heminam, seu mensuram quandam vini, alteriusve liquoris.

Et hæc est expositio Petiti viri quidem in linguis orientalibus eruditissimi; at in Chronologismo peccat, dum marmor ad Zenobiæ tempora

refert, ex ea phrasi quæ afflictam Palmyram indigitat. Constat quippe ex iis quæ supra diximus Alexandri Severi tempore marmor sculptum fuisse. Addam & istud circa hosce characteres: Epiphanius lib. 2. Tom. 2. contra hæreses, testatur ex Græcis alios uti Græcis litteris, nonnullos profundissimam Syrorum linguam magni facere, præsertim eam qua utuntur circa Palmyram, tum etiam Persas Syriis uti literis, cujus linguæ elementa sint numero 22. At hic noster Heliodorus utraque lingua uti voluit; Syriaca, quia Palmyrenus erat, Græca vero, quia Romæ degebat, ubi valde in usu erat.

Judicium Antonii Gallandii linguarum orientalium interpretis, de præcedenti expositione Sam. Petiti, ex epistola ad me data.

VIs ut tibi fatear ingenue quid de Sam. Petiti literarum Palmyrenarum expositione sentiam? certe, quod pace tanti viri dictum sit, non is sum cui facile persuaserit se hujus ænigmatis Oedipum fuisse. Multis & validis argumentis adducor ut aliter credam.

Primo, Dico expositionem ejus tam esse αἰνιγματώδη, quam ipsos characteres. Nam quæso quis ille est qui bonum aliquem sensum aut tolerabilem ex ea eruere possit? Vir optimus, aut, quod non puto, doctis imponere voluit, aut ipse quod verisimilius est, deceptus fuit.

Secundo, Scimus Phœnicum characteres plures non esse viginti duobus. Tamen in duabus lineis hujus marmoris, modo exacte exscriptæ & sculptæ sint, plus quam viginti octo characteres

A dissimiles invenio, cum vix credibile sit in tam pauculis verbis totum 22. litterarum Alphabetum posse contineri.

Tertio, Esto characteres enodaverit & ad Hebraicos retulerit. At quo Lexico, quo vocabulario usus linguam Palmyrenam sibi incognitam intellexit, siquidem eadem non est cum Hebraica, nec forte cum Syriaca quæ nobis est cognita? Unde *Dæmon ille lucis*? Quid Memphis cum Palmyra? *Splendere squallor ejus*, quæ barbaries? *ligatus est ipse, age, projice*, quis tropus? & quænam in reliquis cohærentia?

B Quarto, Quare uti fit in quibusdam Inscriptionibus Latinis & Græcis, in quibus Græca & Latina idem sonant, fieri non potest, ut hic etiam Græca & Palmyrena idem significent? Quid opus sensum tantopere requisitum afferre? Ego puto ita esse, Inscriptionem Palmyrenam aliud a Græca diversum non significare, quamvis opinionis meæ rationem præter supradictam non habeam, cui & accedere potest quod eadem utriusque videatur esse longitudo: Hinc fit ut admodum inclinem ad existimandum nec Samuelem Petitum, nec alium ex hac sola Inscriptione a te edita, aut ex Gruteriana quæ in characteribus dissimilis non parum videtur, expositionem aliquam afferre po-

C tuisse, nisi inspecto marmore, modo characteres habeat melius efformatos ac minus confusos, in quibus describendis utpote ignota lingua multos errores committere proclive est. Hæc Gallandius.

Ecce aliam Inscriptionem eadem forma conceptam, eodemque idiomate cum Latino expressam, quam quidem exhibuit Gruterus, sed sine figuris & sine Syriacis literis, pag. XXXVI.



Calbienses qui lapidem hunc Soli dedicarunt, sintne ordo quidam militum, ut innuere videntur verba ultima de Cohorte III. an vero populares alicujus loci in hac cohorte militantes, non satis constat. *Calbium* quidem Strabo, promontorium in extremis Hispaniæ partibus commemorat, lib. 1. Geograph. Sed quidnam loci illius accolæ cum Syrorum lingua quæ in latere tertio,

D commune habent? Si quis trinas illas lineas interpretari posset, solidius aliquid forte pronunciaturus esset, nisi putemus idem significare ac Latinas. Solis caput radiatum cum circulo sæpius occurrit in nummis. Gryphes in tertio quadrigam trahentes ad Solem etiam referuntur: de iis enim Servius ad Eclogam 8. *Gryphes genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus, omni fere*

parte leones sunt, alis & facie Aquilis similes, equis vehementer infesti, Apollini consecrati. At figura illa in curru quam subsequens coronat victoria, non dissimilis est a typo Agliboli seu Solis supra exhibito, ipsique forte etiam convenit falx in primo latere, & pinus in quarto sculptæ. Co- A ronatur a victoria Apollo in quadriga vectus, ob ejus a Poetis memoratas victorias, veluti Pythii draconis, unde & frequentissime *invictus* nominatur, ut passim in Gruterianis monumentis, hisque Grutero ignotis.

Romæ.

Q. CLODIVS PHILO
SOLI INVICTO
EX VOTO PRO
MISSO DD

Ex Schedis Bagarrianis.

Salonis.

VIBIVS PIVS DEO
SOLI INVICTO ARAM
DEDICO VT SIS MIHI
PROPITIVS MILITIBVS
CENTVRIONIBVSQVE MEIS

Ex Marulli MS.

Romæ.

In hortis Justinianeis.

NVMINI INVICTO
SOLI MITHRAE
M. AVRELIVS AVG. L.
EVPREPES VNA CVM
FILIS PIIS D.D.
SACERDOTE CALPVRNIO
IANVARIO DEDICATA
VII KAL. MAIAS IMP.
L. SEPTIMIO SEVERO PERTIN
....
COS.

Exscripsi.

Hailbronnæ.

SOLI INVICTO
MITRÆ
P. NACELLI
VS PROCLI
ANVS LEG.
VIII AVGVST.
LL. M.

Ex Reinesio.

Romæ.

In hortis Justinianeis.

M. AVRELIVS
AVG. LIB. EVPREPES
SOLI INVICTO MI
THRAE ARAM
EX VISO POSVIT
PROSIDENTIBVS BI
CTORINO PATRE
ET IANVARIO DEDICATA
IIII NON. IVNIAS EGGI
O MARYLLO ET GN. PAPI
RIO ALLIANO COS.

Exscripsi.

Romæ.

In hortis Justinian.

SOLI INVICTO
MITRAE
VESTALIS
CAES. N. SER.
ET C. VETTIVS
AVGVSTALIS
DD.

Exscripsi.

Mithra Solis Epitheton erat orientalibus præcipue regionibus usurpatum, a quibus Romam advectum. Luctatius ad illud Statii, *Torquentem cornua Mithram*, dicit Solem fuisse depictum apud Persas leonis vultu cum tiara: si quidem intentissimus est viribus, cum hoc signum premit: additque in antro coli apud illos. Ejus typus passim occurrit Romæ in tabulis marmoreis, in eisque fingitur reluctantis Tauri cornua retentare, quo significatur Lunam ab eo lumen accipere. Lunæ enim Taurus sacrabatur, quod utrique cornua sint concessa. Tertullianus in Spelæo tenebrarum milites scribit Mithræ initiari. Idem Justinus contra Tryphonem, & confirmat Inscriptio DEO SOLI INVICTO MITHRAE FL. SEPTIMIVS ZOSIMVS V. P. SACERDOS DEI BRONTONTIS ET AECATE HOC SPELEVM CONSTITVIT. Hieronym. Epist. B 1. *Nonne Specum Mithræ & omnia portentosa Simulacbra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subvertit?* Depingebatur Mithra cum pileo Armeniaco, quia Persæ seu Parthi semper pileati. Huic autem *M. Aurelius Euprepes* duas aras posuerat, primam quidem ex ipsiusmet Dei monitu per somnium, quid enim aliud esse potest EX VISO? Consulibus *Eggio Marullo*, non vero Marcello ut habent Fasti Siculi; & *Gneo Papirio Alliano* sive Æliano, qui Consules erant anno Ch. 185. Imperante Commodo. Eorumdemque Consulum mentio est apud Grut. pag. 30. L. EGGIO MA- C RVLLO & CN. PARINIO AELIANO: ubi reponendum PAPIRIO, ex fastis & præsenti marmore.

ARTI-

ARTICULUS II.

Sacrificia, actaque alia Fratrum Arvalium.

Romæ,
In villa Montalto.

L. CEIONIO COMMODO

1 D. NOVIO PRISCO

2 III. NON. IAN.

MAGISTERIO C. MATIDI PATRVINI PROMAGISTRO L. VERATIO QVADRATO COL
LEGI FRATRVM 3 ARVALIVM NOMINE 4 VOTA NVNCVPAVERVNT 5 PRO SALVTE
IMP. VESPASIANI CAESARIS AVG. TRIB. POT. COS. VIII. ET T. CAESARIS AVG. F.
VESPASIANI COS. VI. VICTIMIS IMMOLATIS IN CAPITOLIO QVAE SVPERIORIS
ANNI MAGISTER VOVERAT PERSOLVIT ET IN PROXIMVM ANNVM
NVNCVPAVIT PRAEEVNTE L. VERATIO QVADRATO IN EA VERBA QVAE SSS
IOVI OPTIMO MAXIMO BOVEM MAREM IVNONI REGINAE VACCAM MINERVAE
VACCAM SALVTI VACCAM
ITEM PRO IMP. VESPASIANO CAESARE AVG. EISDEM VERBIS Q. SS. IOVI OPT.
MAXIM. BOVEM MAREM IVNONI REGINAE VACCAM MINERVAE VACCAM SALVTI
VACC. IN COLLEGIO ADFVERVNT L. VERATIVS QVADRATVS C. PADIVS MEFLIANVS
Q. TELLIVS SASSIVS L. MAECIVS POSTVMVS L. IVLIVS QVADRATVS C. VIPSTANVS
APRONIANVS ISDEM COS. VI IDVS IAN. IN AEDE CONCORDIAE ADSTAN
TIBVS FRATRIBVS ARVALIBVS MAG. C. MATIDI PATRVINI PROMAG. L. VERAT.
QVADRATO COLLEGI FRATRVM ARVALIVM SACRVM INDICTVM DEAE DIAE
PRAEEVNTE L. MAECIO POSTVMO
IIII K. IVN. IN LVCO ET DOMI III. K. IVN. DOMI IN COLLEGIO FVERVNT
L. VERATIVS QVADRATVS C. VIPSTANVS APRONIANVS L. MAECIVS POSTVMVS
C. IVNIVS PADIVS MEFLIANVS A. IVLIVS QVADRATVS ISDEM COS. K. MART.
IN AEDE CONCORDIAE ADSTANTIBVS FRATRIBVS ARVALIBVS EX TABELLA IMP.
CAESARIS VESPASIANI AVG. MISSA C. SALVIVM LIBERALEM NONIVM BASSVM
IN LOCVM C. MATIDI PATRVINI DEMORTVI COOPTAMVS IN COLLEGIO AD
FVERVNT L. VERATIVS QVADRATVS C. VIPSTANVS APRONIANVS L. MAECIVS
POSTVMVS C. SALVIVS LIBERALIS NONIVS BASSVS ISDEM COS. MAG. C. SALONI
MATIDI PATRVINI IN CVIVS LOCVM SVCCESSIT OBIIT MAGISTERIVM EODEM
ANNO EIDEM COS. K. MART. D. SALLVSTIVS BLAESVS ISDEM COS V.. NIAS IN
AEDE CONCORDIAE MAG. L. SALLVSTIVS BLAESVS COOPTATVS IN LOCVM
C. MATIDI PATRVINI COLLEGIO FRATRVM ARVALIVM CONVOCAVIT FLAM.

Exscripsi.

NOTÆ.

Elegantissimum marmor non sine magno labore ob litterarum pravam conformationem a me descriptum notulis aliquot illustrabitur.

1. Hic consulatus anni æræ Christianæ 79. vel ut alii numerant 78. aliter in fastis Capitolinis notatur: sic enim hi duo Consules nominantur, *Lucius Ceionius Commodus Verus*, & *Cajus Cornelius Priscus*, cum hic ultimus *Decimus Novius Priscus* appelletur, ut apud Cassiodorum *Rufus*. Necesse ergo est ut C. Cornelius Priscus fuerit Consul ordinarius, & D. Novius, Consul Suffectus, vel ut erratum sit in Fastis Capitolinis: nam & alia Inscriptio Gruteriana pag. CIV. 6. Anno Ch. 95. sculpta, hujus D. Novii Prisci mentionem facit.

2. *III. Non. Jan.* Hic dies in Calendario Constantiniano destinatus erat Votorum nuncupationi, unde Fratres Arvales ut ex marmore intelligimus, 3. vota nuncupaverunt illo die pro salute Vespasiani & Titi.

4. Fratres Arvales Sacerdotes numero XII. jam tempore Romuli instituti, qui se Accæ Laurentiæ nutrici suæ obtulit, in locum filii ejus unius ex duodecim quos habebat, mortui, sesque ei filium dedit, se & cæteros filios Fratres Arvales vocans. Varro lib. 4. de ling. Lat. *Fratres*, inquit, *Arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva; a ferendo & arveis fratres Arvales dicti, quia Fratria dixerunt.*

5. Inscriptiones Fratrum Arvalium mutilæ quæ apud Gruterum leguntur pag. 117 &c. eodem plane modo votorum nuncupationem pro salute Claudii & Neronis exprimunt; eædemque magisterii & promagistri, imo unius ex illis Fratribus Arvalibus nomen habent, quod in nostro reperitur, Caii Vipstani Aproniani. Ibidem etiam *Deæ Diæ* quæ Dea aliqua ab illis Sacerdotibus culta, mentio est. Item & Lucorum in quos conveniebant ad mysteria sua peragenda, sicuti hic in luco & domi, hoc est Romæ. *Isdem Cos.* est *iisdem Consulibus*. Cætera plana sunt.

De Dea Dia, cujus tam crebra mentio in Inscriptionibus Fratrum Arvalium, hæc ad me amicus eruditissimus Sebastianus Feschius Basileensis. Hanc, inquit, Deam Opem Saturni conjugem, quam Græci Ῥέαν vocant, interpretor, cui festus dies Opalia dictus, inter Saturnalia quotannis celebrabatur. *Saturnus enim*, ut ait Macrobius I. Saturnal. X. *Ejusque uxor tam frugum quam fru-* A *ctuum repertores esse creduntur, itaque omni jam fœtu agrorum coacto ab hominibus hos Deos coli, quasi vitæ cultioris authores.* Hanc ob causam a Fratribus Arvalibus cultam existimo. Dia vero dicta videtur antiquitus, id est Dea, κατ' ἐξοχὴν quasi Deorum Dea ac Princeps. Est enim Ops nihil aliud quam tellus, quæ & magna Deorum & rerum omnium mater habita est & nuncupata.


Aliud Fragmentum
Fratrum Arvalium, Romæ
In horto Barberino.

.... IDIBVS IANVARIS IN CAPITO
.... ILIVS CORVINVS MAGISTER FRAT...
.... CONSVLVM COLLEGAS CONVOCAV..
.... CIPIENDA PRO SALVTE CAESARIS
.... TAVRVS STATILIVS CORVINVS L. CANINI
.... IVS PERSICVS CN. DOMITIVS
.... A. D. V. K. FEBR. IN CAPITOLIO
.... LIVS CORVINVS MAGISTER FRATRVM
.... CONSVLIS ET EX CONSENSV SENATVS
.... VOCAVIT ET OB SECVRITATEM ET SALVT
.... IS AVGVSTI BOVES MARES DVO IOVI O...
.... IT
.... TAVRVS STATILIVS CORVINVS FABIVS
.... CANINIVS GALLVS CN. DOMITIVS
.... A. D. V. ID..

Tauri Statilii & Fabii Persici mentio est in alio simili fragmento apud Gruterum, pag. CXVI. B tempore Tiberii Claudii *exsculpto*, unde hujusce Chronologismus deduci potest.

ARTICULUS III.

Nuptiæ Cupidinis & Psyches, ex gemma Petri Ligorii. Papilio animæ Symbolum, ex marmoribus delineatis inter schedas Pyrrhi Antonii Rascasii de Bagarris viri eruditissimi & Regii quondam Antiquarii.



TABULA III.

Mythologiam Cupidinis & Psyches fuse tradunt Appulejus & Fulgentius lib. 3. Depinguntur hic eorum nuptiæ, non ineleganti modo. Incedit Cupido capite semivelato, turturem manibus gestans, a latere vero Psyche toto velata corpore. Amantum par nobile catena vinctum deducit paranymphus facem humeris gestans; subsequitur puer pariter alatus qui canistrum eorum capiti imponit, præparat alter Thorum ad quem accedunt. Ritum pompæ nuptialis huic similem ita breviter describit Petronius Arbiter. *Jam Psyche puellæ caput involverant flammeolo. Jam Embasicætas præferebat facem. Jam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerant, thalamumque incesta exornaverant veste.* Asserit etiam Dorotheus Sidonius Dianæ instituta Caniphoria celebrari, in quibus virgines nubiles canistra consecrabant Dianæ cum variis rebus acu elaboratis, indicantes se prioris vitæ virginitatisque pertæsas cupere exauthorari. Idem docet Scholiastes Aristophanis ad Acharnenses. Vela nubentibus necessaria exhibet etiam gemma nostra, nubere enim antiquitus erat velare; Turtures conjugalis amoris emblemata; at hæc nimis trita sunt. Ad alia minus cognita properemus.

Dubium sæpe me tenuit, quare Psyche constanter a veteribus, ut in hac gemma, cum alis papilionis efficta sit. An quia animalculum præ reliquis omnibus imbecille est & fluxum, ut Plinius scribit. An quia aereum & leve, anima vero, quæ Græcis *Psyche* dicitur, subque eo typo latet, aer credebatur, aut ventus: unde Lactantius, *Qui aerem animam credunt, hoc falluntur quod ex aere spiritum ducentes, vivere videamur.* *Varro itaque eam definit, Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus.* Imo latine Anima a Græco ἄνεμος, ventus: sic Plautus, Virgilius & alii animam sæpenumero pro vento usurparunt. Inde animam efflare dixerunt, quod eam pro vento flatuve haberent, comprobaturque sequenti marmore, ubi papilio a mortuo efflatus circumvolitat. Hinc Græci animam *Psychen* nominarunt, vel διὰ τὸ ἄνωθεν ἐψύχωσθαι, quasi cælitus inspirata, ut ait Nicetas Choniates, vel a verbo ψυχρὸς, quod Hesychio, *levis & debilis* est. Anima, inquit Poeta, *par levibus ventis, volucrique simillima somno*, quando scilicet a corpore divortium fecit. Addendum & ψυχὴ Græcis æquivocum esse, animamque significare & Papilionem: unde Hesychius, ψυχὴ πνεῦμα καὶ ζωύφιον πτηνόν.

Dicemusne tandem veteres hac pictura nihil aliud repræsentare voluisse, quam reciprocum illum animarum de corpore in corpus discursum olim a Philosophis creditum: cujus credulitatis primos authores Pythagoram & Platonem facit Tertullianus, inquiens eos introduxisse revolubilem illum animarum recidivatum, semper & alterna mortuorum & viventium suffectione. Quæ metempsychosis nullo symbolo commodius exprimi potuit quam Papilionis alis, cum hoc animalculum semper vicissim moriatur in vermem, & ex eo iterum reviviscat, hac continua serie nunquam deficiens, Plin. lib. 11.

TABULA IV.

Cur animam figura papilionis fingerent, diximus supra. Credebatur ea per os reddi: unde Homerus Iliad. 9. dicit animam postquam efflata est, vel septum dentium, ut loquitur, transivit, remeare nequaquam posse. Papilio igitur hic expressus viri defuncti anima est quæ avolat. Uxor autem aut mater filium adstantem monere videtur, ut vivat, monstrans ei corollas & unguenta. Vinum enim, rosæ & unguenta complectebantur omnem vitæ voluptatem & delicias. Extat talis inscriptio in Hispania quæ habetur apud Moralem p. 31. HAEREDIBVS MEIS MANDO ETIAM CINERE VT MEO VOLITET EBRIVS PAPILIO OSSA IPSA TEGANT MEA, &c.

TABULA. V.

Extat apud Gruterum hæc Inscriptio, sed absque illo eleganti typo. Circumvolitat, ut inquit lapis jam citatus, cinere defuncti ebrius papilio, alterumque apprehendit avicula, quo forte typo exprimitur, ut jam monuimus, transitus animarum ab humanis corporibus ad bruta varia: putaruntque Antoniæ Panaces parentes, ejus animam, quia juvenis, ludibunda, cantilenis sese delectans, dum viva esset filia annos novem nata, in aviculæ corpus transmigrasse. Duplex autem papilio alludere potest ad duplicem animam a quibusdam creditam, de qua infra dicemus.

TABULA VI.

Cupido animam clavo affigere videtur arbori, ne altius ascendat, perque aeris spatia vaga oberret.

TABULA VII. & VIII.

Constanter eodem schemate vel parum diverso visitur hoc Symbolum Romæ in cippis sepulchralibus & sarcophagis. Cupido Psychem amplectens: ille quidem fere semper nudus, hæc semivestita: quo forte adhortationem ad voluptates exprimebant. Fulgentius enim Cupidinem interpretatur cupiditatem, quæ animæ commiscetur, & eam appetit. Referat etiam aliquis ad utramque animæ facultatem, rationalem & irrationalem: vel, quod malim, ad duplicem animæ naturam, de qua sic Nicetas Choniates lib. 2. cap. 60. *Quidam duplicem* animarum naturam esse dixerunt, unam luminosam, alteram tenebricosam: & hanc quidem inferne scaturire, atque ex subterraneis exilire meatibus, illam vero e cæli vertice accensam demitti, ut terrenum hoc corporis domicilium exornet, sed descendens cavere jubetur, ne dum hoc corpus informe ornare contendit, ipsa dedecore impleatur. Idem lib. 4. hæresi 36. numer. 14. Græcorum fabulamenta redoletis, cum homini duas esse debere animas dicitis, alteram hominibus communem, alteram cælestem. Verum nulla in hoc commento subtilitas: illi enim alteram luminosam, alteram tenebricosam dicunt. Cæterum ambas simul uni eidemque homini non tribuunt, sed vicissim & alternative. Idem lib. 2. cap. 54. Quæ res, ait, Aristotelem quoque permovit, ut duplicem animam esse diceret: unam quidem quæ in corpore subsistat, alteram quæ a corpore separatur. Et lib. 2. cap. 62. dicit quosdam mortalem facere animam, quosdam ex Ethnicis scilicet immortalem: tertios vero mortalem eam partem, quæ rationis incapax est, immortalem quæ rationis capax.

TABULA IX.

CUpido facem papilioni, id est animæ admovens, ut misera amore uratur. Hæc fere omnia de nuptiis Psyches, & de Papilione animæ Symbolo, descripsi ex manuscriptis viri Ill. & Eruditiss. Petri Antonii Rascasii de Bagarris, quæ in manus meas inciderunt. Fuit is Aquis-sextiis Parisios vocatus ab Henrico IV. propter antiquaA riæ rei peritiam, cimeliarchioque regio præpositus. Hujus meminit Petrus Gassendus, in vita Peireskii. Possidebat Bagarrius ipsemet preciosissimum sculptarum gemmarum thesaurum, qui post ejus mortem ad egregium virum D. Tossantium Lauthier Aquensem pervenit, a quo Bagarrii Schedæ circa marmora gemmasque ad me transierunt non paucæ. Quod tacere non debui, ne plagii reus meritas viro eruditissimo laudes detraherem.

ARTICULUS IV.

De Hermis, Hermathenis, Hermerotibus, Hermanubibus, Hermheraclibus, Hermharpocratibus, Hermaphroditis.



TABULA X.

HErmi seu *Hrmæ* erant statuæ Mercurii marmoreæ sine brachiis & pedibus, quas in F compitis collocabant Græci ac Romani, quales in hac Tabula ex gemmis & nummis depinguntur. De his Servius, ad Æneid. lib. 8. *Mercurium*

quum in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt, unde & ipse Cyllenius & mons dicuntur, namque Græce Κυλλὸς, *aliqua mutilatos parte corporis dicunt, unde etiam* Hermos *vocamus quosdam stimulos in modum signorum sine manibus.* Suidas in voce Ἑρμῶν. Ἑρμαῖ ἦσαν ἐν τῇ Ἀθηναίων πόλει λίθινοι ἐν προθύροις καὶ ἐν ἱεροῖς. ἐπειδὴ φασὶ τὸν Ἑρμῆν λόγου καὶ ἀληθείας ἔφορον εἶναι, διὰ τοῦτο καὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῦ τετραγώνους καὶ Κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον, αἰνιττόμενοι, τὸ τοιοῦτον σχῆμα ἐφ᾽ ἃ μέρη πέσῃ πανταχόθεν βάσιμον καὶ ὄρθιον εἶναι, οὕτω καὶ ὁ λόγος καὶ ἡ ἀλήθεια ὅμοια ἐστι πανταχόθεν αὐτὴ ἑαυτῇ, τὸ δὲ ψεῦδος πολύχουν καὶ πολυσχιδὲς καὶ ἑαυτῷ μάλιστα ἀσύμφωνον : quæ sic interpretor; *Hermæ erant Athenis lapidei in vestibulis ædium atque Templis: quia enim ajunt Mercurium sermonis & veritatis præsidem esse, propterea & ejus imagines quadratas & cubicas fecerunt, indicantes quod quemad-* A *modum ea quæ hanc habent figuram, in quam partem cadant, semper stabilia & recta sunt; ita sermo & veritas similis semper sibi ipsi est: mendacium vero fluxum, multifidum, & minime sibi cohærens.* Observandum autem Suidam Atheniensium dumtaxat Hermarum meminisse, tum quia in hac urbe primum fuerant inventi, tum quia eorum maxima erat illic copia. Meminit Æschines in Ctesiphontem *porticus* Athenis suo tempore existentis, quæ *Hermarum* dicebatur, in qua tres Hermæ positi erant iis Atheniensibus qui Persas prope Strymo- B nem vicerant τρεῖς λιθίνους ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῇ τῶν ἑρμῶν: quorum & epigrammata insculpta profert. Hæc referre non pigebit, juxta emendationem Æmilii Porti viri eruditissimi notatam, in Æschinis codice, cujus olim possessor erat, quique nunc meus factus est.

Athenis.
Trium Hermarum Inscriptiones.

ΗΝ ΑΡΑ ΚΑΚΕΙΝΟΙ ΤΑΛΑΚΑΡΔΙΟΙ ΟΙΠΟΤΕ ΜΗΔΩΝ.
ΠΑΙΣΙΝ ΕΠ ΗΙΟΝΙ ΣΤΡΥΜΟΝΟΣ ΑΜΦΙ ΡΟΑΣ
ΛΙΜΟΝ Τ ΑΙΘΩΝΑ ΚΡΑΤΕΡΟΝ Τ ΕΠΑΓΟΝΤΕΣ ΑΡΗΑ
ΠΡΩΤΟΙ ΔΥΣΜΕΝΕΩΝ ΕΥΡΟΝ ΑΜΗΧΑΝΙΗΝ

ΗΓΕΜΟΝΕΣΣΙ ΔΕ ΜΙΣΘΟΝ ΑΘΗΝΑΙΟΙ ΤΑΔΕ ΔΩΚΑΝ
ΑΝΤ ΕΥΕΡΓΕΣΙΗΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΗΣ ΑΡΕΤΗΣ
ΜΑΛΛΟΝ ΤΙΣ ΤΑ Δ ΙΔΩΝ ΚΑΙ ΕΠΕΣΣΟΜΕΝΩΝ ΕΘΕΛΗΣΑΙ
ΑΜΦΙ ΤΟΙΣ ΞΥΝΟΙΣ ΠΡΑΓΜΑΜΑΣΙ ΜΟΧΘΟΝ ΕΧΕΙΝ

ΕΚ ΠΟΤΕ ΤΗΣ ΔΕ ΠΟΛΗΟΣ ΑΜ ΑΤΡΕΙΔΗΣΙ ΜΕΝΕΣΘΕΥΣ
ΗΓΕΙΤΟ ΖΑΘΕΟΝ ΤΡΩΙΚΟΝ ΕΣ ΠΕΔΙΟΝ
ΟΝ ΠΟΘ ΟΜΗΡΟΣ ΕΦΗ ΔΑΝΑΩΝ ΠΥΚΑ ΘΩΡΗΚΤΑΩΝ
ΚΟΣΜΗΤΗΡΑ ΜΑΧΗΣ ΕΞΟΧΟΝ ΑΝΔΡΑ ΜΟΛΕΙΝ
ΟΥΤΩΣ ΟΥΔΕΝ ΑΕΙΚΕΣ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣΙ ΚΑΛΕΙΣΘΑΙ
ΚΟΣΜΗΤΑΙΣ ΠΟΛΕΜΟΥ Τ ΑΜΦΙ ΚΑΙ ΗΝΟΡΕΗΣ

Ex Æschine in Ctesiphontem.

Id est.

Erant sane robusticordes isti, qui Medorum
Filiis ad Eionem juxta Strymonis fluenta
Et famem ardentem, & validum inferentes Martem,
Primi, hostium repererunt consilii inopiam.

Ducibus autem præmium Athenienses ista dederunt
Pro benefactis & egregia virtute:
Proclivius autem ista videns posterorum aliquis, gestiet
Laborem suscipere in rebus dubiis.

Ex hac aliquando Urbe una cum Atridis Menestheus
Ducem exercitus se præbuit in sacro-sanctum Trojanum campum.
Quem olim Homerus dixit Danaum affabre loricis ornatorum
Moderatorem, eximium in pugna virum venire.
Sic nullatenus indecorum apud Athenienses vocari
Moderatores belli ac Strenuitatis.

Ubi cum Æschine notandum Ducum nomina non expressa, ne forte inter populum libertatis adeo amantem, caput nimium erigeret aliquis, tyrannidemque affectaret. Erant & Hermæ Athenis Hipparchæi dicti, quod eos Hipparchus Pisi- F strati filius erexisset, passim in urbe & inter Atticæ populos, inscribens iis varia ad sapientiam & virtutem hortatoria, testibus Hesychio & Harpocratione. *Accidit* vero, ut ait Cornelius Nepos in Alcibiade, *ut una nocte omnes Hermæ,*

qui in oppido erant Athenis dejicerentur præter unum qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est. A Idem legitur apud Andocidem ipsum orat. de mysteriis, qui addit fuisse a tribu Ægeide dedicatum: Quia autem Hermæ in viis collocabantur, Mercuriusque viis præsidebat, exinde *Trivius* cognominabatur iste Deus, imo & *Viacus* in lapide Grut. pag. LV. 5.

Erecto veretro ut plurimum depingebantur Hermæ, ut in 3. & 4. fig. Tab. X. Cujus rei rationem reddit Macrobius, lib.1. Saturnal. *Pleraque etiam simulachra Mercurii statu quadrato figurantur solo capite insigniti virilibus erectis, quæ figura significat Solem mundi esse caput & rerum satorem,* B *omnemque vim ejus non in quodam diversorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est; quatuor latera eadem ratione finguntur, quia & tetrachordum Mercurio attributum creditur, quippe significat hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobusque solstitiis anni ratio distincta est.*

Imponitur Herma fulmini in quinta figura prædictæ Tab. quæ est nummi Cæsaris Augusti aversa pars; vel ut hujus Imperatoris Symbolum *Festina lente* exprimeretur. Herma enim sive Terminus, C vix enim inter se differebant, tarditatem; fulmen festinationem significabat; vel etiam hoc typo ostendere voluerunt antiqui eloquentiam fortitudini debere esse conjunctam. Interpretationem aliam adfert etiam *Oyselius* in Thesauro numismatum, ad numm. 5. Tab. XLI. quem si quis velit, consulere poterit. Ecce elegantem Termini inscriptionem, in qua Romanorum religionem sive superstitionem erga hocce numen animadvertere licet; Ejus enim statuas collocabant in agrorum limitibus, ut intacti inviolatique essent.

Romæ. D

In villa Caroli Valle.

QVISQVIS
HOC SVSTVLERIT
AVT IVSSERIT
VLTIMVS SVO
RVM MORIATVR

Exscripsi.

Tetra sane imprecatio ei qui lapidem hunc auferret, aut auferri juberet, ut scilicet ultimus suorum moreretur, E duplici pœna afflictus, dolore nempe ex propinquorum suorum omnium morte, & heredis omnimoda privatione.

Sexta figura virum sedentem coram Herma exhibet. *Septima* item mulierem sedentem, cum altera retro ipsam, Hermam intuentem: has enim statuas præcipue colebant fœminæ, earumque virilia ornabant & venerabantur, fœcunditatis sibi procurandæ causa; sicuti videre est in eleganti marmore apud Boissardum in Antiquit. Roman. sculpto.

Cicero antiquitatis eruditæ studiosus, hæc ad F Atticum scribit, Epist. 7. lib. 1. *Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis jam nunc me admodum delectant. Quare velim & eos & signa & cætera quæ tibi ejus loci & nostri studii & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quam plurima quamprimumque mittas, & maxime quæ tibi Gymnasii, Xystique esse videbuntur. Pentelicos vocat eo quod essent ex marmore Pentelico.* De Hermis qui plura velit consulat Rosini antiquitates Romanas, Vincentium Cartari, aliosque. Id tantum addam *Hermem* & *Hermam* cognomina etiam esse apud antiquos, passim apud Gruterum, inque ineditis hisce lapidibus.

Romæ.

In villa Matthæi.

DIIS MANIBVS
P. AMBIVIO P. L.
HERMETI V. A. LXVII.
ET
AMBIVIAE P. L. MARGARIDI
V. A. LV.
PARENTIBVS OPTIMIS ET
BENE DE SE MERITIS FECIT
P. AMBIVIVS P. F.
HERMES F.
PIENTISSIMIS

Exscripsi.

Romæ.

Apud Abbat. Benedetto.

P. POSTVMIO P. L.
HERMETI
P. POSTVMIVS P. F.
FLACCVS FIL. ET.
MARCIA HYGIA
CONIVGI BENE
MERENTI

Exscripsi.

Forojulii.

HERMES VENVSTAE
CONIVGI KARISSIMAE

Ex Hist. Provinc.

Romæ.
In Palatio Altems.

P. AMBIVIVS
P. FIL. QVI HERMES
ARAM POSVIT
P. AMBIVIO P. LIBERT.
HERMETI PATRI SVO VIXIT
ANNIS LXVII.
ET AMBIVIAE P. L. IVCVNDAE
SORORI SVAE VIX. ANN. XIX. M. VI

Exscripsi.

Romæ.

A. HERENNVLEIVS
HERMES FECIT
CONIVGI BENE
MERENTI IVLIAE
L. F. LATINAE SI
BI ET SVIS POSTERISQ. EOR.

Exscripsi.

Tergeste.

MANLIA PIA
Q. MANLIO HERMETI
ET
MANLIAE EPIGONAE
PARENTIBVS

Ex Marulli MS.

A

Romæ.
In hortis Justinian.

D. M.
L. CAELIO
HERMETI
CAELIA HER
MIONE MA
TER FILIO PIEN
TISSIMO

Exscripsi.

Romæ.

B

DIS MANIBVS
M. CLODIO
HERMAE
CONIVG. OPTIMO
ET ANNIO FELICI FRATRI
ANNIA AVGVSTALIS
ET TYRANNO CARISSIMO

Exscripsi.

Romæ.
In villa Caroli Valle.

C

D. M. P. MATTIO
HERMETI SENI
FLAVIA SPES
COIVGI B. M.
FECIT

Exscripsi.

In urbe Aubagne.

D

Q. VETINIO EVNOETO
QVI VIX. ANN. XV. M. III.
VETINII HERMES ET ACTE
PARENTES FIL. PIISSIMO
ET DVLCISSIMO FECERVNT
HERMAIS SOROR LIB. LIBER
TAB. POSTERISQ. EORVM

E

Ex Peireskii Schedis.

Romæ.
In villa Montalto.

D. M. S.
T. FL. AVG. LIB. HERMES ET AE
LIA IANVARIA FECERVNT
SIBI ET SVIS ET AELIAE FELI
CITATI ALVMNAE ET CORNE
LIAE THESPIDI ET FL. ALEXAN
DRIAE ET LIB. LIBERTABVS

F

QVE POSTERISQVE EORVM
ET ONESIMO COGNATO SVO
ET FLAVIAE ARETHVSAE
CONIVGI SVAE

Exscripsi.

TABVLA XI.

HErmathena erat statua *Hermam* & *Athenam* repræsentans, id est Mercurium & Minervam; cujus hic elegantem habemus delineationem ex nummo Hadriani a Fulvio Ursino in Virorum Illustrium imaginibus exhibito. Simile signum cum Titus Pomponius Atticus reperisset Athenis,

Ventii.

D. M.
M. LIVIVS LICOSTRATVS
LIVIO ONESIMO PATRI ET
LIVIA NICE LIVIO ONESIMO
MARITO ET LIVIO HERME
PATRONO VIVI FECERVNT
SIBI POSTERISQVE SVIS

Ex Hist. Provinc.

Nemausi.

IIIIII VIR. AVG.
C. VETTI HERMETIS
IVLIA FVSCINA
VXOR

Exscripsi.

Romæ.

DIS MANIBVS
PIERI AVG. L. PRAEC.
PVERR. CAESARIS N.
FLAVIA. NICE. CONIVNX
B. M. TITVLVM CVM VALVIS
AENEIS D. S. D. PERMISSV HERMAE
AVG. L. A. CVB. DOMITIAE AVG.

Ex Chiffletio.

In Geminiæ Tituli explicatione.

Romæ.

In ædibus Abbatis Casinelli.

SVETRIVS HERMES HIC SITVS
EST CVI TERTIA CONIVNX
ARAM CONSTITVIT DIGNO
MERITOVE MARITO
CVM QVO CONCORDIAM
TAM MVLTOSQVE PER ANNOS
VIXIT ET TENERO CASV SBTA *i. e. Subtracta.*
MARITO EST
DE CVIVS FAMA MVLTI CVM
LAVDE LOCVNTVR
QVOD FVERIT CVLTOR DOMINI
RERVMQVE ET AMATOR

Exscripsi.

Romæ.

HORDIONIALEA
M. HORDIONIC. F.
LIB. SEVIVA FECIT
SIBI ET M. SITTIO
HERMETI MARITO SVO
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM
H. M. D. M. A.

Exscripsi.

Athenis, Romam illud misit, ut Ciceronis amici sui bibliothecæ ornamento esset: hæc enim Cicero ad eum scribens Epist. 3. lib. 1. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ: quod & Hermes, commune omnium & Minerva singulare est ejus Gymnasii. Quare velim, ut scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes*. Et Epist. 4. ejusd. libri: *Tu velim ea, quæ nobis emisse & paraſſe scribis des operam, ut quamprimum habeamus, & velim cogites (id quod mihi pollicitus es) quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis*.

Non mirum autem erat Mercurium Minervæ conjungi, fiebat enim utrique commune sacrum, eo quod ille eloquentiæ præesset, hæc doctrinæ. Eloquentia nisi comitem doctrinam habeat, quid est nisi nudus inanisque sonus? Doctrina vero absque eloquentia obscurus & inutilis thesaurus? Hic ergo mysticus Hermathenæ typus esse mihi videtur, ab Atheniensibus non immerito effictus, cum essent olim omnium hominum doctissimi & eloquentissimi.

Qualis vero sit urbs ista omnino me latere fateor: num vero subsit aliquis error in earum literarum delineatione, ΟΡΔΙΟΝΑΙΩΝ videant peritiores. Ορδαία quidem urbs Macedoniæ a Stephano memorata, verum illa gentilem vocem ὀρδαίων faceret.

TABULA XII.

Hermanubis, cujus meminit Plutarchus, in priore typo se se offert, sive Deus ex Mercurio Anubique conflatus. Caduceus enim Mercurium, caput Accipitris Anubim Ægyptiorum numen designat. Avis hæc ei sacra ob venationem quam impense diligebat, sed plura in Hieroglyphicorum scriptoribus, ad quos Lectorem remitto. Litteræ aversæ partis incognitum quid præ se ferunt: videnturque esse ex illis Basilidianorum mysteriis quæ Græcis literis insculpebant lapidibus preciosis. Cum capite canis effingitur & Anubis in hoc Juliani nummo, qui ab una parte faciem illius Imperatoris sub Serapidis typo exhibet, ab altera Hermanubim cui VOTA PVBLICA nuncupare satagebat Julianus, Christianæ religionis non solum desertor, sed ethnicæ præcipue Ægyptiorum idololatriæ cultor addictissimus. Inde ab Ovidio *Latrator Anubis* dicitur. Senatoris habitu vestitus est sistrumque dextra gestat, ad quod alludere videtur Tertullianus virum Senatorium alloquens:

Teque domo propria pictum cum fascibus ante,
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.

Quamvis ea verba referre etiam liceat ad Phrasim illam vulgatam *Anubim gestare*. Sed de Juliani facie sub Serapidis typo aliqua non vulgaria expromenda, omnia fere ex schedis Domini de Bagarris Regis Galliæ Henrici quarti a Bibliotheca & Cimeliarchio, mihi ab amico D. Thossantio Lauthier Aquisextano communicatis.

Complures, inquit, extant ejusmodi numuli æréi Dei Serapidis, quos omnes diligentius intuens Juliani vultum, cum imberbem tum barbatum exactissime referre comperi, oculis naso & barba. Forte id factum per adulationem vel arrogantiam Juliani, sicut Commodus Imperator sub Herculis imagine vultum suum exhibuit, Domitianus sub Palladis, testibus nummis & statuis. Martialis l.9. epigramm. 67. dicit statuam quandam Herculis, vultum Domitiani retulisse. Nero Colossum suo vultui adaptavit, cujus capite ablato alii sua imponi curarunt. Irenæus lib. 5. dicit Simonem magum a suis adorari sub figura Jovis & Helenam suam sub Minervæ. Suetonius in Caligula, capit. 7. cujus, inquit, effigiem habitu Cupidinis in æde Veneris Capitolinæ Livia dedicavit. Plinius, lib. 36. capit. 5. scribit in Curia Octaviæ Cupidinem fuisse referentem Alcibiadem ejus ætatis. Apulejus, lib. 8. Metamorph. scribit hæc verba: *& imagines defuncti quas ad habitum formaverat Dei Liberi divinis percolens honoribus*. Quod observare licet in variis Sarcophagis qui Romæ visuntur, exsculptos scilicet in iis varios Deos, ut plurimum referentes vivam effigiem viri vel uxoris, quibus destinatus fuerat Sarcophagus. Quid quod Plinius lib. 35. capit. 10. Arellium dicat solitum fuisse Deas pingere, semper scorti alicujus, cujus amore deperibat, imagine. Quod evenit in nostri sæculi pictoribus hoc flagitio artem contaminantibus. Justinus irridet Ethnicos qui pictorum amicas aut statuariorum cynædos adorarent.

Verum si non superbia incitato hoc a Juliano factum admittamus, saltem religionis suæ propagandæ studio motum dicemus. Refert enim de hoc Imperatore Sozomenus lib. 5. cap. 16. quod operam dederit, ut in publicis imaginibus juxta ipsum Juppiter depingeretur, velut e cœlo apparens, coronam & purpuram Imperii insignia, ipsi tradens. Mars item & Mercurius in eum intuentes, & tanquam obtutu oculorum testificantes quod vir esset eloquens & in militia spectatus. Ut non modo, inquit, simulatione honoris subditos res una depictas latenter venerari cogeret: paucique dolum ejus intellexerunt: qui adorare renuerent, pœnas dedere: multitudo autem præ ignoratione mente simplici legi veteri se omnino parere putavit. Idem fere Gregor. Nazianz. orat. contra Julianum. Et ita inscitia decepta ad imagines colendas accessit. Addit Sozomen. Ista quidem & alia quæcumque ad cultum gentilitium spectabant, imaginibus admisceri imperavit. Sub quibus verbis comprehendi potuit & hic modus, sub ipsa Serapidis imagine, effigiem propriam exhibendi: præsertim in nummis qui semper in hominum manibus. Fuit enim antiquus Imperatorum mos imagines suas cum Deorum simulachris venerandas proponere, etiam thure, & vino, quod testatur Plinius lib. 10. Epist. 97. Nec obstat Sozomenus tantum meminisse Jovis & Mercurii, non item Serapidis aut Anubis. Pro iisdem enim habita illa numina scimus: unde recta parte Serapidem videmus, aversa Anubim cum Mercurii caduceo.

Sacra autem Ægyptia Deosque Ægyptios & si sæpius Romani urbe expulerint, constat semper rursus irrepsisse, maximeque repullulasse post tempora Constantini. Quod in capite Serapidis extat, Macrob. 1. Saturnal. Calathum vocat, solisque altitudinem & capacitatem monstrare dicit. Suidas Serapidem modium capite gestare vult. Rufinus pariter modium vocat, quod cum modo & mensura cuncta indicet moderari, vel denique per virtutem Nili frugum largitate, vitam mortalibus præberi. Quidam, addit, in honorem nostri Joseph formatum sic perhibent ob dimensionem frumenti.

Observandum tandem Julianum præter sæculi sui morem barbatum esse, quod illi ab Antiochenſibus objectum. An quod in eo Marcum Aurelium Philosophum imitaretur, cujus æmulum fuisse te-

stis est Eutropius. Philosophi quippe signa sunt barba & pallium. Nummi tamen argentei eum semper imberbem & juvenem referunt, etiam cum titulo Augusti.

A

TABULA XIII.

HErm-heracles cujus ecce typus Mercurium & Herculem exhibet, cippo tetragono & clava dignoscendos. Mercurii statuam in Gymnasio ponere moris erat sicut & Herculis, inquit Pausanias lib. 4. eo quod ille cum isto certaminibus præesset, quare in sequenti marmore utrique Deo commendatur a Corcyrensibus Marcus quidam Byblus.

B

Corcyræ.

Α. ΠΟΛΙΣ ΜΑΡΚΟΝ ΚΑΛΗ..

ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΒΥΒΛΟΝ ΤΟΝ

ΠΑΤΡΩΝΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑ

ΕΡΜΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ

C

Id est.

Civitas Marcum Cali... Caii filium Byblum Patronum & benefactorem Mercurio Herculique commendat. Ubi notanda Dorica Dialectus, quæ H in A mutat, Corcyrensibus in usu.

Mercurii cum Hercule conjunctio designabat vel fortitudinis sociam debere esse eloquentiam, vel eloquentiam ipsam esse monstrorum domitricem: unde Galli Herculem suum eleganti typo depingebant, catenis ex ejus ore exeuntibus, auditoresque multos ipsis alligatos trahentibus. Ast aliquis Chymicus secretum hic sub hoc velamine delitescens suspicabitur, Mercuriumque Herculis laboribus duodecim ad perfectionem erectum ab antiquis intellectum somniabit, qualem sub his ambagibus febrifugum suum descripsit Riverius noster, hac in re Galenicos deserens, quibus recta methodus unicum secretum est.

D

TABVLA XIV.

HErmerotis signum æreum hic exhibeo, Dei nempe compositi ex *Herme* seu Mercurio, cum teneat caduceum & crumenam perpetuum Mercurii typum, & Cupidine, qui *Eros* Græcis dicitur, cum amabilis pueri specie nudus incedat. Quo prisci mysteriis turgentes forte exprimebant amori conjunctam esse eloquentiam debere. Plinius lib. 36. cap. 5. inter eximia sculptorum opera *Hermerotes* Taurisci recenset. Hermeros autem inter Græcos Romanosque cognominis etiam loco usurpari solebat, ut antiqua docent marmora.

E

1

Forojulii.

L. VAL. HERMEROT.
IIIIII VIR. AVG.
HERED. EX TEST.
FECER.

Ex schedis Peiresk.

F

2

Romæ.

In villa Montalto.

Q. TIMINIVS HERMEROS
SIBI ET SVIS
HOC MONVMENTVM EXE...
Q. TIMINI LABEONIS

Exscripsi.

3

Romæ.

HERMEROTI
AVG. LIB.
PRAEPOSITO TABVLAR.
RATIONIS CASTRENSIS
FRATRI INDVLGENTISSIM.
AMPLIATVS
AVG. LIB. FECIT

Exscripsi.

4

Florentiæ, urna,

Apud Canon. Bassetti.

D. M
EVTYCHE
TIS FECIT
HERMEROS
VICARIO

Exscripsi.

5

Deæ Vocontiorum.

D. M.
L. POMP. FAVSTINI FILI PIISSIMI DEFVN.
ANN. X. QVEM POST MORTEM FRATR.
EIVS SEVERIANI L. POMP. HERME
ROS PATER AMISSERAT *sic*

Exscripsi.

Tabularios rationis Castrensis intelligo Notarios ut jam loquimur, sive scribas publicos rationum rerumque castrensium. Sic apud Gruterum Tabularii rationis fisci, rationis hæreditatium & patrimonii Cæsarum. Ideo autem tabularii dicebantur olim, quod tabulis ligneis, eburneis, ferreis, marmoreis consignarentur acta scriptaque, quæ nunc chartæ pergamenoque inscribuntur.

TABULA XV.

HErm-harpocratem sive Mercurium Harpocratemque fingit typus iste, sunt enim in pedibus alæ ut Mercurio, digitoque comprimit ora ut Harpocrates: quo ni fallor antiqui expri-

mere voluerunt, eloquentiam non semper verbis, sed etiam silentio uti, præsertim in amantibus, in quibus secretum pernecessarium, quique sæpius oculis quam ore cum amasiis loquuntur. Malum Persicum utriusque capiti impositum, Harpocrati aliisque Ægyptiis Diis sacrum erat: de quo inferius ubi ex professo de Harpocrate differemus.

TABULA XVI. & XVII.

HErmaphroditi fabulam nemo est qui nesciat. Hunc prior gemma exhibet cum quatuor adstantibus aliis figuris, in amplexum Salmacis venientem, quam deperibat Nympham, quamque in balneo lavantem repererat. Sic factus est cum ea, inquiunt Mythologi, unum idemque corpus servatis tamen duobus sexibus.

Altera figura jam mutatum tradit, ex facie enim & mammis fœmina est, ex virilibus vir. Simile sæpius vidi in aliis statuis tum majoribus tum minoribus, marmoreis æneisque: quo antiqui ex Mercurio & Venere compositum numen intellexerunt. Aphrodite enim Venus est Græcis. Ausonius Epigramm. 98. de eo.

Mercurio genitore satus, genetrice Cythera,
Nominis ut mixti sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus utroque
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

Forte etiam Venerem hoc Symbolo masculam & fœminam esse significarunt: erat enim apud eos utriusque sexus, vetusque Poeta Calvus, ut monuimus ad Inscr. FORTVNAE BARBATAE, *pollentemque Deum Venerem* appellat: imo Virgilius ipse lib. 2. Æneid. de Venere:

Discedo ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Quamquam aliqui, temere fortassis, *Dea* reposuerint. Levinus, *Venerem igitur almam adorans sive fœmina sive mas est, ita ut alma noctiluca est.* Aristophanes Ἀφρόδιτον genere masculino Venerem nominat: & Hesychius expressius ad rem nostram. Ἀφρόδιτος, inquit, ut emendat Salmasius, Θεόφραστος μὲν, τὸν ἑρμαφρόδιτόν φησιν, ὁ δὲ τὰ περὶ Ἀμαθοῦντα γεγραφὼς σὺν πώγωνι ὡς ἄνδρα τὴν θεὸν ἐσχηματίσθαι ἐν Κύπρῳ λέγει. *Aphroditum*, seu Venerem, *Theophrastus quidem Hermaphroditum esse ait, dicitque in Cypro prope Amathuntem hanc Deam cum barba non secus ac vir sculptam esse.* Sed quia

A de Hermaphroditis sermo incidit, paulo fusius jam expediam quinam præcipue Dii Hermaphroditi seu utriusque sexus putati fuerint, præter jam dictam Venerem.


De Luna ecce locum insignem & omnibus notum Spartiani in Caracalla. *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita tunc quoque a Carrhenis præcipue haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addi-*
B *ctus mulieribus semper inserviat: atque vero qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. Unde quamvis Græci vel Ægyptii eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mystice tamen Deum dicunt.* Igitur Deus iste Lunus seu Luna habitu virili sæpe in nummis Græcorum exprimitur. Illustrissimus Abbas *Seguinus* in Nysæorum nummo repperit, ego in Magnetum aliorumque, Imo ejus figuram hic jam vulgatam notabis in Palmyreno marmore superius sculpto. Lunam etiam masculino genere Germani vernacula sua lingua nominare adhuc solent *der Mond*, & Græci recentiores neutro τὸ φεγγάρι. *Liberum Liberamque* depingunt nummi consulares familiæ Cassiæ, ab
C Ursino traditi, idque ut ait ob dedicationem ædis *Liberi* & *Liberæ* bello Latino factam a Spurio Cassio, anno Urbis conditæ 660. Pars recta numismatis juvenis caput hedera pampinisque redimitum, aversa fœminæ eodem modo ornatum exprimit. Iidem *Bacchus* & *Baccha* nominantur. Artemidorus in Oneirocriticis, ὁ δὲ χορὸς ὁ περὶ τὸν Διόνυσον οἵτε βάκχοι καὶ Βάκχαι καὶ Βάσσαραι, &c. Quanquam Bacchos & Bacchas illic indigitare videatur Bacchantes viros fœminasque, ut apud Fulgentium in Mytholog. *Bacchæ dictæ sunt quasi vino vacantes.* Orpheus in Hymno in Mysen, *Bacchum eundem marem ac fœminam fuisse creditum*
D scribit, ἄρρενα καὶ θῆλυν διφυῆ. Sunt præterea qui Cererem *Liberam* vocatam esse asserant, sed *Liberi* & *Liberæ* Inscriptionem repperi Jaderæ, quæ habetur apud Gruterum, pag. LXXXIV. 8. correcte quidem satis, nisi quod putet duas alias Inscriptiones simul ab eo citatas eodem lapide contineri, cum tamen tres distinctos esse lapides viderim.

Fortunam *Muliebrem* & *virilem*, imo *Fortunam Barbatam* exhibuimus *in aris ignotorum Deorum*. Affirmabant nonnulli Deos omnes utriusque esse sexus, sed de his consule Mythologos; hicque subsistam ne recoctam crambem oleant quæ dicturus essem.



ARTICULUS V.

De Harpocrate, & signis Pantheis. Gemmæ variæ.



SAcra non nisi sacris hominibus communicanda gravissimus author consulit Hippocrates, indignum omnino existimans sapientiæ & arcanorum majestatem temere & absque delectu, vulgaribusque ingeniis propalare. Unde Ægyptiorum genti antiquissimæ in votis semper fuit, quasi nationali præventionis jure, exterarum nationum instituta spernendo, sacerdotibus solis aut initiatis Regibus ac primæ notæ viris, per viam quasi Cabalisticæ communicationis, tam superioris quam inferioris naturæ secreta revelare. Adiere ipsos totius Græciæ sapientissimi, imo etiam sacræ paginæ proprium exaratorem Mosem in omni eorum scientia sapientissimum fuisse testantur. Quinetiam Hieroglyphicis mysticisque figuris, characteribusque quasi obducto oculis velo adyta reconditarum rerum & quæ vulgo aperiri nefas sit, A aut certe sacro & inexplicabili sermone palliarunt, aut densis verborum nebulis occultarunt. Hinc divinitatis radios diversimode creatis rebus impressos, aut potius Divinitatis participatione divina effecta rerum simulacra, Deorum quoque nominibus insigniri voluerunt. Nec absque ratione & energia Sacræ eorum Theologiæ Antistites Diis per ipsos vocatis, quædam propria dedicata & consecrata fuere, uti Vulcano Pyramides, Mercurio Hermæ, Apollini sacri Obelisci, ut de reliquis taceam, ea marmoreis, metallicisque formis aut aliis sculptilibus vel etiam portatilibus B annulis gemmisve, affabre non minus quam mystice imprimentes. Ab iisdem Amuleta & iatromathematica processerunt, asserentibus accurata quadam sive potius superstitiosa constellationum observatione, ac pro tempore in debita materia im-

presso effectui proprio signaculo cœlestes virtutes attrahi, ibidemque attractas conservari. Eorum dogmatis & disciplinæ fuisse discipulos cælatores harum gemmarum constat, quæ Harpocratem mysteriorum Deum diversis modis exhibent. Hunc in annulis frequenter gestari a Romanis testis est Plinius l. 33. cap. 3. *Jam vero*, inquit, *etiam Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt.*

TABULA XVIII.

HArpocratem refert Struthioni insidentem, altera parte Solem & Lunam, cujus, ut dicemus, filius, putabatur, cum quibusdam literis, Basilidianorum seu Gnosticorum mysterium aliquod significantibus. Isti enim hæretici ethnicismum & Christianismum confundere solebant.

TABULA XIX.

EXhibet Serapidem cum Harpocrate, hisque literis CONSERVATE ME, quæ forte gemma collo alicujus infantis suspensa fuerat, ut amuleti instar ab eo mala omnia amoveret.

TABULA XX.

HArpocratem flori Loti insidentem, a quo Ægyptii dicti Lotophagi, inter avem animalque quadrupes. Literæ aversæ partis ignotæ ab illis supradictis hæreticis sculptæ.

TABULA XXI.

H*Erm-harpocratem* sive ut superius dicebamus numen ex Mercurio & Harpocrate conflatum. Dextra flagellum, sinistra caduceum gestat, Lotoque insidet.

TABULA XXII.

HArpocratem capite radiato Cornu-copiæ gestantem, indicantem Solem esse abundantiæ causam.

TABULA XXIII.

EUndem inter Solem & Lunam Loto insidentem.

TABULA XXIV.

EUndem stantem, cum literis in aversa parte ΩPANOC AΔΩNE quibus Cœlum Iehovamque Gnostici venerabantur.

TABULA XXV.

EUndem Harpocratem capite Leonino, cum 6. avibus & Lunæ capite. Septem vocales Græcæ, AEHIOYΩ, quibus sæpissime iidem Gnostici utebantur & nomen Jehovah occulta-

A bant. OTIHA vero Spiritum aliquem Angelicum ab illis hæreticis effictum. Alexander Hales voluit has aves esse Angelos orbibus cœlestibus planetarum ab iis tributos. Saturnum autem dictum *Cassiel*, Jovem *Sachiel*, Martem *Samuel*, Solem *Michael*, Venerem *Anabel*, Mercurium *Raphael*, Lunam *Michael*. Plura vide in libro Chifletii sive Macarii Abraxas, qui nonnulla ex his sculpta habet.

TABULA XXVI.

B

ESt aversa pars nummi Antonini cum capite Harpocratis.

TABULA XXVII.

EUndem exhibet capiti asini inverso insidentem; aversæ partis literæ ICXYPON KAI ANEIKHTON, *Forte & invictum* numen invocant.

C

TABULA XXVIII.

EUndem Loto insidentem, circa quem 12. stant animalia.

TABULA XXIX.

EUndem cum literis Græcis vocalibus, Jehovæ nomen tacite exprimentibus.

D

TABULA XXX.

EJusdem caput cum Cornu-copiæ.


HARPOCRATES Osiridis & Isidis filius, quem Plutarchus inarticulatæ orationis præsidem facit. Martianus: Redimitus, inquit, puer ad os compresso digito salutari, silentium commonebat. Varro de lingua lat. *Et si Harpocrates digito significat*: id est, de quo plura dicerem, sed digito imperat mihi silentium. Salutaris enim digitus E silentium faciebat. Apulejus lib. 1. Digitum pollici proximum ori admovens, tace, tace, inquit. Auson.

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signat.

Vide etiam Augustinum de civitate Dei lib. 18. cap. 5. Suidas ait Heraiscum Ægyptium natum digito labris annexo.

Jungebatur Harpocrates Osiridis & Isidis simulachris, ut taceretur homines fuisse: tum etiam F quia pro ipsorum filio habebatur. Osiridem eundem esse cum Serapide, Baccho, Sole, Jove & Plutone ajebant: Item Isidem eandem cum Cerere, Junone, Luna, Proserpinaque. Apul. lib. XI. Quid quod Macrobius omnes Deos ad Apollinem referri posse in Saturnalibus probat. Exinde Harpocratem cum aliis Deorum typis effingebant, ut in sequentibus æreis sigillis, a me inter Peireskii schedas repertis.

Signa varia Harpocratis.



TABULA XXXI. XXXII. XXXIII.

NOn admodum differunt, habentque tantum cornu-copiæ, abundantiæ & fortunæ ſymbolum, & neſcio quem calathum capiti impoſitum fere inſtar Serapidis.

XXXIV. Capite radiato, quod Harpocrates Solis eſſet filius.

XXXV. Præter cornu-copiæ & Æſculapii baculum intorto ſerpente, Cupidinis alas & pharetram habet, a dextro ſiniſtroque pede animalcula non probe diſtincta, quæ a quibuſdam lepus & accipiter eſſe putantur, de quo vide prolixam explicationem apud Smetium in Antiquitatibus Neomagenſibus.

XXXVI. Veſtitus eſt talari veſte, quæ forte Baſſara eſt veſtis genus qua uſus Bacchus teſte Heſychio, Polluce & ſtatuis marmoreis ejus Dei. Phornutus & Horatii interpres cenſent a Baſſara Lydiæ loco dictam. Quid vero negotii cum Baccho habeat Harpocrates non video, niſi quod vinum ut plurimum ſecreta propalat, ſicque ne id accidat Baccho debere adeſſe Harpocratem. Quod in ſigilli vertice aliiſque ſæpiſſime ſculpitur, Perſici fructum eſſe volunt, arborem Harpocrati ſacram, quod cordi ſimilia ſint ejus poma, folia vero linguæ, ut ſcribit Plutarchus. Multoties occurrit idem ſignum in tab. Hieroglyph. illa Bembi, non uno modo ſed variatum, ut flos, herba, pennæ Struthionis aut ſerpentes ſimul adeſſe videantur. Apulejus lib. XI. de Iſide: *Vertice*, inquit, *media ſuper frontem, plana rotunditas in modum ſpeculi, vel immo argenteum Lunæ candidum lumen emicabat, dextra lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cobibita.*

XXXVII. Ex parte anteriori & poſteriori depictum Cupidinem, Æſculapiumque cum Harpocrate depingit, ſiquidem eorum Symbola habet pharetram & ſerpentem. At quid commune habeat Harpocrates cum Cupidine inquirendum. Non certe abſurdum eſt ſilentium, cui præſidet Harpocrates, inter amoris aſſeclas ſtatuere, cui nihil æque neceſſarium ac tutum. Hanc virtutem non inter vulgares locarunt Pythagorici, imo & Romani, qui *Tacitam* Deam habuere, teſte Plutarcho. Horat. *Eſtne fideli tuta ſilentio merces*, *&c.* An ſimiliter ſilentium requiſitum ægris aut Medicis, quorum patronus Æſculapius. De *bulla* quæ ex ejus collo pendet, locus erit alibi fuſe diſſerendi.

XXXVIII. Plura adhuc numina copulata refert; Solem radii: Lunam, ſemicirculus capiti impoſitus,

digitus ori appositus Harpocratem, Cornu-copiæ Abundantiam vel Cererem, Pharetra Cupidinem, Serpens Æsculapium, alæ pedibus additæ Mercurium, & Hedera circa caput Bacchum: ita ut elegantissimum hoc signum jure referri possit ad illa *Panthea*, de quibus modo dicturi sumus.

In Insula Delos,

ΠΟΠΛΙΟΣ....
ΤΟΥΤΩ......
ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΩΝ....
ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ
ΙΣΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟ
ΧΡΑΤΕΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ
ΣΤΑΣΕΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟ
ΚΛΕΟΥΣ ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ

Dii isti Serapis, Isis, Anubis & Harpocrates simul colebantur, unde *Symbomoi* & *Synnaoi* Græcis dicebantur, id est *ad idem altare* & *in eodem templo* culti. Artemidor. Oneirocrit. *Σάραπις καὶ Ἶσις, καὶ Ἄνουβις καὶ Ἁρποκράτης, αὐτοί τε καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῶν καὶ τὰ μυστήρια καὶ πᾶς ὁ περὶ αὐτῶν λόγος, καὶ τῶν τούτοις συννάων τε καὶ συμβώμων θεῶν, ταραχὰς καὶ κινδύνους καὶ ἀπειλὰς καὶ περιστάσεις σημαίνουσι.* Id est. *Sarapis, & Isis, & Anubis & Harpocrates. Ipsi & ipsorum statuæ, atque mysteria & omnis de illis sermo, & Deorum ipsis Synnaorum & Symbomorum, turbas & pericula, minasque & infortunia significant.* Dii ipsis *synnai* erant Osiris, Bubastis, Apis, & Horus; an & *Dioscuri* qui in ipso marmore nominantur; an vero *Dioscuri*, id est Jovis filii cognominantur Anubis & Harpocrates, quia Serapis & Jupiter unum & idem numen essent?

De signis Pantheis. [1] *Signum æreum Pantheum, Romæ, apud Jo. Petrum Bellorium.* [2] *Gemma Panthea.*



TABULA XXXIX.

1. *Signa Panthea* illa erant, quæ omnes Deos, ut etymon Græcum indicat, aut saltem plurimos referebant; sic elegantissimum istud æreum signum quod vir eruditissimus I. P. Bellori Pontificis Antiquarius Romæ possidet istius magni-

tudinis omnes fere Deos ex eorum Symbolis refert. Capitis enim ornamentum Isidem, semicirculus Lunam, Pharetra Cupidinem, Alæ tum ipsum tum Victoriam, Cornu-copiæ Cererem, serpens intortus brachio Salutem, pellis caprina pectori apposita Bacchum, gubernaculum navis Fortunam indigitant, quibus Symbolis insistere diutius inutile censeo, cum sint omnibus trita.

Lucianus dicit se in Syria vidisse statuam Deæ multiformem, quæ quidem esset Juno, haberet tamen aliquid Palladis, Veneris, Lunæ, Rheæ, Dianæ, Nemeseos & Parcarum. Ruffinus, hist. Ecclef. lib. XI. scribit fuisse Alexandriæ sub Theodosio Idolum Serapidis, conflatum ex omnibus generibus metallorum & lignorum. Appulejus lib. XI. Isidem invocans vocat illam Cererem, Dianam, Venerem, Proserpinam; & Inscriptio Vetus Capuæ apud Gruterum citata, TE TIBI VNA QVAE ES OMNIA DEA ISIS ARRIVS BALBINVS V.C. Macrobius etiam, ut jam diximus alibi, probat omnes Deos ad Solem referri.

2. Typus iste ex gemma delineatus signum Pantheum etiam exhibet. Fulmen enim Jovem, caduceus Mercurium, papaver adjunctum Proserpinam, spica frumenti Cererem, sistrum Isidem, temo Fortunam, rota Nemesim, caput armatum casside Palladem & Martem, Alæ Victoriam, & Cornu-copiæ Abundantiam significant.

Panthea autem vocata fuere hæc signa, aut hæ statuæ, non secus ac Templa omnibus Diis dicata, eorumque imagines continentia. Testes sunt Inscriptiones Veteres, apud Gruterum pag. 77. FORTVNAE PRIMIGENIAE SIGNVM LIBERI PATRIS PANTHEI, &c.

Ecce & aliam Grutero incognitam, & a Reinesio Epist. pag. 510. traditam, imo a me ipso exscriptam:

Romæ.
In hortis Justinianeis.

DIS DEABVS
C. IVLIVS C. F. ARN.
AFRICANVS BRIXEL
LO OPTIO EQVIT.
COH. VIII. PR. 7. IVLI
SIGNVM AEREVM
PANTHEVM
D. D. V. L. L. M.
DEDICATVS X. K.
AVG. BARBARO ET
REGVLO COS.

Exscripsi.

Id est, *Diis Deabus Cajus Julius Caii Filius, Arniensi tribu, cognomine Africanus, Brixello* urbe, quæ nunc Brissello, ad Padum sita, natus, *Optio Equitum Cohortis octavæ Prætoriæ Centuria Juli, signum æreum Pantheum dono dedit, Voto libenti libero munere, dedicatum decimo Kalendas Augustas, Barbaro & Regulo Consulibus;* qui consulatus in annum incidit Urbis Conditæ 910. Ubi Notandum Fastos Capitolinos Barbatum pro *Barbaro* habere, contra marmoris hujus fidem, Cassiodori chronicon, & Fastos Siculos, qui habent *Barbaro, & Regulo. Dedicatus* vel error est fabrilis pro *dedicatum*, vel subintelligitur *Lapis*.

Pantheas Inscriptiones quidni etiam vocare licebit eas quæ omnibus Diis dicatæ sunt? Inter quas ineditæ sequentes recenseri merentur.

1
Romæ.
In villa Justinian.

DIIS OMNIPOTENTIBVS
LVCIVS RAGONIVS
VENVSTVS V. C. — Vir Clarissimus.
AVGVR PVBLICVS
P. R. Q. PONTIFEX — P. R. Q. Populi Romani Quiritium.
VESTALIS MAIOR
PERCEPTO TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE
X. KAL. IVN.
DN. VALENTINIANO
AVG. IIII. ET
NEOTERIO CONS.
ARAM CONSECRAVIT

Exscripsi.

Taurobolium erat Sacrificium Taurorum; *Criobolium* vero Arietum. Ea percipere dicebatur is qui victimarum sanguine perfundebatur, ad expetitam expiationem absolvendam. Consulatus hic notatus est anni Æræ Christianæ, 390. Die hac, scilicet X. Calendas Junias, festum erat in Calendario vetere Constantii ætate exscripto, sic nominatum *Macellus rosa sumat:* id est, Macellus sive macellum, utrumque enim dicebatur, rosis ornetur: ideoque Sacrificio faciendo commodum tempus.

2
In ruderibus Cemenelii,
prope Niciam Provinc.

IOVI O. M.
CETERISQ. DIIS
DEABVSQ. IMMORT.
TIB. CL. DEMETRIVS
DOM. NICOMED.
V. E. PROC. AVGG NN.
ITEM CC. EPISCEPSEOS
CHORAE INFERIORIS

Ex Dom. Mayer Lugdunensi.
Id est.

Jovi Optimo Maximo, Ceterisque Diis immortalibus, Tiberius Claudius Demetrius, Domo, id est patria, *Nicomediensi Vir Egregius, Procurator Augustorum nostrorum, item ducentesimæ Episcepseos choræ inferioris*: id est, *Inspectionis regionis inferioris*, vocibus duabus Græcis in Latinas vestitis. Ducentesima erat tributum quoddam ab Imperatoribus Romanis exigi solitum.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De Cymbalis, Crotalis, Crupeziis, Tympanis, Cytharis & crepitaculis Antiquorum.

Major pars ex Schedis Bagarrianis.



Ex Marmoribus.

TABULA XL. XLI. & XLII.

CYmbala esse hæc instrumenta quæ tres istæ saltatriculæ gestant, unumque cum altero concutiunt, audacter assero: quod ea videam labris assimilari. Fulgentius Mytholog. lib. 1. cap. de Musis: *duo labia velut cymbala verborum commoda modulantia, lingua ut plectrum,* &c. Isidorus

Pelusiota, Epist. 457. postquam Psalterium, cytharam, tympanum, chorum, chordas, organum, variis corporis humani membris comparavit, ultimo cymbala labiis assimilat. Cava fuisse convincit illud Clementis Alexandrini, in Protreptico: *Ex cymbalo bibi, ex tympano comedi*. Item illud Ovidii Fast.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Æra Deæ comites, raucaque terga movent.

Cymbala enim erant ex ære, quasi duæ scutellæ, tympana ex pelle. Illorum figuram innuit Cassiodorus lib. 4. Epist. ultim. *Quid Acetabulorum tinnitus? &c.* Augustinus, ad Psalm. 150 dicit *Cymbala se invicem tangere ut sonent*. Propert. Eleg. 7. *Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles*, id est Cymbala, ut recte notavit Lipsius. Phurnutus depingens Comum Deum; *Nam dextra, inquit, contractis digitis, subjectam sinistram ad clavum plectit, ut manus Cymbalorum more percussæ consonæ fiant*. Ovidius, 3 de arte, hoc versu Cymbala intelligit:

Discite & duplici genialia nablia palma
Vertere.

Utraque enim palma sive manu ad Cymbala opus erat, ut in figuris videre est. Quinimo omnes pene sacri & profani scriptores Cymbala in plurali efferunt, & concuti ea, quassari, tinnitumque edere dicunt. Et nonnumquam æra simpliciter vocant. Petronius Arbiter, *intrans Cymbalistria, & concrepans æra*. Statius, Thebaid. 8. *Geminaque æra sonant, Idæaque terga*. Ovidius, *concavaque æra sonant*. Catullus: *Leve Tympanum remugit, cava Cymbala recrepant*, & alibi;

Aut tereti tenueis tinnitus ære ciebant.

Divus Paulus, Epist. 1. ad Corinthios, cap. 13. *Etiamsi sermonem hominum & Angelorum loquerer, charitatem vero non haberem, essem tum ut æs resonans, aut Cymbalum tinniens*. Cassiodorus dividens instrumenta musica, dicit inter percussionalia esse veluti acetabula ænea vel argentea, vel alia quæ aliquo vigore percussa reddunt cum suavitate tinnitum. Cymbali etymon a Κύμβος, id est *cavus*, vide in Vossii etymolog.

Usurpabantur in Ceremoniis matris Idææ, id est Cybeles. Appulejus Metamorph. lib 8. *Inibi vir principalis, & alias religiosus & eximie Deum venerans, tinnitu Cymbalorum & sonitu tympanorum, cantusque Phrygiis mulcentibus modulis excitus percurrit obviam, Deamque votivo suscipiens hospitio, nos omnes intra conseptum domus amplissimæ constituit: numenque summa veneratione atque hostiis opimis placare constituit*. Unde Cybele vulgo in marmoribus depingitur cum Cymbalis tympanisque. Fallitur Gruterus ad Inscript. 3. pag. XXVII. in quo marmore Matri magnæ dedicato *Cymbala* depicta sunt, non vero, aut ait, *Crotala*; quod jam ex eorum typo cuivis deprehendere licebit. Ovidius lib. 4. Fastor. usui esse, ostendit in Festis Megalesiis, quæ magnæ huic Deum matri dicata erant.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
Ibunt semimares & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Idem Ovidius Festa Liberi describens, hæc ait.

Liber adest; festisque fremunt ululatibus agri,
Turba ruunt, mistæque viris matresque nurusque
Vulgusque, Proceresque ignota ad sacra feruntur.
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes? Pentheus ait: Ærane tantum
Ære repulsa valent? Et adunco tibia cornu.

TABULA XLIII.

CRotalum proprie scissa arundo, constructa studio ut sonet, si quis ipsam quatiat manibus: sic enim glossæ Græcorum: Κρόταλον κυρίως ὁ σχιζόμενος [illegible], ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δωνοίη ταῖς χερσὶ, καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. Stymphalides aves, quæ humana victitabant carne, ab Hercule sagittis transfixas tradunt plerique: at Pisander Camirensis referente Pausania in Arcadicis, non peremptas fuisse ab Hercule has aves, sed *Crotalorum* sonitu e loco pulsas asserebat. Inde Aristophani garrulus & loquax homo *Crotalon* nominatur. *Crotali* etymon a Κροτέω pulso, tradit Vossius in etymologico. *Crotalis* utentes fœminæ, ut ista hic depicta, *crotalistriæ* vocabantur. Sic P. Syrus de Ciconia: *pietaticultrix, gracilipes, crotalistria*, ob hujus avis similem Crotalis rostri collisionem, crepitationemque.

Usurpabantur in Deorum Festis, ludis publicis, & comessationibus: unde Virgil. in Priap.

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulsa manu.

Idemque in Copa, *Crispum sub Crotalo docta movere latus*.

Clemens Alexandrinus a conviviis arcere volebat *tympana & Cymbala & crepitacula, quæ dicuntur Crotala, inventa a Siculis*.

TABULA XLIV.

CRumata erant species Crotalorum, quæ digitis pulsat hic juvenis. Scaliger ad Copam, dicit fuisse *testulas & ossicula usum Crotali præstantia*. Fuerunt autem Hispanis maxime in usu, præcipue iis qui Bæticam Provinciam Gadesque incolebant. Unde Martialis: *Itane Gadibus improbis puellæ vibrabunt sine fine prurientes lascivos docili tremore lumbos*; & alibi:

Edere lascivos ad Bætica crumata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Hispani & maxime Gaditani etiamnum iis utuntur in saltationibus, & *castagneras* vocant, ab iisque ad nos eorum pervenit usus. Nec tamen antiquis Græcis incognita erant. Aristophanes in ranis: ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις αὕτη κροτοῦσα: *ubinam est illa quæ ostreis*, id est crumatis, *pulsabat*. Ad saltationes his instrumentis comitatas alludit Juvenalis:

Forsitan expectes ut Gaditana canoro,
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ,
Ad terram tremulo descendant clune puellæ.

Eaque simpliciter testas vocat jam citatus Martialis.

Audiat ille
Testarum crepitus, cum verbis nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet.

Conficiunt etiam similia crepitacula mendici & histriones nostri ex ossiculis & spathulis ligneis, quas dum sinistra tenent, dextræ digitis alternatim eas percutientes strepitum edunt, quem non plane injucundum voci accommodant.

TABULA XLV.

SCabilla & *Crupezia* non admodum a Crotalis differebant, nisi quod pedibus subjiciebantur, sicque saltando collidebantur, ut in hoc typo videre est. Arnobius contra Gent. *Ut inflandis buccula distenderent tibiis, ut præirent obscænis numerositer & scabillorum concrepationibus sonoris, quibus incompositis dissolveretur in motus, saltitaret & cantaret, orbes saltatorios verteret, & clunibus & coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret*: Idem lib. 7. *Etiamne Dii æris tinnitibus & quassationibus cymbalorum* afficiuntur? *Etiamne symphoniis? Quid efficiunt crepitus Scabillorum? Ut cum eos audierint Numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant.* Κρυπέζια vero Crupezia dicebantur ἀπὸ τȣ̃ κρούειν ϗ τὰς πέζας, a pedis plausu & percussione. Pollux lib. 10. cap. 33. Crupezia Tibicinum soleas vocat. De his plura vide, apud Albertum Rubenium de re vestiaria, & Casparum Bartholinum *de Tibiis veterum*, lib. 3. c. 4.

TABULA XLVI. & XLVII.

TYmpana variis in marmoribus occurrunt, qualia hic cernere licet, a saltatricibus Bacchantibusque usurpata, ut ex Livio discimus, ubi de eorum origine, lib. 39. Tympani Etymon a τυπεῖν *pulsare*, quidam deducunt: at illud ab Hebræa voce derivat Vossius in Etymolog. quem consulere licet. Non dissimilia autem fuerunt a nostris tympanis, quæ vocamus *Tambours de Basque*, in quibus tintinnabula, ut in priori figura observare est: unde Catullo, *Leve Tympanum remugit*. Idemque carm. 64.

Cybelles Phrygia ad nemora Deæ
Ubi Cymbalum sonat vox, uti tympana reboant.

Erant enim in Cybelis cultu pernecessaria, ipsaque tympanum manu gestans depingebatur: ut & in Bacchi Orgiis, Ovid. lib. 4. Metamorph.

Et adhuc Minyeia proles
Urget opus; spernitque Deum, festumque profanat:
Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis, & adunco tibia cornu,
Tinnulaque æra sonant.

Herodianus lib. 5. de Antonino Elagabalo: *Procedens identidem ad tibias & tympana, velut orgia numinis concelebraret.* Hæc instrumenta a Syris ad Græcos, & a Græcis ad Romanos pervenerunt. Juvenalis.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.

TABULA XLVIII.

CYtharam cernis in illo mulieris typo, quæ chordas plectro attingit; estque triangulari forma, qualis describitur in Epist. quæ Hieronymo tribuitur de generibus musicorum. *Cythara autem*, inquit, *de qua sermo est, Ecclesia est spiritualiter, quæ cum 24. Seniorum dogmatibus trinam formam habens, quasi in modum Deltæ litteræ, &c.* Aliud lyram, aliud Cytharam esse, ex Pausania colligimus, qui Mercurium lyræ, Apollinem Cytharæ facit inventorem. Poetæ tamen solent ea instrumenta confundere ob similitudinem, imo Apollinem exhibent tum marmora, tum numismata cum Lyra, quæ ex duobus S constare videtur, uno recto altero obverso. Plura vide, in Vossii Etymolog.

TABULA XLIX.

SIstrum Isidis gestat hæc figura, de quo Servius ad Æneid. lib. 8. *Isis est genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus significat.* Forma ejus erat ovalis & manubriata, cum tribus transversalibus bacillis, qualis tum in hoc marmore, tum passim alibi observatur. Quia autem de eo varii scripserunt, tædiosum esset eadem repetere. Palmæ frondes quas sinistra gestat, in Sacris Serapidis ferri ab Ægyptiis sacerdotibus, testantur Epiphanius, lib. 2. contra hæreses, & Apulejus lib. 11.

ARTICULUS VII.

De Diis Manibus.

DIis Manibus omnia fere Romanorum sepulchra dedicata esse norunt omnes tantillum in antiquitate versati, quod eos existimarent mortuis præsidere: at qua religione reverendos esse putarent, quantumve sacrilegium in violandis quæ iis consecrata erant monumentis patraretur, nunc ex quibusdam selectis marmoribus detegam.

Romæ, In Palatio Ducis Altemps.
Urna Marmorea.

NE TANGITO
O MORTALIS
REVERERE
MANES DEOS

Exscripsi.

Florentiæ.

Urna quadrata.

C. IVLIVS C. L.
BARNAEVS
OLLA EIVS SI QVI
OVVIOLAVIT AD
IFEROS NON RECIPIA sic
TVR

Exscripsi.

Id est, Ollam sive urnam ejus si quis violabit ad Inferos non recipiatur. Ubi notandum *ouviolavit* pro *violabit*, duplici idiotismo, quod *u* quasi *ou* nostrum pronunciaretur, *b* vero ut *u*.

A

Florentiæ.
Apud Marchion. Corsini.

OSSA HIC SITA
SVNT AVCTAES
APVSTIAE RVFAE QV
AE FVIT ROGO PER SV
PEROS QVI ESTIS OSSA MEA TVEATIS B

Exscripsi.

Inscriptio monumenti non inelegans, quamvis *tueatis* pro *tueamini* scriptum sit. Apustia *Rufa quæ viva* fuerat, eos qui fuerant rogat ut ossa tueantur sua: tacite eos monens, futurum etiam tempus, quo & ipsimet non erunt, eandemque gratiam a posteris deposcent. Sequens a Grutero citata, sed incorrecta.

Romæ. C

HERIAE THISBE
MONODIARIAE
T. CLAVDI GLAPHYRI
CHORAVLAE
ACTIONICAE
ET SEBASTIONICAE
TERRENVM SACRVM
LONGVM P. X. LAT. P. X.
IN QVO CONDITA EST
FODERE NOLI NE
SACRILEGIVM COMMITTAS. D

Exscripsi.

Romæ.
In hortis Justinian.

Sarcophagus.

D. M.
CVSPIA AEGLA
LIS HOC SARCO
PHAG. APERIRI E
N. LIC.

Exscripsi.

Sarcophagus & *Sarcophagum* in lapidibus antiquis legitur: frequentius priori modo. A qua voce derivatur Gallica *Cercueil*, quæ melius *Sarcueil* scriberetur, juxta suam originem.

F

At *Dii manes* videntur fere incogniti fuisse Græcis: nusquam enim in eorum sepulchris, quanquam plurima perscripserim, Manium mentionem factam animadverti, saltem in Græcia, unicaque apud Gruterum extat alicubi in Græcia citata, in qua legitur ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ, id est *Diis Manibus*: sed an non potius Romani alicujus fuerit in Græcia defuncti nescio: aut saltem Græci ex Romana prosapia oriundi. Sic enim aliquot Græcas inscriptiones istorum Græcorum reperi Romæ, cum his characteribus, Θ. Κ. quæ significant θεοῖς καταχθονίοις, sicuti Latini D. M. *Diis Manibus*.

Romæ.
In hortis Justinian.

1

Θ. Κ.
ΙΟΥΛΙΑΙ ΑΜΜΙ
ΑΙ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ
ΙΟΥΛΙΟϹ ΘΕΟ
ΦΡΑϹΤΑϹ ΚΑΙ
ΑΠΑΜΑ ΓΟΝΕΙϹ

Exscripsi.

Id est.

Diis Manibus.
Juliæ Ammiæ
Filiæ dulcissimæ
Julius Theophrastas
Et Apama Parentes.

Romæ.

In hortis Justinian.

2

Θ. Κ.
ΙΟΥΛΙΩΙ ΑΛ
ΚΑΙΩΙ ΠΑΤΡΙ
ΕΥ ϹΕΒΕϹΤΑΤ
ΩΙ ΙΟΥΛΙΟϹ
ΛΑΜΠΡΟΚΛΗϹ

Exscripsi.

Id est.

Diis Manibus
Julio Alcæo
Pientissimo
Julius Lamprocles.

Romæ.
In hortis Justinian.

3

Θ. Κ.
ΚΑΤΑ ΚΕΛΕΥ
ΣΙΝ ΤΗΣ ΔΕΣ
ΠΟΙΝΗΣ Γ. ΑΠΡΙ
ΚΙΟΣ ΘΡΕΠΤΟΣ
ΖΗΣΑΝΤΙ ΕΤΗ
ΙΜ...ΚΑ

Exscripsi.

Id est.

Diis Manibus,
Ex jussu Dominæ
Cajus Apricius Threptus
Qui vixit
Annos....

Nonnulla alia exempla observabuntur in Marmoribus nostris Græcis, sive Supplementi Gruteriani libro secundo.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SECUNDA.

De Baccho, Sileno, Satyris, Faunis, Musis, Mænadibus, Fanaticis, Nymphis, & Hercule.

ARTICULUS PRIMUS.

Vas Marmoreum ingens, Cajetæ.






ELEGANTISSIMUM istud marmor cernitur Cajetæ, quæ urbs est regni Neapolitani maritima, in æde maxima, sculptumque, ut præfert inscriptio, a Salpione Atheniensi sculptore, velut ex ejus opere patet, peritissimo.

Bacchus infans affertur a Mercurio ad educandum, Leucotheæ materteræ, quæ primum ubera puero dedit: postea Nymphis datus enutriendus & Sileno, ut fusius legitur apud Orpheum, Pausaniam, Ovid. 3. Metamorphoseon. Mercurii elegans pileus quadratus est observandus, qui & in nummis occurrit. Astant Nymphæ & Satyri, qui ab ejus custodia cultuque Bacchæ Bacchantesque audiunt. Ex illis tres thyrsum dextra tenent,

A cujus extremæ parti superius adjunctum Pini pomum Libero sacrum. Alter qui cymbalum pulsat, jam superius exhibitus est. Ultimus, *fronte crinita Faunus*, ut ait Virgil. in Priapeiis, tibias duas inflat, ut sæpe in antiquis notamus monumentis: circa hæc notandum Artemidori onirocriticum. ὁ δὲ χορὸς ὁ περὶ τὸν Διόνυσον, οἵ τε βάκχοι καὶ βάκχαι, καὶ βάσσαραι, καὶ Σάτυρος καὶ Πᾶνες, καὶ ὅσα ἄλλα ἐστὶν ὅμοια ὀνόματα, ἱερὰ τούτῳ τῷ Θεῷ, καὶ ὁμοῦ καὶ ἰδίᾳ ἕκαστος, μεγάλας ταραχὰς καὶ κινδύνους καὶ περιβοησίας σημαίνουσι: *Chorus autem*, inquit, *qui Baccho a-*
B *dest, Bacchi & Bacchæ, Bassaræ, Satyrus, Panes sive Fauni, aliaque similia nomina, huic Deo sacra & simul & separatim singuli, turbas magnas, pericula, strepitusque significant*: ex eo fortasse quod magno cum strepitu incedere solerent Bacchi ministri cymbala pulsantes, tibias inflantes, thyrsosque quatientes, ut hic observare licet.

ARTICULUS II.

Nummus ex Ære, mediæ formæ,
Olim apud me, nunc apud R. Abbatem D. de Camps.



EXimius hic nummus ab una parte facies exhibet adversas Imperatoris Cæsaris Lucii Septimii Severi Augusti & Juliæ Domnæ Augustæ ipsius conjugis: ab altera vero parte populi nomen, qui nummum eis dicavit, *Seleuciorum* nempe qui *ad Fluvium Calycadnum* sedent. Cum enim plures essent civitates Seleuciæ nomen ferentes, necesse erat eas ab aliqua circumstantia distinguere. Erat Seleucia ad Belum Plinio memorata in cava Syria, altera in eadem provincia, sed Pieria cognominata, tertia in Babylonica regione ad fluvium Hediphontem, quarta ad Tigrim Babylonia dicta quæ nunc *Bagdet*, quinta Pisidiæ in Pamphyliæ confiniis, ultima *trachea* sive *aspera* cognominata in Cilicia ad flumen Calycadnum, quæ hæc nostra est.

Typus autem hujus aversæ partis Bacchum repræsentat Indorum domitorem, hastam in hostem vibrantem, brachio sinistro pellem tigrinam sustiA nentem, eademque manu cantharum gestantem, quasi Pantheras suas potare vellet, currum ejus trahentes. Utræque autem tum tigrides tum pantheræ Baccho sacræ erant, quia vinum ferocem animum reddit. Videntur autem Seleucii ipsius Dei triumphum Severo applicare voluisse, quod is celerrime hostes suos Didium Julianum, Pescennium Nigrum & Albinum devicisset. Adde quod Bacchum præcipue veneratus sit Severus, quod ex nummo ejus patet inscripto DIIS AUSPICIBUS, cum Baccho & Hercule stante: idque propterea quod bellum inferret iis regionibus quæ Bacchi victorias decantabant, Parthis, Osrhoenisque de B quibus triumphavit Severus. Ita Herodianus in vita Severi, orationem sive adlocutionem ejus ad milites recitans, cum vellet contra Albinum proficisci, *Eamus*, inquit, *Diis auspicibus* (θεὺς τε ἔχοντες βοηθὺς) *quos impie pejeravit.*

ARTICULUS III.

Silenus, ex candelabro antiquo.



I. Habitus hic & vultus Sileni Bacchi nutritoris, de quo Horatius, *An custos famulusque Dei Silenus alumni*. Calvum quippe caput, frons lata, nasus simus, cantharusque Sileni symbola sunt. Phallicum præterea signum sive ficulneum veretrum quod inter alia sinistra gestat, circumfereC batur in Orgiis sive Cerimoniis Bacchi, ob turpe votum quod Bacchum solvisse Polyhipno fabulantur Græci. De quo præter varios authores profanos, Tertullian. contra Valentinum, loquens de Eleusiniis sacris: *Tot siparia portarum, totum signaculum linguæ, simulachrum membri virilis reve-*

latur. Theodoretus, lib. 8. de Martyrib. *Taceo ficulneum veretrum, quæque circa illud mysteria ritusque haberentur*. Fiebant & ex salice: Virgil. *Tot verpas tibi dedicat salignas*. Arnobius libro 5. contra Gentes Polyhipnum Prosumnum vocat, idemque de his Phallophoriis: *Ithyphallorum illa fascinorumque subrectio, quos ritibus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert, quo se a debito Liber liberavit?* Pluraque proferre possem, nisi me pudor haberet, ut ait Arnobius, alma illa proferre mysteria, quæ per rura per oppida in Liberi honorem erigebat Græcia. Fuerunt etiam apud Athenienses Canephoria Baccho sacra, in quibus puellæ canistrum aureum frugibus plenum gestabant, ut ait Demaratus, in certaminibus Dionysiacis. Cicero lib. 4. in Verrem, orat. 9. *Erant ænea præterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur*. Sed de Canephoriis quæ erant etiam Dianæ festum, plura apud Fasoldi Hierologiam Græcorum.

II. & III. Serpens e cista ad Orgia Bacchi etiam pertinet. Athenagoras orat. pro Christianis: *Athenienses Erectheo Neptuno sacra faciunt, iidemque Agraulo & Pandroso, quæ quod cistam aperuissent, scelus perpetrasse existimatæ sunt*. Catullus, *Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis*. Tibullus, *Et levis occultis conscia cista sacris*. Suidas in Κισοφόρος. ἔοικε ἱερὰς τὰς κίστας τῷ Διονύσῳ καὶ ταῖν θεαῖν. Erant ergo illæ cistæ Dionysio Cererique sacræ & Proserpinæ. Arnobius lib. 5. Inter Eleusiniorum symbola recenset illud: *Ex cista sumsi, in calathum misi; accepi, rursus in cistulam transtuli*: Theocritus Idyll. 33. ἱερὰ δ᾽ ἐκ κίστας πεποναμένα χερσὶν ἑλοῖσαι; id est, *Sacra vero ex cista elaborata manibus accipientes*; loquens de sacris Bacchi.

De serpente vero notandum quod refert Epiphanius lib. 1. contra hæreses. *Ophitæ hæretici serpentem in cista asservabant; eumq; in templo adorabant, osculabantur & panes præbebant*. Id ab Ethnicis acceperant: *Vivum serpentem in Templis habebant Ægyptii*, ut ait Clemens Alexandrinus. Erat & in Templo Isidis. Justinus, Oratione ad Antoninum, *Apud quemque eorum qui a vobis Dii censentur, serpentem veluti symbolum magnum atque mysterium pingitis*. Sed expressius Clemens Alexandrinus in Protreptico, signum Bacchicorum Orgiorum ait esse serpentem mysteriis initiatum. Arnobius lib. 5. *Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est: in quibus furore mentito & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantia viscera, oribus cruentatis dissipatis*. Hæc ex Schedis Viri Eruditiss. Petri Antonii de Bagarris.

Ecce elegantem inscriptionem Alexandri VII. tempore repertam.

Romæ.

In foro Boario.


DEO SANCTO NVMINI
DEO MAGNO LIBERO
PATRI ET ADSTATORI
ET CONSERBATORI H. I. COLL.
VELABRENSIVM
DOMITIVS SECVNDVS CVRAT.
ET RESTAVRATOR FRATRIBVS SVIS.

Ex I. P. Bellorio.

Velabrum locus Romæ in Regione undecima, a quo dictum hoc Collegium Velabrensium, cujus Patronus erat Bacchus. Notandum *Conserbatori* pro Conservatori. H. I. quid sit non admodum mihi constat, nisi forte *Hujus primi*. COLL. id est *Collegii*. CVRAT. *Curator*.

ARTICULUS IV.

Vas sive Urna marmorea 7. vel 8. pedes alta, in hortis Justiniani, quatuor prospectibus depicta.



Prima hæc facies Silenum ebrium exhibet ex cujus sinistro humero vitis folia pendent. Proxime stat Ulmus, arbor Baccho sacra, quam conscendit lacerta. Arbori alligatur pellis Tigridis eidem Deo dicatæ. Servus a dextris Silenum sustentat. Instrumentum illud quod calcat, strigil est, qua in balneis utebantur ad sudorem squalloremque detergendum. Alter adolescens a sinistris eum retinet

retinet. Pan vero sive Faunus capripes brachium Sileni attingit, eum quasi monens bono esse debere animo. Sequitur junior Satyrus pellem bovinam & ovinam columnæ appendens.

Secunda facies habet eundem Satyrum, qui primæ ultimus erat. Ei terga vertit alter, vas vinarium humeris gestans. Inde alius tibiam inflans incedit, sacrificii præludium. Eumque præcedit socius syringa ludens. Id instrumentum Pani sylvestribusque aliis numinibus familiare ex junctis arundinibus constabat:

Garrula sylvestri fistula sacra Deo:
Fistula cui semper decrescit arundinis ordo.

Is Satyrus strigilem prædictam ad corporis detersionem dextra gestat. De hoc Choulius noster, libro de Balneis Romanorum.

Tertia facies, eundem primo exhibet Syringa ludentem qui in secunda ultimus erat. Præcedit eum junior Satyrus tibia dulce canens: aliusque intermedio vase forte thurario ei obversus, tigrinam pellem humeris gestans. Stat ad ejus pedes arula cum igne, ad quam thus Baccho adoleverunt,

A vel potius Hermæ Ithyphallo, cui coronam imponit alter. Vide quæ de Hermis superius disseruimus.

Quarta. Quatuor Ministri sacrorum coronati, ut solebant sacrificantes, suem mactatum vasi aquæ calidæ impositum depilant, forte ut ejus carne vescantur. Epulæ enim cum sacrificiis conjungebantur. Dependet ex arbore hircus Baccho sacer. Inde stat ipse Bacchus pampinis coronatus, thyrso innixus, dextramque adstantis humero sustinens. Ad ejus pedes tigris parva, ut in nummis, esse videtur. *Trahitque Bacchus virginis tener formam.* Virg. *Tu puer æternus, tu formosissimus alto con-*
B *spiceris cælo.* Ovid. Notandum in tota hac eleganti Urna, juniores Satyros qui ex cauda, arrectis auribus, acuminata virili parte dignoscuntur, cornibus carere. Unde immerito magnus Scaliger sculptorem reprehendit preciosæ illius gemmæ in suis opusculis exhibitæ, quod juniori Satyro, qui Silenum sustinet, non sese prodant cornua, si junioribus, ut ex hoc marmore conjicere licet, cornua affigere non solerent veteres, quasi nondum ipsis emersissent, sicuti & cornigeris animalibus nonnisi certo tempore germinant.

ARTICULUS V.

Urna marmorea Mænades repræsentans.



Romæ.

C Mænades sive Bacchantes in hac urna cineraria effinguntur, quales eas Poetæ aliique authores describere solent. Apulejus lib. 8. de Gallis Bacchantibus: *Crinesque pendulos rotantes in circulum, capite demisso.* Catullus: *ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.* Fanaticum caput jactare dicit Ulpianus de ædilit. edicto. Strabo lib. x. ab agitatione corporis Corybantes nominatos dicit. Tacitus lib. XI. Annalium: *At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno, simulachrum vindemiæ, per domum celebrabat: urgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.* Unde Pauf. Bacchas dicit esse

sacras fœminas Liberi patris instinctu afflatas sive furentes. *Mænades* enim dictæ a verbo *μαίνεσθαι*, quod est furere. De sacro hoc furore plura Socrates in Phædro: qui furor ad imitationem Bacchi fiebat. Is enim, ut inquit Apollodorus lib. 3. *Post vitem inventam a Junone furore injecto percitus*, A *Ægyptumque ac Syriam pererravit*.

Verum quid cum Bacchantibus commune habuit Marcus Ulpius Terpnus? An quod sacrorum Bacchi fuerit aliquando Minister? An vero quod Bacchum peculiari aliquo cultu reveritus fuerit?

ARTICULUS VI.

De Fanaticis & Sortilegis.



A Bacchantibus non admodum differebant Fanatici, qui non solum Baccho addicti erant, sed & aliorum Deorum Fanis, veluti Isidis, Serapidis ac Bellonæ. Juvenal. Sat. secunda. *Et crine senex Fanaticus albo*. Satyr. 4. *Sed ut Fanaticus œstro percussus Bellona tuo divinat.* Ad id refertur & Inscrip. Gruteri p.CCCXIII. I. Q. CAECILIO APOLLINARI FANATICO DE AEDE BELLONAE PVLVIN. CVIVS MONITV HASTA IN AEDE BELLONAE IN LVCO DICATA EST. Fanatici dicebantur ergo, quod circa Fana baccharentur, ut expressius intelligere est ex Ulpiano, ad Ædilit. edict. *Si servus*, inquit, *inter Fanaticos non semper caput jactaret, & aliqua profatus* B *esset, nihil omnino sanum videri: & si quis maneat in eo vitio ut circa Fana Bacchari soleat, & quasi demens responsa det*, &c Vossius in Etymologico: Quod ad Fanaticorum appellationem, *inquit*, proprie dicitur de Sacerdotibus: unde in Glossis Philoxeni legere est: Fanaticus, ἱερατικὸς, ἱερόδουλος. Atque ita accipit vetus lapis: Q CAECILIO APOLLINARI FANATICO DE AEDE BELLONAE, &c. Verum quia hi oraculum edituri, divino furore corripi putabantur, eamque opinionem crebra capitis quassatione ac aliis insanientium indiciis adjuvabant: inde est, quod Fanaticus etiam sumitur pro furioso atque insano.

Romæ.

In tab. marmorea.

C. STIMINIVS
HERACLA
SORTILEGVS
AB VENERE
ERVCINA ET
IVLIA MELANTHIS
PARENTES
MERCVRIALI
F. PIENTISS.
FECERVNT
V!X ANN. XIIII
M. III. D. XX.

Ex Sched. Barberinis.

Sortilegi erant etiam Templorum Ministri, hic nempe ædis Veneris Erycinæ, sortibus legendis C destinati, ut iis, qui eventum aliquem sciscitabantur responderent.

ARTICULUS VII.

De Nymphis,
Et Fontium Geniis.



Exscripsi.

Nymphæ aquarum exhibentur in hoc marmore cum vase aquam effundente, folioque herbæ cujusdam aquaticæ, quæ forte potamogeton. Najades etiam vocabantur quæ aquis præsidebant, ut Dryades quæ silvis. Serpens in Deorum sacris sæpe erat, sed an Nymphis peculiaris, mihi incompertum est. Stat ex altera parte Augustalis Augustorum libertus Nympharum numini sacrificans. Ipsæmet Nymphæ aliquando Augustæ vocabantur, quod Augustorum familiæ præesse putarentur, ut in sequenti Inscriptione.


Vasione.

NYMPHIS
AVGVSTIS
MATERNVS
V. S. L. M.

Sequens habetur apud Gruterum, sed sine figuris, Diana scilic. Nymphis tribus, Silvano & Herculе. Quæ numina ex suis attributis hic dignoscuntur.

Romæ.

In villa Matthæi.



Exscripsi.

In Insula Bracchia Dalmatiæ, vulgo Brazza, ad fontem.

NYMPHIS S.
Q. SILVIVS SP. F.
CENT. COH. I. BELG.
CVR. GENS THEAT.
D. D.

Ex Jo. Lucii Inscript. Dalmatiæ, sed ille incorrecte eam refert.

Id est, *Nymphis sacrum Quintus Silvius Spurii filius, Centurio Cohortis primæ Belgicæ, curavit. Gens Theatinorum dedicavit.* Theate, sive Teate, urbs erat Italiæ ex adverso Dalmatiæ.

AQUA JULIA, TEPULA.

A Erratum est in Indice XXI. Gruteriano, ubi inter Cæsarum Imperatorumque nomina insertum est IVL. TEP. MAR. & quæ sequuntur IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS, &c. ex Inscriptione pag. MXIX. 10. Id enim non esse nomen neque cognomen alicujus Cæsaris, sed Fontium qui Romæ erant, quique vocabantur *Aqua Julia, Tepula, Martia*, ex sequenti marmore patebit.

Extra Romam

In via Latina, 3. milliaribus ab urbe.

AQVAE. IVLIAE. TEPVLAE
IMP. CAES. DIVI. IVLI. F.
AVGVSTVS. PONTIF.
MAX. COS. XII. TRIB. POT.
XIX. IMP. XIII. CVRANTE
M. VIPSAN. AGRIPPA
AEDIL. CVRVL. ⊥ (—)
P. MILL. X.

Ex Ligorii MS.

B P. Victor in descriptione Regionum Romæ *Juliam, Tepulam, & Martiam*, quasi tres diversas aquas nominat. Intelligenda ergo prior inscriptio Gruteriana, quod illas tres Aquas Juliam, Tepulam, & Martiam, restituerit, & Tubulos reposuerit Cæsar Augustus. Posterior vero nostra, quod imperante Cæsare Augusto Juliæ & Tepulæ curam habuerit Agrippa, qui, quod rarissimum est, integro hic designatur nomine Marcus Vipsanius Agrippa. ⊥ illud inversum puto Tubulos significare, quos ad milliarium usque decimum deduxerat, dum Ædilitate Curuli fungeretur.

Ecce & alias Inſcriptiones Fontis Sar. qui mihi ignotus, Fontis Scauriani & Martiani mentionem facientes.

Romæ

In via Appia.

GENIO
FONTIS
SAR.
C. IVLIVS
PROPOSTVS
D. D.

PROPOSTVS eſt cognomen, vel errore fabrili, vel abbreviationis cauſa ſcriptum pro PROPOSITVS.

Romæ.

M. GAVIO ORFITO L.
ARRIO PVDENTE COS.
FONTI SCAVRIANO SACRVM
MAG.
C. ANTONIVS HYMNVS
C. VALERIVS HILARVS
C. RVFIVS PHILEROS
C. CAECILIVS AGATYRSVS
EPITYNCANVS MIN. BASSI EVTY
CHES CORNELIAE SCRIBES DON
ATI FACVNDVS ZOTICI K. SEPTE.

Ex ſched. Card. Barberini.

Quinam ſint hi Conſules hæreo: cum anno quidem Chriſti 166. *Servilius Pudens* & *L. Cornelius Scipio Orfitus* in Faſtis Capitolinis legantur: non vero ut hic *Marcus Gavius Orfitus*, & *Lucius Arrius Pudens*.

Romæ.

Q. SERVILIO PVDENTE
L. FVFIDIO POLLIONE
FONTI SCAVRIANO SACRVM
MAGISTRI
L. VALERIVS ZOTICVS
C. POMPONIVS SECVNDVS
A. CORNELIVS SERENVS
A. AELIVS ANICETVS
MINISTRI
PHILETVS EVPHEMI
OLYMPVS CORNELIAE
MARION. CLAVDI
DEXIOS HERMETIS
DEDICATA
K. AVG.

Ex ſchedis Card. Barb.

Hic Consulatus cadit in annum Christi 167. ubi notandum in Fastis Capitolinis *Quinti* prænomen ex hoc lapide *Servilio Pudenti* restituendum; & alterius Consulis nomen ibidem legi T. Vitrasius Pollio, hic vero *L. Fufidius Pollio*: quod & sequenti inscriptione confirmatur. Sed hæ non unicæ sunt in Consulum nominibus difficultates.

Ibidem.

GENIO FONTIS MARTIANI
MAG. VICORVM
Q. GENVCIVS IANVARIVS
P. CORNELIVS MANCINVS
T. TEDIVS GALATINVS
SEX. NOMENIVS GALVS
D. K. MAI.
Q. SERVILIO PVDENTE
L. FVFIDIO POLLIONE COS.

Ex iisdem schedis.

Ibidem.

GENIO
FONT.

...SIM. COMITI VNIVERSIS FELIX
L. CASSIO LONGINO M. VENICIO COS.
MAG. FONT. D. D.
M. ANNIVS DAPHNVS
M. TATIVS STEPHANVS
M. MVCIVS PRIMVS
M. ARISTIVS CELER
SEP. ANICIVS DAMA
Q. FABIVS TERES
MINIST. FONT.
QVARTIO PLOTI
EPAGATHVS MARSICI
STEPHANVS LIBONI
PRIMIGENIVS POMPONI
ANTHVS CLEMENTI
EROS BE...
D.D. K. AVG.

Kalendis Augusti.

Magistros Fontium hic observo liberæ conditionis fuisse: Ministros vero servos, quod solo cognomine distinguantur, addito Patroni nomine, *Quartio Ploti*, *Epagathus Marsici*, &c.

TVBI PLVMBEI

Deducendæ aquæ,

Bononiæ reperti.

CAMPANO VIL.	PECVLIARE VILICO
T. VALLIO M. MAR. Q.	L. PVBLIC. ASCLEPIO VILICO
Q. VAR. CERT. M. BVR. SIC. Q.	L.CASSIO VERO L.GELLIO VESTAL.

Ex Josepho Magnavacca
Pictore & Antiquario Bononiensi.

Vilici seu *Villici*, utroque enim modo in antiquis inscriptionibus leguntur, sunt hic tuborum curam habentes in patronorum suorum Villis. Cætera nomina *Titi Vallii*, *Marci Marii*, *Quinti Varii Certi*, *Lucii Cassii Veri*, *Lucii Gellii Vestalis*, *Quæstorum* ærarii esse videntur, quorum sumptuum ad opera publica cura erat.

Romæ, in tubo plumbeo
prope Pantheum reperto.

| TEMPLO MATIDIAE |

Tubus destinatus aquæ ad Templum Matidiæ Trajani neptis deferendæ, vel etiam aquæ pluvialis ab illo avertendæ.

ALIÆ INSCRIPTIONES AD AQUAS SPECTANTES.

Fragmentum marmoris,
Viennæ Allobrogum.

...II VIR L. SVLICIVS D. F.
...ERA QVI AQVARVM PER
...RVNT...... TITVLOS P..
PENSILLA HS NL TEST.
IVSSIT

Ex D. de Foissin.

Fragmentum est donationis cujusdam, summæ Sestertiorum quinquaginta, ad Aquarum instaurationem.

Aliud Taurinis,

...M. F. SECVNDANVS PRI...
FlamiNICA DIVAE DRVSILLAE
BalneuM ET PISCINAM SOLO SVO
MuniCIPIBVS SVIS DEDIT

Ex Pingonio.

Flaminicæ vocabantur Sacerdotes fœminæ, quarum aliqua Divæ Drusillæ Caii Cæsaris sororis Templo addicta, Balneum & piscinam municipibus seu concivibus suis dederat.

Marmor repertum
in agro Cemenelensi, vulgo Cimies Provinciæ.

M. AVRELIO MASCVLO V. E.
OB EXIMIAM PRAESIDIATVS EIVS
INTEGRITATEM ET EGREGIAM AD OMNES
HOMINES MANSVETVDINEM ET VRGENTIS ANNONAE
SINCERAM PRAEBITIONEM AC MVNIFICENTIAM
ET QVOD AQVAE VSVM VETVSTATE LAPSVM
REQVISITVM AC REPERTVM SAECVLI FELICITATE
CVRSVI PRISTINO REDDIDERIT
COLLEG. III.
QVIB. EX S CC. P. EST
PATRONO DIGNISSIMO

Ex Bouche Hist. Provinc. & Ioffred. Hist. Niciens.

Intellectu facillima est Inscriptio, si modo duas penultimas lineas interpretemur: COLLEG. III. QVIB. EX SCC. P. EST; *Collegia tria quibus ex Senatus Consultis potestas est.*

Romæ,
Basis statuæ in Villa Matthei.

Nomen hic fuit obliteratum.

. . . .
PROBITATE MORVM INDVS
TRIAQVE VIVENDI ADQVE VTRIS
QVE LITTERIS ERVDITO IAM INDE
A MAIORIBVS SVIS INLVSTRIBVSQVE
FAMILIIS CIVITATIS PATRONO CVIVS
OPERA AC BENEFICIO RECEPIT CIVITAS ELEMEN
TVM CVIVS MEATVM SERIES TEMPORIS VETVS
TASQVE CONSVMSERAT NAM EIVS CVRA SVMP
TVQVE AQVA MODO NON DIIS NECESSA
RIIS VSIBVS CIVITATIS BERVM ETIAM IN ERV
ENDO PLVRIMIS LOCIS SPLENDIDISSIMVM
VRBI PRAESTITIT ORNAMENTVM HVIC IGITVR OB
HAEC INSIGNIA GENERA MVNIORVM STATVAM SAENIN
SIVM ORDO DECREVIT ADQVE IN AETERNAE VRBIS
PRIVATIS SVIS AEDIBVS CONLOCAVIT

Exscripsi.

Viro

Viro cuidam illustri statuam hanc dedicaverat ob accepta beneficia *Saeninsium ordo*, hoc est Civitas *Saena*, *Σαίνα* Tusciæ Ptolemæo, vulgo *Siene*, Tacito *Senensis Colonia*, & in privatis suis ædibus Romæ, quæ æterna urbs vocabatur, collocari jusserat. Esse autem puto hanc Inscriptionem posterioris Cæsarum ætatis, videlicet circa Constantini Magni tempora, tum ob pravos quibus sculptam esse memini characteres, tum ob minus elegantem stylum, hacque voce BERVM pro VERVM, quæ in duobus primis a Christo sæculis vix in antiquis lapidibus extat.

Omittebam fere hanc Inscriptionem Nymphis Bacchi nutricibus, & Baccho dedicatam.

Romæ.

NYMP. NVTR. LIBERO
PATR. CONS. DOM. ORC.
L. ORCIVIVS MEMMIANVS
ET M. MEMMIVS ONESIMVS
ET ORCIVIA ORESTILLA
COM. CONSEN.
D. D.

Ex schedis Barberinis.

Id est: *Nymphis Nutricibus, Libero patri, Conservatori Domus Orciviæ, Lucius Orcivius Memmianus, & Marcus Memmius Onesimus, & Orcivia Orestilla Communi Consensu dedicarunt.*

Nymphæ Bacchi Nutrices ab antiquis putabantur Mythologis, vel quia aqua nutriendæ viti sit necessaria, vel quia vino moderando Lympha sit commoda. Mystica enim fuisse & eorum deliramenta, volunt jam fere sæculi nostri Autores. Sic eidem Baccho hederam sacram fuisse, eo quod vas ex hederæ ligno elaboratum, si Liberi Patris liquore vino repleatur, illud optime retineat eo quasi gaudens; at si aqua, per illius poros illa intra paucum tempus elabatur. Nymphas autem simul & Liberum Protectores agnoscebat Domus hæc Orcivia, sobrietatem forte suam horum simul numinum cultu testatura.

Quæ ad Nymphas pertinent claudam hocce eleganti Epigrammate fonti olim inscripto, in quo Nympha dormiens sculpta erat.

Romæ.

HVIVS. NYMPHA. LOCI. SACRI. CVSTODIA. FONTIS
DORMIO. DVM. BLANDAE. SENTIO. MVRMVR. AQVAE
PARCE. MEVM. QVISQVIS. TANGIS. CAVA. MARMORA. SOMNVM
RVMPERE. SIVE. BIBAS. SIVE. LAVERE. TACE

Exscripsi.

Loca Nymphis sacra silentio colebantur: unde in alia Inscriptione apud Gruterum NYMPHIS LOCI BIBE LAVA TACE. Loca illa a Nymphis *Nymphæa* vocabantur, Balnea scilicet & Lavacra: ut erant Romæ Balnea Agrippinæ, ad quæ pertinebant duæ repertæ statuæ, in quarum basi inscriptum IN LAVACRO AGRIPPINAE.

ARTICULUS VIII.

EXPLICATIO

Muſivi Antiqui Lugdunenſis,

In qua, ex occaſione, de Muſivis omnibus diſſeritur.



ANtequam typum exponam in hocce Muſivo expreſſum, operæpretium eſt aliquid de his operibus præfari. Plinius aſſerit pavimenta picta a Græcis inventa fuiſſe, illudque quod Pergami extabat in ædificio *Aſarotos*, a Soſo elaboratum omnium fuiſſe celebratiſſimum. Vox hæc *Aſarotos* idem ſonat, ac *ſcopis non purgatus*, eo quod illic cœnæ purgamenta, ciborumque micas ac fruſtula, quæque ſcopis everri ſolent, veluti relicta fecerat in pavimento, parvis e teſtulis in varios colores tinctis. Mirabilis ibi viſebantur Columba bibens, umbra capitis infuſcans, aliæque aves apricantes, ſeque in canthari labro ſcabentes.

Pictis hiſce pavimentis ſucceſſere *Lithoſtrota*, nativis lapillorum ex quibus componebantur coloribus, tempus edax rerum non metuentia. Hæc prima Romanorum ætas luxus ignara non novit: ſed duntaxat introducta ſub Sylla Dictatore, qui hujuſcemodi opus Præneſte in Fortunæ delubro fecit, 170. circiter annis ante Chriſti nativitatem.

LITHOSTROTUM, ſtricte proprieque nil aliud quam pavimentum ex lapidibus ſtructum ſignificat; verum tamen hac voce intelligebant veteres pavimentum ex lapidibus expolitis, variis coloribus, varioque ordine diſpoſitis, figuras diverſas exhibens. Ita enim accipit Plinius Hiſt. natural. lib. 36. cap. 25. *Lithoſtrota*, inquit, *cæptavere jam ſub Sylla parvulis certe cruſtis, extat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneſte fecit*. Unde putat Caſaubonus locum illum, ad quem adductus fuit Chriſtus Salvator ante Paſſionem, *Lithoſtroton* ab Evangeliſtis vocatum, a Judæis *Gabbata*, fuiſſe cameram tali pavimento adornatam.

Creſcente Romano luxu, non ſolum in pavimentis uſitata fuere, ſed & in parietibus & fornicibus: ſic enim Plinius, lib. 36. cap. 25. *Pulſa deinde ex humo pavimenta in cameras tranſiere e vitro*: hoc eſt, opera illa in pavimentis tantum initio uſurpata, in camerarum, parietumque ornamenta tranſiere, ex vitro quod encauſto & auro ſuperinducebatur, potiuſquam ex lapillis. Non quod plane in pavimentis artem illam exercere deſiterint: contrariam enim fidem faciunt plurima quæ adhucdum in antiquis urbibus reperiuntur.

MUSIVA quidem, ut docuit Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam, proprie de hoc opere in parietibus & Cameris dicebantur, ut lithoſtrota & teſſellata de pavimentis: ſed quia eadem ars erat ipſomet fatente, nos, ut & alii ſolent Autores, promiſcue ſumere non dubitabimus. *Muſiva, Muſea*, & *Muſia* vocabantur; Spartianus in vita Peſcennii Nigri, *hunc* antequam ad Imperium perveniret, *in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de Muſivo* fuiſſe ait, *inter Commodi amiciſſimos, ſacra Iſidis ferentem*. Trebellius Pollio in Tetrico Juniore: *Tetricorum domus hodieque extat, in monte Cælio inter duos Lucos contra Iſium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus eſt, utrique* Tetrico *prætextam tribuens ſenatoriam dignitatem, accipiens ab his ſceptrum, coronam civicam: picta omnia de Muſeo*. Anaſtaſius Bibliothecarius paſſim Baſilicarum Romæ meminit Muſivo decoratarum. In Leone IV. *Abſidamque ejus ex Muſivo aureo ſuperinducto colore glorifice decoravit*. Apſides Græcis idem ac Latinis Fornices. Dabimuſque alibi, ſi Deo placet, Leonis III. & Caroli Magni effigies, ex Muſivo Apſidis S. Suſannæ, quod adhuc Romæ inter alia ſupereſt. Cameræ opere Muſeo exornatæ ſequens Inſcriptio meminit.

Florentiæ.

Ex agro Tunetano Africæ allatum marmor.

....

PECVNIA PERFECIT ET
DEDICAVIT ET OB DEDICATIO
NEM PVGILVM CERTAMINA
EDIDIT ET DECVRIONIBVS
SPORTVLAS ET POPVLO GYMNA
SIVM EPVLVM DEDIT ET HOC
AMPLIVS PRO SVA LIBERALITA
TE CAMERAM SVPERPOSVIT ET
OPERE MVSEO EXORNAVIT
....CVM...AREIS...FELICE ET
RVFINO III....IS DED. OB QVAM
DEDICAT. EPVL. DEC. ET POP. FRVM. DED.

Exſcripſi.

Fuiſſe videtur hæc Inſcriptio poſita in alicujus ædis dedicatione, quæ magna pompa celebrata fuerit, pugilum ſcilicet certaminibus, ſportulis, hoc eſt, ut alibi dicemus, munuſculis Decurionibus donatis, & populo Epulis & frumento datis, ſub Conſulatu, ut videtur, Felicis & Rufini; ſed quia hoc Conſulum par non legitur in Faſtis, ſed duntaxat Felix cum Bruttio Præſente ſub Antonino Pio, quem in annum incidat non affirmabo. Huic & Inſcriptionis fragmentum conjungendum *operis albarii* mentionem faciens.

Florentiæ.

Ex eodem loco allatum.

......STAE SACRVM

...*Aure*L. MAXIMI MEDICI ET L. AVRELII VERI AVG. ARMENIACI PARTH.

ſupple *tem*PLVM CVM ARCV ET PORTICIBVS ET OSTEIS ET OPERE
ALBARI A FVND.

Exſcripſi.

Hæc Inſcriptio ſculpta fuit tempore Marci *Aurelii* ob victorias ejus de Medis, *Maximi* & *Medici* cognominati, & ſimul cum Lucio Vero *Armeniaci & Parthici*, quibus imperantibus *Templum* aliquod *cum arcu*, *porticibus*, *oſtiis & opere albari a fundamentis* erectum fuit. *Opus albarium* Vitruvio lib. 2. & Plinio lib. 36. cap. 23. nihil aliud eſt quam calce obductum.

MVSIVA autem, Muſeave hoc nomen ſortita erant; ſive quod eſſent veluti Muſarum manibus elaborata, ſive quod ſæpe exornarent Muſea, ædes videlicet illas celebres, in quas Eruditi conveniebant: qualis erat Muſeum illud Alexandrinum, cujus mentionem faciunt Philoſtratus & Dio Chryſoſtomus, ubi multi Docti Viri publicis alebantur impenſis. Talia enim ædificia aliquando Templa erant, quæ Muſivis decorata ſæpe fuiſſe certum eſt. Sic Trœzenis in Peloponneſo Templum erat Muſis dedicatum, Muſeumque ideo cognominatum, in quo plurimi celebres viri ſcientias docebant. Non ergo *Moſaici* vox, quæ nunc in uſu eſt, a Moſe Judæiſque derivanda, ſed a *Muſaico* ſive *Muſivo*, corrupte in Moſaicum mutato.

Pavimenta operis Muſivi a Græcis, *Pſiphologimata* & *Pſiphologica* vocabantur, a *Pſiphos* quod eſt lapillus; item & *Chondrobolia*, a *Chondros* id eſt granum, eo quod eſſent quandoque ex minutiſſimis granis compoſita. Latinis etiam *pavimenta ſectilia*, *opus quadratarium*, *teſſellatum* & *vermiculatum*: quæ jam aliquot brevibus Authorum teſtimoniis illuſtrabimus.

PAVIMENTA SECTILIA memorat præter alios Vitruvius lib. 7. ſed eruditus ejus traductor ac commentator Gallicus ea proprie a Muſivis teſſellatiſve diſtingui docet: eo quod hæc ex lapillis unius coloris cubicis aut ſaltem ad cubi-

cam figuram accedentibus comparent, ut perfecte uniri & picturæ umbras variis suis coloribus exprimere possent: pavimenta vero Sectilia ex tabellis Marmoreis variæ figuræ & magnitudinis, in quarum una coloris varii gradus insunt, quæque diversimode secantur. Tale est elegantissimum pavimentum Senis in æde Cathedrali a Duccio Pictore inceptum, & a Dominico Beccafumi perfectum, historias biblicas exprimens.

QVADRATARIVM OPVS idem ac Musivum, sed proprie de pavimentis ex quadratis lapillis in varias figuras dispositis intelligitur: etsi A ampliori significatione Quadratarii vocarentur, apud Sidonium Apollinarem aliosque Autores, lapicidæ qui lapides in quadrum expoliunt. Leo Ostiensis lib. 3. cap. 29. *Artifices destinat peritos in arte Musaria & quadratura, ex quibus videlicet, alii Apsidam, arcum atque vestibulum majoris Basilicæ Musivo comerent; alii vero totius Ecclesiæ pavimentum diversorum lapidum varietate consternerent*. Ubi distinguit Musariam artem quæ Apsidi, arcui atque vestibulo destinabatur, a quadrataria, quæ pavimento. Hæc ante paucos annos detecta fuit inscriptio.

Lingonis.

OPVS QVADRATARIVM
AVGVRIVS CATVLLINVS
VRSAR. D. S. P. D.

Ex R. P. Menestrier.

VRSAR. quid sit, hæreo. D. S. P. D. De Sua Pecunia Dedit.

TESSELLATVM OPVS, quod de pavimentis dicebatur, nihil ab opere quadratario differebat. Suetonius in vita Julii Cæsaris, ait ipsum ita elegantiæ & curiosorum operum amatorem fuisse, *ut in expeditionibus Tessellata & Sectilia pavimenta* circumtulerit, quibus castrametans tentorium adornaretur.

VERMICVLATVM OPVS quasi ex vermiculis constaret idem ac quadratarium & tessellatum, teste Augustino lib. 1. de ordine: *Si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellæ modulum acies ejus valeret am-* B *bire, vituperaret artificem, velut ordinationis & compositionis ignarum, eo quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa emblemata, in unius pulchritudinis faciem congruentia, simul cerni collustrarique non possent*. Cicero in Bruto de Marci Callidii oratorio stylo loquens: *nullum nisi loco positum & tanquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres*. Sed & docente Salmasio & sequenti inscriptione sæpe sola *Pavimenti* voce prædicta Lithostrota sive Tessellata designabantur: in quo sensu dixit Cicero *Pavimentatam* fuisse Porticum domus suæ.

Syracusis.

In opere tessellato pavimenti cujusdam Ædis.

CN. OCTAVIO A. F. MI. NICONOR. BOLONAR.
VELIC. VENER. ARIC. PAVIMENTVM SEDI
LIA FECIT AEDEMQVE REFICIENDO COIR.

Ex Gualtherii Sicilia.

Nescio an correcte a Gualtherio descripta fuerit: sed obscura saltem sunt MI. NICONOR. VELIC. & ARIC. quæ resarcire & emendare non tentabo. COIR. est *Coiravit*, antiquo loquendi modo pro *Curavit*.

Pavimenta tessellata & Fornicum Musiva in Italia frequentissima extabant, hodieque permulta supersunt: sed & in Galliam nostram cum cætero Romano luxu advecta fuere: reperiuntur enim præcipue in oppidis, quæ coloniæ Romanæ jure gaudebant. Sic Arausione, quæ colonia Secundanorum Plinio vocatur, in ædibus quibusdam privatis pavimentum vermiculatum superest, in quo præter quadrorum varietatem, Felis visitur murem dentibus tenens elegantis artificii. Sic Nemausi in æde Cathedrali pavimentum supererat, C teste Joanne Poldo d'Albenas, in quo aves, aliaque animalia apprime expressa: simileque in ædibus Regiis Fontisbelli, ab antiqua urbe Occitaniæ S. Gilles allatum. Aventici Helvetiorum tale etiam pavimentum repertum fuit avium variis figuris exornatum, cum his litteris in medio.

POMPEIANO ET AVITO
COSS. KAL. IAN.

D Quod videtur Templi alicujus fuisse sub Consulatu Pompejani & Aviti, qui in annum Christi 210. incidit, Kalendis Januariis dedicati. Sed hoc elegans opus, ut mihi relatum fuit Aventicum

pertranſeunti, at ab oppidanis neglectum, ſimulque fere erutum ac deſtructum.

Bergerus in Hiſtoria viarum militarium fuſe deſcribit pavimentum operis Muſivi Remis, quæ in antiqua inſcriptione Civitas Remorum Fœderata vocatur, in Æde Monaſterii ſancti Remigii; in quo Moſes, David, Prophetæ veteris & novi Fœderis, Divus Hieronymus, quatuor fluvii Paradiſi, *Tigris*, *Euphrates*, *Geon*, & *Fiſon*, Virtutes & Artes Liberales, anni tempeſtates, duodecim menſes, aliaque depicta ſunt. Hæc Eccleſia dedicata fuerat anno 1049. a Leone IX. Pontifice Romano. Ars autem hæc illo tempore florebat. Lugduni Ædem habemus Monaſterii Athanacenſis a Paſchali II. dedicatam anno 1112. cujus Chorus ſimili pavimento ſtratus eſt, cum imagine hujus Pontificis ædis ectypum manu geſtantis, quemadmodum in Antiquitatibus Lugdunenſibus deſcripſi. Habemus & Divi Irenæi Ædem, quæ ſimili opere exornata erat.

Ars itaque *Muſaria* celebris olim fuit; unde libro x. Codic. titul. *de Excuſat. Artificum*, Imperatores Theodoſius & Valentinianus ab oneribus publicis excuſant *Muſivarios*, non ut quondam legebatur *Muſcarios*. In hoc autem totum conſiſtebat artificium, ut cæmentum ex calce & marmore pulverato pararetur, in quod diverſicolores lapilli inſerebantur: ſicque naturali pictura exiſtente, temporis diuturnitate & aeris inclementia non deleretur.

Iſtud autem pavimentum, cujus jam explicationi incumbam, repertum fuit anno 1670. in vinea Domini Caſſaire hujus urbis Pharmacopœi non parum celebris, ad Collem Divi Juſti. Ibi mercenarii terram profunde fodientes parietem invenere Muſivi operis, ſed eorum incuria non conſervatum. Accedens Patronus pavimentum parietis comes totum detegi, & a ligonibus præſervari juſſit, cui deinde, ut conſervaretur & Curioſis pateret, Cameram ſuperſtruxit.

Pavimentum integrum viginti circiter pedes longum, decem latum, in quadratas quaſi tabellas rotis aliiſque ornamentis variegatas diſtinctum eſt: in cujus ſolii medio noſtra hæc tabula viſitur tres & ſemis pedes lata, paulo minus alta: in qua teſſellarum ſive lapillorum naturali colore, eximie depictæ ſunt quatuor figuræ modo ſub examen revocandæ.

Prima eſt *Herma* ſive Mercurii cippus tetragonus, de quo in ſuperiori Sectione abunde diximus.

Secunda puer eſt alatus, qui *Cupido* forte eſt, quanquam Cupidinis ſolitis careat ſagittis arcuque; nec enim amor ſemper armis eget, ſed ipſemet aliquando juxta Anacreontis mentem Od. XIV. ſe ipſum in cor jaculatur tanquam inevitabile telum: *ἐνϑ' ἑαυτὸν ἀφῆκεν εἰς βέλεμνον*. Si cui tamen non placeat eſſe Cupido, inſigniatur voce magis generica *Genius*, numen videlicet variis officiis ab antiquis deſtinatum. Singulæ enim Provinciæ, urbes, Fontes, Silvæ, arboreſque, ſuos habebant Genios, Protectoreſque. Habebant & ſuos ſcientiæ, ætates, omneſque homines bonum malumque Genium: non tamen memini alatos me reperiſſe in nummis aut marmoribus Genios.

Tertia figura Pan Deus Arcadiæ, ſive mavis *Satyrus* eſt caprinis pedibus & erectis in fronte cornibus, ut depingi ſolebant. Pan enim Mercurii & Penelopes filius a Priſcis putabatur, caprinis ſive hircinis pedibus ideo depictus, quia, ut ajebant, Mercurius in hircum ſe transformaverat, ut ad Penelopen accederet. Ubi notandum quam belle ſibi conſtent veterum Heroum genealogiæ, hiſtoriæque. Penelopen Homerus aliique Poetæ tanquam caſtitatis exemplum extollunt: alii, inter quos Duris Samius, Tzetzes, Pauſanias & Horatius, eam tanquam mulierem impudiciſſimam notant; ita ut Sponſi Penelopes in Proverbium pro Nebulonibus tranſierint. Satyri Panis comites ſæpe cum eo confundebantur, Paneſque vocabantur teſte Auſonio:

Capripedes agitat cum læta protervia Panes.

Eorum plures vidimus imagines in ſuperiori urna, cauda, & auribus arrectis inſignes, ſi non ſemper cornibus & caprinis pedibus ornatos, quod vel ætate provectorum privilegium erat, vel eorum proprie qui Panes ſeu Fauni vocabantur.

Quarta figura ſemiveſtita dubio procul Silvanus eſt agrorum & pecorum Deus. Pingebatur enim ſæpe dextra extenſa, ramumque cupreſſi alteriuſve arboris ſiniſtra geſtans, unde Silvanus Dendrophorus in antiquo marmore Gruteriano cognominatur. Martianus Capella lib. 5. de nuptiis Mercur. & Philolog.

Tunc primum poſita Silvanus forte Cupreſſu,
Percitus ac trepidans dextram tendebat inermem.

Coronatur præterea foliis, eo quod in ſilvis coleretur & arborum cuſtos eſſet. Quod in typo noſtro ſupra Silvani dextram viſitur, nihil aliud eſt quam tabulæ ornamentum.

At quid ſibi velint hæ quatuor figuræ ſimul hic junctæ, non ita facile eſt determinare. Quotus enim quiſque ignorat mutas haſce picturas in varios ſenſus trahi poſſe, ſæpe ab Autorum mente alienas? Notandum tamen in hiſce picturæ generibus Emblemata depingi ſolita fuiſſe, unde antiquus Poeta Lucilius citante Plinio:

Arte pavimenta atque Emblemata vermiculata.

Sed & ſæpius in iis Satyros fuiſſe repræſentatos, ut ex his duobus verſibus Nili Poetæ colligere licet:

. . . πῶς ἐκ λίθου ἄλλοθεν ἄλλης,
Συμφερτὸς γενόμην, ἐξαπίνης Σάτυρος.

Id eſt, *quomodo factum eſt ut ex lapide lapidi addito, ita cito evaſerim Satyrus?* Cum ergo hæc Emblemata non raro ænigmatica fuerint, hujuſce ſenſum affirmative proponere nolo, ſed dumtaxat problematice.

An igitur, ut putarunt aliqui, ſignificat Amori omnia ſubjici, Satyroſque & Silvanos, agreſtes viros & agricolas? Satyrus enim colligata ſaltem una manu a puero illo alato, invitus quanquam & reluctans, adduci videtur: verum quid ad hoc Herma Mercuriuſve, non ſatis video.

An vero eloquentiam, cujus patronus eſt Mercurius, omnia vincere, ad eamque Satyros & Silvanos etſi renitentes ligatos quaſi adduci? Sic fingebant veteres Amphionem Muſica ſua lapides traxiſſe & coegiſſe, ut quo vellet loco ad

mœnia Thebarum condenda fine hominis manu collocarentur; fic & Orpheus Mufica ipfamet bruta ad fe alliciebat.

An tandem hacce pictura exprimere voluerunt veteres, venerationem fummam, qua colendi effent Termini, limitum agrorum Patroni: ita ut Satyri ipfi ad eos adorandos cogerentur? Termini enim qui iidem ac Hermæ, ut fupra vidimus in Sect. I. Artic. 4. tanta reverentia colebantur, ut fi quis eos transferre aufus fuiffet ab agro in alium, violati numinis iræ caput ejus devoveretur, talemque hominem occidere licitum erat, ut facrilegium expiaretur. Ita Satyrus Hermam coronat, ut venerationem fuam teftetur, in tertia facie urnæ fuperius exhibitæ, Artic. IV. Hæc explicatio aliis præferenda mihi videtur, quod Silvanus etiam limitum fit protector: ficenim eum Horatius affatur.

Et te Pater
Silvane, tutor finium.

De tempore quo pavimentum hoc ftructum eft, nil habeo certi quod dicam, nifi quod cum fint hæc paganorum numina, illius fit ætatis neceffe eft, qua eorum Religio adhucdum in hac urbe vigebat: cumque fit eleganter delineatum, ejus fuiffe temporis quo artes nondum declinare cœperant. Unde non dubitem primi aut faltem fecundi a Chrifti natalibus fæculi effe, potiufque ædium privatarum, quam ædis alicujus facræ, cujus pavimentum amplius fpatii occupaffet, ornamentum fuiffe.

Pro Coronide fubdam hafce Infcriptiones ab Eruditiffimo Viro Paulo Maffei Romano Equite mihi amiciffime communicatas, ficut & ceteræ omnes ex fchedis Cardinalis Barberini exfcriptæ & in hoc volumine infertæ. In his marmoribus Mercurii & Silvani & Panis fimul mentio eft, imo & Liberi & Solis.

Romæ.

SILVANO ET MERCVRIO
SACRVM
TI. CLAVDIVS EPITECTVS
ET CLAVDIA HEROIS
EX VOTO L. M.
AR. ET PAVIMENT. S. P. REST.

Libens Merito Aram & Pavimentum fua Pecunia Reftituit.

Ex fched. Card. Barberin.

Infcriptio hæc alicujus Ædis fuit Silvano & Mercurio dicatæ, in qua Tiberius Claudius Epitectus & Claudia Herois Aram & Pavimentum, forte Mufivi operis, fuis impenfis reftituerant.

Ibidem.

SILVANO PAN.
ET LIBERO PAT.
INVICT. SAC.
SERGIANA
CVM FIL.

Ex fched. Barber.

Ibidem.

MERCVRIO
ET SILVANO
SANCTISSIMO
SACRVM
Q. VIVIVS VOLSCINI
VS PROC. COLLEG.
AVRIGARIORVM
IIII FACT.

Ex iifd. fched.

De Antiquis Collegiis, sive artificum, aliorumve societatibus, veluti Aurigariorum hic memoratorum, alibi dicetur. Sed Sanctissimi titulum Silvano tributum sequenti adhuc inscriptione confirmabo.

Romæ.

SILVANO SANCTISSIMO
SACRVM
P. IVNIVS MVCIANVS V̄. C̄.
PRAEF. VRB.

Ex schedis Barberin.

Ita Mercurio & Herculi, aliisque Diis, Sancti & Sanctissimi Epitheton tribuunt marmora: & hæc inter alia hucusque inedita.

Sinuessæ.

DEO SANCTO
MERCVRIO AVGVST. SACRVM
M. FVLVIVS FAVSTVS MIL.
VETERANVS EX VOT. D. D.

Ex iisdem schedis.

Romæ.

HERCVLI SANCTISSIMO
PLACIFERO SACRVM
IVLIA CASANTIA ET IVL.
TVFFICIVS V. S. L. M.
DEDIC. XIIII. KAL.
IVL. IMP. VESPASIANO AVG. VI
TITO FLAVIO CAESARE IIII COS.

Ex iisdem sched.

Romæ.

LIBERO SERVATORI
SANCTO SACR.
L. IVNIVS L. L. PAEDEROS
VOTO SVSCEPTO L. M.
D. S. D. D. D.
DEDICAT. III. ID.....
M. ANTONIN. IMP. II
ET VERO AVG. COS.

Ex iisdem sched.

Romæ.

LVNAE SANCTAE
SACR.
M. VLPIVS LATIN
VS 7 COH. X. PRAEF.
ET VLPIA SOROR
SIGN. AEN. DEDICA
RVNT
CVM BAS. SV. ET
* XXXX D.

Ex iisd. sched.

Alias egregias Silvani Inscriptiones in Sectione III. producam. Notandum in sequenti lapide, *Silvani* cognomen a Nobili quodam Romano assumptum.

Romæ.

IVNONI REGIN.
SACRVM
PRO SALVTE
D. N̄. DIOCLETIANI IN — *Domini Nostri*
CLYT. PRINCIP. SEMP. AVG. — *Semper Augusti*
PINIVS PAVLLVS SILVANVS
VIR. CLAR. PRAEF. VRB. — *Præfectus Urbi*
IVDEX SACRARVM COGNITIO
NVM. VOLVNT. EIVS. CVR.

Ex sched. Barber.

VOLVNT. EIVS CVR. Id est ni fallor, *Voluntate ejus*, Imperatoris scilicet jussu, *Curavit*.

ARTICULUS IX.

DE MUSIS.

Sarcophagus Marmoreus Musas exhibens,

Romæ, in villa Matthæi.



EXPLI-

EXPLICATIO

Hujus Monumenti.

MUSÆ novem in hoc eleganti ſculptæ ſunt Sarcophago; ſive id tantum ad ornatum factum fuerit; ſive ob ſingulares dotes Conjugum quibus deſtinatus erat, *Auli Pinarii* ſcilicet, *Auli Liberti Anterotis*, & *Oppiæ Cajæ Libertæ Myrſines*, quorum facies in ſuperiori parte ſculptæ ſunt. Vel etiam additæ ſunt Muſæ in hoc monumento, ob cognomen *Anterotis*: idem enim eſt ac ſi diceres *Amori contrarius*: Muſæ ſiquidem amoris neſciæ, virgineſque. Sed quidquid ſit, earum Icones breviter nunc perpendamus.

I. *Prima hæc, ſive anterior Sarcophagi facies, Muſas quinque noſtris offert oculis.*

1. *Clio* deſignari videtur citharam ſiniſtra, plectrum dextra tenens, quo citharam pulſare queat: de qua Poeta: *Clio dulciſonæ citharæ modulamina ſumpſit*. Hiſtoriæ præeſſe putabatur.
2. *Melpomene* Tragœdiæ inventrix, ideo larvam ſiniſtra tenet, clavam vero dextra, ſicut in nummo familiæ Pomponiæ apud Fulvium Urſinum. Hanc Muſam infra diverſo parum typo exhibebimus.
3. *Terpſichore* quæ duplicem tibiam geſtat. *Grataque Terpſichore calamos inflare paravit*. Ovid.
4. *Thalia* Comœdiæ inventrix, Comicam larvam dextra ferens.
5. *Euterpe*, quæ, ut ait Poeta, *dulci concentu barbita movit*. Barbiton enim citharæ ſpeciem plectro pulſat.

II. *Secunda, ſive Lateralis dextra Sarcophagi facies, duas habet Muſas, viro intermedio.*

6. *Calliope* quam depingebant veteres volumen manu tenentem, ut in hocce typo, ſcientiis præeſſe credebatur.
7. *Polyhymnia*, cui Rhetorica tribuebatur, dextram ad orationem componit.

III. *Lateralis ſiniſtra Sarcophagi facies, duas itidem offert Muſas, viro intermedio.*

8. *Erato* Elegiarum inventrix, caput cubito ſuſtentat cogitabunda, ut ſuam meditetur Elegiam.
9. *Urania*, cui Aſtrologia debebatur, globum cœleſtem tenet & intuetur.
10. in Facie II. an Jupiter, cujus filiæ ex Mnemoſine Muſæ putabantur? An vero idem vir qui in altera facie exprimitur?
11. in Facie III. Hercules cum clava, vocabatur *Hercules Muſarum* ſive *Muſagetes*, ut videre eſt in nummo 4. familiæ Pomponiæ, apud F. Urſinum. Memoratur a Suetonio in vita Auguſti *Ædes Herculis & Muſarum* a Philippo Martio conſtructa. Togatus autem eſt, non nudus, ut honeſtiori habitu cum Muſis converſetur.

De Muſis nolui plura referre, cum ab aliis hæc omnia jam ſint fuſiori ſtylo tradita, præſertim a Phornuto, & Lylio Gyraldo, qui de iis Librum compoſuit.

Marmora duo Melpomenem exhibentia.



Unam ex novem Musis nobis exhibet duplex hic typus, non multum diversus, & sine dubio Melpomenem, quæ *Tragico proclamat mœsta boatu*: unde persona illa, sive larva cippo imposita tristis est patuloque ore, qualem eam describit Lucianus a comica larva differentem, ubi de saltation. agit. Sceptrum gerit, quia Regum & Heroum facta Tragœdia repræsentat. Huc spectant Herculis clava cum capite Tauri, bulla in co llo, thorax & caligæ ferreæ. De larva Tragica quæ ore patulo depingitur, Prudentius contra Symmachum:

Ut Tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

De pennis quæ utraque in capite gestat, Cassiodorus Epist. ult. lib. 4. dicit eas in fronte Musarum propter ingenii vehementiam & celerem mentis agitationem apponi. Orobylus tamen lib. 1. dicit eas plumis ex Sirenibus devictis detractis caput coronasse. Lilius Gyraldus, Syntagm. de Musis: *Existimat*, inquit, *Eustathius ab Homero verba alata dicta fuisse, quod cum Musæ Sirenas vicissent in certamine, ex earumque pennis se coronassent, illis etiam placuisse ut verba pennata, ad majorem Sirenum ignominiam dedecusque, appellarentur*. De capite bovino addamus quod tradit Cicero, Pythagoram Musis bovem immolasse, cum nescio quid in Geometria invenisset.

Musa aliquando apud antiquos cognomen erat tum virorum tum mulierum. Antonius Musa Medicus erat Augusti apud Suetonium. Pomponius Musa, qui ob id Musas omnes in nummis suis expresserat, notatur apud Fulv. Ursinum. Petronia Musa in sequenti marmore.

Romæ, in villa Borghesia.

PETRONIAE MVSAE

ΤΗΝ ΚΥΑΝΩΠΙΝ ΜΟΥΣΑΝ ΑΗΔΟΝΑ ΤΗΝ ΜΕΛΙΓΗΡΙΝ

ΛΕΙΤΟΣ Ο Δ ΕΞΑΠΙΝΗΣ ΤΥΜΒΟΣ ΑΝΑΥΔΟΝ ΕΧΕΙ

ΚΑΙ ΚΕΙΤΑΙ ΛΙΘΟΣ ΩΣ Η ΠΑΝΣΟΦΟΣ Η ΠΕΡΙΒΩΤΟΣ

ΜΟΥΣΑ ΚΑΛΗ ΚΟΥΦΗ ΣΟΙ ΚΟΝΙΣ ΗΔΕ ΠΕΛΟΙ

Exscripsi.

Id est,

Nigros habentem oculos Musam Lusciniam mellifluam,
Publicum hoc ex improviso sepulchrum sine cruore tenet,
Et jacet lapis velut doctissima, & celebris:
Musa pulchra, levis tibi pulvis sit.

Levis tibi pulvis sit; sive, ut Latinam phrasim sequamur in monumentis sæpissime sculptam, *sit tibi terra levis*. In Arelatensi marmore hocce distycho votum exprimitur:

Te Lapis obtestor leviter super ossa quiescas,
Et mediæ ætati ne gravis esse velis.

Cæterum non inelegans Epitaphium ad Petroniæ *Musæ* cognomen alludens, quæ etsi melliflua, pulchra doctissimaque, in sepulchro jacebat *velut lapis*: puto enim id dictum, *Et jacet lapis velut doctissima*, licentia poetica qua ὕστερον πρότερον, seu posterius prius dicitur.

ARTICULUS X.

DE HERCULE.

Duæ parvæ columnæ marmoreæ.

Romæ, in Palatio Farnesiano.

Prima columna.	Interpretatio.
ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΠΡΑΞΕΙΣ	HERCVLIS ACTA.
ΗΡΑΚΛΗΣ ΕΝΝΕΑ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ	*Hercules novem annos natus*
ΜΙΝΥΑΝ ΟΡΧΟΜΕΝΟΝ ΕΙΛΕ ΤΑΝ	*Minyam Orchomenum cepit*
ΠΟΛΙΝ ΕΡΓΙΝΟΝ ΦΟΝΕΥΣΑΣ ΤΟΝ	*civitatem Ergino interempto,*
ΒΑΣΙΛΕΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΛΙΜΝΑΝ ΕΠΙ	*Rege, paludemque in campo*
ΤΟΥ ΠΕΔΙΟΥ ΕΣΧΗΣΕΝ ΑΥΤΟΙΣ ΑΠΟ	*continuit,* transitu aquis
ΦΡΑΞΑΣ ΕΙΤΑ ΤΑΜΩΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΛΥ	*obturato, quem deinde secuit.*
ΔΙΑΝ ΕΣΤΡΑΤΕΥΣΑΤΟ ΟΜ	*Item in Lydiam profectus est, ubi*
ΦΑΛΗ ΤΕ ΣΥΝΔΙΕΤΡΙΨΕ ΚΑΙ ΠΛΕΙΟ	*cum Omphale conversatus est, ab eaque*
ΝΑΣ ΑΠ ΑΥΤΗ ΥΙΟΥΣ ΕΠΟΙΗ	*plures filios procreavit*
ΣΕ ΚΑΙ ΓΕ ΕΚΤΙΣΕ ΠΟΛΙΝ	*& condidit urbem*
.... ΜΕΤΑΣΤΑΣΑΣ	*cum inde transiisset*
ΛΑΟΜΕΔΟΝΤΑ ΕΒΟΑΤΟ	*Laomedontem vocavit.*
ΗΡΑΚΛΗΣ ΥΠΟ	*Hercules a Laomedonte*
ΛΑΟΜΕΔΟΝΤΟΣ ΕΙΣ ΑΡΓΟΣ	*Argos dimissus est...*
ΑΠΕΛΥΘΗ...ΕΝ ΤΙΡΥΝΘΙ ΤΕ	*In Tirynthe*
ΜΕΝΟΣ ΕΝΥΑΛΙΟΥ ΜΕΤΑ	*fanum Enyalii cum*
ΤΕΛΑΜΩΝΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΠΗ	*Telamone & Peleo........*
ΛΕΩΣ .... ΕΠΙ	*Trojam profectus est*
ΤΡΟΙΑΝ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ	*hacque urbe*
ΑΥΤΗΝ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ	*direpta & filiis*
ΕΞΑΛΑΠΑΞΑΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ	*Laomedontis, excepto*
ΥΙΟΥΣ ΛΑΟΜΕΔΟΝΤΟΣ ΠΛΗΝ	*Priamo, jugulatis,*
ΠΡΙΑΜΟΥ ΚΑΤΑΣΦΑΞΑΣ ΤΩΝ	*inter alios*
ΑΛΛΩΝ ΗΣΙΟΝΗΝ ΑΠΕΛΑΒΕ ΤΗΝ	*Hesionem rapuit*
ΠΡΙΑΜΟΥ ΑΔΕΛΦΗΝ	*Priami sororem.*
ΕΙΤΑ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙ	*Postea profectus ad*
ΠΥΛΟΝ ΠΗΛΕΑ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΥΙΟΥΣ	*Pylum, Peleum ejusque filios*
ΑΠΕΣΦΑΞΕ ΠΛΗΝ ΝΕΣΤΟΡΟΣ	*occidit excepto Nestore:*
ΣΠΑΡΤΑΝ ΔΕ ΛΑΒΩΝ ΔΟΡΥΑΛΩ	*Sparta autem capta vi*

ΤΟΝ ΕΥΡΥΤΟΝ ΚΑΙ ΤΟΥΣ	*captum Eurytum & ejus*
ΠΑΙΔΑΣ ΦΟΝΕΥΣΑΣ ΣΥΝ	*filios cum occidisset cum*
ΚΑΣΤΟΡΙ ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΕΥΚΗ	*Castore & Polluce*
ΦΕΥΓΟΝΤΙ ΚΑΤΗΓΑΓΕ ΚΑΙ	*& exulibus eduxit,*
ΕΛΩΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ	*Capta Lacedæmone*
ΤΟΥ ΤΑ ΛΟΓΙΑ ΑΙΝΙΞΑΝΤΟΣ	*ad oracula ænigmatica*
ΑΝΕΛΘΩΝ ΔΙΟΣ ΟΛΥΜ	*reversus Jovis Olympii*
ΠΙΟΥ ΗΓΩΝΙΣΑΤΟ ΤΟΝ	*dimicavit certamen*
ΑΓΩΝΑ ΤΑ ΟΛΥΜΠΙΑ	*Olympicum*
ΠΡΩΤΟΣ ΑΓΩΝΙΣΤΗΣ	*primus Agonista,*
ΔΡΥΟΠΑΣ ΤΕ ΑΠΟ	*Dryopas vero*
ΠΑΝΤΑΣ ΕΛΑΒΕ ΚΑΙ	*omnes cepit &*
ΦΥΛΑΝΤΑ ΤΟΝ	*Phylante*
ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΠΟ	*Rege mactato ......*
ΣΦΑΞΑΣ ΕΝ	....
ΤΗ ΤΟΥ.......	

Secunda columna.

.....ΤΙΟΝ ΚΕΚΤΟ ΚΤΗΣΙΠΠΟΝ	*... Filium habuit Ctesippum*
ΗΡΑΚΛΗΣ ΜΕΝ ΟΥΝ ΤΡΑΛΛΩΝΑ	*Hercules quidem Tralonem*
ΩΚΟΔΟΜΗΣΕ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΠΕΡΙΝ	*ædificavit civitatem & Perin*
ΘΙΟΥΣ ΕΝ ΑΥΤΗ ΚΑΤΩΚΙΣΕ ΤΩ	*thios in illa habitare jussit,*
ΥΙΩ ΔΟΥΣ ΕΙΣ ΘΡΑΚΑΣ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑ	*cum eam filio suo tradidisset.*
ΜΕΝΟΣ ΔΙΟΜΗΔΗ ΕΦΟΝΕΥΣΕ ΚΑΙ	*In Thraces profectus Diomedem occidit*
ΘΡΑΚΑΣ ΕΚΥΡΙΕΥΣΕ ΛΙΝΟΝ	*& Thracibus dominatus est. Linum*
ΤΑΥΡΟΝ ΣΑΡΠΕΔΟΝΑ ΤΟΝ ΕΝ	*Taurum Sarpedona Arlone*
ΑΡΛΟΝΙ ΑΠΕΣΦΑΞΕ ΚΑΙ ΘΑΣΟΝ	*commorantem jugulavit & Thaso*
ΕΛΩΝ ΚΑΙ ΥΑΑ ΑΚΛΙΜΑΚΛΙΑ ΠΑΡΕ	*capta ....*
ΔΩΚΕ ΤΟΡΕΥΩΝ ΤΡΩΙΛΩ	*tradidit .... Troilo.*
ΠΟΛΥΓΟΝΟΝ ΚΑΙ ΤΗΛΕΓΟΝΟΝ	*Polygonum & Telegonum*
ΑΠΕΚΤΕΙΝΕ ΠΟΛΙΝ ΑΒΔΗΡΑ	*occidit. Urbem Abderam*
ΕΠΙ ΘΡΑΚΑΣ ΗΡΑΚΛΗΣ ΝΙΣΩ	*inter Thraces Niso*
ΤΟΥ ΘΡΟΝΙΚΟΥ ΥΙΩ ΕΠΩΝΥΜΟΝ	*Thronici filio, cognominatam*
ΑΒΔΗΡΟΥ ΚΑΙ ΖΗΘΗΝ ΚΑΙ	*ab Abdero, & Zethem &*
ΚΑΛΑΙΝ ΤΩ ΒΟΡΕΑ ΤΟΥ	*Calaim Boreæ*
ΘΡΑΚΟΣ ΔΙΚΑΙΑ ΠΑΙΔΙ ΔΕ ΣΩ	*Thracio .... filio vero*

ΠΙΘΟΥ ΤΩ ΣΥΝ ΑΥΤΩ ΠΑΡΕΔΟΚΕ	*Sopithi qui cum ipso erat tradidit,*
ΟΝ ΣΦΑΞΑΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΕΣ ΘΑ	*quem jugulatis ipsis in mare*
ΛΑΣΣΑΝ ΕΡΡΙΨΑΝΤΟ ΤΩ Δ ΕΠΙ	*projecerunt. Bello autem*
ΣΚΥΘΙΑΝ ΕΙΛΕ ΑΣΑΡΑΞΑ ΜΗΛΑ	*contra Scythiam cepit Asaraxem, Melam*
ΕΝΙΚΗΣΕ ΤΗ ΔΕ ΘΥΓΑΤΡΙ	*vicit; at cum sorore ejus*
ΑΥΤΟΥ ΣΥΓΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΛΙ	*Elidno re habita*
ΔΝΩ ΥΙΟΥΣ ΣΑΡΑΝ ΘΥΡΣΟΝ ΕΘΕΤΟ	*filios Saram Thyrsum procreavit*
ΚΑΙ ΣΚΥΘΗΝ ΤΩ Δ ΕΠ ΑΜΑΖΟΝΑΣ	*& Scythem, bello autem contra Amazonas*
ΗΛΘΕ ΚΑΙ ΕΠΙ ΘΕΡΜΩΔΟΝΤΑ	*venit & ad Thermodoontem*
ΤΟΝ ΠΟΤΑΜΟΝ ΕΝΙΚΗΣΕ ΚΑΙ	*fluvium vicit & occidit*
ΦΟΝΕΥΣΑΣ ΙΠΠΟΛΙΤΗΝ ΚΑΙ ΤΗΝ	*Hippolitam. Item ejus urbe*
ΑΠ ΑΥΤΗΣ ΠΟΛΙΝ ΗΡΑΚΛΗΣ	*Hercules capta Amazonas*
ΕΛΩΝ ΑΜΑΖΟΝΑΣ ΕΙΣΕΛΑΒΕ	*ad se cepit & Græcos*
ΚΑΙ ΕΛΛΗΝΑΣ ΕΝ ΑΥΤΗ ΚΑΤΩΚΙΣΕ	*in ea habitare jussit.*
ΤΟΝ ΤΩ Δ ΕΠΙ ΘΡΑΚΗΝ ΣΤΡΑΤΕΥ	*Bello autem contra Thraciam*
ΣΑΜΕΝΟΣ ΔΙΟΜΗΔΗ ΕΦΟΝΕΥΣΕ ΚΑΣ	*profectus Diomedem occidit, Castorem*
ΤΟΡΑ ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΕΥΚΗ ΗΡΑΚΛΕΙ ΣΥΝ	*& Pollucem Herculi adjuvantes*
ΑΥΛΟΝΤΑΣ ΑΜΥΚΟΝ ΔΕ ΕΝΙΚΗΣΕ ΜΙΛΗ	*Amycum vero superavit, Miletum*
ΤΟΝ ΒΕΒΡΥΚΩΝ ΕΚ ΣΙΚΕΛΙΑΣ ΗΡΑΤΟ	*Bebrycum ex Sicilia cepit*
ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΟΝ ΙΝΔΟΝ ΗΛΘΕ ΠΟΤΑΜΟΝ	*& ad Indum venit fluvium*
ΚΑΙ ΠΟΛΙΝ ΤΗΝ ΣΙΒΑΙΣ ΟΙΚΙΖΕΙ	*& urbem Sibais habitavit.*
ΕΣ ΔΕ ΤΗΝ ΑΤΤΙΚΗΝ ΕΥΛΟΓΩ	*In Atticam vero ut fertur*
ΘΗΣΕΥΣ ΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΑΣ ΕΝΙΚΗΣΕΝ	*Theseus autem & eas vicit*
ΚΑΙ ΕΛΑΒΕ ΘΗΣΕΥΣ ΤΗΝ ΙΠΠΟΛΙΤΗΝ	*& accepit Theseus Hippolitam*
ΕΞ ΗΣ ΙΠΠΟΛΙΤΟΝ ΠΟΙΕΙΤΑΙ ΗΡΑΚΛΗΣ	*ex qua Hippolitum genuit, Hercules*
ΕΠΙ ΤΟ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΝ ΟΡΟΣ ΗΛΘΕ	*ad vocatum montem venit ....*
....	....

In basi Tripodis.

ΑΜΦΙΤΡΥΩΝ ΥΠΕΡ
ΑΛΚΑΡ ΤΡΙΠΟΔΑ
ΑΠΟΛΛΟΝΙ ΟΤΙ ΜΕΝ ΕΞ ΕΜΟΥ ΚΕΦΥΣ
ΠΟΙΗΤΑΙ ΥΜΝΗΦΟΡΗΣΑΝ ΥΙΟΣ ΑΠΑΛΗΘΗΝΑΙ
ΚΑΙ ΤΑ ΕΞΗΣ
ΤΟ ΓΑΡ ΣΕ ΦΥΛΗΝ ΦΥΛΗ ΓΑΛΑ ΚΑΙ ΑΛΛΑ ΑΓΕΙ
ΚΑΙ ΥΙΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΛΕΙΣΤΑΙ

Hæc quia forte male exscripta, & fere deleta, non sunt intelligibilia.

Acta Herculis hic conscripta, cum iis quæ a Mythologis describuntur conferat alius, cui plus otii erit. Mihi sat est indicasse quæ ex Antiquitatis penu aliis obvia non sunt: ut ex iis fructus quos libuerit, decerpant.

INSCRIPTIO

Vasis Marmorei

Herculi Victori *dedicati*.

HERCVLI VICTORI CRATERAM
MARMOREAM CVM BASI SVA
CN. DOMITIVS CN. L. POLYMNESTVS
S. P. D. D.

Ex Peireskii schedis.

Crater & Cratera utroque genere, antiquis vas vini sive poculum dicebatur: sic Virgil. Æneid. *Crateras læti statuunt & vina coronant*. Varro lib.3. de vita Popul. Roman. *Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt Tripodes, Crateræ, Anacæa pocula nobilium Tarentinarum*. At & idem nomen vasis oleariis dat Virg. Æneid. 6. *Fuso Crateres olivo*: & Bucol. *Crateresque duos statuam tibi pinguis olivi*. Hic videtur usurpari pro vase marmoreo Herculi dicato, ejusque libationibus destinato, siquidem basi impositum fuisse docet Inscriptio: utrumque *dedicante Cneo Domitio Cnei Liberto de sua pecunia*. Ecce & alias Herculis Inscriptiones a Grutero omissas.

Romæ.

SANCTISSIMO
HERCVLI PACIF.
INVICTO
SACRVM
P. IVNIVS P. F. CERI
NVS PRAEF. EQ. SING.
V. S. L. M.

Ex sched. Barber.

Ardeæ.

HERCVLI SERVAT
K. AEMILIVS K. F. QVIRINA
VARRIVS
ARCHITECTVS EXERCIT.
ET AEMILIA VESTIFICA
ET AEMIL.
VOTO SVS.

Ex sched. Barber.

In tabula ærea Romæ repert.

SIGN. HERC. SERVAT.
D. N. IMP. D. TRAIANI
AVG. FORTISSIM. PRIN
CIPI EX VOTO
L. IVLIVS FELIX V. C. EVOK.
AVG. N. F. C.

Ex iisd. schedis.

Romæ.

HERCOLI SACRVM
FL. EVGENIVS V. C. EX PRAEF.
PR. COS. ORDINAR. COMIT.
DOM. VOTO SVSCEPTO
LIB. MER.

Ex iisd. sched.

Ibid.

ALCIDE SACRI GENERIS
DECVS HOC TIBI PRECOR
ET IOVIS ANTISTES
DEDICO PERPETVVS

Prima Herculi Pacifero, sic enim dictus Hercules ob pacem quam mortalibus victoriis suis procurabat, dedicata fuit a Publio Junio Cerino Præfecto Equitum Singularium, de quibus dicemus, ubi de Militum inscriptionibus. V. S. L. M. *Voto soluto Libero munere*, vel *Votum solvit libens merito*.

Secunda, Herculi Servatori a *Kajo Æmilio Kaii filio Varrio*, tribu *Quirina*. *Kajo* autem pro *Cajo* rarum est.

Tertia, *Signum Herculis Servatoris Domini nostri Imperatoris Decii Trajani Augusti Fortissimi Principis ex voto, Lucius Julius Felix Vir Clarissimus Evocatus Augusti nostri fieri curavit.*

Quarta. *Hercoli sacrum Flavius Eugenius Vir Clarissimus*, (sive *Consularis*) *Ex-Præfectus Prætorio Consul Ordinarius Comes Domesticus voto suscepto libens merito.*

Quinta a quodam Herculis & Jovis Antistite, statuæ Herculi dedicatæ titulus videtur esse.

Sed non omittenda sequens Inscriptio, quam a me transmissam edidit anno præterito Eruditissimus Vir Henricus Noris Augustinianus, in Pisano Lycæo Historiæ Ecclesiasticæ Professor.

Romæ.

IOVI. INVICTO
SILVANO. ET HERCVLI
GENIO VRBIS
FOTVNAE. FEL. ANSACE
NVS. MIL. COH. VIII.
AVRELIAN. 7. VARI
NIAN. AR. ET SIGN.
D. D.

7. centuria. ARam ET SIGNum Dono Dedit.

a Latere.

DED. III. NON.
IVL. D. N.
M. AVR. PROBO
AVG. ET. M.
AVR. PAVLI
NO. COSS.

Ex sched. Barberin.

Ex hac insigni Inscriptione, *ut R. P. Henr. Noris verbis utar*, intelligimus anno Chr. 276. Marcum Aurelium Probum fuisse Imperatorem, quod negabat Baronius: eumque Consulem ordinarium, secus ac Panvinius judicavit; siquidem eo sæculo publica monumenta solis Consulum Ordinariorum nominibus obsignabantur. Habemus etiam prænomen ac familiam Paulini Consulis, quæ hactenus latuere.

Epigramma

Olim basi statuæ Herculis Inscriptum.

Venetias

Translatum Marmor.

ΗΡΑΚΛΕΣ ΠΟΥ ΣΟΙ ΠΤΟΡΘΟΣ ΜΕΓΑΣ ΗΤΕ ΝΕΜΕΙΟΣ
ΧΛΑΙΝΑ ΚΑΙ Η ΤΟΞΩΝ ΕΝΠΛΕΟΣ ΙΟΔΟΚΗ
ΠΟΥ ΣΟΒΑΡΟΝ ΜΙΜΗΜΑ ΤΙΣ ΕΠΛΑΣΕΝ ΩΔΕ ΚΑΤΗΦΗ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΧΑΛΚΩ Δ ΕΓΚΑΤΕΜΙΞΕ ΟΔΥΝΗΝ
ΑΧΘΗ ΓΥΜΝΩΘΕΙΣ ΟΠΛΩΝ ΣΕΟ ΤΙΣ ΔΕ Σ ΕΠΕΡΣΕΝ
Ο ΠΤΕΡΟΕΙΣ ΟΝΤΩΣ ΕΙΣ ΒΑΡΥΣ ΑΘΛΟΣ ΕΡΩΣ

Id est,

O Hercules, ubinam est tua magna clava, ubi Nemæa
Pellis qua pro veste uteris, ubi quoque pharetra tua telis gravida?
Ubinam superba illa tua species? Quis te effinxit adeo submissum?
Lysippus, qui æri permiscuit doloris sensum.
Tuis armis nudatus doles. Quis vero te exarmavit?
Alatus Amor, qui unus fuit laborum gravissimus.

Istud Epigramma quod Venetiis in Erizzorum Palatio descripsi, reperitur & in Anthologia Epigrammatum Græcorum, sicut & aliud immediate hoc præcedens in eodem loco. Unde quia & alia similia marmoribus inscripta reperiuntur, non dubito quin plura olim fuerint ex iis in libros transcripta, ne perirent hæc veneranda antiquitatis monumenta. Notandum autem circa Græcas Inscriptiones lapidibus insculptas, omnes fere sine ulla vocum distinctione in Autographis legi, quod quidem in hoc opere observare neglexi, ne earum obscuritas augeretur. E contra vero in Latinis inscriptionibus sæpissime singulis vocibus distinctionis gratia punctum appingi, præterquam in fine lineæ, si vox integra lineam terminet, & in fine Inscriptionis, secus quam nostra ætate fieri assolet.

ARTICULUS XI.

COLLEGIA VARIA

Ex Marmoribus a Grutero omiſſis.

Statuta Collegii Æſculapii & Hygiæ,

Ex eleganti marmore in ædibus Barberinis.

SALVIA. C. F. MARCELLINA OB MEMORIAM FL. APOLLONI PROC. AVG. QVI FVIT A PINACOTHECIS ET CAPITON. AVG. L. ADIVTOR. EIVS MARITI OPTIMI PIISSIMI DONVM DEDIT COLLEGIO AESCVLAPI ET HYGIAE LOCVM AEDICVLAE CVM PERGVLA ET SOLARIVM TECTVM IVNCTVM IN QVO POPVLVS COLLEGI SS. EPVLETVR QVOD EST VIA APPIA AD MARTIS INTRA MILLIARIVM Ī ET ĪĪ AB VRBE EVNTIBVS PARTE LAEVA INTER ADFINES VIBIVM CALOCAERVM ET POPVLVM ITEM EADEM MARCELLINA COLLEGIO SS. DEDIT DONAVITQVE HS Ē. M. N̄. HOMINIBVS N̄. LX. SVB HAC CONDICIONE VT NE PLVRES ADLEGANTVR QVAM NVMERVS SS ET VT IN LOCVM DEFVNCTORVM LOCA VENIANT ET LIBERI ADLEGANTVR VEL SI QVIS LOCVM SVVM LEGARE VOLET FILIO VEL LIBERTO DVMTAXAT VT INFERAT ARKAE N̄. PARTEM DIMIDIAM FVNERATICI ET NE EAM PECVNIAM SS VELINT IN ALIOS VSVS CONVERTERE SED VT EX VSVRIS EIVS SVMMAE DIEBVS INFRASCRIPTIS LOCVM CONFREQVENTARE EX REDITV EIVS SVMMAE SI QVOD COMPARAVERINT SPORTVLAS HOMINIB. N. LX EX DECRETO VNIVERSORVM QVOD GESTVM EST IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI CONVENTV PLENO QVI DIES FVIT V. ID. MART. BRVTTIO PRAESENTE ET IVNIO RVFINO COS. VTI XIII. K. OCT. DIE FELICISSIMO N̄. ANTONINI AVG. N. PII P. P. SPORTVLAS DIVIDERENT IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI C. OFILLIO HERMETE Q. Q. P. P. VEL QVI TVNC ERIT * III AELIO ZENONI PATRI COLLEGI * III SALVIAE MARCELLINAE MATRI COLLEGI * III IMM. SING. * II CVR. SING. * II POPVLO SING. * I ITEM PL. PR. NON. NOV. N̄. COLLEGI DIVIDERENT EX REDITV SS AD MARTIS IN SCHOLAM PRAESENTIBVS Q̄Q̄ * VI PATRI COLLEGI * VI MATRI COLLEGI * VI IMM. SING. * IIII CVR. SING. * IIII PANES IIII VINVM MENSVRAS Q̄Q̄ -S- VIIII PATR. COLL. -S- VIIII IMM. SING. -S- VI CVR. SING. -S- VI POPVLO SING. -S- III. ITEM PR. NON. IAN. STRENVAS DIVIDERENT SICVT SS EST XIII K. OCT. ITEM VIII K. MART. DIE KARAE COGNATIONIS AD MARTIS EODEM LOCO DIVIDERENT SPORTVLAS PANE ET VINVM SICVT SS EST PR. NON. NOV. ITEM PRID. MART. EODEM LOCO CENAM QVAM OFILIVS HERMES Q̄Q̄ OMNIBVS ANNIS DANDAM PRAESENTIBVS PROMISIT VEL SPORTVLAS SICVT SOLITVS EST DARE ITEM XI K. APR. DIE VIOLARI EODEM LOCO PRAESENTIBVS DIVIDERENTVR SPORTVLAE VINV PANE SICVT DIEBVS SSS ITEM V ID. MAI DIE ROSAE EODEM LOCO

PRAE

PRAESENTIBVS DIVIDERENTVR SPORTVLAE VINV ET PANE SICVT DIEBVS SSS
EA CONDICIONE QVA IN CONVENTV PLACVIT VNIVERSIS ET DIEBVS SS II
QVI AD EPVLANDVM NON CONVENISSENT SPORTVLAE ET PANE ET VINV
EORVM VENIRENT ET PRAESENTIBVS DIVIDERENTVR EXCEPTO EORVM QVI
TRANS MARE ERVNT VEL QVI PERPETVA VALETVDINE DETINETVR ITEM P.
AELIVS AVG. LIB. ZENON EIDEM COLLEGIO SS OB MEMORIAM M. VLPI AVG.
LIB. CAPITONIS FRATRIS SVI PIISSIMI DEDIT DONAVITQVE HS X. M. N. VTI
EX REDITV EIVS SVMMAE IN CONTRIBVTIONE SPORTVLARVM
DIVIDERENTVR QVOD SI EA PECVNIA OMNIS QVAE SS EST QVAM DEDIT
DONAVIT COLLEGIO SS SALVIA C. F. MARCELLINA ET P. AELIVS AVG. LIB.
ZENO IN ALIOS VSVS CONVERTERE VOLVERINT QVAM IN EOS VSVS QVI
SSS QVOS ORDO COLLEGI NON DECREVIT ET VTI HAEC OMNIA QVAE SSS
SVIS DIEBVS VT ITA ET ANT. DIVIDANTQVE QVOD SI ADVERSVS EA QVID
EGERINT SIVE QVID ITA NON FECERINT TVNC Q. Q. VEL CVRATORES
EIVSDEM COLLEGI QVI TVNC ERVNT SI ADVERSVS EA QVID FECERINT Q. Q.
ET CVRATORES SS. VTI POENAE NOMINE ARKAE N̄ INFERANT HS X̄X̄ M. N̄.
HOC DECRETVM ORDINI N̄ PLACVIT IN CONVENTV PLENO QVOD GESTVM
EST IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE DIVI TITI V. ID. MART. C. BRVTTIO
PRAESENTE A. IVNIO RVFINO COS. Q. Q. C. OFILIO HERMETE CVRATORIB. P.
AEL. AVG. LIB. ONESIMO ET C. SALVIO SELEVCO.

Exſcripſi.

Hæc ſine abbreviationibus ſic legenda ſunt.

[1] Salvia Caii filia Marcellina ob memoriam Flavii Apollonii Procuratoris Auguſti, & Capitonis Auguſti Liberti Adjutoris ejus, mariti optimi piiſſimi, donum dedit [2] Collegio Æſculapii & Hygiæ locum Ædiculæ cum [3] pergula, & ſolarium tectum junctum in quo populus Collegii ſupraſcripti epuletur, quod eſt via Appia ad [4] Martis, intra Milliarium primum & ſecundum ab urbe euntibus parte læva, inter adfines Vibium Calocærum & Populum. Item eadem Marcellina Collegio ſupraſcripto dedit donavitque ſeſtertiorum quinquaginta mille nummum Hominibus noſtris ſexaginta; ſub hac condicione ut ne plures adlegantur, vel ſi quis locum ſuum legare volet filio vel Fratri vel Liberto, dumtaxat ut inferat Arkæ noſtræ partem dimidiam [5] funeratici, & ne eam pecuniam ſupraſcriptam velint in alios uſus convertere, ſed ut ex uſuris ejus ſummæ diebus infraſcriptis locum confrequentare, ex reditu ejus ſummæ ſi quod comparaverint [6] ſportulas hominibus noſtris ſexaginta, ex decreto univerſorum, quod geſtum eſt in Templo Divorum in Æde Divi Titi conventu pleno, qui dies fuit quinto Idus Martias Bruttio Præſente & Junio Rufino Conſulibus. Uti [8] decimotertio Kalendas Octobris die feliciſſimo Natali Antonini Auguſti noſtri Pii Patris patriæ Sportulas dividerent in Templo Divorum in æde Divi Titi, Cajo Ofilio Hermete Quinquennali Perpetuo vel qui tunc erit, Sportulas ſeu Denarios [9] tres, Ælio Zenoni patri Collegii Denarios tres, Salviæ Marcellinæ matri Collegii Denarios tres, Immunibus ſingulis Denarios duos, Curatoribus ſingulis Denarios duos, Populo ſingulis Denarium unum, item Plebi: pridie nonas Novembris [10] Natali Collegii dividerent ex reditu ſupraſcripto ad Martis in ſcholam præſentibus, Quinquennali Denarios ſex, Patri Collegii Denarios ſex, Matri Collegii Denarios ſex, Immunibus ſingulis Denarios quatuor, Panes quatuor, vinum menſuras, Quinquennali ſextaria [11] novem, Patri Collegii ſextaria novem, Immunibus ſingulis ſextaria ſex, Curatoribus ſingulis ſextaria ſex, Populo ſingulis ſextaria tria. Item pridie Nonas Januarias [12] Strenuas dividerent ſicut ſupraſcriptum eſt decimotertio Kalendas Octobris; Item octavo Kalendas Martii [13] die Karæ cognationis ad Martis, eodem loco cenam quam Ofilius Hermes Quinquennalis omnibus annis dandam præſentibus promiſit vel ſportulas ſicut ſolitus eſt dare. Item undecimo Kalendas Aprilis [14] die violari eodem loco præſentibus dividerentur ſportulæ, vinum & panes ſicut diebus ſupraſcriptis. Item quinto Idus Maii [15] die roſæ eodem loco præſentibus dividerentur ſportulæ, vinum & panes ſicut diebus ſupraſcriptis, ea condicione qua in conventu placuit univerſis & diebus ſupraſcriptis, ii qui ad epulandum non conveniſſent ſportulæ & panes & vinum eorum venirent & præſentibus dividerentur, excepto eorum qui trans mare erunt vel qui perpetua valetudine detinetur. Item Publius Ælius Auguſti Libertus Zenon eidem Collegio ſupraſcripto ob memoriam Marci Ulpii Auguſti Liberti Capitonis Fratris ſui piiſſimi dedit donavitque Seſtertiorum decem millia nummum, uti ex reditu ejus ſummæ in contributione Sportu-

larum dividerentur. Quod ſi ea pecunia omnis quæ ſupra-ſcripta eſt quam dedit donavit Collegio ſupra-ſcripto Salvia Caii filia Marcellina & Publius Ælius Auguſti Libertus Zeno in alios uſus convertere voluerint, quam in eos uſus qui ſupra-ſcripti ſunt, quos ordo Collegii non decrevit, & uti hæc omnia quæ ſupra-ſcripta ſunt ſuis diebus ut ita & ante dividantque. Quod ſi adverſus ea quid egerint ſive quid ita non fecerint, tunc Quinquennalis vel Curatores ejuſdem Collegii qui tunc erunt, ſi adverſus ea quid fecerint Quinquennalis & Curatores ſupra-ſcripti, uti pœnæ nomine arkæ noſtræ inferant Seſtertiorum viginti mille nummum. Hoc decretum Ordini noſtro placuit, in Conventu pleno quod geſtum eſt in Templo Divorum in Æde Divi Titi, Quinto Idus Martii, Cajo Bruttio Præſente, Aulo Junio Rufino [16] *Conſulibus, Quinquennali Cajo Ofilio Hermete, Curatoribus Publio Ælio Auguſti Liberto Oneſimo & Cajo Salvio Seleuco.*

N O T Æ

In hanc inſcriptionem.

1. Salvia Marcellina nobilis opulentaque matrona in memoriam Flavii Apollonii Procuratoris Auguſti, & Marci Ulpii Capitonis mariti ſui, prædicti Apollonii Adjutoris, locum Ædiculæ & ſummam pecuniæ non contemnendam Collegio Æſculapii & Hygiæ dederat, ſcilicet Seſtertios quinquaginta mille, quæ monetæ noſtræ Gallicæ ſaltem duo mille quingentos argenteos Coronatos efficiebant, ut ejus reditus in eum converteretur uſum, qui hic aſſignatur. Ideo mater Collegii appellatur, ſicut Publius Ælius Zeno pater Collegii, cum ei ſummæ adjunxiſſet decem mille Seſtertios, in memoriam prædicti Capitonis Fratris ſui. De Seſtertiis qui plura velit, adeat Budæum, Voſſii Etymologicum, & Gronovium.

2. Collegium iſtud Æſculapii erat, ut ex hoc lapide patet, ſocietas ſexaginta hominum, quæ certis anni diebus eam Ædiculam confrequentare, in eaque ſacrificare & epulari ſolebat.

3. *Pergula* eſt pars domus exporrecta & propendens, ſic dicta quod extra murum porrigatur. *Solarium* vero locus editus Soli expoſitus ad ambulationem deſtinatus, ſed & aliquando tectus, ut ex hoc marmore hunc fuiſſe patet.

4. *Ad Martis*, ſubaudi Ædem: Templum enim Martis erat extra Portam Capenam in via Appia, quod ideo Martis extramuranei dicebatur, de quo ſic Livius: *Quum omnes extra Portam Capenam ad Martis Ædem convenire juniores armatos juſſiſſet.*

5. *Funeraticum*, eſt pecunia quæ in funeribus impendebatur. Eaque aliquando erat non mediocris, Romano creſcente luxu.

6. Sportulæ vocabantur munuſcula denariorum, quæ cum vino & pane diſtribuebantur in certis anni feſtis, aut aliis ſolemnibus diebus. Nummi etiam aurei aliquando dabantur; ſic Trebellius Pollio de Sportula Gallieni Imperatoris: *Matronas ad Conſulatum ſuum rogavit, iiſdemque manum ſibi oſculantibus, quaternos aureos ſui nominis dedit.* Qui Conſulatum inibant amicis ſportulas mittebant. Symmachus lib. 9. Epiſt. ult. *Sportulam Conſulatus mei, & amicitiæ noſtræ & honori tuo debeo, hanc in ſolido miſi.* Ideo autem hæc numiſmata ſive aurea, ſive argentea Sportulæ appellabantur, quod in Sportulis ſeu parvis corbibus mitterentur. Corippus lib. 4. de Conſulatu Juſtini Imperatoris.

Dona Calendarum quorum eſt ea cura parabant
Officia, & turmis implent felicibus Aulam.
Convectant rutilum ſportis capacibus aurum.

Ideoque in Gloſſis noſtris, *Sportula*, τὰ ἐν σπυρίδι διδόμενα ξένια. Cum Sportulis dabant & Conſules tabellas portatiles argenteas vel eburneas, in quibus eorum nomina inſcripta, quas Faſtos vocabant.

A Sidonius lib. 8. Epiſt. 6. ad Namatium, de editione Conſulatus Aſterii; *itaque*, ait, *ut primum brevi peracta, nec brevis Sportula, datique Faſti.* Dono mittebant amicis etiam alii Magiſtratus ſuam Sportulam, ſed minoris pretii.

7. *In Templo Divorum, in Æde Divi Titi.* Puto eſſe Templum defunctis Auguſtis dicatum, quod initio Romæ & Auguſti tantum, at ſequentibus Imperatoribus defunctis, Templum Divorum dictum fuit, iis in Divos relatis qui boni Principes viſi fuerant. In eoque erecta ſingulis ædicula, ut hæc Divi Titi ædes, ubi conveniebant nonnunquam Sodales Collegii Æſculapii & Hygiæ. B

8. XIII. Kal. *Octobris*. Hic dies fuit Natalis Antonini Pii, ut non ſolum ex hoc conſtat marmore, ſed etiam ex Calendario Antiquo edito tempore Conſtantini, in quo Natalitii quorundam Cæſarum dies præcipue bonorum, quorum memoria conſervari merebatur, notati ſunt. Idemque ex Capitolino: *Ipſe Antoninus Pius natus eſt tertiodecimo Calendas Octobres.*

9. Sportulas ſive Denarios tres: * enim nota eſt denarii. Iique denarii qui in iſtis ſolemnitatibus diſtribuebantur, peculiari aliquo typo ab ordinaria C moneta diverſo ſæpe inſigniebantur, ut in Ludis Circenſibus bigæ, quadrigæ vel aliud quid ad ludos pertinens in nummo ſignabatur, quales Athleticos nummos ex iis qui *Contourniatæ* vocantur videre eſt, tuncque xeniis deſtinati Sportulæ vocabantur.

10. *Natali Collegii*, eo ſcilicet die quo primum inſtitutum eſt, ideo ob memoriam ejus duplo major inſtituitur Sportularum diſtributio.

11. ·S· Expoſui *Sextarium* non Seſtertium vel aliud quid, eo quod hic ex præcedentibus, de menſuris vini agi videtur: adde quod hæc nota ·S· *quæ fere exprimitur ut f*, duas literas priorum Syllabarum D Sextarii S. T. comprehendat obſcure.

12. Notanda hic vox *Strenua*, quam nunc Strenam diceremus. Erat & Sacellum Deæ Strenuæ Romæ in quarta Regione, ex Publio Victore. Strenuis enim initio Reipublicæ Romanæ Strena offerebatur, ab eiſque ejus etymologia. Ex hoc etiam obſervandum, non tantum primo die Calendarum Januarii Strenas exhibitas fuiſſe, ſed & ſequentibus.

13. *Die caræ cognationis*. Hoc feſtum ſic notat menſe Februario vetus Ruſticum Calendarium, *Cara Cognato*. Sed in Calendario Conſtantiniano; E *Cariſtia* vocatur quod idem eſt. *Convivium ſolemne*, inquit Val. Max. l. 2. *Majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur; ut ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.*

14. *Die Violari*. Non eſt notatus hic dies in Calendariis vetuſtis; ideoque celebratus quod tunc viola florere incipiat.

15. *Die Roſæ*. Nec etiam feſtum iſtud notatum, eo quod forte ſub Floraliciis comprehenderetur; Calendarium tamen Conſtantini habet Feſtum quod-

dam rosarum, decimo Calendas Junii, scilicet diebus duodecim post hunc diem Rosæ: *Macellus Rosa sumat*, id est, Macellum rosis ornetur.

16. *Cajo Bruttio Præsente, Aulo Junio Consulibus*. Consulatus hic incidit in annum æræ Christianæ 154. Corrigit autem elegans hoc marmor Consulum istorum nomina, quorum ultimus male in Fastis Capitolinis Antonius Rufinus, & apud Cassiodorum Rufus vocatur. Observandum etiam Bruttium Præsentem non notari hic Consulem II. neque in Cassiodori Chronico: existimoque alium esse Bruttium, qui cum Antonino Consul fuit duabus vicibus.

Collegium Dendrophororum.

Puteolis.

EX S. C. DENDROPHORI CREATI QVI SVNT
SVB CVRA XVVIR ST. CCVV
PATRON. L. AMPIVS STEPHANVS SAC.
M. DEI QQ. DEND. DEDICATIONI HVIVS
PANEM VINVM ET SPORTVLAS DEDIT

C. VALERIVS PICENTINVS	C. IVLIVS COGITATVS
C. IVLIVS HERCVLANVS	C. IVLIVS CERIALIS
LONGINIVS IVSTINVS	C. HERENNIVS SABINVS
A. FIRMIVS POLYBIVS	L. ORFIVS MAXIMVS
C. LISIVS CRESCENTINVS	N. POLLIVS PRIMVS SEN.
L. DECIMIVS FELINVS	C. LITRIVS MAIOR
CVPIENNIVS PRIMITIVVS	L. DECIMIVS FAVSTVS
T. MINICIVS SABINVS	C. IVLIVS SEVERVS
M. IVNIVS AGRIPPINVS	C. NAVTIVS SYNTROPVS
A. CAMELIVS PROTOCENSIS	N. VIBIVS SPERATVS
A. AGNANIVS FELICISSIMVS	L. PACIVS MAXIMINVS
C. LITRIVS FORTVNATVS	Q. GRANIVS GEMELLVS
TI. IVLIVS CALLINICVS	M. GRANIVS MVRCIANVS
Q. CVRTIVS SCEMANVS	Q. SERVIVS NICETIANVS
L. OPPIVS LESIGINVS	C. LISIVS SECVNDINVS
M. HERENNIVS ZERAX	C. PVBLILIVS GENIALIS
C. LISIVS PVDENTINVS	L. CONNIVS CASTRENSIS
A. FIRMIVS FELICIANVS	Q. GRANIVS CHORINTVS
M. BABBIVS SODALVS	TI. IVLIVS ATAINOPO
L. MODESTIVS HILARVS	Q. GRANIVS IANVARIVS
L. ORFIVS MAXIMINVS	C. TVRRANIVS PRISCVS
C. IVLIVS GAVDITVNVS	L. PLAVTIVS VICTOR
L. LOLLIVS VIATOR	A. FIRMIVS SEVERVS
M. CVRIVS NIANVS	T. FLAVIVS ARCHILAVS
C. MARTIVS VITALIS	M. VALERIVS SYNTROPVS

AVRELIVS LVCIVS
C. IVLIVS DIANENSIS
C. ANTONIVS LVCILIANVS
C. MAGIVS CRESCENTIANVS
C. CARTILIVS IRENICVS
N. POLLIVS PRIMVS IVN.
C. TITILIVS PRIVATVS
L. MARCIVS MARVLEIVS
Q. GRANIVS GEMELLVS
C. CLODIVS MERCVRIVS
N. VIBIVS SVPER
C. TVSCENIVS COMMVNIO
M. STENNIVS MARCELLINVS
M. VALERIVS EVTYCHES
C. RVFIVS SELEVCVS
M. VALERIVS IANVARIVS
N. LVCIVS CYRICIVS
C. IVLIVS CARITO
M. MALLONOVS SEVERIANVS
L. GENTIVS NICO
L. PEDANIVS FAVSTINVS
NAEVIVS POLLIVS PRISCVS
IVLIVS DECIVS FELICIVS
M. SAGARIVS SEDATVS
C. TVSCENIVS PRIMITIVVS
M. SAMIANTVS CRESCENS
P. CARSICIVS FLORIANVS
C. STATRIVS FELICISSIMVS
T. MINITIVS VERATINVS
M. PLAVTIVS HILARVS
M. SAMILARIS FORTVNIVS
C. IVNIVS MERCVRIVS
C. IVLIVS CRESCENS
C. AVRVNCVLEIVS...
L. FLAVIVS CELER
SAMIARIVS SILVANVS

DEDICATA VII ID. OCT. III ET SEMEL. COS.

Ex Capacii Hist. Neap.

Romæ.

M. ANNIVS M. F. PAL. AVFVSTIANVS
PROCVRATOR COLL. DENDROPH.
ROMANORVM H. V. IN
QQ EPVLVM DD. ET * D. DIVIS
PER GRAD.

Ex sched. Barberin.

Dendrophori, ut putant Viri eruditi, erant ii qui ligna negotiabantur subministrabantque, præcipue usibus bellicis necessaria. De Dendrophoris & Centonariis est Titulus Codicis Theodosiani lib. 14. tit. 8. Ubi Constantinus Imp. præcipit, ut in quibuscumque oppidis fuerint Dendrophori, Centonariorum atque Fabrorum corporibus adnectantur: ex quo erui non potest quænam fuerit illorum ars & professio: tametsi opificum genus utrosque fuisse tam titulorum illorum series, quam lapidum antiquorum copia, qui illos cum Fabris Ferrariis & Tignariis, ut dicta lex Constantini, conjungunt, non obscure indicare videantur. Fabri autem non simpliciter Lignarii Fabri, sed ii qui machinis bellicis fabricandis operam navabant, ut ex Livio constat. Non ergo mirum, si illi Dendrophori Senatusconsulto hic creati dicantur, ne disciplinæ militari conservandæ aliqui deessent Opifices. Sunt qui putent Dendrophoros esse illos, qui in publicis Deorum supplicationibus ramos arborum ferebant: quæ est opinio Salmasii ad Spar-

tiani Caracallam; nec ullo modo fuisse artis, sed religionis sive superstitionis nomen. Dendrophorus enim ad verbum est *is qui arborem gestat*. Unde Silvanus in antiqua Inscriptione *Dendrophori* Epitheton habet. Hocque clarius patet ex Artemidori Oneirocriticis: *χορεύειν δὲ τῷ θεῷ, ἢ θυρσοφορεῖν, ἢ δενδροφορεῖν, ἢ ἄλλό τι τῶν κεχαρισμένων τῷ θεῷ πράττειν, πᾶσι πονηρὸν, πλὴν δούλων*. *Choream Deo (Baccho) ducere, aut thyrsum, aut arbusculam gestare, aut aliud quid gratum Deo facere, omnibus malum est, exceptis servis*. Hanc ergo controversiam inter eruditos viros de Dendrophoris dirimere non audeo, cum sane Tit. Cod. Theodos. de Paganis & Templis leg. xx. id videatur judicare, *omniaque loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quæque nomina & professiones gentilitiæ tenuerunt epulis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto compendia domus nostræ sublevare*.

Romæ.

S. Mariæ in Trastevere.

M. VLPIVS AVG. L.
PHILETVS
M. VLP. ARVATI NEP.
ANNI PRIMI MAG. QVIN
QVEN. COLLEG. FABRVM
DENDROPHOR. NOMINE
M. VLPI ARVATIANI NEP.
SVI ALLECTI IN ORDIN.
DECVRION. IIII. H. H. DEI SOLI
INVIC. MITRAE SIG
NVM AENEVM PON. LXXXX
DONVM DEDIT

Ex sched. Card. Barber.

Ecce Dendrophori cognomen a quodam Romano assumptum.

Prope Nemausum.

DEO
INVICTO
MITHRAE
T. LVCILL. DENDROPH.
C. HELIVS MVC.....
D. S. D. D.

Ex Francisc. Graverolio, in cujus fundo repert.

Collegium Fabrum & Centonariorum.

Aspalathi,

Vulgo Spalatro in Dalmatia.

AVR. QVINTIANVS DEC. COLL. FAB. ET CENT.
QVI VIXIT ANN. P. M. L. MENS. V. D....
VIVVS SIBI POSVIT ET AVR. IAENVARIAE
CONIVGI SVAE COT SI QVIS AEAM ARCAM
POST MORTEM EORVM APERIRE VOLVERIT
INFER. DECVRIAE MEAE * XXV.

Exscripsi.

Id est, *Aurelius Quintianus Decurio Collegii Fabrum vel Fabrorum & Centonariorum qui vixit annis plus minus quinquaginta uno, mensibus quinque, dies.... vivus sibi posuit & Aureliæ Jænuariæ Conjugi suæ. Quod si quis eam arcam post mortem aperire voluerit inferet Decuriæ meæ denarios viginti quinque*, subaudi forte *millia*, nisi hic nota denarii magnum Sestertium significet, scilicet mille parvos Sestertios, violationi enim sepulchrorum magna solebat imponi pœna. Decuriones fuisse in his Collegiis sequens etiam inscriptio ostendit. *Centonarii* ,ii sunt qui tabernacula omnemque Castrensem supellectilem, quam Centones vocarunt Romani, suppeditabant: vel qui in bello incendia restinguebant, quæ ab hostium machinis procurabantur. Veget. lib. 4. de machina ex qua vineæ struuntur agens: *Extrinsecus autem*, ait, *ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel Centonibus operitur*. Milites quoque his interdum corpora texisse adversus telorum ictum testis est Cæsar de bello civili lib. 3.

Salonis in Dalmatia.

T. VETIO
AVGVSTALI
DECVRIONI COL. SAL.
QVAESTORI AEDILI IIVIR.
IVREDIC. PRAEFECT. ET PATRON.
COLL. FABR. OB MERITA
EIVS COLL. FABR.
EX AERE CONLATO

Ex Lucii Inscript. Dalmatiæ.

Ibidem.

T. FLAVIO T. F. TRO. DECVR.
COL. SAL. AEDIL. IIVIR..
IVREDIC. DEC. COL. AEQVI.
FABR. IIVIR. Q. Q. DISP.
MVNICIPII RIDITAR.
PRAEF. ET. PATRON. COLL. FABR.
OB MERITA EIVS COLL.
FABR. EX AERE CONLATO
CVRATORI REIPVBLICAE SPLEND
ISTARVM TRIB. LEG. X

Ex Eodem.

Romæ.

C. IVLIO PHILIPPO
EQVITI ROMANO
CORPVS FABRVM
NAVALIVM OSTIENS.
QVIBVS EX S. C. COIRE LICET
S. P. P.

Ex D. Fabretti.

Prope Ariciam.

MAVORTI SACRVM
HOC SIGNVM
RESTIT.....
COLL. FABR. ARI
CINORVM ANTIQVISS.
VETVSTATE
DILAPSVM ET
REFECER. CVR. L. LVCILIVS
LATINVS PROC. R. P. ARIC.
ET T. SEXTIVS MAGGIVS
SACER. COLL. EIVSD.

Ex sched. Barberin.

Collegium Fabrum Tignariorum.

Romæ.

L. CINCIVS L. F. [1] SVC. MARTIALIS [2] V̄VIR
POSSESSOR. HVIVS. MONVMENTI. EX. TESTAMENTO. L. MAMILI
FELICIS. DECVRIAE. X̄ [3] COLLEGIVM. FABRVM. TIGNVARIORVM.
PARIETEM DEXTRVM
INTROITVS. [4] OLLAS XXXII. DONAVIT. EIS. QVI-INFRASCRIPTI. SVNT.
SINGVLIS. SINGVLAS

P. SVLPICIO. FELICI. DECVR.	T. STATILIO. ONESIMO
L. CINCIO L.F. PAL. MARTIALI F.	TI. IVLIO. TAVRISCO
M. AMATIO. CRESCENTI	TI. IVLIO. SPERATO F.
T. POMPLINO. DRACONI	P. BAEBIO. EPAPHRODITO
SEX. IVLIO. APRILI	TI. IVLIO. HYMNO
T. STATILIO. ISOCHRYSO	C. IVLIO. CELERI
T. STATILIO. HIERONI F.	C. HERENNIO. CRESCENTI
C. PROCILIO. SATVRNINO	P. LICINIO. AGATHOPO
C. PETRONIO. CELADO	C. VIBIO. PRIMIGENIO
C. VIBIO. FAVSTILLO	M. VERGILIO. EVCARPO

L. BAEBIO APOLLINARI M. ANTONIO PHILOSTERG.
RELIQVAS. OLLAS. X̄ QVI. IN. HAC. DECVRIA. ALLECTI. ERINT
SINGVLIS. SINGVLAS. DO. LEGO
[5] RELIQVM. OMNEM. IVS. MEVM. QVOD. EST. IN. HOC. MONVMENTO.
AMATIAE. EVNIAE.
VXORI. MEAE. ET L. CINCIO. L. F. [6] PAL. MARTIALI F. ET. M. AMATIO.
CRESCENTI. DO.
POSSIDEREQ. EOS. IVBEO

Exscripsi.

1. SVC. *Succussana* tribu, cujus in aliis marmoribus extat mentio, quamque eandem esse cum Suburana ostendit Onuphrius.
2. V̄ VIR. *Quintum Vir*, qui Magistratus raro occurrit, de hoc tamen Livius & Pomponius.
3. *Collegium Fabrum Tignuariorum*, erat Societas seu corpus Opificum qui fabricandis tignis ad Militiam terrestrem & navalem necessariis operam dabant. Scribitur & Tignariorum. Hi autem Fabri Tignarii in aliis apud Gruterum lapidibus memorantur cum Fabriis Ferrariis, Dendrophoris & Centonariis, ut pote similem artem profitentibus, altera alteri necessaria existente.
4. *Ollæ* sunt urnæ cinerariæ, sic in alia inscriptione *Ollarum ossuariarum* mentio fit. Sed de Ollis fusius, in sequentibus.
5. *Reliqum omnem* pro Reliquum omne, errore Quadratarii.
6. PAL. *Palatina tribu*. Sed quare *Lucius Cincius Martialis Filius* sit ex alia tribu quam Pater, ideo est quod Romanis licitum esset vel habitationis mutatione, vel pecunia, aliave de causa, ab una in aliam transire. Sic Asconius in Oratione pro Milone: *Libertini*, inquit, *in Urbanis tribubus suffragium ferebant. Quæ præcipua caussa fuit ut nobiles se ex Urbanis subduxerint, & in rusticas, quæ horum hominum colluvie carebant, transferint.*

Brevem hanc inscriptionem repperi Fabri cujusdam Tignuarii; & aliam Magistri Quinquennalis ejusdem Collegii.

Romæ.

L. APPVLEIVS L. L.
LIBANVS
FABER TIGNVARIVS

Exscripsi.

Romæ.

D. M.
C. VALERI SOCRATIS
M. QVINQVENNALIS M. *Magister.*
COLLEGI FABRORVM
TIGNVARIORVM LVSTRI XXVII

Ex sched. Card. Barber.

Collegium Fabrum Veneris.

Salonis.

FL. CONSTANTI. NOBILISSIMO
AC BEATISSIMO. CAESARI
COLL. FABRVM. VENERIS

Ex Marulli MS.

Fabri Veneris forte sic dicti, quod eorum Collegium Veneris Ædem frequentaret, Salonis Dalmatiæ urbe, Diocletiani patria. Hic Flavium Constantium Chlorum Cæsarem sibi successorem elegerat, cui Collegium Fabrum Salonensium lapidem dicavit.

Collegium Fabrum Astensium.

Astæ.

CONCORDIAE
COLL. FABR. ASTENS.
M. VETTIVS SECVNDVS
IN MEMORIAM
VETTIAE CIVITATIS SOROR.

Concordiæ Collegii Fabrum Astensium, &c. Vettia hæc raro cognomine, *Civitatis* scilicet insignitur.

Romæ.

Q. FABIO Q. F. ESQVILINA
CALATINO
PRAEF. FABRVM LEG. VI. AVG.
X̄VIRO STLITIB. IVDICAND.
PATRONO MVNICIP.
LAVIN. LAVRENT.
FABIVS Q. F. ESQ. SILVESTER.
PIETAT. CAVSA

Ex sched. Card. Barberini.

Fabros fuisse Militiæ destinatos ostendit hoc officium Præfecti Fabrum Legionis Sextæ, ut & in Sequenti.

Romæ.

P. CVRIO P. F. QVIR.
BLAESO
PRAEF. FABRVM. TR.
LEG. VI. CLAVD. P. FEL.
PROC. XX. HERED.
IMP. CAES. TRAIANI
HADRIANI AVG. PROVIN.
HISPANIAE CITER. PROC.
CADVCORVM ILY
RICO AD LEG. INTER. P. R. III

Ex iisd. schedis.

Romæ.

TI. CLAVDIO LIBERALI
PRAEF. FABRVM EQVO
PVBLICO FILIO OPTIMO
PIISSIMO DVLCISSIMO
SODALI DESIDERANTISSIM.
VIXIT ANNIS XVI
MENSIBVS V DIEBVS XXI
PARENTES INFELICISSIMI

Exscripsi.

Romæ.

DIIS MANIBVS
SACR.
Q. AVALLIO Q. F.
GALL. ASTERI
VERONA
7 LEG. VIII AVG.
Q. AVALLIVS Q. F.
GALER. IVCVN
DINVS PRAEF.
FABR. LEG. II. AVG.
FRATRI PIISSI
MO POS.

Ex iisd. sched.

Romæ.

In basi Statuæ.

L. ANTONIO
EPITYNCHANO
LICTORI DEC. CVRIA
TIAE QVAE SACRIS
PVBLICIS APPARET
Q. Q. COLLEGII FABRVM
TIGNARIORVM OSTIS
SEVIRO AVG. IN PROVINC.
NARBONENSI COLONIA
AQVIS SEXTIIS

Ex Hist. Provinc. & Sirmondo.

Romæ.

In villa Justinian.

Q. CASCELLIVS Q. F. VOL. LABEO
PRAEFECT. FABRVM ARBITRATV
NERONIAE C. F. NERVLLAE VXORIS
NERONIA C. F. NERVLLA

Exscripsi.

Collegium Utriclariorum.

Antipoli.

COLLEGIO VTRICLAR.
C. IVL. CATVLINVS. DON. POS.

Utriclarii erant nautarum species, sicut & Lenuncularii & Lintrarii, a variis navicularum formis nomen desumentes. Eorum variæ sunt apud Gruterum Inscript. Eos etiam fusius explicavi in Antiq. Lugd.

Collegium Peregrinorum.

Vorburgi in Batavis, quod olim Forum Hadriani.

IN H. D. D.
GENIO COLLE
GI PEREGR.
VLP. DECEMBER
ET VERECVNDVS
CORNVTVS D. D.

IN H. D. D. In honorem Domus Divinæ, id eſt Auguſtæ, ut ex aliis marmoribus conſtat. Collegium Peregrinorum, ſodalitas aliqua erat Peregrinorum in urbe illa Batavorum, quorum Genio Ulpius Decem ber & Verecundus Cornutus hanc aram dicaverant.

Donatio Collegio Centonariorum.

Niciæ.

P. PETREIO. P. F. QVADRATO ET P. EVA
RISTO LAIS MATER STATVAM POSVIT OB
CVIVS DEDICAT. COLL. CENT. EPVLVM EX MORE
EX IP...HS XII. VT QVODANN. IN PERPET.
DIE NATAL. QVADR. V. ID. APR. QVA
RELIQVIAE EIVS CONDITAE SVNT SACRI
FICIVM FACERENT AN. FARE ET LIBO ET
IN TEMPLO EX MORE EPVLARENTVR ET RO
SAS SVO TEMPORE DEDVCERENT ET STA
TV AM DECERNT ET CORONARN. QVOD SE
FACTVROS RECEPERVNT

Joffredus qui elegantem Inſcriptionem hanc primus quod ſciam produxit, in Hiſt. Nicienſi, poſtque eum *Bouche* in Hiſt. Provinc.gravem committunt errorem qui ſenſum omnino tollit,quantumvis immutatis tantum duabus in tertia linea literis COLIGENT pro COLL. CENT. Collegio Centonariorum, ut in præcedenti marmore. Huic Collegio Lais legaverat HS XII. ſubaudi millia Seſtertium, ut ex eorum reditu quotannis ſacrificium facerent farre & Libo, in Templo epularentur, roſaſque earum tempore deferrent, ut ſtatuam quam Publio Petrejo dedicaverat, decernerent, hoc eſt, decorarent coronarentque: quod Centonarii ſe facturos promiſerant.

Epulorum illorum funeralium ſæpe mentionem faciunt marmora, ut elegans iſtud Florentiæ in palatio magni Ducis, ſed ex Africa allatum.

ANTONINI....
AVG. TOTIVSQ. DO
MVS EORVM C. VOLCIVS QVIE
TVS ARAMA SOLO EX HS D — *Ex Seſtert.* 500.
N. S. P. F. IDEMQ. DEDICAVIT — *nummum ſua pecunia fecit.*
ET OB DEDICATIONEM CON
GENTILIBVS ET SACERDOTI
BVS VISCERATIONEM ET EPV..

Exſcripſi.

Viſcerationem animalium ſcil. quæ ſacrificabantur. De his Funerum ritibus, conſule Gutherium de

jure Manium, Guichard. de funerib. Roman. Ecce alias inscriptiones quæ Collegii Fabrum & Centonariorum meminerunt.

Mediolani repert. ann. 1619.

INNOCENTI CVM ENCRATIO VIVAS

GEN. ET HON. — *Genio & Honori.*
MAGI GERMANI STATORI
MARSIANI EQ. R. EQ. P. DEC. DECV — *Equitis Romani, Equo publico, Decurioni.*
Ex Centuria — EX ƆIIII COLL. FABR. ET CENTON.
CVRAT. ARK. TITIANAE COLL. S. S. — *Collegii suprascripti.*
ANNI C. L. I. COLONG. F. MED.
ET IVNONI
CISSONIAE APHRODITE EIVS
D. XII EX COLL. SS. PATRONIS
PLVRA MERENTIBVS

INNOCENTI QVI SIC AGIS BENE VIVAS

Ex Peireskii schedis.

Romæ, in via Flaminia.

MAVORTI
T. STATILIVS T. LIB.
TAVRINVS
PROCVRATOR BIS COLL.
DENDROPHORORVM
ET CENTONARIORVM
SIGN. AEN. DD. ET
HS ∞∞ NVMMVM DIVISIT
IN COLL....
DECVR. HS. N̄
PLEB....

Exscripsit Paulus Maffei ex schedis Cardinalis Barberini.

Id est, *Mavorti Titus Statilius Titi Libertus Taurinus Procurator bis, Collegii Dendrophororum & Centonariorum, signum æneum Dedicavit, & Sestertia bis mille nummum*, seu nummorum, *divisit in Collegio*, & cætera quæ deleta sunt.

Collegium Lotorum.

Ariciæ.

DIANAE AVG.
COLLEG. LOTOR.
SACR.
PRIMIGENIVS R. P.
ARICINORVM SER. ARC.
CVRATOR II CVM
M. ARRECINO GELLIANO FILIO
PROCVRATORE I.
D. D.

Prope Ariciam.

L. TERTENI AMANTI
SACER COLL. LOTORVM
II VIR C. SARTIVS C. F.
ITERINVS ET L. ALLIVS
PETELINVS D. D.

Ex schedis Barber.

Sic lego, *Dianæ Augustæ*, *Collegio Lotorum sacrum*, *Primigenius Reipublicæ Aricinorum Servus Arcarius Curator secundum cum Marco Arrecino Gelliano Procuratore primum*, *dono dedit*. Hujus Collegii Lotorum nulla est apud Gruterum mentio. Iidem forte ac Balneatores. Aricia urbs erat Latii quatuor milliaribus a lacu qui *Speculum Dianæ*, Servio teste, vocabatur, nunc Lago di Nemo & *Specchio di Diana*. Hanc Deam jam ab antiquis Aricinis cultam demonstrat hoc marmor. Propter enim nemora a quibus Lacus nemorensis etiam appellabatur, propterque elegantem Lacum, gratus erat Dianæ tractus ille. *Servu Arcarius*, in aliis lapidibus memoratus, erat is qui thesauri publici custodiæ, administrationique præpositus erat.

Collegium Siliginariorum.

Romæ.

IOVI CONSERVA
TORI PATR. PATR.
SER. SVLPICIVS SER. LIB.
STEPHANVS II VIR STAT. AEN.
PRO SALVTE IMP. CAESARIS AVG.
COLLEG. SILIGINARIORVM.
DEDIC.

Ex sched. Card. Barberini
exscripsit Paulus Maffei.

Siliginarii erant qui panem Siligineum, id est purissimæ farinæ conficiebant: qui statuam æneam Augusto Cæsari dedicaverunt sub Duumviratu Servii Sulpicii Stephani Duumviri. Juvenalis.

Sed tener & niveus, mollique Siligine factus
Servatur Domino.

Attamen *secundarium panem*, hoc est non ex pura Siligine factum, potius appetebat Augustus, teste Suetonio.

PATR. PATR. id est *Patris Patriæ*, Augusti nempe Cæsaris, cui, inquit Suetonius, *Patris Patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt*.

Collegium Aurigariorum.

Romæ.

Apud S. Pancratium.

MERCVRIO SOLI
ET SILVANO
SANCTISSIMO
SACRVM
Q. VIVIVS VOLSCINI
VS PROC. COLLEG.
AVRIGARIORVM
IIII FACT. — *Quartæ Factionis*

Ex iisd. ſched.

Aurigarii ſive Aurigæ & Aurigatores qui in Ludis Circenſibus Equorum Rhedarumque curſibus præerant, propoſitaque præmia ſibi invicem diſputabant, ſocietates ſeu Collegia quædam, ut in hac inſcriptione legitur, conſtituebant, in quatuor Claſſes ſeu Factiones diſtincta, quæ Factiones coloribus forte, a quibus earum nomina, diſcernebantur. Inde quatuor haſce Factionum denominationes legimus in antiquis marmoribus, *Ruſſatam* ſcilicet, *Praſinam*, *Venetam* & *Albatam*: quarum vide Inſcriptiones apud Gruterum pag. 337. & ſequentibus. Hanc Inſcriptionem ſupra citavi pag. 731. ſed illic per errorem omiſſa fuit vox SOLI.

Collegium Pellioniariorum.

Romæ.

LIBERO PATRI
SACR.
Q. VELIVS ANNIVS
PRAEFECT.
COLLEG. FABRVM
ET PROCVRATOR COLL.
PELLIONARIOR.
SACERD. DE. SILV. — *Dei Silvani.*
SCHOLAM DE SVO
RESTITVIT
ET SIGN. AEN. DD.
ET CERVLARI ARG. — *Argenteum.*
ALT. PED. I. SEMIS RE
FECIT.

Ex iiſdem ſchedis.

Pelliones qui pelles conſuebant, *Pellionarii* forte qui pelles negotiabantur, bellicis præcipue uſibus. De Militiarum *Scholis* vide Joſ. Scaligeri Epiſt. in operibus poſthumis. *Cerularium* argenteum proculdubio candelabrum cereæ candelæ, quæ Cereus antiquis dicebatur. Paulus ex Feſto: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes Cereis utebantur.* Apud Leonem Grammaticum in Leone Philoſopho, *Cerularium* vocatur locus in Æde Sanctæ Sophiæ, in quo recondebantur Cerei illius Eccleſiæ.

Collegium Baliſtariorum & Ferrariorum.

Romæ.

Extra portam D. Laurent.

VOLCANO
SACR.
T. FLAVIVS FLORVS
SACERD. DEI SOL.
STAT. MARM.
COLLEG. BALISTARIOR.
ET COLL. FERRARIOR.

Ex iiſdem ſchedis.

Statuam marmoream Volcani Titus Flavius Florus Sacerdos Dei Solis dicaverat juſſu *Collegii Baliſtariorum & Ferrariorum*. Baliſtarii dicebantur qui in præliis baliſta ſeu arcu Baleari utebantur. Baliſta etiam erat machina qua ſaxa ad diruendos muros explodebantur, ante noſtrorum tormentorum inventionem. Concilium Romanum ann. 1139. *Artem illam mortiferam & Deo odibilem Baliſtariorum & Sagittariorum adverſus Chriſtianos & Catholicos exerceri de cætero ſub anathemate probibemus*. Iis aſſociantur & Ferrarii, utrique Vulcanum protectorem agnoſcentes, utpote artis ſuæ inventorem.

Collegium Vaſculariorum.

Romæ, in via Flamin.

VENERI
COLL. VASCVLARIOR.
SIG. CORINTHIVM
D. D.
CVR. L. TAMVDIVS L. F. SER.
CALVINVS C. CRESCEN
TIVS C. F. CRV. LENTINVS — *Cruſtumina tribu*
VOTINIVS II VIR Q. Q.
A. FORRIVS A. F. SCAP. — *Scaptia tribu*
ANTONIANVS
SACERD. D. VEN. GENITRIC.
* LXXX COL.
STIPAVIT

Signum ex ære Corinthio Veneri dedicaverat Collegium Vaſculariorum, curantibus Lucio Tamudio Calvino & Cajo Creſcentio Lentino Duumviris, ad cujus impenſam Forrius Antonianus Sacerdos Deæ Veneris Genitricis Collega illius Collegii ſtipem collegerat Denarios nonaginta. Vaſculariorum etiam meminit hæc Inſcriptio.

Lugduni.

Ad Portam Divi Irenæi.

.... CN. DANIVS CO...
.... MINVSO IIIIII VIR AVG.

...LVGDVNI NEGOTIATOR ARGENTAR.
....VASCVLARIVS SARCOPHAGVM
....ALVMNO POSVIT ET ARAM INFRASCRIPT.
VIVVS SIBI INSCRIPSIT VT ANIMAE
ABLATAE COR RECONDITI TVM VIT..
ANNIS CELEBE........

Exscripsi.

Vascularii qui Vascula negotiabantur, unde hic, cujus est Inscriptio, negotiator Argentarius & Vascularius simul dicitur, utramque artem exercens.

Collegium Aurificum.

Romæ.

PIETATI AVG. SACR.
IMP. CAESARI DIVI TRA
IANI PARTHICI FIL. NER
VAE TRAIANI HADRIANI
AVG. PONT. MAX. P. P.
COLLEG. AVRIFIC. D. D.

Ex sched. Card. Barberin.

Collegii Aurificum mentio est in Gruteriana Inscriptione sub Marco Aurelio.

Collegium Naupegiariorum.

Romæ.

In Quirinali, nella vigna de i Caraffi.

D I A N A E
COLLEG. NAVPEGIAR.
M. IVNIVS BALISTVS
ET Q. AVILLIVS EROS
II VIR D. D.

Ex sched. Barber.

Ναυπηγὸς in Glossis Græco-Latinis est *Faber Navalis*. Unde Naupegiarii Fabri Navium ædificatores: quorum Collegium Dianæ Sylvarum numini, ex quibus sua ligna mutuabantur, Statuam aliquam dicaverat.

Collegium Sagariorum.

Romæ.

IMP. TRAIANI AVG. OPTIM. PRINC.
M. AVSTRONIVS M.F. PAL. NICEPHORVS *PALatina tribu.*
OB HONOREM QQ. COLLEG. SAGARIOR.
ROMANORVM EX S. C. COIRE LICET
ARGENTI POND. IX. EX HS VIII MIL. N.
REDDIDIT Q.D.S.P.P. *Quod de sua pecunia posuerat.*
DEDIC. KAL. AVGVS. IIIII ET III. N.

Ex iisdem schedis.

Negotiatores & Mercatores *Sagarii* in aliis monumentis memorantur. Ita autem dicti a *Sago* vestis militaris specie: unde *Sagaria negotiatio* in Pandectis, & *Sagatus* apud Suetonium Sago vestitus dicitur, & *Sagarius* in Onomastico, χιτωνοπώλις, qui Saga vendit.

Collegium Pabulariorum.

Romæ reperta ad D. Laurentii.

APOLLINI
INVICTO
ET LVNAE AETERNAE
TER. POLLIVS TER.
LIB. POLLIANVS
IIII VIR. LVST. LXX. P.R.C.
COLLEG. PABVLARIOR.
STAT. AEN.
D. D.

Ex sched. Barber.

Romæ.

COLLEGIO PABVLARIORVM
C. CORNELIVS C.L. IVCVNDINVS II VIR
ET L. ANTONIVS L.L. IVBENTIVS II VIR
QVINQVENNALITAT. S.P. DEDICARVNT

Ex sched. Barber.

Pabularii sive Pabulatores militaris officii nomen, eorum scilicet qui ad pabula colligenda mittebantur, qui propterea sæpius cum hostibus congredi & velitari cogebantur, tum interdiu tum noctu: unde non mirum si Apollini Invicto & Lunæ Æternæ, quibus sæpe opus habebant, Statuam æneam dedicasset eorum Collegium.

Collegium Serapidis & Isidis.

In Marrucinis trans Aternum fluvium.

L. CASSIO HERMO
DORO NAVCLERO
QVI ERAT IN COLLEG.
SERAPYS SALON. PER
FRETA PER MARIA TRA
IECTVS SAEPE PER VND. *Vndas*
QVI NON DEBVERAT
OBITVS REMANERE
IN ATERN. SET MECVM
CONIVNX SI VIVERE
NOLVERAS AD STYGA
PERPETVA VEL R TE
FVNEREA VTINAM
TECVM COMITATA
FVISSEM VLPIA CANDI
DA DOMVS SALON. C...
M. P.
ATERN. QVI FVIT IN COLL. YSID. *Collegio.*

Ex Lucii Camarræ Theate Antiq.

Serapys & *Ysid.* pro Serapidis & Isidis. SALON. id est, ni fallor, Salonis Dalmatiæ urbe ex altera parte freti Adriatici. Conqueritur autem Ulpia Candida Maritum suum Lucium Cassium Hermodorum qui sæpe Freta & Maria trajecerat, tandem misere in Aterno fluvio periisse.

Colle-

Collegium Liticinum & Cornicinum.

Romæ.

M. IVLIVS VICTOR EX COLLEGIO
LITICINVM CORNICINVM

Ex Thom. Bartholin. de tibiis Veterum.

Hoc Tibicinum Collegium, *inquit Erud. Bartholinus*, credo Apulejum annotasse per Tibicinium: Florid. l. 1. de Antigenide: *Is cum esset in Tibicinio apprime nobilis*, &c. Collegia illa Romæ primum instituta a Rege Numa, si credimus Plutarcho, qui refert eum divisisse *multitudinem secundum Artificia, ut suum peculiare corpus haberent Tibicines, suum Aurifices, Architecti*, &c. *Tibicinum quoque Collegium*, inquit Valer. Maxim. l. 2. *solet in foro vulgi oculos in se convertere, cum inter publicas, privatasque ferias, actiones, personis tecto capite, variaque veste velatis, concentus edit.* Collegii Tibicinum & Fidicinum meminit Inscriptio Gruteriana pag. CLXXV. Liticines autem & Cornicines sunt Tibicinum species. *Liticines* qui *Lituo* canebant, quod est, inquit Priscianus, genus Tubæ minoris, unde soni fuit acutioris. Statius: *Et lituis aures circumpulsantur acutis.* Incurva erat ut Augurum Lituus. Inde Seneca:

Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit Ære.

Cornicines qui *Cornu* canebant. Cornu Tubæ genus incurvum ita dictum, quod olim, inquit Varro, fieret ex bubulo Cornu, quæ postea ex ære. Sic Virgil. Æneid. 6.

Æreaque assensu conspirant Cornua rauco.

Incertum quoddam Collegium.

Romæ.

NOMINA. QVAE. ADSCRIPSERVNT. DECVR.
EA. QVAE. I. S. S. *Infra Scripta Sunt.*

T. SATELLI. EVTYCHI.	HERMAE. FONTEI.
T. SATELLI. IVSTINI FR.	APVLEI AMPLIATI
ASIATICI. CAESARIS	FESTI CALPENI
BESIAE. IVCVNDAE. P. L.	FONTEI EVARISTI
SVAVETTIAE. LACESIS	IVNI MAXIMI
SVAVETTIA. AMARYLLIS	SVAVETTIVS ALEXA

QVI. HOC. COLLEGIVM. D. D.
IMP. CAESARE. VESPASIANO
T. CAESARE. AVG. F. VESPASIANO COS.

Ex sched. Barber.

Romæ.

In hortis Justinianis.

.....SODALITAS PVDICITIAE SERVANDAE

Exscripsi.

Marmor istud usum præbuit Epistylii in aliquo ædificio, in quod conveniebant Sodales quidam, qui Castitatis sive pudicitiæ servandæ votum fecerant, de quibus nescio an reperiatur aliud monumentum, aliquave mentio apud Autores. Pudicitiam servare tenebantur quorundam Deorum Sacerdotes, veluti Sacerdos fœmina, quæ apud Apollinem Pythium oracula reddebat.

Fragmentum incerti cujusdam Collegii.

Florentiæ.

..M. NOMINE CONCORDIA............

..CIAT * D. VNDEN. IN LOCVM.........

...RINT EADEM CONDICIONE SEQVANTVR.....

.....STIPVLATVS EST T. FLAVIVS......

..., ET POPVLVS POENA AVTEM IN EA..

....SSVM FVERIT COLLEGIVM POENA TENEATVR VT

...APRO QVOD SI CVSTOS DISTRACTVS NON ESSE..

...CRILEGO TENERETVR AVT HS $\overline{XXX}$ M. N.

...VS LEGEM SS FECERIT INFERRE DI..

ACTVM SEX ERVCIO..

Exscripsi.

Si quis conqueratur me plurima non interpretari, conquerar & ego in antiquis marmoribus multa me ignorare, fateborque conjecturas meas nolle Antiquitatis studiosis temerarie obtrudere. Contenti sint isti, me bona fide pauca quæ notatu digna existimo adnotare, cæteraque difficiliora eorum sedulæ disquisitioni ultro relinquere.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO TERTIA.

Ignotorum obſcurorumque quorundam Deorum Aræ, notorumque infrequentia cognomina ex antiquis marmoribus & nummis. Adjecta eſt in fine Diſſertatio de Tripodibus.

I.

Iovis Exſuperantiſſimi.

Romæ, in ædibus Equitis del Pozzo.

I· O· M
SVMMO
EXSVPERAN
TISSIMO

Sculptus ibidem vir togatus prolixa barba, dextra pateram geſtans, cum Cornu-copiæ retro illius caput.

Exſcripſi.



AB *Jove principium, Muſæ, Jovis omnia plena*. Non quidem, ut cæcutientes errabant antiqui, ipſius numine plena: ſed ejus delubris, aris ſtatuiſque plenus ferme totus terrarum orbis. Eum autem non tantum ut Optimum Maximumque colebant, verum etiam ut ſummum *Exſuperantiſſimumque*, qualem nobis offert marmor iſtud. Exſuperantiſſimum dictum arbitror, vel quod cæterorum Deorum vires

A ſuperaret, vel quod homines bonis exſuperare ſive abundare concederet, unde retro illius caput cernitur Cornucopiæ perpetuum abundantiæ ſymbolum. Interpretari antehac ſolebant nobiles Antiquarii vocem hanc IOVI EXSVP. quæ in Commodi nummis occurrit *Jovi ex ſuperis*, donec Carolus Patinus exſuperantiſſime de antiquitate meritus, ſimilem nactus inſcriptionem nos docuerit tam nummi quam marmoris Jovem legendum eſſe *Exſuperantiſſimum*. Illam vero quia indicavit duntaxat, nec prælo ſubmiſit, heic referre non gravabor.

Ultrajecti, in horto Grævii.

IOVI. O. M. SVMMO
EXSVPERANTISSIMO
SOLI. INVICTO. APOLLINI
LVNAE. DIANAE. FORTVNAE
MARTI. VICTORIAE. PACI
C. ANTISTIVS. ADVENTVS
LEG. AVG. PR. PR.
DAT

Ex Monum. Viror. Illustr.

A

Hac insigni ara Jovem non modo Exsuperantissimum, sed alios majorum minorumque gentium Deos venerabatur Cajus Antistius Adventus Legatus Augusti Pro-Prætore, Provinciæ, ut opinor, Germaniæ inferioris, siquidem in ea marmor erutum fuit. *Adventum* autem Consulem anno Christi 218. memorant Fasti Capitolini, omisso prænomine, familiæque nomine, imperante Macrino: quem eundem esse qui Cajus Antistius Adventus integro nomine vocabatur, verisimile est; quique prius Legatione ista, quasi ad Consulatum gradu, functus erat, sub Severo vel Caracalla post Commodum regnantibus, cujus tempore invaluit, ut ex nummis liquet, Jovis Exsuperantissimi cognomen. Consulari quidem dignitate ornati sunt Antistii non pauci, inter quos Cajus Antistius Vetus sub Augusto, Lucius Antistius Vetus sub Nerone, & Antistius Burrhus sub Commodo.

II. Jovis Cingidui.

Ara Genevæ ad Arvam effossa.

IOVI. O. M
CINGI DVO
STABVLO ET
AVLVS

B

Variis sub cognominibus colebatur Jupiter pro variis locis in quibus ejus vigebat cultus, proque diversis beneficiis quæ ab ipso mortalibus concedi credebantur. Hinc Jovis Tonantis, Custodis,

Statoris, Tarpeii, Capitolini epitheta passim videre est in antiquis monumentis. Sed quid sibi velit insolens istud cognomen Jovis Optimi Maximi Cingidui, assequi perarduum. Est quidem Cinga Hispaniæ Citerioris fluvius ex Pyrenæis fluens, de quo Lucanus lib. 4.

—— Camposque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & littora cursu,
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Sed potius a Cinga Cingaduus quam Cingiduus diceretur. An vero a cingentibus Genevam urbem montibus Cingiduus Jupiter dictus foret? Sed leves nimium conjecturæ, alterumque ignoti Dei sive ignoti cognominis occupet locum, donec solertior divinarit. Cæterum apud Guichenonem hæc Inscriptio ita legitur, nescio an operarum Typographicarum vitio: *Jovi. O. M. Cingi duo & Aulus*, divisa scilicet voce, *Cingiduo*, & *Stabulo*, omissa.

An vero sic legendum CINGI DVO, ut exprimatur duos *Cingios*, scilicet *Stabulonem* & *Aulum* Jovi hunc lapidem vovisse, sicuti in marmore sequenti?

Florentiæ.

VOLVMNI DVO
VERVS ET SEVERVS
DIANAE INVICTAE
D. D.

Aulus & Stabulo sunt eorum cognomina, qui Aram dicaverant. Sæpe enim Romani solis cognominibus viros aliquos designabant.

III. Jovis Fagutalis.

Romæ.


Fragmentum, in horto S. Sylvestris.

.....AVGVST. VICI IOVIS FAGVTAL.
....IMP. NERVA DIVI NERVAE TRAIANO
.....ICO PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. VI
....POLLIONIS TRIB. PLEB. AED. REG. III. VETVSTAT.
...GISTRI ANNI CXXI SVA IMPENSA RESTITV.
...PHOEBVS A. NONIVS A. L. ONESIMVS
...CALLISTVS L. VALERIVS EVTICHVS

Fagutalis Jovis Sacellum a Fagu arbore ipsi sacra, quæ intus servabatur, a Festo, Varrone, Plinioque memoratur: sed in aliis marmoribus non occurrit. Statuitur autem a Publio Victore in quinta urbis regione delubrum istud, non, ut habet Rosinus, in decima. Sculpta fuit hæc Inscriptio, in alicujus ædificii publici restaurationis memoriam, a Quartum-viris sub finem memoratis, Trajano Augusto Imperante, Tribunitiaque potestate decima tertia gaudente: quod ad annum Æræ Christianæ 110. refertur. At vero ut me monuit vir Eruditissimus Ægidius Lacarry Professor Claromontanus, combinatio IMP. VI. cum Tribunitia potestate XIII. erroris convincit nummum Occonis pag. 207. qui Consulatum V. cum Imperatore VIII. conjungit, siquidem anno decimæ quartæ & decimæ quintæ Tribunitiæ potestatis, ejusque sexti Consulatus, Trajanus erat dumtaxat Imperator VI.

IV. Jovis Taranuci.

Sibenici in Dalmatia.



Ex Jo. Lucii Inscript. Dalmat.

Nec facilius Jovem istum in Dalmatia cultum, barbaroque nomine insignitum cognoscemus, cui Arria Successa nobis non minus ignota votum solverat. Putabat amicus meus *Jacobus Flournoy* Ge-

nevensis vir pereruditus, hoc epitheton inde petendum, quod Jovem suum Galli *Taranis* sive Taramis nomine adorarent, cui victimas humanas immolabant, teste Lucano,

Et Taramis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Dominus Bernardus Professor Oxoniensis non vulgaris eruditionis, Jovem etiam Taranucum dici censebat pro Tonante, eo quod vox *Taran* in

A partibus Britanniæ australibus tonitru significet, atque in Dalmatiam ex veteri lingua Celtica transiisse hanc dictionem, nisi malueris Celtas aliquot in celebri illa in Græciam & Asiam transmigratione illic hæsisse: quam explicationem convenire observo cum ea, quæ a Marmorum Oxoniensium Commentatore tradita est, ad Inscriptionem Jovis Tanari. Eam hic ob similitudinem referre non pigebit, cum notarum parte, meisque breviusculis animadversionibus.

V. Jovis Tanari.

Oxonii.

Ara in Anglia effossa.

I. O. M. TANARO
T. ELVPIVS GALER.
PRAESENS GVNA
PRI LEG. XX. V. V.
COMMODO ET
LATERANO
COSS.
V. S. L. M. *Votum solvit libens merito.*

Ex Marmor. Oxon.

De Jove Tanaro hæc Eruditus D. Prideaux Anglus. Eum, inquit, eundem fuisse cum Jove Tarane Gallorum, & Tonante Latinorum, significatio vocis *Tanar* in lingua Britannica, quæ Imperantibus Romanis in hac Insula vernacula fuerat, satis convincit. Testatur enim D. Grenehalgh, se de hac voce multos Cambro-Britannos seu Vvallos, qui antiquam linguam Britannicam adhuc retinent, consuluisse, a singulisque eorum responsum accepisse, quod in lingua latina Tonitru, id in eorum *Tanara* appellari: ulteriusque observat ille vocabulum *Tanaro*, apud eosdem ignem subitaneum sive fulgetrum significare; & in Dictionario Cambro-Britanno, vocem *Tanar* quæ redditur Tonitru, inveniri. Cui similia sunt quæ Camdenus initio Britanniæ suæ habet, & Cluverius in Germania antiqua lib. 1. cap. 26. Taranem fuisse Jovem nemo dubitarit, cui notum hodieque Britannis tonitru dici *Taran*: nam Jovis epitheton ab effectu erat apud Græcos *βρονταῖος*, apud Latinos Tonans. Quin Germani etiam hodie omnes eodem vocabulo quamvis dialectis variato, tonitru vocant. Superiores atque Saxones *Donner*, & illi etiam apertiori ore *Tonner*: circa Rheni divortia, atque

B ostia colentes *Donder*: Angli in Britannia *Thunder*: Septentrionales Germani in Dania *Torden*, &c. Antiquissimum igitur non modo apud Celtas in Europa, sed ante etiam in Asia Jovis nomen fuit *Taran*, & variis dialectis *Thoran*, *Doran*, *Tordar*, *Dondar*, *Thondar*, *Tonnar*, *Donnar*, *Tonar*. Hæc D. Prideaux.

Huic igitur *Jovi Tanaro* sive Tonanti *Titus Elupius Præsens*, *Galeria* Tribu, non vero Galerius, ut habet Commentator, quod ex aliis inscriptionibus patet. Tribus enim nomini familiæ & cognomini interponebatur. GVNAPRI. nomen ni fallor Centuriæ, legendumque suspicor C. VNA-
C PRI. id est *Centuria Unapri*, vel nisi esset nimia immutatio C. AEL. APRI, quod in aliis occurrit lapidibus. Minime ergo assentior notis Oxoniensibus, quæ nescio quam Gunetham Angliæ Provinciam hic obtrudunt: nec PRI. Primipilum unquam significat. Cæterum miles erat *Legionis Vigesimæ Valeriæ Victricis*, Commodo & Laterano Consulibus, Anno Christi 154. sub Antonino Pio. Legionem enim XX. Valeriam Victricem habeo in alia Inscriptione, absque abbreviatione notatam.

VI. Jovis Acræi.


Nummi Smyrnæ reperti a D. Falkner Anglo.



Jupiter *Acræus* a Smyrnæis cultus, in aliquo promontorio prope Smyrnam Templum habebat,
D quod prora navis in primo nummo indicat, & vox Acræi, quæ Latine *promontorialis* diceretur: sic


Junonis Acrææ in Græciæ promontorio e regione Sicyonis mentio fit apud Livium, l. 2. decad. 5. *Promontorium*, inquit, *est adversus Sicyonem, Junonis quam vocant Acræam, in altum excurrens.* Jovis etiam Acræi in Græcia alibi meminit idem Author. Sed hic noster ad continentem Asiæ minoris statuendus est, non quidem ut augurabatur D. Nicolaus Bon Cretensis, de antiquitatibus bene meritus, in eo loco nautis & mercatoribus noto, qui vulgo S. Giovanni d'Acri nominatur, cum nimis ab urbe Smyrna distet, sed ni fallor, in promontorio quod Smyrnam & Phoceam interjacet, vel in opposito ab altera parte Smyrnæi Sinus. Notandum tamen istud Acræi epitheton non semper ab aliquo promontorio peti. Pausanias siquidem Junonem Acræam memorat in Arce Argolica, quæ longe a mari abest: Ἀνιόντων τὲ ἐς τὴν ἀκρόπολιν, ἔστι μὲν τῆς Ἀκραίας Ἥρας τὸ ἱερὸν. *Ascendentibus in Acropolim est quidem Acrææ Junonis templum.* Ibidemque Hesychius Minervam, Venerem & Dianam Acræam statuit, quibus Melampus devictis hostibus delubra construxerat. Nec mirum, ἄκρα enim antiquis, & ἀκρὶς recentioribus Græcis, non tantum promontorium significat, verum etiam cacumen & angulum: quod Amasæum Pausaniæ interpretem fefellit, qui hunc Authoris sui locum exponens, ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ, δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ Ἄκραν ἡλίῳ δόντος τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως, sic Latine reddidit, *qui cum isthmum Neptuno, Soli vero* promontorium *quod urbi imminet, adjudicasset*, cum vertere debuisset, montis cacumen quod urbi imminet. Montem scilicet illum cui postea Arx Corinthi imposita est, quæ ideo Acrocorinthus alias audit, sicuti & Athenis & Argis arx Monticuli vertici imposita, Acropolis vocabatur: sed in re tam plana diutius non immoror.

VII. Jovis Casii.



Mons Casius in limitibus Ægypti & Palestinæ, templum habebat in quo Jupiter Casius colebatur, ut referunt Stephanus & Strabo, urbemque cognominem in qua sepulchrum fuit Pompeii. Ab eo monte 37. milliaribus distabat urbs celebris Pelusium. *Casius*, inquit Strabo, *est mons aggeribus arenarum similis, inque mare procurrens, ipse aquarum inops. In eo Magni Pompeii corpus jacet, & Jovis Casii est Templum, nec procul inde Magnus jugulatus fuit, Ægyptiorum dolo circumventus.* At alter erat Casius mons in Syria, in quo etiam Jupiter Casius, ad quem pertinet nummus: eratque Seleuciæ urbi Pieriæ regiunculæ vicinus. Hujus etiam meminit Strabo lib. 16. *Seleucensibus vero*, inquit, *Casius mons & Anticasius*, & paulo supra de Triptolemo verba faciens, *Antiochenses eum ut Heroem colunt, & in Cassio monte qui est prope Seleuciam festum ei diem agunt*. Ammianus Marcellinus lib. 22. de Juliano Apostata: *Denique præstituto feriarum die Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectum, unde secundis Galliciniis videtur primi Solis exortus. Quumque Jovi faceret rem divinam*, &c. Spartianus in Hadriano: *Sed in monte Cassio, quum videndi Solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & Victimarium sacrificanti afflavit*. Notandum enim tantæ altitudinis fuisse hunc montem, ut, inquit Plinius, quarta vigilia oriens per tenebras ibi Sol aspiceretur. Casius ergo & Cassius ab authoribus nominatur. Priori favent nummi. In ea æde Jovis Casii Trajanus crateres argenteos, aliaque ob Geticam victoriam appendit, teste Suida in voce Κάσιος.

VIII. Jovis Cassii.



Tales effodiuntur quotidie nummi in Insula Corcyra, præcipue circa rudera urbis *Cassopo* quæ olim *Cassiope* vocabatur, estque nunc tantum Ecclesia Deiparæ Virgini dicata, cum adjuncto Græcorum Monasterio, & egomet plurimos cum illac pertransirem contrectavi comparavique. Eos jam in historia sua Corcyrensi Eques Andreas Marmora exhibuit. Hujus Jovis meminit Suetonius in

Nerone: *nec profectione dilata ut primum Cassiopem trajecit, statim ad aram Jovis Cassii cantare auspicatus est*. Altera autem erat Cassiope in Continenti, ubi nunc pagus *Sancti quaranta*, Græce *Agioi Saranda*, a priori fere tantum freti trajectu distans. Primus Nummus Corcyram Nympham quæ urbem in ea Insula sibi cognominem condiderat, exhibet, cum Jove Cassio in aversa parte. Secundus Jovem Cassium & ab alia parte Panem agrestem Deum, qui a Corcyrensibus ΑΓΡΕΥΣ, sicuti apud Athenienses dicebatur, teste Hesychio, A Ἀγρεὺς, ὁ Πὰν παρὰ Ἀθηναίοις ὡς Ἀπολλόδωρος. Tertius Antoninum Caracallam cum eodem Jove. Nulla autem supersunt Cassii Jovis rudera, verum non longe ab Ecclesia prædicta abfuisse putem, cum præcipue ibidem circa vicinum fontem reperta sæpe fuerint similia numismata. Circa alia Jovis cognomina rara in Nummis consule numismatographos. ΖΕΥϹ ΦΙΛΙΟϹ & ΖΕΥϹ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗϹ a Tristano producuntur. ΖΕΥϹ ΚΑΤΕΒΑΤΗϹ ab Octavio Strada, aliaque ab aliis.

IX. Jovis Pecoralis.

In Insula Naxo.

ΟΡΟΣ

ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ

Id est,

MONS JOVIS

PECORALIS.

B Sculpta visitur characteribus antiquissimis in petra marmorea rudi & impolita, quæ scalprum nunquam passa est, nisi ut hos reciperet, juxta viam qua itur a pago insulæ Naxi, cui nomen *Aperatos*, ad verticem montis quem hodie Insulani *Zia*, ab illo proculdubio Jove nuncupant, quasi dicerent *Dia*, id est, *Jovem*; literæ enim δ & ζ apud hodiernos Græcos valde affines sunt. Indicata fuit summæ eruditionis Antiquario D. Antonio Gallandio, mihi amicissimo, a quo, ut & ab Excellentissimo Galliæ ad Turcas Legato D. Marchione de Nointel, mihi communicata fuit. Iis ergo in eam insulam appulsis & montis apicem petentibus, marmor illud conspicere licuit, nec iis conjectura defuit, qua ratione adducti Naxiotæ montem Jovi Pecorali consecrarint. Μῆλα enim Homero, *pecora* seu oves, & μηλωτὴς Hesychio *ovium pastor*. Montes autem quod alte in aerem sese attollant sub Jovis ditione erant: huncque illi Deo antiqui dicaverunt, totius Insulæ celsissimum, ut pote qui a centum viginti millibus passuum detegatur ex Insula Chio. At *Milosium* sive *Pecoralem* dixerunt, quod pascua sint illic abundantissima, ad quæ (ut nunc fit) omnis generis pecora abigebant. Enimvero circumquaque, nil nisi Ovium & Caprarum greges cernere est, qui tenellas depascunt herbas, ac Cystum maxime, cujus humore glutinoso, quem Ladanum vocamus, barbas suas mense Junio inficiunt Capræ. Porro ex illo vertice, qui acutissimus est, & in medio fere Insulæ positus, sequentes Ægei maris Insulæ & scopuli oculis usurpantur, atque equidem in gyrum hoc ordine ab Oriente versus Meridiem, *Pathmos*, *Stenousa*, *Schinousa*, *Amorgos*, *Astypalæa*: a Meridie versus occasum *Therasia*, quæ nunc *Santorini*, *Ios*, ubi sepultus Homerus, *Pholegandros*, &c. ab Occasu versus Boream, *Melos*, *Paros*, *Antiparos*, *Siphnus*, *Thermia*, *Cea*, *Syrus*, *Eubœa*, *Andros*, *Tenos*, *Delos* & *Mycone*. Ita ut Naxos media C ferme omnium Cycladum esse videatur. Ut memoria ad posteros manaret Legatum e Gallia missum illuc ascendisse, jussus Gallandius a Marchione Nointelio, incidi curavit in marmor album, marmoreus enim fere totus ille mons, hanc inscriptionem, a Sculptore qui e proximo pago accersitus fuerat. *EX HOC VERTICE IOVIS MELOSII MARIS ÆGEI CIRCVMVICINAS INSVLAS CONSIDERABAT CAR. FRANC. OLIER DE NOINTEL, IMPER. GALL. LEGATVS, XXIV. NOVEMB. M. DC. LXXII.*

X. Jovis Tempestatium potentis.

In Africa, non longe ab urbe Constantina.

IOVI. O. M.

TEMPESTATIVM

DIVINARVM POTENTI

LEG. III. AVG. DEDICANTE

Q. FABIO CALVITINO

LEG. AVG. PR. PR.

Descripsit D. De la Fon, Propugnaculi Franciæ in Africa ad Mediterraneum tunc temporis Præfectus.

Jupiter

Jupiter præſidebat aeri, in quo imbres, tonitrua, tempeſtateſque ſonantes, unde hic Tempeſtatium potens infrequenti Epitheto nuncupatur; ſic elegantiſſimus Abbatis Seguini nummus Jovem dextra pluviam comprimentem, altera fulmen geſtantem repræſentat: Joviſque Pluvii in Hymetto Atticæ monte Statua olim poſita erat. Ipſi etiam Tempeſtati Ædem Marcus Marcellus erexerat, cum in Sardiniam & Corſicam navigans, ab ea liberatus eſſet. Si tamen Inſcriptioni Lucii Scipionis Barbati credendum ſit, quæ aliquibus ſuſpecta

A eſt, jam antea ab eo Conſule Tempeſtatibus Ædes dicata fuerat. Forte igitur Legio tertia Auguſta in Africam tranſvecta, Tempeſtates aliquot paſſa, ſalutis ſuæ Autorem Jovem veneratur, dedicante ejus ductore Quinto Fabio Calvitino Legato Auguſti Pro-Prætore, Provinciæ, ni fallor, Africæ, ubi hoc & ſequens reperitur marmor. *Tempeſtatium* antiquitus dictum fuiſſe pro Tempeſtatum, ſicut & *Civitatium*, annotarunt jam eruditiores Critici, ultimumque ſæpe apud Livium occurrit.

XI. Ventorum.

Ibidem.

VINTIS
BONARVM TEMPES
TATIVM POTENTIBVS
LEG. III. AVG. DEDICANTE
Q. FABIO CALVITINO
LEG. AVG. PR. PR.

Vintis pro *Ventis* ſculptum eſt Quadratarii errore, vel neglecto affinium literarum diſcrimine, ut in aliis obſervatur lapidibus. Venti certe bonarum malarumque Tempeſtatium Authores ſunt, quibus felicis navigationis teſſeram hac votiva tabula dicaverat Legio III. quæ alibi, ab ea cujus præſidio commiſſa erat regione, *Cyrenaica* nominatur. Quo

B cæterum tempore, quove ſub Cæſare Legatus Auguſtalis fuerit Quintus Fabius Calvitinus, aſſerere non auſim, niſi quod in aliis Inſcriptionibus hujus Legionis tertiæ Cyrenaicæ mentio fit, tempore Trajani & Hadriani ſculptis, ut in ſequenti Lugdunenſi inſcriptione, quæ apud Gruterum quidem exhibetur, ſed multo magis mutila.

Lugduni.

In horto Monachorum Trinitatis.

TI. CLAVD. TI. FIL. PAL. QVARTIN.
TRIB. MIL. LEG. III. CYRENAEIC.
ADLECTO AB DIVO TRAIAN. PARTHIC.
IN SPLENDIDISSIMO ORDIN. QVI PAN
NONIAE LEG. PRAETOR. LEG. PROPR.
PROVINC. ASIAE LEG. DIVI TRAIANI
.... TRAIANI HADRIANI
LEG. PROVINC. HISPAN. CITERIORIS.
IVSSV HADRIANI AVG CAES ....
GEMICA ET HADRIANIA .....

Tiberio Claudio Tiberii Filio Palatina Tribu *Quartino*, *Tribuno Militum Legionis tertiæ Cyrenaicæ.*

Hunc lapidem jam antehac in noſtris Lugdunenſibus Antiquitatibus, ut & duos ſuperiores

C retulimus, ulteriorique explicationi ſuperſedemus ultro.

XII. Jovis Sereni.

Romæ.


I. S. I. P. D. M.
ISIDI SALVTARI
PRO SALVTE Q. VERGILII
MODESTI CASSIA MATER
V. S. D.

Exſcripſi.

Hosce obscuros primæ lineæ characteres, quorum ignoratione ignota fingeremus numina, exponebat Vir doctissimus & in Antiquis versatissimus Jo. Petrus Bellorius Romanus, hoc pacto, A *Jovi Sereno Junoni Placidæ Diis Magnis*, quorum cognominum Jovis & Junonis, alia expromere exempla facile foret.

XIII. Jovis Domestici.

Neomagi.



Ex Smetii Antiquitatibus Neomagensibus.

Jovem suum *Domesticum Brato Miles Veteranus lubens merito* veneratur, vel quod *domum* suam post Militiæ pericula reverti permisisset, vel quod ei *domi* tunc Aram collocasset, eumque pro Opti- B mo Maximoque Penatum suorum colere in posterum instituisset. Sapit autem vox hæc BRATO rudem Latinisque barbaram veterum Celtarum linguam, quæ Belgis cum Gallis nostris communis erat.

XIV. Jovis Sabatii.

Romæ.

In horto D. Petri Montorii.

IOVI OPTIMO
MAXIMO
SABATIO
C. CAETRONIVS OCCI
VS VALERIANVS MIL.
SEMPLAR. ARMATVRAE
V. S. L. M.

Exscripsi.

Sabatius Jupiter idem est ac *Sabazius*, qui & in aliis Inscription. Gruterianis occurrit. Frequentissimum fuit hocce cognomen Bacchi, teste Hesychio, ut alii jam Authores probarunt. At etiam Jovis, ut, præter marmora, antiqui confirmant Scriptores. Firmicus de errore profanarum Religionum: *Sabazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt*. Et forte a Baccho ad Jovem translatum fuerat Epitheton, eo quod Jupiter Bacchi parens censeretur. Diodorus Siculus l. 3. *Ex Jove & Proserpina natum ajunt Bacchum ab aliquibus Sabatium cognominatum*. Irrepsit autem vox illa ex *Sabœ*, Bacchantium Thraciæ barbaro clamore, sicut & *Evœ*, unde Bacchi Sacerdotes *Σαβοὶ* vocati, & festa ipsi *Sabazia* instituta, teste C Scholiaste Aristophanis ad Vespas: *Σαβάζιον γὰρ τὸν Διόνυσον οἱ Θρᾶκες καλοῦσι, καὶ Σαβοῦς, τοὺς ἱεροὺς αὐτοῦ*. Huic *Jovi Sabasio votum solvit libens merito*, Aramque erexit *Cajus Cætronius Occius Valerianus Miles Semplaris*, hoc est, ut puto, simplicis *armaturæ*. Sic in antiquis marmoribus *Miles duplarius*, hoc est duplicis armaturæ. *Cætroniæ* autem & *Cetroniæ* familiæ, utroque enim modo scribitur, in aliis lapidibus apud Gruterum citatis, sicuti & *Occiæ*, mentio fit. At quare Miles hic duarum familiarum nomina fert? Hoc quidem, ut opinor, accidebat, ubi aliquis in aliam familiam, quam in eam in qua natus erat, adoptabatur, sicque utriusque nomen retinebat.

XX. Dei Dolichenii.

Massiliæ olim repertus
Lapis hoc typo triplo altior, nunc in
Cimeliarchio Ducis Virtembergici,
Stukardiæ.



Marmoris iſtius Ectypon exhibuit in nummis ſuis ex ære mediocri Carolus Patinus Vir de antiquitate non mediocriter meritus & Præceptor meus: ſed quia ad noſtros Deos pertinet, & ipſemet ad prototypum delineavi heic recudere non dubitavi.

Quis fuerit Deus ille Dolichenius ex 7. Inscriptionibus quas refert Gruterus intelligi poteſt, quanquam eæ omnes Dolichenum non Dolichenium conſtanter nominent. Jovem ſcilicet ita cognominatum, quod Taurus qui ipſi immolabatur, & Aquila ipſius comes, confirmant; nec abſimilem typum Gruterianas duas habuiſſe, legimus ibidem. At quare imberbis, ſoccatus, barbareque paludatus ſive militari veſte indutus, hic opus, hic labor eſt. Similior certe Marti quam Jovi. Quid pariter Dolichenus? Dolichos Suidæ & Heſychio Hippodromium eſt. Dolicha inſulæ Ulyſſis nomen, ut ait Strabo, quæ prius Dulichium vocabatur: ſin autem certum foret ex hac denominatum fuiſſe Jovem, non dubitarem Ulyſſem ipſum hoc typo quaſi Jovem Dolichenium ab antiquis cultum fuiſſe, præcipue cum ille ſe pro Jovis pronepote jactaret; ſic enim Ovidius Metamorph. lib. 13. in Ulyſſis oratione.

Noſtri quoque ſanguinis autor
Juppiter eſt, totidemque gradus diſtamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater eſt, Arceſius illi,
Juppiter huic.

At Stephanus *Jovis Dolichæi* meminit in Provincia Commagene: ἔϛι ᾗ καὶ δολιχηνὴ πόλις τῆς κομμαγηνῆς. ἐθνικὸν δολιχαῖος ζεύς. οἱ δ' ἐπιχώριοι, δολιχηνοὶ λέγονται. *Eſt etiam Dolichene urbs Commagenes. Gentile Dolichæus Jupiter. Eam vero qui inhabitant Dolicheni dicuntur.* Unde huic urbi Jovem iſtum tribuere non dubito. Si enim ejus cives *Dolichenii* dicti ſunt, quidni & Jupiter *Dolichenius* æque ac *Dolichæus* cognominatus fuerit?

Romæ.

In Quirinali.

IOVI OPTIMO MAXIMO
DOLICHENO VBI FERRVM
NASCITVR C. SEMPRONIVS
RECTVS CENTVRIO
G. FRVMENTARIVS DD.

Ex ſched. Barb.

Ubi ferrum naſcitur. Id eſt, ubi ferri mineræ erant: in ea ſcilicet urbe quæ Jovi Dolichenio denominationem dabat.

XVI. Jovis Obſequentis.

Forolivii.

I. O. M. OBSEQVE.
M. VARENVS
POLYBIVS PRO SE
ET SVIS
V. L. S. *Votum libens ſolvit.*
M. AVRELIO CETHEGO
L. IVNIO CLARO COS.

Ex ſchedis Equitis Marchetii.

Fortunæ *Obſequentis*, cujus templum in Capitolio poſuerat Servius Tullius, meminere Plutarchus & numiſmata. At Jovis Obſequentis neſcio an aliquis fecerit mentionem. Ara dedicata ſub Conſulatu Cethegi & Clari, Marco Aurelio imperante, anno Chriſti 171.

Ibidem.

MATERNO ET
BRADVA COS.
IDIBVS AVG.
IVNONI REGINAE
M. VARENVS
CVM VARENA
CHRYSIDE ET
CVM SVIS
V. S. L. M *Votum ſolvit libens merito.*

Ab eodem Vareno hæc ara dedicata, 15. annis poſt præcedentem, Materno & Bradua Conſulibus.

XVII. Junonis B. Opitulantis.

Nemauſi apud Guyranum.

L. ET INNONI B. OP.
IMP. PONI
NEMAVSENSES

Hanc eruditus Guyranus ſic excuſſit in litteris ad me datis, *Libero & Junoni bene Opitulanti Imperarunt poni Nemauſenſes.* Ubi *Innoni*, fabrili mendo pro *Junoni* ſculptum eſſe contendit. *Liber* autem ſive Bacchus a Nemauſenſibus colebatur, ob generoſiſſimas vineas, quibus abundat regio. *Juno* vero *bene Opitulans* eadem eſt ac Juno Lucina, quæ parturientibus opitulabatur; nec male conveniunt Liber & bona Juno, utrique enim communia ſacra fiebant. Æneid 4. v. 738.

XVIII. Junonis Stygiæ.

Beneventi.

IVNONI STYGIAE
CRESCENTINA
MATRILIA. CVM
FIL. SV. V. S. L. M.

Ex Reineſii Epiſtolis.

Non ſecus ac Pluto apud Poetas Jupiter Stygius audiebat, ita Junonis inferæ & Stygiæ cognomen Proſerpinæ tribuebatur. Statius lib. 4. Thebaidos.

Funeſtorum operum Eumenides, Stygiæque ſeveros
Junonis Thalamos, ac mœſta cubilia cerno.

Si plura velis, conſule Roſini & Demſteri Antiquitates Romanas lib. 2. cap. 6.

XIX. Jovis Stygii.

Romæ.

SIG. IOVI
ISTIGIO
C. ATINIVS C. F.
CLV. MARIVS
VOTO SVSCEPTO
PRO SAL. VX. SVAE
D. S. P. P.

Ex schedis Barberin.

Id est, *Signum Jovi Stygio*, ISTIGIO enim videtur error esse Sculptoris, *Cajus Atinius Caii filius*, *Clustumina* Tribu, *Marius*, *voto suscepto pro salute uxoris suæ de sua pecunia posuit*.

XX. Jovis Patulcii & Junonis Patulciæ.

Romæ.

IOVI PATVLCIO ET
IVNONI PATVLCIAE
D.D. PR. ID. AVGV.
C. CAESIO LONGINO ET
SEX. DOMITIO CALVINO COS.
L. CALPVRNIVS L. F. PAL.
MESSALINVS
PRAEFECT. FABR. OST.
IIII QVINQ.
DE SENATVS SENTENTIA
AEDEM FACIENDAM
COERAVIT E II. P.

Ex sched. Barber.

Ostiæ

reperta tabula marmorea.

IVNONI. PATVLCIAE SISPITAE
T. FABATIVS TABVLARIVS
OST. ET. PROCVRATOR. FISCI
PATRONVS. COLLEG. LENVNCVL.
IIII VIR QVINQVENN.
D. D.

Ex Epist. Reinesii, & sched. Barber.

Quare Patulcii & Patulciæ cognomen assumant Jupiter & Juno non facile est discutere, cum fue-

rit vulgare Jani epitheton, quia bello ejus valvæ A patebant; ficut etiam Clufius, quia pace claudebantur, unde Ovidius lib. primo Faftor.

Inde vocor Janus, cui cum cereale Sacerdos,
Imponit libum farraque mifta fale:
Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo facrifico Clufius ore vocor.

Junoni Patulciæ votivam tabulam dederat, dicaveratque Titus Fabatius Tabularius Oftienfis & Procurator Fifci, nec non Patronus Collegii Lenunculariorum, Quartumvir Quinquennalis. Lenunculus eft pifcatoria navis, unde Ammian. Marcellin. lib. 4. *Lenunculos pifcatorios* appellavit. Cæfar autem lib. 2. belli civilis, lenunculum pro fcaphis majorum navium ponere videtur,

XXI. Junonis Sifpitæ Lanumvianæ, & Jovis Sifpitis.

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI REG. SISP — REG*inæ*
ITAE LANVMVIANAE FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE IOVI SISP. — SISP*itis*
ET AMIAE MATRI PIISSIM.
IN FR. P. XIIX. IN AGR. PED. XXVI.

Ex Spanheim. de utilit. Numifm.

Sifpitam Junonem, quam vulgo Sofpitam appellant, Antiqui ufurpabant, inquit Feftus. Colebatur illa fub hoc Epitheto, præcipue Lanuvii, B oppido fedecim milliaribus Roma diffito, ubi celebre Templum ipfi erectum erat, unde *Lanumviana* hic vocatur. Depingitur in Antonini Pii nummo æreo, & in nummo Confulari familiæ Thoriæ, pelle caprina capite & fere toto corpore veftita, eo quod ei Capræ immolarentur, unde a Lacedæmoniis Juno αἰγοφάγος, hoc eft Capras comedens, appellabatur. Hanc Junonem ut fibi propitiam redderent Romani, facrificiis fæpe placabant, tandemque ipfi Ædem extruxerunt Romæ in foro Olitorio, tefte Livio. Hujus Sacerdos *Marcus Amius Balbus* pro fe fuifque locum Monumenti elegerat, latum IN FRONTE Pedes XIIX. IN AGRO PEDES XXVI. At *Jovis Sifpitis* rara eft denominatio.

XXII. Junonis Albanæ.

Albani.

IVNONI ALBANAE
EVTYCHVS FAVSTINIANVS
ET EVTYCHIA FAVSTIN.
AVG. LIBERTA FLORA V. D. D.

Ex fched. Barber.

Cognomen fæpe affumebant Ethnicorum Dii C Deæque a locis in quibus præcipue colebantur. Ita Juno in hoc marmore Albana dicitur, quia Albæ Longæ Templum haberet, vel faltem ad lacum Albanum, ubi nunc pagus *Albano* vulgo dictus. Huic Deæ *Eutychus Fauftinianus & Eutychia Fauftina Augufti Liberta Flora, voto* Aram *dederat, dedicaveratque.*

XXIII. Junonis Feroniæ.

Patavii.

IVNONI. FERON.
BARBIA. L. F. SECVNDA
AEDEM. SIGNVM. PORTI
CVS. D. P. S. P.

Ex Urfati Hift. Patavin.

Feroniæ Deæ a Sabinis cultæ mentio eft apud Dionyfium Halicarnaffeum, Titum Livium &

Strabonem: sed eandem fuisse ac Junonem, nemo est quod sciam, qui dixerit: unde rara mihi visa est denominatio, ut eam non esse omittendam putaverim. Huic *Barbia Lucii filia Secunda Ædem Signum & Porticus de pecunia sua posuit*.

XXIV. Junonis Monetæ.

Romæ.

IVNONI MONETAE REGIN.
SACRVM
ANTONIVS L. L. EVTHETVS
ET ANTONIA DIONYSIA
VOT. SOL.

Exscripsi.

Junonem Monetam dictam fuisse ab Antiquis Romanis Cicero refert libris de Divinat. quod cum terræ motus factus fuisset, *moniti* fuissent ab ea, ut Sue plena Diis placandis sacrificium fieret. Livius vero & Ovid. ajunt, Ædem hanc *Junoni Monetæ* votam fuisse a Furio Camillo Dictatore:

Arce quoque in summa Junoni Templa Monetæ,
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

At Suidas posterioris ætatis Autor, hujusce Epitheti aliam originem indigitat, in voce MONETA. *Juno*, inquit, *apud Romanos tali de causa ita dicta. Romani cum in bello contra Pyrrhum & Tarentinos pecuniis egerent, Junoni votum fecerunt. Illam vero ferunt ipsis respondisse, si cum justitia seriam operam darent armis, pecuniam ipsis non defuturam. Romani igitur voti compotes facti*, IVNONEM MONETAM *coluerunt, hoc est Consultricem*, seu Monitricem, *& decreverunt, ut nummi in ejus Templo cuderentur*. Unde Carisius Monetarius in nummo Consulari gentis Carisiæ eam expressit.

XXV. Junonum.

Ibidem.

IVNONIBVS
AVG.
L. LICINIVS HYMNVS
VI VIR
V. S. L. M.

Ex Onuphrii Panvinii Antiquitatibus Veronensibus.

Materni.

D. S. *Diis sacrum*.
HERCVLI ET
IVNONIBVS
L. VALERIVS SE
VERVS ET CLODIA
CORNELIANA
PRO L. VALERIO
CORNELIANO
V. S. L. M.

Ex eodem.

Junones erant Deæ unicuique Mulieri præsidentes, sicuti Viris Genii: ita muliebres Genios non male nominaremus. Plinius, lib. 2. cap. 7. hanc Deorum multitudinem apud se reputans & quasi subridens: *Major*, inquit, *Cælitum populus quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi*. Seneca Epist. 110. *Memineris Majores nostros, quia crediderunt hoc, Stoicos fuisse: singulis enim & Genium & Junonem dederunt*. Alias Inscriptiones Junonibus dicatas vide apud Gruterum.

XXVI. Silvanarum & Quadrib.

In ruinis Carnunti, prope Viennam. Austriæ, in pago Pedernel, recens effoſſa.

SILVANAB. ET. QVADRIBIS. AVG. SACRVM
C. ANTONIVS. VALENTINVS. VET. LEG. XIIII G.
MVRVM. A. FVNDAMENTIS. CVM. SVO. INTROITO
ET. PORTICVM. CVM. ACCVBITO. VETVSTATE
CONLABSVM. IMPENDIO. SVO. RESTITVIT
GENTIANO. ET. BASSO. COS.

Ex D. Mayer Lugd.

Silvanæ Faunæque Sylvarum Præſides Deæ, quæ & Dryades & Hamadryades aliis dictæ, neſcio quæ monſtra hic habeant ſociata: an ſeminumina *Quadriviis præſidentia*, quales in biviis, triviiſque Hermi ſeu Mercurii ab antiquis culti? Quo cæterum tempore hoc epigramma poſuerit Cajus Antonius Valentinus Veteranus Legionis XIIII. Geminæ, patet ex Conſulatu notato Gentiani & Baſſi, qui in annum Urbis Conditæ 963. incidit, A partuſque Virginei 210. Gentianus idem eſt qui integro nomine Quintus Epidius Rufus Lollianus Gentianus vocatur: unde non mirum ſi aliquando Faſti vel Authores ultimum cognomen brevitatis cauſa omittant. Silvanarum mentio elegantem inſcriptionem mihi in mentem revocat, ab Grutero ignoratam, ut & cæteræ quæ a nobis exhibentur. Hujus participem me fecit R. P. Ruffinus Franciſcanus, a Guichenone etiam citatæ.

In urbe Aixme Tarantaſiæ, in Alpibus.

SILVANE SACRA SEMICLVSE FRAXINO
ET HVIVS ALTI SVMME CVSTOS HORTVLI
TIBI HASCE GRATES DEDICAMVS MVSICAS — Alii legunt *Maximas*.
QVOD NOS PER ARVA PERQVE MONTIS ALPICOS — Id eſt, *Montes*,
TVIQVE LVCI SVAVEOLENTIS HOSPITES
DVM IVS GVBERNO REMQVE FVNGOR CAESARVM
TVO FAVORE PROSPERANTI SOSPITAS
TV ME MEOSQVE REDVCES ROMAM SISTITO
DAQVE ITALA RVRA TE COLAMVS PRAESIDE
EGO IAM DICABO MILLE MAGNAS ARBORES
T. POMPONI VICTORIS PROC. — *Procuratoris*.
AVGVST.

XXVII. Silvani Camineſis.

Romæ, in villa Cæſarini.

M. ANTON. BATES
VALERIA PROFVTVRA
ET MARCVS ANTONIVS
HYMETVS COM FILIS SVIS — COM *pro* CVM
DONVM DEDIT SANCTO
SILVANO CAMINESI
CLODIO ALEXANDRI
MANCIPE CASSIA DEVTERA

Exſcripſi.

Qualis ſit Camineſis iſte Silvanus penitus me latet, cum nec officium, neque locus mihi in mentem veniat, a quo peti poſſit.

XXVIII. Silvani Flaviorum.

Extra Romam, in vinea prope Turrim de Pignatara.

SILVANO FLAVIORVM
CASSIANVS T. FLAVI AVG. *Titi.*
LIB. CELADI LIBERTVS
FECIT VNA CVM FLAVIS
CASSIANO ET AMANDO
FILIS INCHOATA
ANTONINO AVG. PIO P. P.
DEDICATA XV. K. APRIL.
SCIPIONE ORPHITO ET
SOSIO PRISCO COS.

A Silvanum familiæ suæ venerantur Flavii tres, pater & duo filii. Mirum est Ethnicos tot Deos coluisse, unumque ex iis in tot adhuc numina distractum quot erant familiæ. Corrigit hæc Inscriptio Fastos Capitolinos, qui sub Antonino hunc Consulatum his verbis statuunt, *Ser. Cornelius Scipio Orfitus & Q. Nonius Priscus*, ubi loco Nonii repono ex lapide *Sosii*. Sunt enim duæ familiæ Nonia & Sosia. Adde quod *Priscus* sit aliis in locis cognomen Sosiis attributum, ut alteri Consuli sub M. Aurelio.

XXIX. Lucidi Panis.

Romæ.


LVCIDO PANI
C. QVINTIVS MVCIANVS
ET HERODIA SYNNESIA
VXOR DVLCISSIMA
V. S.

Ex Reinesii Epist. ad Hofmann. & Rupert.

B Panem Arcadum proprium numen fuisse, ob regionem montosam & Sylvosam, & in ea sive montem sive Saltum λαμπεῖαν eidem sacrum, e Pausania scimus: unde λαμπεῖον Pana forte interpretatus est Romanus homo, *Lucidum*, quasi ita ἀπὸ λαμπάδος agnominatus fuisset. An vero quia Pan Lucicola, a Lucis *Lucidus* dictus? *Reinesii Epist.*

XXX. Dei Penini.

In monte Magno S. Bernardi.



Pennini Dei sive Penni, qui in Alpium vertice colebatur, mentio est apud Titum Livium, lib. 2.

A *Neque hercule*, inquit, *montibus his ab tranſitu Pœnorum ullo, Veragri incolæ jugi ejus norunt nomen inditum: ſed ab eo quem in ſummo ſacratum vertice Penninum montani appellant*. Ex hoc lapide Peninum legerem. *Pen* a quo Penini cognomen Celtica Lingua, rei cujuſque ſummitas & caput intelligebatur, unde Alpibus nomen, ut etiam innuere videtur Livius, quæ Germanica Lingua *Alpen* vocantur, & *Apenninis* qui Italiæ longitudinem percurrunt, ob eorum montium cacumina. Hinc pagus non longe a Maſſilia *Penes* colli impoſitus, ubi rudera quædam antiquitatis. De his plura nobilis atque eruditus Boeſſius in Miſcellis. Inde nomen huic Deo, qui in hoc montis jugo colebatur, ſub juvenis habitu dextram tollentis, ſiniſtram demittentis, eratque ipſius ſtatua, ut aſſerit Guichenon in Hiſtoria ſua Sabaudica, columnæ impoſita, quam Auguſtus victis Salaſſiis gentibus Alpinis dejecit, eique Jovis Statuam ſubſtituit, cum Inſcriptione in altera baſi, I. O. M. GENIO LOCI FORTVNAE REDVCI TERENTIVS VARRO.

XXXI. Apollinis Placiferi.

Romæ.

APOLLINI PLACIFERO
EX VOTO LIBEN.
SOLVIT L. AQVILLIVS L. F.
SER. AVRELIVS MIL. COH. X.
PRAETOR CENTVRIA X. VALERI
BASSINI LIBENS
VOTVM REDDIDIT

Ex ſched. Card. Barber.

B Apollo *Pacifer* in Gruteriana Inſcriptione, hic Placifer, quod forte idem, ſicuti & alia numina placida & Placifera audiunt.

XXXII. Apollinis Præſtantis.

Ardeæ.

APOLLINI PRAE
STANTI ARAM
D. D. D.
PRID... AVGVST...
CATVLINO ET MEROBAVDE
COS.
ORD. PEREGRINORVM
CVR. T. FLAVIVS LIB. NAR
CISSVS

Ex ſched. Barberin.

C Ara hæc Apollini Præſtanti dedicata anno Chriſti 377. etiamſi Faſti Capitolini tunc Gratianum & Merobaudem Conſules nominent. Forte enim hic Catulinus defunctus erat anno non expleto, cui Gratianus ſucceſſerat in Conſulatu. Non autem plane exulaſſe tunc Ethniciſmum teſtis eſt Inſcriptio.

XXXIII. Clatræ.

Romæ, Tabula ærea apud Falerios.



Mirum effet Apollinem fub habitu tam vario defignatum effe, fulmen enim Jovem, modius Sarapidem, rota capiti impofita nefcio quid defignat, radii & Lyra Solem, nifi jam nobis notum effet apud Ægyptios Jovem, Apollinem, Sarapidem, Ammonem & Æfculapium unum effe numen: quod præter Tacitum, Athenæum aliofque, Antonini jam vulgatus a Seguino nummus oftendit, in cujus averfa parte caput cernitur barbatum inftar Jovis, modio fupra caput inftar Sarapidis, radiis coronatum ad inftar Apollinis, cum Ammonis cornu & Plutonis tridente. Poffidebat Conftantinopoli D. Couvel Legati Anglici Capellanus antiquum Jafpidem, in quo circa caput Sarapidis infcripta hæc verba ΕΙΣ ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ, *unus Jupiter Sarapis*, tum alium lapidem preciofum in quo circa idem caput ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ: *magnum nomen eft Sarapidis.* Oraculum Apollinis apud Julianum Imperatorem.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Αΐδης, εἷς ἥλιός ἐστι Σάραπις.
Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol eft Serapis.

Sicut autem Jupiter Serenus, ita & in marmore fequenti Apollo Serenus nominatur.

Romæ.

SOLI SERE
NO SACR.
TI. CLAVDIVS
PHOEBVS
V. S. L. M.

Ex fched. Barber.

Verum quid fibi velit vox illa CLATRAE Ifidi fuperfcripta. Vox certe ignota. Belgæ crepitaculum puerile *Clater* vocant. Siftrum illa, quod aliis ipfius crepitaculum dicitur, dextra geftat, intortumque ferpentem. Ammianus dicit ferpentes fimulachro Ifidis peculiares fuiffe, & Clemens Alexandrinus ait vivum ferpentem in templis habuiffe Ægyptios. Erat & in templo Ifidis. Flore & fructu Loti ipfius caput infignitur, ut folet in nummis. Ab eo Ægyptii Lotophagi dicti funt. Siniftra menfuram quandam tenet crefcentis Nili. Socrates enim hift. Ecclefiaft. lib. 1. cap. 14. *πῆχυν*, id eft, cubitum, vel aquæ menfuram, vel ulnam crefcentis Nili, in templo Sarapidis fuiffe dicit, quam Conftantinus ad Ecclefiam Alexandrinam deferri juffit. Prora navis ad feftum Ifidis referri poteft, quod Ifidis Navigium in Calendario antiquo vocatur. Fructus Pinus arboris ad pedes jacet. Hæc ipfi facra, fculpitur enim in variis marmoribus Ifidi dicatis. Lampridius in Commodo: *Ifiacos vero pineis ufque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Plura vide de Serapide & Ifide, apud Plutarch. libro peculiari. Memorat autem Publius Victor in Regione VI. urbis Romæ, *Templum Apollinis & Clatræ.*

C Infcriptio fubjecta lingua antiqua Hetrufca fcripta eft, ut ex fimilibus quæ apud Gruterum extant intelligitur, fed qui eam interpretari poterit erit mihi magnus Apollo.

XXXIV. Deanæ Nemorensis.

Romæ.

In Hortis Justinian.

DEANAE
NEMORENSI
SACRVM
M. ACILIVS PRISCVS
EGRILIVS
PLARIANVS

Exscripsi.

A *Deanæ* scriptum pro *Dianæ*: in multis enim antiquis lapidibus *e* pro *i* scribitur. Sic *Genetrix* pro *Genitrix*, *cives* pro *civis*, *condedit* pro *condidit*: aliæque apud Gruterum Inscriptiones extant, in quibus *Deanæ* legitur. *Nemorensis* autem hic cognominatur, eo quod venationibus sese delectans nemora frequentaret: unde etiam montana dicitur in fragmento marmoris Thyatiræ, APTEMIΔI OPEIT. Id est, *Dianæ Montanæ*: & *Nemorum Incola* in sequenti lapide.

Romæ.

B *In Hortis Justinian.*

DIIS MANIBVS
PRVRARVM AC NE
MORVM INCOLAM
PIRARVM DOMITRICEM
DIANAM DEAM VIRGINEM
VXENTIVS V. C. VBIQVE
PIVS SVO NVMINI SEDI
C QVE RESTITVIT

Exscripsi.

Prura vox mihi incognita est, nisi Sylva sit, sic dicta quasi φρȣρα, quod Græcis *præsidium* est, eo quod sæpe in montibus & sylvis præsidia fierent, arcesque adversus hostium incursiones. *Pira* vero seu *Pyra*, lignorum congeries, ut ait Servius ad XI. Æneid. *Pyra*, inquit, *est lignorum congeries. Rogus cum jam ardere cœperit, dicitur. Bustum vero jam exustum vocatur: quem ordinem servat* D *Poeta dicens*, CONSTITVERE PYRAS: *item*, SVBJECTISQVE IGNIBVS ATRIS, TER CIRCVM ACCENSOS DECVRRERE ROGOS. *Item postea*, SEMVSTAQVE SERVANT BVSTA. At forte, inquit Vossius in Etymolog. Ling. Latin. melius distingueretur si *Rogus* lignorum strues non accensa, *Pyra* vero accensa vocaretur, sic enim dicta a πῦρ, quod est *Ignis*: & *Rogus* a ῥωγὴ quod est *fissum*, quia e fissis lignis fiebat. *Pyrarum* ergo Domitrix Diana vocatur, quod Sylvarum Dea esset, suamque illic potentiam exerceret, unde & *victrix* & *invicta* etiam cognominatur, ut in hisce duabus Inscriptionibus:

Prope lacum Dianæ,
in Latio.

INVICTAE DIANAE ET
VICTRICI SANCTAE SACRVM
L. VALERIVS L. FIL. POPIL.
FELIX S. P. V. S.

Ex sched. Barber.

Tusculi.

IOVI OPTIMO
MAXIMO ET DIANAE
VICTRICI SANCTAE
L. VALERIVS L. F. PAL.
VASCLARIVS D. D.

Ex iisdem schedis.

In prima POPIL. est *Popilia Tribu*. S. P. V. S. *sua pecunia votum solvit*. In secunda PAL. *Palatina Tribu*.

XXXV. Dianæ Ræſianæ.

Romæ repert. in via Appia.

DIANAE RAESIANAE
Q. RAESIVS Q. FIL. SVRDINVS
CVM RAESIA HERCVLANIOLA
SACRVM

A Privatum hoc Dianæ cognomen a Ræſiorum familia derivatum eſt, a templo ſcilicet aut ſacello in eorum poſſeſſionibus erecto. Hujus Quinti Ræſii Quinti filii Surdini, aliud a Spanhemio citatur Epigramma, in quo is miles veteranus Cohortis ſeptimæ Vigilum nuncupatur, ſic ſe habens:

RAESIANORVM FAM.
Q. RAESIVS Q. FIL. PAC. SVRDINVS
MIL. VETER. COH. VII. VIGIL. V. F.
SIBI ET SVIS LIBERIS IDEM LIBERTIS
LIBERTABVSQVE SVIS DDXL IN HYPOGVM
TESTACIVM............

Ex Spanhemio.

PAC. quod eſſe Tribus nomen Judico, ut poſte inter nomen & cognomen poſitum, forte eſt PAL. id eſt Palatina tribu, vel PAP. Papia. B *Hypogum* errore fabrili pro *Hypogæum*, Camera erat aliqua ſub terra, ut in aliis lapidibus legitur.

XXXVI. Dianæ Tifatenſis.

Capuæ in Monte Tifatis.

C. VELLEIO C. F. PAL. VRBANO — *PALatina tribu.*
MAG. FAN. DIAN. TIFAT. HONORATO
EQVO PVBLICO AB IMP. ANTONINO
AVG. CVM AGERET AETATIS AN. V.
C. VELLEIVS VRBANVS ET TVLLIA
NICE PARENTES D. D. D.

Cajus Vellejus Caii filius Palatina tribu Urbanus, Magiſter fani Dianæ Tifatenſis, a monte Tifate prope Capuam ſic dictæ, honoratus fuerat ab Imp. Antonino equo publico, hoc eſt equo qui impenſis publicis alebatur, ut docte probat Salmaſius, libro de re militari veterum, non vero equeſtri Statua, ut olim putabam. Sæpe etiam in C inſcriptionibus ſubauditur vox honorato, ſed mirum hunc cum annum ageret quintum jam eo honore affectum fuiſſe ab Imperatore: ſic Hadrianum *Marco ſexenni honorem Equi publici detuliſſe* legimus apud Capitolinum. Capacius, qui eam in hiſt. Neapolit. adducit, ſequentem etiam Neapoli citat.

M. METTIO
M. FIL. PAL. PIO EQVO PVBLICO
PRAEF. COHORT. V. THRACVM

Notavit jam Salmaſius in libro de re Militari, miram illam loquutionem *Equo publico*, pro Equite D qui Equum habet publicum.

XXXVII. Lunæ Campeſtris.

Prope Genzano.

LVNAE INVICTAE
CAMPESTRI
SACRVM
D. IVNIVS SEX. F. VEL. *Sexti Filius, VELina tribu.*
IANVARIVS PROCVR.
LVD. GALLIC. ET
IVNIA CASTA CVM SVIS
VOT. SOLVER.

Ex ſched. Barber.

A Campeſtris Luna dicitur eo quod in campis agriſve colendis obſervetur hic Planeta, dominiumque in eos habere credatur.

XXXVIII. Cereris Orcilianæ.

Romæ.

CERERI ORCILIANAE SACRVM
C. AVRELIVS ORCILIVS PARALIVS
M. AVRELI SEVERI AVG.
LIBERTVS......
...ORCILIANVM
....PROTICVM
... ALIAS PAR...
....LABE F.

Ex ſchedis Card. Barberin.

B Cognomen hoc *Orcilianæ* tribuitur Cereri, eo quod a familia Orcilia cultu peculiari adoraretur, & quaſi ejus patrona exiſteret, ut teſtantur Orcilii & Orciliani nomina adjecta.

XXXIX. Cereris Conſervatricis Organianæ.

Romæ.

CERERI CONS
ERVATRICI
ORGANIAN. SACR.
M. CLAVDIVS M. L.
ORGANIVS SACER
DOS BONAE DEAE
ET SACERD. CORP.
LVTORVM ET
TECTOR.

Ex ſched. Barb.

Eadem eſt hujus ac ſuperioris denominationis ratio. *Organiana* Ceres ab Organio Sacerdote Bonæ Deæ, pariter & Cereris Cliente devoto.

XL. Mercurii Meneſtratoris.

Romæ.

CAELO AETERNO
TERRAE MATRI
MERCVRIO
MENESTRATORI
SACRVM POSVIT
L. OCTAVIVS
VERVS ET
OCTAVIA EVHODIA
MATER

Ex Peireskii ſchedis.

A Mercurius Deorum erat miniſter, ideo Meneſtrator ſeu Miniſtrator vocatur. Cælum vero antiquiſſimum Deorum putabant, Saturni parentem, Terram ſive Tellurem Deam Cæli uxorem Deorum matrem. Cætera obvia: ad alia propero.

XLI. Mercurii Conſervatoris Orbis.

In Agro Brixienſi.

MERCVRIO MAXIMO
CONSERVATORI ORBIS
C. SILIVS FVNDANVS
C. FIL. QVIR. XVVIR
SAC. FAC. STATVAM
ET ARAM CC
V. S. L. M

Ex Tomaſino.

B Mercurius conſervator Orbis dicebatur, eo quod mercatorum Deus eſſet. Aſt a mutuo regionum commercio conſervatio orbis, hominumque grata ſocietas pendere videtur. Huic Cajus Silius Fundanus Caii filius Quirina tribu, Quindecimvir ſacris Faciundis Statuam, Aramque voverat. Quindecimvirorum officium erat libros Sybillinos cuſtodire, ludoſque ſæculares celebrare, de quibus plura Onuphrius in Civitate Romana.

XLII. Mercurii lucrorum potentis.

In pago Italiæ Fonbanetti.

MERCVRIO LVCRORVM POTENTI
ET CONSERVATORI SACR.
C. GEMETINVS C. FIL. VALERIANVS
IIIIVIR AP. PR. AR. ID. C. GEMETINVS
VALERIANVS SECVNDVS VALERIA
S.,IS EX VOTO DONVM POSVIT
ET DEDICAVIT L. D. D. D.

Ex Peireskii ſchedis.

A

Qui commercio præfidebat non inepte lucrorum potens & confervator dicebatur. IIII VIR. AP. PR. AR. ID. nefcio an parum correctum, mihi faltem ignotus fenfus. L. D. D. D. *Locus datus Decreto Decurionum*, huic nempe aræ collocandæ.

XLIII. Mercurii Nundinatoris.

In pago Birfat prope Vormatiam, lapis in quo fculpti duo Mercurii cum caduceis, alter togatus, alter feminudus.

DEO MERCVRIO
NVNDINATORI

Ex D. Reifel Vormaticnf.

B

Duo hic fculpti funt Mercurii, quafi nundinas agentes, a quibus Nundinatoris cognomen. Mercatorum enim eft, quorum patronus fuit Mercurius, in nundinis adeffe & negotiari.

XLIV. Mercurii Ciffonii.

Vefontione ann. 1679. repert.

DEO MERCVRIO CISSO
NIO DVBERATIA CASTVLA
NATIONE SYRIA TEMPLVM
ET PORTICVS VETVSTATE
CONLABSVM DENVO DE SVO
RESTITVIT

Ex D. Boifot Priore Vefontinenfi.

C

Putabat Illuftriff. Nicafius Divionenfis Abbas, Ciffonii cognomen derivari a κίσσα, quod eft *Pica* avis garrula, & ad libidinem proclivis, unde verbum κισσάω concupifco. Loquacitas autem non male Mercurio tribueretur. Fuit etiam urbs in Thracia Ciffus, & familia Ciffonia. At inquit Barthius Epift.ad Daumium inter Reinefianas: *Harum barbararum appellationum origines, ipfa fcripturæ antiquitate eruere velle, nefcio an operæpretium fuerit, vel alicui perfpicaciori probabile. Scis quid Petronio dictum, fuam regionem tam præfentibus effe numinibus plenam, ut facilius fit Deum quam hominem invenire.*

Citavi Infcriptionem fupra, pag.773. ubi legitur CISSONIAE, quod an referendum ad Junonem, an vero ad familiæ illius Aphrodites nomen, ignoro.

XLV. Dei Vincii.

Seyffel ad Rhodanum.

DEO VINTIO
POLLVCI
CN. TERENTIVS
BILLONIS FILIVS
TERENTIANVS
EX VOTO

Exfcripfi.

D

An Pollux Caftoris frater Vintii cognomen affumat ex urbe Vence in Provincia, quæ olim Vincium aut Vintium appellata eft, affirmare non aufim, cum procul ab hac urbe reperiatur lapis ifte: quanquam fimilis denominatio in Infcript. Marti dicata, non mediocriter me movet, ut id pro certo ftatuam. His concipitur verbis.

MARTI

In urbe Vence.

MARTI VINCIO
M. RVFINVS SAL. IIIIII VIR
ET INCOLA CEMENEL. EX VOTO

Id eſt, *Marti Vincio Marcus Rufinus Salinienſis Sextumvir & incola Cemenelenſis ex voto. Salinium* Caſtellane nunc vocatur, *Cemenelium* Cimies, utrumque in Provincia.

XLVI. Cæleſtis.

Florentiæ in Palatio magni Ducis, ex Africa Allata.

CAELESTI AVG. S.
Q. MALLIVS PRIMVS
AD AMPLIATIONEM
TEMPLI ET GRADVS
DONAVIT * CXXV
VOT. SOL. LIB. ANI.

Exſcripſi.

Cæleſti Auguſtæ ſacrum, Quintus Mallius Primus ad ampliationem templi & gradus donavit Seſtertia CXXV. Voto ſoluto libenti animo. Quænam ſit Dea illa Cæleſtis, conjici poſſet ex alia Inſcriptione, ubi Bona Dea, quæ a mulieribus colebatur, id cognominis habet.

Arculi in Italia.

BONAE DEAE SANCTISSIMAE CAELESTI
L. PASQVIDIVS FESTVS REDEMPTOR
OPERVM CAESARIS QVOD ADIVTORIO
RIVOM AQVAE CLAVDIAE AVGVSTAE
SVB MONTE AEFLIANO CONSVMMAVIT
IMP. DOMITIANO CAES. AVG. GERM. COS.
VI. NON. IVL.

Ex Jo. Vaillant Antiquario Reg.

Unde *Cæleſtem* illam quæ in priori memoratur, eſſe Bonam Deam ſuſpicabitur aliquis: verum idem cognomen Veneri tribuitur in lapidibus antiquis; & certiora jam proferemus. At dicet quiſpiam *Aug.* Auguſto eſſe interpretandum: ſed in explicandis marmoribus parum ſe verſatum proderet, nec nobis palmam præriperet. Certum enim, legendum eſſe *Cæleſti Auguſtæ*, ut in aliis *Junoni Auguſtæ*, *Marti Auguſto*, *Veneri Auguſtæ*, ſexcentiſque ſimilibus. Ad propoſitum noſtrum propius accedit ſequens hæc.

Florentiæ.

INVICTAE CAELESTI
AVR. ONESIMVS
D. D.

Exſcripſi.

Ammianus Marcellinus ejus Deæ mentionem injicit l. 22. cum ait Aſclepiadem Philoſophum *Deæ Cæleſtis* argenteum breve figmentum quocunque ibat ſecum ſolitum afferre. Oſervandum autem hanc Deam *Cæleſtem* peculiariter apud Carthaginenſes cultam fuiſſe, ex quorum vicinia allatum eſt primum marmor, ut & fortaſſe iſtud ultimum. Sic enim Tertullianus in Apologetico: *Unicuique*

etiam Provinciæ & civitati suus Deus est; ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici Belenus, ut Africæ Cælestis. Esse autem eandem ac Junonem sequentia comprobant. Idem Tertullianus paulo ante, *Illa*, inquit, *ipsa Virgo Cælestis pluviarum pollicitatrix:* quod Junonis munus erat. Apulejus lib. 6. Metamorph. *Magna Jovis Germana & conjux, sive tu Sami, quæ querulo partu vagituque & alimonia tua gloriatur, tenes vetusta delubra: sive celsæ Carthaginis, quæ te Virginem vectura Leonis cælo commeantem percolit, beatas sedes frequentas.* Hæcque Carthaginensium Dea in nummo Severi depingitur, in quo legitur IN-DVLGENTIA AVGusti IN CARTHaginenses, cum Dea Leoni insidente capite velato, dextra ful- A men, sinistra sceptrum gestante. Ut erudite notavit Jacobus Oyselius in Thesauro numismatum, qui plura de ea refert. Herodianus lib. 5. scribit Carthaginenses οὐρανίας sive *Cælestis* numen a Didone Phœnissa accepisse, & Lunam credi, vocarique Phœnicibus Αστροάρχην, quasi dicas *Siderum rectricem*, vel *Cæli Reginam*. Ideo Afri Imperatorem eligentes Celsum unum ex triginta Tyrannis, *peplo*, id est *velo Deæ Cælestis* ornarunt, quasi quodam regni symbolo, referente Trebellio Pollione.

Apulejus dicit eandem esse ac Deam Syriam, quæ simili etiam modo Leoni insidens depingitur in nummo Hierapolitarum, ΘΕΑΣ ΣΥΡΙΑΣ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ.

XLVII. Bonæ Deæ Veneris Cnidiæ.

Oxonii, unde allata ignoratur.

BONAE DEAE VENERI CNIDIAE

D. IVNIVS ANNIANVS HYMENEVS ET INVICTA SPIRA ET HAEDIMIANA

Ex Marm. Oxoniens.

Venus Cnidia a Cnido urbe Cariæ ubi colebatur ita dicta. Horat. *o Venus Regina Cnidi Paphique.* B Vide amplum Comment. in Marmoribus Oxoniensibus.

XLVIII. Togotis.

In Hispan. prope Tagum.

TOGOTI

L. VIBIVS

PRISCVS

EX VOTO

Ex Reinesio.

Joannes Mariana qui primus hanc inscriptionem retulit lib. 1. de Regis institutione, legendum censebat *Toxoti*, quasi esset Dianæ Epitheton ab arcu & sagittis, sed nihil temere immutandum, faciliusque in nostris conjecturis nos errare, quam C in marmoribus sculpendis Lithotomi. Magis Reinesio placet Togoti, quod nomen Hispanicum barbarumque Herois vel Dei indigenæ redolet, ut fusius apud eundem Authorem Epist. ad Rupertum pag. 241. videre est.

XLIX. Nymphar. Griselicar.

In pago Greoulx Provinciæ Gallicæ, ad Balnea reperta.

NIMPHIS XI
GRISELICIS

Ex Peiresk. sched.

Prodeat jam in scenam Nympharum chorus, quæ hoc in pago verisimiliter olim *Griselo* dicto, cum recentiore nomine *Greoulx* conveniente Gri- D selicæ cognominabantur, balneorum illic celebrium custodes.

L. Nympharum Percernium.

Vasione.

NYMPHIS AVG.
PERCERNIBVS
T. GINGETIVS
DIONYSIVS
EX VOTO

Ex sched. Peiresk.

Quam vero ob rationem *Percernium* agnomen adsciscant Nymphæ Vasionenses, tam mihi ignotum est quam quod ignotissimum. Hoc dumtaxat me non latet fuisse quosdam Percernios, quorum A nomina in Gruterianis inscriptionibus leguntur. Sed an aliquis ejus familiæ Percerniæ Vasionem translatus fuerit, qui Nymphis istis nomen suum commodaverit, quis affirmare queat, aut negare?

LI. Horithyæ.

Firmi in Piceno.

HORITHYAE
L. BARBIVS L. LIB.
THEOPOMPVS
NAV. MERKAT.
V. S.

Ex Reinesio.

Orithyæ litabat Lucius Barbius Navicularius Mercator, eo quod esset Aquilonis uxor, quo forte B vento opus habebat. Vide *Reines.* pag. 298. *Epistolarum ad Hofmannum.*

LII. Aquarum Albularum.

Romæ, apud Sculptorem ædium Barberinarum.

AQVIS ALBVLIS
SANCTISSIMIS
VLPIA ATHENAIS
CLAVD... AVG..
LIS VXOR
LIBENS

Exscripsi.

Nobilissimum Italiæ fluvium Albulam olim dictum fuisse discimus ex Dionysio Halicarnasseo, Regeque Albæ Tiberino, prælio juxta flumen commisso, ab eo abrepto, Tiberim de ejus nomine vocatum. Verum ab istis antiquitatibus abstinentes tam dissitis, Strabonem audiamus: *Planiciem eam per* C *quam delabitur Aniene fluvius, Albulæ etiam perfluunt aquæ frigidæ, quæ ex pluribus fontibus delapsæ, variis morbis remedium præbent, potæ aut in balneo usurpatæ.* Hinc proculdubio ab utilitate earum sanctitas asseverata.

LIII. I. D. forte *Junonis Divinæ*.

Patavii, apud Excell. Comitem Lazaram.

I. D.
C. HELVIVS
ROMANVS
PRO SE ET SVIS
V. S.

Exscripsi.

A Varias explicationes pati possunt hæ duæ literæ I. D. *Jovi Deo*, sic ut in antiquo nummo: *Isidi Dominæ*, ut habet lapis Bononiensis, quem illic exscripsi. Verum alia excogitare cuique liceat; forte etiam incognitus aliquis Deus, cui Cajus Helvius votum solverat. Eruditiss. Ursatus in Historia Patavina existimat hos characteres I. D. *Junoni Divinæ* explicari debere, quia Juno Patavii Templum haberet, cui opinioni non refragor.

LIV. Proxumorum.

Vasione.

1

PROXVMIS
SENECA SECVNDI
FIL.

2

PROXSVMIS
POTITA C. COD
ONI F. V. S. L. M.

Ex sched. Peiresk.

B Nec facilius Diis istis larvam detraham, quis enim eos nunc noverit, qui olim vicinis, proximisque tantum innotuerant? Putabat D. Nicol. Bon Proximos esse Penates, qui domestici & proximi sunt. Unde Cicero Penates illos dicebat, qui penes nos sunt.

LV. Dulovii.

Vasione.

1


DVLOVIO

2

INO DVLOVI VIVOS

Ex Suaresio Episc. Vasion.

3


DVLLOVI
M. LICINIVS
GOAS
V. S. L. M.

Ex eodem.

In ultima hac basi sculptus est in latere Deus *Dullovius* sedens Palmis circundatus. Sed quis

hic Deus alibi gentium ignotus? Vasionensis certe, cum toties ejus nomen ea in urbe repetatur: A sed plura a me non quæras.

LVI. Comedovorum.

Aquis Sabaudicis.

COMEDOVIS
AVGVSTIS
M. HELVIVS SEVERI
FIL. IVVENTIVS
EX VOTO

Exscripsi.

Quodnam insuper barbarum Allobrogicumve numen nobis obtrudat Marcus Helvius Severi filius Juventius, mirari potius licet quam divinare. B Exhibetur incorrectius a Guichenone, cujus erroribus in describendis lapidibus fidere, inscriptiones quas propriis usurpavi oculis, me vetuerunt.

LVII. Martis Olloudii.

Aquis Sextiis apud D. Sibon I. V. D. lamina ænea urnæ imposita, & Antipoli reperta.

VIGILIλ METIA
MλSSλE FILIA
MARTI OLLOVDIO
V. S. L. M.

Ex D. Sibon Regio Thesaurario.

Id est, *Vigilia Metia Massæ filia Marti Olloudio votum solvit libens merito:* λ sæpius in marmoribus pro A reperitur. Quid sibi velit istud Olloudii cognomen ignoro, nisi forte ab ὄλλυμι, quod C est *perdo*, *destruo*, Mars enim humani generis destructor, originem trahat. Sic quidam Apollinis etymon tradunt ab ἀπόλλυμι, de quo consule Vossii Etymologicum.

LVIII. Matris Deum Angistes.

Venetiis, ex Græcia allata.

Sedet hic Cybele turrito capite, Tympanum dextra gestans, Cornucopiæ sinistra, duos Leones ad pedes habens:

Subest Inscriptio.

ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΑΓΓΙΣΤΕΙ ΑΜΕΡΙΜΝΟΣ ΟΙΚΟΝΟΜΟΣ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΥΧΗΝ

Id est,

Matri Deum, sive Deorum, Angisti, vel forte Agdisti, Amerimnus OEconomus Urbis votum posuit.

Insculpta est in superiori parte Cybele sedens capite turribus coronato cum duobus Leonibus ad pedes, qui ipsius frequens est typus, sicut & Matris Deum cognomen, testibus Albrico, tabulisque marmoreis. De titulo ΑΓΓΙΣΤΕΙ hæc ad me Gallandius noster. Videtur sculptum esse ΑΓΙΣΤΗΙ, quod idem esset ac ΣΕΒΑΣΜΙΑΙ Augustæ, Hesychius enim ἁγιστεῖν exponit σέβειν. Verum dum Pausaniam evolvo, is mihi difficultatis ambages recludit: pag. quippe Aldin. Edit. 174. narrat de Agdistide & Atti fabulam, & Hesychius, Αγδιστις, ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν Θεῶν. Nec obscure Pausanias ipse eandem esse cum matre Deorum indigitat, quandoquidem a Dyndimene matre aliam

A non fuisse ἄγδιστιν innuit. Itaque non dubita, mi Sponi, legere mecum ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΑΓΔΙΣΤΕΙ. Strabo de eodem nomine non conticuit lib. 10. ubi varias Matris Deorum appellationes recenset. Nam certe quamvis illic scribatur Αἴδιστιν, optime Casaubonus notavit legendum esse Αγδιστιν, ex Hesychii textu supra laudato. Sed vir ille alias diligentissimus Pausaniam de eadem Agdistide non inspexerat.

Cybele etiam sæpissime *Mater Deum magna Idæa* vocabatur, quod in monte Phrygiæ Ida coleretur, idque quatuor his singularibus litteris M. D. M. I. sæpe designabatur, ut in sequenti marmore eleganti.

LIX. M. D. M. I.

Deæ Vocontiorum ante aliquot annos eruderata.

M. D. M. I.

SACR. TRIB. TAVR. FECER.
CVM SVIS HOSTIS ET APPARAM.
OMNIB. L. DAGID. MARIVS PON
TIF. PERPET. CIVIT. VALENT.
ET. VERVLLIA. MARTINA. ET
VERVLLIA. MARIA. FIL. EORVM
PRO. SALVTE. IMP. ET. CAESAR.
PHILIPPORVM. AVGG. ET OTACI
LIAE. SEVERAE. AVG. MATRIS
CAES. ET. CASTROR. PRAEEVN
TIBVS. SACERDOTIBVS. IVNI.
TITO XV. VIR. ARAVSENS. ET
CASTRICIO. ZOSIMIONE. CI
VITAT. ALBENS. ET. BLATTIO
PATERNO. CIVITATIS. VOC.
ET. FABRICIO. ORFITO. LIBER.
PATRIS. ET. CETERIS. ADSIS
TENTIBVS. SACERDOTIBVS
V.S.L.M. LOCO. VIRES. CON
DITAE. DIE. PRID. KAL. OCT.
IMP. PHILIPPO. AVG. ET. TITI
ANO COS.

Ex D. Chion.

Si cui facessant negotium, ut in lapide sculptæ sunt abbreviatæ voces, en eas integras.

Matri Deum magnæ Idææ Sacræ Tribus Taurobolium fecerunt cum suis hostiis & apparamentis omnibus, Lucius Dagidius Marius Pontifex Civitatis Valentiæ & Verullia Martina, & Verullia Maria filia eorum, pro salute Imperatoris & Cæsaris Philipporum Augustorum & Otaciliæ Severæ Augustæ matris Cæsaris & Castrorum, præeuntibus Sacerdotibus Junio Tito Quindecimviro Arausensi & Castricio Zosimione Civitatis Albensis & Blattio Paterno Civitatis Vocontiorum & Fabricio Orfito Liberto Patris (Philippi) vel *Liberi Patris* (Sacerdote) *& ceteris adsistentibus Sacerdotibus, voto soluto libens merito. Loco vires conditæ. Die pridie Kalendas Octobris Imperatore Philippo Augusto & Titiano Consulibus.*

A

Sacræ Tribus, id est sacris destinatæ. *Taurobolium* est sacrificium Taurorum, quorum sanguine persundebatur aliquis, qui ideo Taurobolium percipere dicebatur, ut in sequenti inscriptione. *Vires Tauri*, ni fallor, sunt ipsius testiculi, qui ad imitationem Sacerdotum Cybeles, imo & Attidis ipsius amasii, Tauro abscindebantur.

1

Romæ.

In villa Borghesia.

M. D. M. I.
D.D.N.N. CONSTANTIO
ET MAXIMIANO NOBB. CAESS.
CONSS. XVIII. CAL. MAII
IVLIVS ITALICVS V. C. XV. VIR. S. F.
TAVROBOLIVM PERCEPI FELIC.

Exscripsi.

2

Romæ.

M. D. M. I. ET ATTINIS SACR.
FLAVIVS RVFIVS SABINVS VOLV
SIANVS VIR CLARISSIMVS ET INLVS-
TRISS. PONTIF. MINOR VICARIVS ASI.
ET CAECINA LOLLIANA CLARISS. ET
INLVSTRISS. FEM. STAT. EX AERE
S. P. DEDICARVNT

Ex sched. Barberin.

Prima sculpta fuit anno Dominicæ Incarnationis 294. Constantio & Maximiano Cæsaribus Consulibus. Superior vero anno 246. Philippo & Titiano Consulibus. Secunda conferenda cum Inscriptionibus Gruterianis pag. XXVIII. 5. & 6.

B

LX. Nortiæ.

Romæ in Villa Cesarini.

Festi Avieni filii Poetæ, insignis memoria.

R. FESTVS V. C. DE SE AD DEAM NORTIAM
FESTVS MVSONI SVBOLES PROLESQVE AVIENI
VNDE TVI LATICES TRAXERVNT CAESIA NOMEN
NORTIA TE VENEROR LARE CRETVS VVLSINIENSI
ROMAM HABITANS GEMINO PROCONSVLIS AVCTVS HONORE
CARMINA MVLTA SERENS VITAM INSONS INTEGER AEVVM
CONIVGIO LAETVS PLACIDAE NVMEROQVE FREQVENTI
NATORVM EXVLTANS VIVAX ET SPIRITVS OLLIS
CAETERA COMPOSITA FATORVM LEGE TRAHVNTVR
SANCTO PATRI FILIVS PLACIDVS
IBIS IN OPTATAS SEDES NAM IVPPITER AETHRAM
PANDIT FESTE TIBI CANDIDVS VTVENIAS
IAMQVE VENIS TENDIT DEXTRAS CHORVS INDE DEORVM
ET TOTO TIBI IAM PLAVDITVR ECCE POLO

Exscripsi.

Quænam fuerit illa Dea Nortia, quam suis carminibus veneratur Rufius Festus, dicere arduum

est. Eam quidem in agro Sutrinorum præcipue cultam constat ex Tertulliano in Apologetico, his verbis. *Romanas, ut opinor, provincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum: quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur. Crustuminiensium Belventinus, Narniensium Viridianus, Æsculanorum Ancaria, Volsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum NORTIA, Faliscorum in honore est Pater Curis*: Ubi forte reponenda esset *Nortia* ad Volsinienses, nisi eadem sit ac Nursia. Quia tamen non admodum distant Sutrium & Vulsinium, fieri potest ut Vulsiniensis hic Poeta, Sutrinorum Deam Nortiam coluerit.

A Festi cujusdam Proconsulis Asiæ, Valentis tempore meminere Zosimus & Suidas, eumque ut crudelissimum traducunt. Verisimilius est hunc Festum, cujus est lapis, eundem esse qui in Inscriptione Atheniensi Rufius Festus Proconsul Græciæ vocatur. R. enim potest esse Rufius. Filius autem indigitatur Avieni, quem non diversum esse ab illo Poeta, cujus habemus carmina, existimo. Unusque ex ejus illustribus proavis indigitatur *Musonius*, Philosophus ille Stoicus Apollonii Tyanæi familiaris, sublatus a Nerone ob loquendi nimiam libertatem: oriundus quippe ex eadem civitate, quæ patria Festi erat, *Vulsinio* nunc *Bolsena*.

LXI. Herculis ponderum.

Romæ, in villa Cesarini.

HERCVLI PONDERVM
Q. AEMILIVS VIBIANVS
B. TRIB. COH. III....

Exscripsi.

Herculesne ponderum custos, ob justitiam & æqualitatem ab eo dilectam, an vero in ejus templo deposita pondera, ut in Templo Opis? B. TRIB. COH. III. est *Beneficiarius Tribuni Cohortis tertiæ*. Alia vide cognomina Herculis in Nummographorum Libris, ut Herculis *Deusoniensis*,

B ab urbe Galliarum Deusona, apud Ægidium Lacarry lib. 2. de Coloniis Galliarum: *Magusani*, apud Oyselium, non Marcusani, ut habetur apud Gruterum, *Gaditani*, *Lybici*, *Erymanthini*, apud varios: ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ vero in nummo Smyrnæorum & marmore Oxoniensi vocatur.

LXII. Herculis Conservatoris Domus Ulpiorum.

Romæ.

HERCVLI CONSERVATORI
DOMVS VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS AVG. N. — Augusti nostri *servus.*
VERECVNDVS

Ex sched. Barber.

Hercules Patronus erat domus Ulpiorum, unde Trajanus, qui de hac erat familia, in quodam nummo sub Herculis facie exhibetur.

LXIII. Herculis Somnialis.

Florentiæ, in ædib. Card. Strozzi.

V. F.
CVLTORES HERCVLIS
SOMNIALIS IN......
DIS MANIBVS SIBI ET
POSTERISQVE SVIS II QVI
INFRA SCRIPTI SVNT
Q. CAECILIVS Q. GALLV
CELLANVS T. FABIVS
L. ATTILIVS
SEX. SCVTARIVS

Exscripsi.

Quam

Quam ob causam Somnialis cognomen habuerit Hercules, vigilantissimus Heros, mihi ignotum est; at sane omnia veterum somnia discutere velle, somniantis animi exercitium foret. De hoc tamen cognomine hæc ad me Nicolaus Bon Cretensis I. V. D. Academicus Dodonæus Venetiis: Somnialem Herculem reperio, qui somno expergefactus latrones clava interfecit, in cujus honorem erecti sunt Pinarii & Potitii Sacerdotes. Somnialem etiam Herculem invenio in pugna Pygmæorum, unde Alciatus: *Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno*, &c. Sed meliori sententia Somnialem Herculem perpendo, qui ægrotis saluberrima somnia speranda dedit, unde mos eis ad Herculis ædem accedere, ut in somniis de ægritudine curanda monerentur.

LXIV. Genii familiæ monetalis.

Romæ, in villa Montalto.

GENIO
FAMIL. MONETAL.
DEMETRIVS CAES. N. SER.
EPAPHRODITIANVS

Exscripsi.

Geniorum apud antiquos infinitus erat numerus. Genium enim suum habebant Regna, Provinciæ, urbes, Senatus, populus, Collegia, Imperatores, familiæ & privati quique. Intelligo per familiam monetalem varios opifices, qui cudendæ monetæ operam dabant, quorum pars in sequenti inscriptione a Grutero edita, quam in Villa Matthæi exscripsi Romæ. *Herculi Augusto sacrum, Felix Augusti Libertus Optio & Exactor auri arg. æris, item signatores, Suppostores, Malliatores monetæ Cæsaris nostri*. Huic Genio Demetrius Cæsaris nostri servus Epaphroditianus, aram illam de sua pecunia dederat dicaveratque.

LXV. Genii Canonis.

Romæ.

HERMA DE SVO DAT
GENIO CANONIS ATTALI
LIBERTI
GENIO PASICLENIS ATTALI
SERVI.

Exscripsi.

Genii privatorum hoc sit exemplum. Herma enim Genio amicorum suorum Canonis & Pasiclenis hunc lapidem voverat.

LXVI. Genii Jucunditatis.

Veronæ.

GENIO
IVCVNDITATIS
FLORAEQ.
S.

Ex Onuphr. Antiquit. Veron.

Virtutes & vitia pro Diis colebant Romani. Jucunditatem quidem Deæ titulo non veneratus est quisquis hunc lapidem sculpsit, sed Genium a se effictum jucunditati præsidentem. Ecce & alios Genios insolitos.

LXVII. Genii Æternalis.

Romæ.

GENIO AETERNALI SACR.
L. IVNIVS L. L. VERVTVS
SYRIANVS
PRAEPOSITVS AB ARENT.
SCAEN. TREPTE M. M. M. L.
VERECVNDA FECERVNT

Ex ſched. Barberin.

LXVIII. Genii Placiferi.

Ibidem.

GENIO PLACIFERO SANCT.
SACRVM
SEX. CETONIVS SEX. F. PAL. PTOLEMEVS
ET SEXTIA NYMPHIDIANA
VOTO SVSCEPTO
ANIM. LIBENT.
DEDICAVERVNT

Ex iiſd. ſched.

LXIX. Genii Centuriæ.

Ibidem.

GENIO CENTVR. SACR.
C. AVFIDIVS C. F. SER. PRISCILLVS
C. ANTISTIVS C. F. PAL. CIRRATVS
P. VISELLIVS P. F. OVF. AVARISTVS
HON. MISS. SIG. AEN.
SVA PEC. DEDICARVNT

Ex iiſd. ſchedis.

LXX. Genii Conſervatoris Domus Balbinorum.


Romæ, in via Appia.

GENIO CONSERVATORI
DOM. BALBINORVM
SACRVM
D. CAELIVS SEX. F.
ESQVILINA
CALVINIANVS

Ex ſched. Barber.

LXXI. Fortunæ Torquatianæ.

Romæ, apud Cardin. de Maximis.



Exscripsi.

Torquati Romæ Illustres a Manlio Torquato oriundi, qui torque hosti detracto hoc cognomen reportavit. In ejusque familiæ memoriam ædes aliqua vel ara erat eorum Fortunæ dicata, quæ exinde Torquatiana vocabatur. De ea ad me scribit amicus D. Nicol. Bon; duplicem, inquit, Fortunam invenio in Torquatis, unam in Cajo Manlio deplorandam, alteram in Nonnio Asprenate Torquato laudandam, qui aureo torque in ludis Trojanis, etsi lapsu debilitatus ab Augusto donatus fuit, ut refert Suetonius in Aug. Sed arguendus Carolus Stephanus, qui fortunatissimum recenset Valerium Torquatum, cum tamen nullus ex familia Valeria Torquati cognomine potitus sit. Cæterum nihil est quod me moveat, ut hunc Quintum Cæcilium Narcissum eundem esse putem cum celebri illo Narcisso Claudii liberto.

LXXII. Fortunæ Tullianæ.

Romæ, in villa Justiniani.

TI. CLAVDIVS AVG. L.
DOCILIS
AEDITVVS AEDIS
FORTVNAE TVLLIANAE

Mirum est P. Victorem hujus ædis Fortunæ Tullianæ in sua Romæ descriptione nullam facere mentionem: sed forte fuit tantum ædicula, ex iis scilicet quarum nomen non expressit, cujus æditus erat Tiberius Claudius Docilis Augusti Libertus.

LXXIII. Hosiri, & Fortunæ Superæ.

Romæ.

MVTILLIA
ALBANA
HOSIRI ET
FORTVNAE
SVPERAE
IMPERIO
POSVIT

Hosirum numen ignotum mihi videtur, neque enim Osiris est qui sine aspiratione scribitur, & in genitivo habet Osiridis; sed notissimum fuit Mutilliæ Albanæ, quæ ejus imperio, id est, jussu, ipsi & Fortunæ Superæ aram posuerat.

LXXIV. Fortunæ Barbatæ.

Romæ.



Ex schedis Domini de Bagarris.

Statuitur ab Onuphrio in secunda regione Romæ ædicula Fortunæ barbatæ. Erat ergo Fortuna Virilis, non secus ac Fortuna Muliebris. Dii enim, ut quibusdam placet, utriusque erant sexus. Sic Luna aliquando in nummis habitu virili exprimitur, tuncque Deus Lunus audit, cujus meminit Spartianus in Caracalla. Sic Liberum & A Liberam alia numismata: sic Venerem masculam statuæ quædam exhibent, vetusque Poeta Calvus confirmat:

Pollentemque Deum Venerem.

Sed hæc notiora sunt, quam ut ea persequi necesse sit.

LXXV. Matronarum Vediantiarum.

Prope Nicæam Provinciæ.

MATRONIS
VEDIANTIABVS
P. ENISTALIVS P. F.
CL. PATERNVS CEMENELENSIS
OPTIO AD ORDINE 7 LEG. XXII
PRIMIGENIAE PIAE FIDELIS
L. M.

Ex Peireskii schedis.

Plinius in Italiæ descriptione meminit populorum Provinciæ contiguorum ab Oriente, qui ab eo Vediantii vocantur & a Ptolemæo οὐεδιάντιοι, quorum Metropolis erat Cemenelium nunc *Cimies* vulgo dictum, ad Nicæam urbem. Illius civis erat *Publius Enistalius Publii filius, Claudia tribu,* B *Decurio Legionis vigesimæ secundæ,* qui Matronis hujus regionis hoc *lubens merito* adscripserat votum. Matronæ autem erant Deæ quædam Provinciarum urbiumque tutelares, eædemque Matræ & Matres dictæ, ut in sequentibus lapidibus.

LXXVI. Matrum Gerudatiarum.

S. Esteves in Provincia.

MATRIBVS
GERVDATIABVS
IVLIA MINIA
V. S. L. M.

Exscripsi.

Matres Gerudatiæ forte fuerunt urbis *Gerundæ*, quæ nunc etiam Girona in Catalaunia, tutelares Deæ, quamvis enim hæc ara in Provincia extet, nil impedit locorum distantia, nec absonum est Provincialem aliquem, vel Catalaunum inibi commorantem numini Catalaunensi votum solvere, sicuti nemo jam miretur Gallum Italumve aliquem se Divo Jacobo Compostellæ devovere. Ecce aliam inscriptionem Matrum Neomagi effossam.

LXXVII. Matrum Mopatum.

Neomagi, *Nimegues*, reperta ann. 1669.


MATRIBVS
MOPATIBVS
SVIS
M. LIBERIVS
VICTOR
CIVES
NERVIVS
NEG. FRV.
V. S. L. M.

Ex Smetii Antiquit. Neomag.

Matres has Mopates ab aliquo inferioris Germaniæ loco sic dictas esse reor, quibus *Marcus Liberius Victor Civis Nervius & Negotiator Frumentarius votum solverat libens merito.* Nervii autem Populi Galliæ Belgicæ, quorum Geographi nonnulli Tornacum, *Tournay*, unam ex præcipuis urbibus fuisse censent. Notandum has Matres fere tantum in Gallia & Germania fuisse cultas, raro enim alibi earum reperiuntur Inscriptæ Aræ. Apud has quidem nationes Fœminæ quædam pro Deabus habitæ. Tacit. lib. 4. cap. 61. de Velleda. *Ea virgo nationis Bructeræ, late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque fœminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur Deas.* Idem fere lib. de mor. German. cap. 8. *Inesse quinetiam Fœminis sanctum aliquid & providum putant*, &c.

LXXVIII. Matrum.

Aquis Sextiis, apud D. Thomassin de Mazaugues, Parlamenti Consiliarium.



Ex D. de Mazaugues.

Vasione.

MATRIBVS
AD CVLTVS
VASSEDON.
S. F. V. S. L. M.

Ex Boissæi Miscellis.

Ibidem.

MATRIBVS
V. S. L. M.
Q. ABVDIVS
FRONTONIS L.
THEODOTVS

Ex P. Colomby.

Vasione.

MATRABVS
V. S. L. M.
EVNEOS SEX.
AFRANI L.

Ex P. Colomby schedis.

In Scotia ad Vallum Severi.

MATRIBVS
MILITES
VEXILL. IO
LEG. XXVI.
BRITTON.
V. S. L. P. M.

Ex D. Fabl Scoto.

Matres seu Matras, ut aliquando barbare vocitabant, exposuit eleganter Doctissimus Chorerius in Viennensium Antiquitatibus, easque ut Provinciarum Genios a rusticis primo, inde ab urbanis cultas, a Severi præcipue tempore. Observa apud Gruterum in marmore pag. XCII. legendum *Matrabus* non *Mairabus*, ut erratum est in Operis indice. Eædem Matres in brevi inscriptione Græca designantur, ΑΡΗΙ ΜΗΤΡΑΣΙ ΚΑΙ ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ, *Marti, Matribus & Jovis filiis Castori & Polluci*. In sequenti *Matris* non *Matribus* legitur, a nominativo Matræ.

A

Lugduni.

SAPPIENA
LYCꟷNIS
MATRIS
V. S. L. M.

Exscripsi.

ꟷ Sæpe in antiquis marmoribus reperitur pro H. ut in hoc cognomine Lychnis.

LXXIX. Gabiarum.
Coloniæ Agrippinæ.

1	2	
GABIABVS	MATRONIS	MATRONIS GA
C. CAMPANIVS	GABIABVS	BIABVS SVETON.
VICTOR L. I. M. P.	CELOR. IVSTVS	CERTVS ET PAT
F . . .	V. S. L. M.	ERNVS V. S. L. M.

Ex Stephani Broelmanni Specimine Historiæ Agrippinensis.

Non dubito quin ab aliquo loco Gabiarum cognomen Matronis tributum sit, quæ in alia Inscriptione a Grutero citata, Junones Gabiæ, id est Genii illius loci vocantur. Plin. l. 2 hist. nat. *Major Cæ-* B *litum populus etiam quam hominum intelligi potest, cum singuli quoq; ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones Geniosque adoptando sibi.* Junones erant præsertim fœminarum Genii, ut supra diximus.

LXXX. Herarum Auscarum.
In Aquitania.

FANO HER. AVSC.
ORRITS HE. SACRVM
G. VAL. VALERIANVS

Ex Oihenarto.

Fano Herarum Auscarum interpretatur Author Notitiæ Vasconiæ qui eam adducit: secunda linea ignota. Aquitanorum, ait Mela, clarissimi sunt *Ausci*: & Novempopulanos commendant Ausci C & Vasates, inquit Ammianus Marcellinus. Heras autem, Matres, & Matronas pro iisdem habitas fuisse censeo.

LXXXI. Aufanarum.
Lugduni.

PRO SALVTE DOM.
N. IMP. L. SEPT. SEVERI
AVG. TOTIVSQVE DOMVS
EIVS AVFANIS MA
TRONIS ET MATRIBVS
PANNONIORVM ET
DELMATARVM
TI. CL. POMPEIANVS
TRIB. MIL. LEG. I. MIN.
LOCO EXCVLTO CVM
DISCVB†ONE ET TABVLA
V. S.

Exscripsi.

Hanc Inscriptionem habet quidem Gruterus, sed quinque ultimis lineis truncatam. Ecce eam sine abbreviationibus. *Pro salute Domini nostri Imperatoris Lucii Septimii Severi Augusti totiusque domus ejus, Aufanis Matronis & Matribus Pannoniorum & Delmatarum, Tiberius Claudius Pompejanus Tribunus Militum Legionis primæ Minerviæ, loco exculto cum discubitone & tabula Votum solvit.* Eæ autem Aufanæ Matronæ in Pannonia Dalmatiaque notæ, salutis Severi custodiam habentes, quæ fuerint, ignorare facilius est, quam assequi. Claudii Pompejani plures in Historia memorantur sub Commodo & Severo, quorum aliqui Consulatu potiti sunt, hujus Tiberii Claudii Pompejani sine dubio affines. Discubitonem locum ubi ad comedendum discumbebant dictum censeo, infrequenti sane vocabulo. Legionis primæ Minerviæ mentio est in pluribus Lugduni inscriptionibus, unde sæpius hic eam hyemis stativa habuisse putem. Aufanæ istæ Matronæ vel Aufaniæ memorantur in hac Inscript. Neomagensi ann. 1628. reperta.

Neomagi.

MATRONIS
AVFANIABVS
T. ALBINIVS
IANVARIVS
S. L. M.

Ex Antiquit. Neomag.

LXXXII. Campestrium.

In pago Bekinga Ducatus Virtemberg. prope Hailbronnam eruta ann. 1677.

CAMPESTRIB.
EX VOTO
C. SANCTINIVS
CAI. FIL. OVF.
AETERNVS PR.

Ex D. Reichelt Professore Mathemat. Argentoratensi.

Campestribus ex voto Cajus Sanctinius Caii filius, Oufentina tribu, Æternus, Prætor, Campestres eædem forte sunt ac Matres, seu Matronæ Campis præsidentes. Similem citat Gruterus pag. MXV. in istius pagi vicinia. Ecce eas iterum in sequenti lapide.

LXXXIII. Sulevarum.

Romæ.


SVLEVIS ET CAMPESTRIBVS
SACRVM T. AVRELIVS QVINTVS
7 LEG. XVII GEMINAE VOTVM
SOLVIT LAETVS LIBENS DEDICAVIT
VIII K. SEPTEMBRES BRADVA ET
VERO COSS.

Ex D. Fabretti.

Obmutesco in his numinum monstris, *Sulevis*, quibus simul ac *Campestribus Titus Aurelius Quintus Centurio Legionis decimæ septimæ Geminæ votum solvit.* Adsunt in superiori parte lapidis Deæ tres sedentes, infra quas sacrificium Verris peragitur, a quibusdam figuris sago vestitis. Dedicatio aræ octavo Kalendas Septembres facta est, Bradua & Vero Consulibus, qui integro nomine in Fastis Capitolinis *Titus Vibius Barus* & *Appius Annius Bradua* vocantur: ubi loco *Bari* vel *Vari*, reponendus *Verus*, ut ex hoc marmore, tum ex Fastis Siculis constat. Incidit is Consulatus in annum æræ Christianæ 161. sub Antonino Pio.

LXXXIV. Trittiæ.

In Provincia, *territorio* de Pierrefeu.



Ex Peireskii schedis.

De Nympha Tritia hæc Pausanias memorat, ubi de Tritia urbe Achaica. Alii, inquit, a Marte tradidere *Tritiam* Tritonis filiam compressam fuisse, Minervæ Sacerdotem, dum virgo esset: Menalippum Marte & Tritia natum urbem condidisse, & a se auctam de matris nomine appellasse. Ibidem Marti & Tritiæ rem divinam facere solemne habent. Ex his conjicere licet Vibium Longum huic Deæ votum solventem, origine Græcum fuisse, in Gallia commorantem, vel saltem huic innotuisse viro Deam Tritiam, sive fuerit in Achaja dumtaxat culta, sive etiam ex Græcia in Galliam transmissus fuerit ipsius cultus.

LXXXV. Eumeli.

Neapoli.


ΕΥΜΗΛΟΝ ΘΕΟΝ ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ ΤΩ ΦΛΑΥΙΩ ΤΕΚΝΩ

Ex Capac. Hist. Neap.

Eumelum Deum patrium gentilibus Eumelidarum Titus Flavius Pius Curator posuit cum Flavio filio. Herois Eumeli meminit Pausanias in Achaicis, quem Patrensium primum Regem conditoremque ait, unde forte quis conjiciat non legendum πατρῷον, sed Πατρέων. Verum nihil temere soleo immutare. Neapolis enim cum fuerit Græcorum Colonia, non dubium est, quin eorum Deos Heroasque coluerit: ac præcipue *Eumelum* hunc, quem, nescio an ex Authoribus antiquis, Summontius in Historia Neapolitana patrem Sirenis Parthenopes fuisse asserit, Fundatricis Neapoleos urbis. Hyginus memorat Eumelum Admeti & Alcestæ filium, qui naves ex Perrhæbia ad bellum Trojanum deduxit. Φρατρία erat tertia pars Tribus: ii vero qui ex eadem *Phratria* erant, *Phratores* & φρήτορες vocabantur, teste Suida, & Julio Polluce, sed hæc tantum Athenis. Verum & Phratria & Phratores aliam significationem ab illa diversam obtinent, de qua Hesychius, φρήτρα καὶ φρήτρη, φρατιά (legendum φρατρία). συγγένεια, πατρικὴ γενεά: in voce vero φράτορας post allatam priorem significationem, subjungit συγγενεῖς, idemque profert Suidas. Ex quibus colligere licet, postremam significationem hoc in lapide priori anteponendam esse. Φράτορες ergo, quorum hic mentio, non inconsulto Gentiles vocamus. *Gentiles* enim *sunt*, inquit Cicero in Topicis, *qui eodem inter se nomine sunt*, quales hic Eumelidæ qui Gentilis sui statuam vel aram posuerunt. Gentilem Eumelum vocare licet eodem sensu, quo Tullius, Quæst. Tusc. lib. I. Tullum ex septem Regibus unum, suum Gentilem vocat, ubi de Pherecyde agit, de quo ait: *Antiquus sane: fuit enim meo regnante Gentili.*

LXXXVI. Deæ Segusianorum.

Fori Segusianorum, vulgo Feurs, repertum.



Exscripsi.

Pondus antiquum exhibeo ex ære, nobis septem Librarum & Semis Pondo, at decem antiquis Romanis, siquidem Libra duodecim tantum unciis constabat. Habet autem literis argenteis exculptis DEAE SEG. F. PONDO X. quam D. de la Mure in Historia sua Foresiana, explicat *Deæ Segusianorum Fori, Pondo decem*. Id enim Pondus in urbe Feurs repertum, quæ olim Forum Segusianorum A erat. Quæ autem illa Dea fuerit ambiguum est, urbis forte protectrix, geniusve: an vero ipsamet Diana, quæ ob Sylvarum copiam apud Segusianos colebatur, unde in eadem urbe corpus *Fabrorum Tignuariorum* in antiqua Inscriptione legitur. Minus vero ad rem nostram facere existimo Saloninæ nummum, in quo DEAE SEGETIAE mentio fit, quam Mythologi Segestam male nuncupant.

LXXXVII. Moritasgi.

In ruderibus Alesiæ urbis apud Heduos.

TI. CL. PROFESSVS NIGER OMNIBVS HONORIBVS
APVD AEDVOS ET LINGONAS FVNCTVS DEO
MORITASGO PORTICVM TESTAMENTO PONI IVSSIT
SVO NOMINE ET IVLIAE VIRGVLINAE VXORIS
ET FILIARVM CL. PROFESSAE ET IVLIANAE VIRGVLAE

Ex Reines. Epist.

Hæc Reinesius Epist. pag. 683. Ex Cæsaris commentariis, constat ejus in Galliam adventu *Moritasgum* apud Senonas in authoritate fuisse, Cavarinum ejus fratrem a Cæsare ibidem constitutum. Hinc cur ea Galliæ pars Deum fecerit Moritasgum, cujus notitiam etiam Romani homines Claudiæ Juliæque gentis, translati in Gallias, uti alii Endovellici & Togotis Hispanorum Lusitanorumve localium numinum, habere potuerint, satis manifestum est. Sive autem Cæsarianum istum, sive a- B lium ὁμώνυμον e majoribus ejus Senonum regibus antiquiorem a suis pro Deo habitum dixerimus, perinde est: eo tamen inclino, ut posterius præferam, fueritque Cæsare Gallias adquirente divinitas Moritasgi & cultus vetus apud Senonas religio, non eo primum tempore cœpta, in memoriam olim Regis & Imperii, eique mortuo divini honores decreti, dedicato eidem intra urbem porticu a Tiberio Claudio, Professo, ejusque uxore & filiabus.

LXXXVIII. Verjugodumni.

Ambiani nuper detecta.

PRO SALVTE ET
VICTORIA EXX. G.
APOLLINI ET VER
IVGODVMNO
TRIBVNALIA DVA
SETVBOGIVS ESVGGI
F. D. S. D.

Ex D. Du Cange, Glossario mediæ Latinitatis.

Sic explicandum esse existimat Eruditiss. du Cange: *Pro salute & Victoria Exercitus Gallicani*; vel *Exercituum Galliæ*, siquidem geminata litera xx. pluralem arguat, ut in nummis in quibus exaratum *Debellatori Gentium Barbatr. Verjugodumni* numinis a Gallis culti, quod hic Apollini adjungitur, nulla apud veteres memoria. Utrique autem *Tribunalia dua*, sic pro duo usurpatum ab Antiquis, *Setubogius Esuggi filius de suo dedit*. Ubi Tribunalia videntur esse Stylobatæ, in quibus Apollinis & Verjugodumni Statuæ consistebant.

LXXXIX. Beladucadri.

In Britannia.

DEO BELADVCADRO
LIB. VOTVM FECIT IOLVS

Ex Camdeno.

Non alius est iste Deus, quam qui levi differentia apud Gruterum Belatucadri nomine insignitur; nec ex nova hac Inscriptione novam lucem fœnerari licet, quod qualeve fuerit numen. Hoc tamen certum est fuisse privatum aliquem Britannorum Deum; nusquam enim alibi ipsi litatum esse ex monumentis antiquis eruimus.

XC. Nehalenniæ.

Domburgi repertæ, & Vestapellæ Zelandiæ visuntur.

1

DEAE NEHALENNIAE
OB MERCES RITE CONSER
VATAS M. SECVND. SILVANVS
NEGOTTOR CRETARIVS *Negotiator*
BRITANNICIANVS
V. S. L. M.

2

DEAE NEHALENNIAE
SEX. NERTOMARIVS
NERTONVS
V. S. L. M.

3 *In pago Strennove.*

DEAE NEHALENIAE
SERVATVS THERONIS
FIL.

Ex D. Minutoli.

4

DEAE
NEHALENNIAE
SVMMARIONIVS
PRIMANVS
V. S. L. M.

5

DEAE NEHALEN
NIAE C. EXOM
NIANVS VERVS
D. D.

6

DEAE
NEHALENNIAE
DACINVS LIFFIONIS
FILIVS V. S. L. M.

7

DEAE
NEHALENNIAE
I... FESTIVS
PRIMVS V. S. L. M.

8

DEAE
NEHALENNIAE
L. IVSTIVS STATTO
ET
SECVNDIVS MODERATVS
FRATRES

9

NEHALENNIAE
FLETVS AENNALLONIS
PRO SE ET SVIS
V. S. L. M.

10

DIS DEABVSQVE
PRAESIDIBVS
PROVINCIARVM
CONCORDIAE
..... NA...
ET FO...
CONSILIORVM

Ex Reinesio.

Habentur omnes excepta tertia apud Reinesium Epist. ad Rupert. p. 302. cujus hic verba referam. Repetitio ejusdem numinis in pluribus lapidibus eodem loco effossis confirmat Deam Nehalenniam fuisse ἐπιχώριον populorum circa ista Oceani æstuaria olim habitantium & negotiationibus trans mare deditorum, ipsique Oceano & fluminibus advenis præsidere creditum numen. Idemque asserit has inscriptiones sculptam habere in uno latere Deam sedentem canistrum fructibus plenum gestantem: in aliis vero Neptunum & Mercurium conspici, quod etiam observavi in earum typis æri mandatis. Negotiator cretarius & artis cretariæ, ut apud Gruterum observatur, Britanniccianus vocatur, eo quod in Britannia fodinæ cretariæ essent, ex Plinio lib. 35. c. 17. Addo aliquid ex Minutolio Professore linguæ Græcæ Erudito Genevensi, qui diu Midelburgi commoratus, refert se in insula Valcheren ambulationis ergo Vestcapellam, quæ 3. leucis ab Midelburgo distat, profectum esse, ibique sacellum huic Deæ dicatis aris refertum animadvertisse, quarum aliæ absque ulla inscriptione, sed cum Deæ typo, aliæ vero inscriptæ. Quæ imaginem Deæ insculptam præbent, sedentem exprimunt dextra canistrum fructibus onustum gestantem, sinistra aliud canistrum piscibus plenum; sicque erat illa,

Diva maris terræque potens.

Tota autem illa regiuncula aræ inscriptionesque istæ ita obviæ sunt, ut vix domus aliqua inter Midelburgum & Vestcapellam iis careat.

XCI. Nemausi Dei.

Nemausi.

..ΝΕΜΑΥΣΩ..

ΟΥΛΠ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ

ΣΕΒΑΣΤΟΝ

Id est,

Nemauso (Deo)

Ulpium Trajanum Cæsarem Augustum consecrarunt.

Ex Peireskii schedis.

Nemausum quem Herculis filium nonnulli asserunt, inter Deos a Nemausensibus repositum fuisse evincunt marmora & nummi, ut jam orbi Erudito exhibuit Clariss. *Patinus, lib. de nummis æreis mediæ formæ*: ubi ejus caput casside armatum in nummo Coloniæ Nemausensis cernitur. Hic inquit Plinius lib. 7. cap. 7. vetustissimus bene merentibus referendi gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Ejusdem prisci numinis, seu Herois, qui nomen suum urbi imposuerat, mentio fit in sequenti Inscriptione.

Nemausi.

DEO SILVANO ET LIBERO

PATRI ET NEMAVSO

... ARCHVS SINODI ...

Ex Guyrano.

XCII. Dei Aghonis.

In pago Asca, in Bigerronibus Aquitaniæ.

1

AGHONI

DEO

LABVSIVS

V. S. L. M.

2

DEO

.GHONI

..AVLINI

..AVRINI

V. S. L. M.

Ex Oihenarto.

Has Inscriptiones producit Oihenartus, in Notitia Vasconiæ pag. 507. nec hujus numinis a Bigerronibus culti majorem notitiam nobis dare potuit. Sitne aliquod numen Agonibus præsidens, incertum. Certum tamen Deos quosdam, Agonios dictos, agonibus præsidere; testis est *Hesychius*: Ἀγώνιοι θεοὶ, οἱ τῶν ἀγώνων προεστῶτες.

XCIII. Tyrimni.

Thyatiræ, quæ nunc Ac-kiſſar.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

ΑΝΤ. ΚΛ. ΑΛΦΗΝΟΝ ΑΡΙΓΝΩΤΟΝ
ΚΡΑΤΙΣΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ.
ΑΡΚΗΣ ΛΕΙΒΙΑΝΗΣ ΕΠΑΡΧΟΝ ΕΙΛΗΣ
ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΣ ΠΡΑΙΠΟ
ΣΙΤΟΝ ΕΙΛΗΣ ΕΝΤΑΛΑΡΙΩΝ ΧΙΛΙΑΡΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΚΙΛΙΚΩΝ ΠΡΑΙΠΟΣΙΤΟΝ
ΤΗΣ ΣΠΕΙΡΗΣ ΓΑΙΤΟΥΛΩΝ ΕΠΑΡΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΝΟΥΜΙΔΩΝ. ΠΡΑΙΠΟ
ΣΙΤΟΝ ΣΠΕΙΡΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΒΕΣΣΩΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΑΝΝΟΝΗΣ ΘΕΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
. . . . ΙΜΕΝΩΝ ΣΠΕΙΡΗΣ . . . . . .
. . ΑΝΩΝ ΤΡΙΒΟΥ ΚΥΡΕΙΝΑ ΥΠΑΤΙΚΟΝ ΕΥΓΕ
ΝΗ ΥΙΟΝ ΚΑΙ ΕΓΓΟΝΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΩΝ ΑΣΙΑΣ
ΑΔΕΛΦΙΔΟΥΝ ΑΛΦ. ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟΥ ΕΠΙ ΚΗΝ
ΣΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑ
ΤΗΣ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΛΟΓΙ
ΣΤΗΝ ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΠΕΙΣΙΔΙΑΣ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΕΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΡΩΕΣΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ — ΤΗΣΙΩΝ an forte τ̃ Ἰωνίας.
ΟΛΩΝΕΙΑΣ ΕΝ ΠΑΣΑΙΣ ΥΠΕΡΕΣΙΑΙΣ ΤΡΑ
ΣΙΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΣΕΜΝΟΤΑΤΟΝ ΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟ
ΠΑΤΟΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΥΡΙΜΝΟΥ

ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ

Exſcripſi.

Id eſt,

A *Bonæ Fortunæ, Antonium Claudium Alfenum Illuſtrem potentiſſimum Procuratorem Auguſti arcæ Livianæ, Præfectum Alæ Secundæ Flaviæ Agrippinæ, Præpoſitum Alæ Entalariorum, Chiliarcham Cohortis primæ Cilicum, Præpoſitum Cohortis Gætulorum, Præpoſitum Cohortis Secundæ Flaviorum Numidarum, Præfectum cohortis Secundæ Flaviorum Beſſorum, cohortis Annonæ Divi Antonini . . . . tribu Quirina Conſularem nobilem, filium nepotemque Pontificum Aſiæ, Conſobrinum Alfeni Apollinarii, Præfectum Cenſibus Auguſti Neocororum Illuſtriſſimæ* B *Cyzicenorum Metropoleos, Præfectum rationum Seleuciæ Piſidiæ, Alexandriæ, Teſiorum, Rhoeſi, urbis Amaſtrianorum, Tropeſiorumque & Oloneæ, in omnibus Traſiorum Magiſtratibus, nec non Venerandiſſimum Sacerdotem parentis primævi Dei Tyrimni,*

Tinctores hoc monumento venerantur.

Prolixam hanc inſcriptionem brevibus illuſtrabo notis, ne, ſi nimius forem, Lectori longæ lectionis faſtidium renovarem.

1 Antonius hic Alfenus Vir erat cognomine, proſapia & Officiis Illuſtris, qui tempore Antonini Caracallæ florebat, ut clarius ex aliis duabus inſcriptionibus patet, quæ huic Imperatori dicatæ ſunt. Illas quia in Itinerario meo Græciæ Gallice ſcripto edidi, repetere nunc abſtineo. Notandum tamen illius prænomen T. Titus, quod in hac deſideratur, in illis duabus præmitti: itaque ipſius integrum nomen erat, Titus Antonius Claudius

A Alfenus Arignotus, five Illuftris. In prædictis etiam marmoribus præter officia hic commemorata, eum tribus vicibus Chiliarchum feu mille hominum Tribunum defignari obfervo.

2 ΑΡΚΗΣ ΛΕΙΒΙΑΝΗΣ, vel ut alibi ΛΙΒΙΑΝΗΣ, *thefaurus Livianus* explicari poteft, forte a Livia Augufti conjuge. Ad Libyam enim referri vetat orthographia, cujus derivata Libyca & Libyftica potius facerent.

3 ΕΙΛΗ eft vox Græco-barbara a voce Latina Ala, ficuti & ΑΝΝΩΝΗΣ Annonæ. ΣΠΕΙΡΗ vero Cohors, ordo militiæ. Hefychius Σπεῖρα, πλῆθος, ϛράτευμα, τάγματα, ἢ συϛροφαὶ. De cujus vocis acceptione confulendus Salmaf. de Militia Romanorum.

4. De nationibus urbibufque quæ hic memorantur notæ funt fequentes, Cilices, Gætuli, Numidæ, Beffi, Cyzicus, Seleucia, Pifidia, Alexandria, Rhœfus, Amaftrianorum civitas, & Traufi ad montem Hæmum in Thracia, etiamfi hic fcriptum ΤΡΑΣΙΩΝ. Ignoti vero mihi Entalarii nefcio an populus, an militiæ genus, Tifii, Tropefii & Olonçia.

5 Alfeni Apollinarii, Claudii Alfeni Confobrini, nummum Thyatirenorum produxi in 3. vol. Itinerarii mei; eorum ergo erat ϛράτηγος vel ἀρχιερεὺς, Militiæ dux vel Pontifex, fub quorum nomine fæpe nummos cudebant Afiæ minoris populi.

6 At nunc de Deo Thyrimno. Indigenam Thyatirenorum heroem Deumve fuiffe patet, ex ejus memoria inibi fæpius repetita, præfertim in alio marmore fic incipiente, Α...ΣΤΡΑΤΟΥ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ ΤΥΡΙΜΝΟΥ, &c. ex quo patet ejus templum fuiffe extra urbis portam, inque noftra infcriptione forte
B etiam legendum ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ non ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ: nonnihil enim fuit detritum Marmor: nec tamen abfonum eft pofterius vocabulum.

7 ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ, *Tinctores* qui Thyatiram inhabitabant, hoc fculpi marmor curaverant. In ea forte urbe purpuræ tingebantur, quarum commercium tractabat *Lydia* illa Thyatirena Philippis a Divo Paulo ad Chrifti fidem converfa, Act. Apoft. cap. 16.

XCIV. Nymphæ Brigantum.

In Anglia.

DEAE NYMPHAE BRIG.

Ex Marmor Oxon.

De Dea Nympha Brigantum, qui populi fuere Albionis five magnæ, fic dictæ Britanniæ, confule
C Marmora Oxonienfia, pag. 309.

XCV. Laris Vialis.

Vorburgi in Hollandia.

I. O. M. SARAPI
ISIDI FRVGIFERO
CAELESTI FORTVN.
BONO EVENTO
FELICITATI LARI
VIALI ET GENIO
LOCI L. LVCRETIVS
PAL. FAVSTINIAN.
Ↄ. LEG. I.M.P.F. PRO SE
SVISQ. ꟻER. V. L. CONSACR.

Ex Hegenitii & Ortelii Itinerario.

Id eft: *Jovi Optimo Maximo Sarapi frugifero, Ifidi Cælefti, Fortunæ, Bono Evento, Felicitati, Lari Viali & Genio Loci, Lucius Lucretius, Palatina tribu, Fauftinianus, Centurio Legionis primæ Minerviæ Piæ Fidelis, pro fe fuifque Heredibus votum libens confecravit.*

Bonus Eventus fæpe occurrit in numifmatis. Evento pro Eventui antiquata dicendi formula.

Laris Vialis mentio eft in alia Infcript. Gruteriana: pag. LXXVIII. n. 1. *Fortunæ Reduci, Lari Viali, Romæ Æternæ,* &c. Plautus in Mercatore Act. 5. fc. 2.

D ——— *Invoco*
Vos Lares Viales, ut me bene tutetis.

Hæc effatur Charinus itineri fefe commiffurus: igitur *Lares Viales* erant Genii qui viis præfidere putabantur, quofque peregrinantes invocare folebant: ficuti Lares Domeftici Genii erant domibus & focis præfidentes, quos & Penates nuncupabant. Ideo Lari Viali copulatur & Genius loci illius peculiaris, in quo marmor iftud erectum fuerat, five intelligas urbem ipfam Vorburgum quæ olim Forum Hadriani, five vicinum aliquem

locum ex quo effossum fuerit. Ɔ. est nota Centurionis, ut aliquando 7. Ⅎ pro H. priscis in usu erat. Legionis autem primæ Minerviæ plurimæ reperiuntur aliæ Inscriptiones. Fragmentum sequens Lares Augustos memorat, id est Augusti domui præsidentes. Addo & alias Inscriptiones Larum & viarum mentionem facientes.

1

Cumis.

LARES AVGVST.
AGRIPPA

Ex Capacio.

2

Patavii.

GENIO DOMNOR. CERERI
T. POBLICIVS CRESCENS LARIBVS
PVBLICIS DEDIT IMAGINES ARGEN
TEAS DVAS.......

Ex Ursati Histor. Patav.

3

Romæ.

OPTATVS PEDISSIMACHVS MARMOR.
LARES DE SVA PEQ. POSVERVNT

Ex sched. Barber.

4 *Romæ.*

LARIB. SACR.
C. IVNIVS IVSTVS MIL. COH. VI. PRAET.
PATRON. TIBVR. L.D.D.D.

Ex sched. Barber.

5 *In Anglia.*

DEO QVI VIAS
ET SEMITAS COM
MENTVS EST T. IR
DAS S.C.F. V.L.L.M.
Q. VARIVS VITALIS
ETECOS. ARAM SACRAM RESTITVIT
APRONIANO ET BRA
DVA COS.

Ex Marmor. Oxon.

6 *Romæ, in via Appia.*

GENIO VIARVM
L. LVTATIVS L.L. PAC
CIVS SANDALARIVS
S. P. D.

Ex schedis Card. Barberin.

XCVI. Dei Surrentini.

Surrenti.

....
TECTO NYMPAEO CVM PLVMBO
SVRRENTINO DEO

Ex Capacio.

Surrentum urbs regni Neapolitani nunc *Sorrento*, Deum urbis præsidem veneratur, qui forte Bacchus fuit. Illius enim tractus generosa vina magno habebantur pretio. Hinc *Ovidius* lib. 15. Metamorphos.

Et Surrentino generosos palmite colles.

Nympæum autem pro *Nymphæo*, id est, Balneo. Sic *Triumpus* pro *Triumphus*, scriptum est in numismatis, *Pilippus* pro *Philippus*, & in Inscriptionibus *Tropæum* pro *Trophæum*.

XCVII. Fidei Candidatorum.

Romæ, ad ædem Jovis Statoris.

IOVI O. M. ET
FIDEI CAÑD. SACR.
L. MARI MAXIMI
C. V. PRAEF. VRB.
COS. SVFFRAGATOR.
Q. ATTIVS COLL.
F. C.

Ex sched. Barber.

Candidati ii erant qui Magistratum aliquem petebant, ita dicti quod candidis vestibus creta dealbatis uterentur, a quibus Fidem exigi non mirum est. Virtutes autem pro Diis habebantur. Hinc *Fidei publicæ* dedicatum marmor legimus apud Gruterum. *Lucius* hic *Marius Maximus* C. V. id est *Consularis Vir*, *Præfectus urbi* & *Consul* vel A *Consulis Suffragator* vocatur. *Suffragator* idem existimo esse ac suffectum. Ii scilicet qui sufficiebantur in locum ordinariorum Consulum, qui ante exactum annum moriebantur. Sic posteriori ævo, Episcopi *Suffragatores* & *Suffraganei* dicti, Vicarii & Adjutores Episcoporum Metropolitanorum.

XCVIII. Arvali.

1

Brixiæ.

DIS PATRIIS
HERCVLI APOLLINI
ARVALO

2

Brixiæ.

DEO ARVALO
SATVRNO
SEX. COMMO
DVS VALER.
V. S. L. M

Ex Libro cui titulus est Memorie Bresciane.

Qualis Deus sit Arvalus iste, in tanto Scriptorum silentio, dicere non auderem, nisi moneret secunda Inscriptio, eundem esse ac Saturnum, qui proculdubio hoc cognomine gaudebat *Arvali*, quod *Arva* colenda docuisset. Unde cum falce depingebatur: sic *Saturnus* dictus vel a saturando ob annonæ erogationem, vel a satu, quod agri- B culturæ præsit. Peculiariter autem a Brixiensibus colebatur hocce sub titulo, quod eorum Arva fœcundare putaretur: hinc inter Deos Patrios, simul cum Hercule & Apolline, numeratur. Sic ab Arvo dicti sunt Fratres Arvales, de quibus supra in prima Sectione, Articulo 2.

XCIX. Noctulii.

Brixiæ.

DEO NOCTVLIO
P. VIRLIVS P. F. FAB. ASSIA
NVS EQVO PVBLICO
SACERDOS
IVVENVM BRIXIANORVM
ET COLLEGIVM....

Ex eodem libro.

Hujus Dei Statuam depingit *Rossius*, cum capitis velamento sive cucullo instar Telesphori Æsculapii comitis, digito ad aurem applicato: unde ipsum cogitationis Deum esse suspicatur: at siqui- C dem noctuam avem nocturnam ad ejus pedes appingit, quidni potius nocti somnoque præsidens numen putemus, quod Noctulii nomen innuere videtur?

C. Tyllini.

Brixiæ.

1

ΤΥΛΛΙΝΩ

2


TYLLINO
ET GERMANICO
FELICITATEM
DIVINITATEM
..VLTRA...
TRIVMPLINI

Ex eodem libro.

Hujusce Deastri sive Herois Statuam depingit idem Author, sub figura juvenis laurea coronati, nudi, pedem dextrum ossi capitis humani imponentis, ex quo enascitur laurea, manu sinistra hastam gestantis, in cujus summitate manus ferrea est fere aperta, serpente intorto. Quam qui- D dem effigiem suspicor ab Authore efficitam: jam enim destructam fuisse ait, anno Christi 840. a quodam Ramberto Episcopo, nec undenam sumpserit, suis Lectoribus declarat. *Triumplini* erant populi Alpium, qui Plinio *Triumpilini* vocantur.

CI. Volbani Herculis.

Besutii ad Lacum Majorem, in domo Illustrissimæ Comitissæ Mariæ Catarinæ Besutiæ de Besutiis.



VOLBANO
HERQVLI
C. CASSIVS...C...
MARTINVS
VOTO

Ex Eruditiss. Comite Mezzabarba de Biragues, Mediolanensi.

A Ex hac Inscriptione suspicatur Illustris. Comes Mezzabarba, qui eam ad me amice transmisit, Lacum illum, quem Itali vulgo Lago Maggiore vocitant, non Lacum *Verbanum*, ut apud Plinium & Strabonem legitur, sed *Volbanum* appellandum esse: reperitur enim in vicinia hujus Lacus, unico scilicet milliari distantis; ex hocque *Hercule Volbano* Numine indigena, ita vocatum fuisse. Hujusce Lacus, locorumque vicinorum notitiam, ut & nominis etymologiam, videris in libro Italico cui titulus est, *Historia delle notitie del Lago Maggiore*. Herculi autem, sive ut hic scribitur HERQVLI, tractum illum dicatum fuisse ex aliis duabus Inscriptionibus patet, quæ leguntur:

Ibidem.

HERCVLI V. S.
VITVLVS L. N.
PRIMI ET
OPETATVS
PAVLVS
CERISPVS
VALENTI

Ex eodem.

Ibidem.

HERCVLI
L. ANT...IVS
NEPOS
V. S. L. M.

Ex eodem.

B In prima HERCVLI V. S. videtur esse *Herculi Volbano sacrum*, potius quam *Votum solvit*, vel *solverunt*, quod fere semper in fine Inscriptionum collocatur. *Opetatus & Cerispus*, scriptum pro *Optatus* & *Crispus*, quæ ut & *Vitulus* cognomina sunt quorundam Libertorum vel Servorum, qui lapidem Herculi illius loci dedicaverant.

Unum addo de Volbano, antiquos Romanos, nomina propria exotica cum Latina redderent, solitos fuisse ad Romanam terminationem detorquere, ut & fere adhuc solent variæ nationes, inde facile ex Volbano, Verbanum facere potuerunt, quod Latinam Etymologiam magis saperet: ita quis putet celebrem illum Germanorum Ducem *Arminium*, sic proprie apud Germanos vocatum fuisse, & non potius *Hermann*, secundum Germanicæ Linguæ, quæ antiquissima est, idiotismum: ita non male suspicantur Viri Eruditi, *Inducio-marum* corruptum esse ex his Germanicis vocibus *Ein Teutsch Mayer*, id est, *Germanorum Judex*: ita *Mediolanum* Celtarum veterum Colonia, quorum Lingua cum Germanis communis erat, ex eorum nomine *Mittelland*, id est, *terra media* appellatum fuit. De quibus plura non solum hariolari, sed & certo statuere & probare possemus.

CII

CII. Bergimi.

Brixiae.

DEO BERGIMO
L. ARTEMIDORVS

NONIAE MACRINAE
SACERD. BERGIMI
B. M.
CAMVNI

Ex libro Memor. Brescian.

Bergimus ille proculdubio Deus aliquis fuit illius regionis indigena, qui forte Bergamo urbi nomen dedit. *Berg* autem Germanis antiquis ut etiamnum hodie, *mons* est: itaque numen hoc montanum, & *Bergamum* ad montium radices situm, hoc nomine donata fuerunt, cum Cenomani Galliae populi hanc Regionem occuparunt. Ita ab ea- A dem voce *Berg*, Hispanicae quaedam urbes denominatae, *Bergusia* ad Pyrenaeos, *Bergidum* pagus Ilergetum, *Bergida* oppidum Catalauniae. Nec enim solum in Italiam, sed & in Hispanias, aliasque regiones, propagata fuit Celtica lingua, quae eadem & Gallica antiqua, & Germanica idiomatum Germanicorum matrix.

CIII. Jovis Alannici.

Prope Brixiam, in territorio di Concesio.

I. O. M. ALANNI
CO M. NONIVS MA
CRINI LIB. AGATHONICVS
CVM PORTICVLA V. S.

Ex eodem libro.

Et hic Jupiter antiquorum Celtarum fuisse videtur, Alannicus forte dictus a voce *Land* quae regionem significat, ita ut Jovem regionis illius pro- B prie significaret: nisi mavis Alannicum ab Alanis Sarmatiae Europaeae populis appellatum.

INSCRIPTIONES

Nonnullae supra inserendae.

Pag. 761. post lineam duodecimam insere has Inscriptiones.

Romae.

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
H. TEMPL. CVM. FONTIBVS. SV.
SACRVM
M. VESIDIENVS HEDYLALVS PR.
COH. I. VOLVNT. CIV. ROMAN.
ET. VESIDIA. CARITVSA. VOT. V.
L. D.D.D. D.S. IMPEN.

Ex sched. Barber.

Ex Aricia Romam translata.

AESCVLAPIO. SERVAT.
SACRVM
M. AVRELIVS. FAVSTVS
BASSVS
ET AVRELIA. SALVIA
BASSIANA
V. S. L. M.

Ex iisdem schedis.

Romae.

In Insula Tiberina, ante paucos annos effossa.

AISCVLAPIO
AVGVSTO SACRVM
PROBVS. M. FICTORI. FAVSTI
MINISTER. ITERVM. ANNI. XXXI.

Ex Bellorii dissertatione de nummo Commodi & Annii Veri.

Pag. 829. post lineam 30. *Brixiae.*


MERCVRIO
REIPVB. BRIX. CONSERVATORI
C. CALLINIVS C. F.
EVTIPHIO

Ex libro, cui titulus Memorie Bresciane.

DISSERTATIO

de Tripodibus.

Tabula in qua varii Tripodes.



Explicatio characterum Figuræ I.

A *CRATER, aut* CORTINA, *seu* ΚΥΚΛΟΝ ΕΠ' ΑΥΤΟΒΟΉΤΟΝ *tenuissimæ crassitudinis, peracutum sonum aut tinnitum reddens, sicut tinnula æra, in cujus fundo, foramen orbiculari figura.*

B *Tres* ANCULÆ *seu* EMPUSÆ, *Craterem sustinentes, spithamæ Græcorum mensuram æquantes.*

C *Ancularum Epistylium, seu Capitulum, in quo Caprinum caput fatidicorum sacrificiorum peculiare, vittis revinctum cum lemniscis, inter Ancones seu Prothyrides, cum Helicibus seu volutis, Oraculorum involucra & ambiguitates innuentibus.*

D *Ancularum Scapus, Strigibus aut Triglyphis bifariam adornatus.*

E *Scrupi seu scrupuli, aut calculi, cum tæniis sortilegorum, Triglyphos distinguentes.*

F *Ancularum seu Empusarum Pes Leoninus, seu Gryphi, aut Sphyngis.*

G HYPOCRATERIDION, *figura triquetra, ad illius* MACHINÆ DELPHICÆ *formam compactum, quæ operculi vice, Antri seu Voraginis fauces aut spiraculum in adytis Delphici templi operiebat, in qua sedere solita Pythia, ut fatidicum spiritum conciperet, atque oracula redderet.*

H *Tres* BASES *seu pedes quibus machina triquetra imposita & affixa est, a quibus* TRIPODIS *denominationem duci tradunt.*

I TRIGONUM *mysticum, seu foramen Triangulari figura, compactum ex arcubus circuli, unde fatidici flatus aut spiritus exire atque attolli solebant.*

K *Circulus Trigonum seu Triangulare foramen ambiens aut includens, Hypocrateridio adscriptus, atque in duodecim portiones distinctus.*

L *Linea e circulo ducta Trigoni altitudinem æquans, circulumque in quatuor æquales partes intersecans.*

TRipodis nomen commune fuit variis instrumentis & vasis, quæ tribus insistebant pedibus, veluti foculis, thuribulis, candelabris, mensis aliisque id genus: at strictiori significatione Athenæus duo tantum genera tripodum statuit: *ἦν γάρ τι ἀρχαῖον δύο γένη τριπόδων, ὓς καλεῖσθαι λέβητας συνέβαινεν ἀμφοτέρυς, ἐμπυριβήτης ὁ καὶ λοετροχόος*: *Erant*, inquit, *apud priscos Tripodum duo genera, quæ ambo nominarunt etiam Lebetas. Unum quod Empyribates seu Loetrochoos dicebatur*, quo ad ignem calefaciendæ aquæ utebantur: *ὁ δ' ἕτερος ὁ κρατὴρ καλούμενος. Ο μηρος, Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας*, &c. *Alterum tripodis genus poculum fuit, de quo Homerus, Septenos tripodas quos non admoverat igni. In his Tripodibus vinum miscebatur. Est itaque tripus hic veritatis congruus index, Apollini ob Oraculorum suorum certitudinem dicatus; Baccho vero, quia non mentiantur ebrii*, &c. *Horum quidam auriti sunt*; quod in tripode Tabulæ hujus III. observatur, qui aurem sive ansulam ad ejus apprehensionem habet.

I. Tripos hic æreus antiquus, ann. 1629. Forojulii in littore Ligustici maris repertus inter veteris ædis rudera, & statim ad Peireskium allatus, tripus est proprie dictus Delphicus sive Pythicus cognominatus: videturque operis Græci & ad proportionem similitudinemque veri Delphici tripodis conflatus, de cujus origine plura veteres. Post enim Oraculi inventionem a Capris forte factam, quæ dum in antrum propius despicerent, vocemque altiorem & ab usitata dissonam emitterent, duravit ad tempus ille mos, ut qui divinare vellet, antro propinquans de futuro alter alteri responsaret. Sed cum multi per excessum mentis lymphaticum desultarent in specum, omnesque in conspectu hominum auferrentur, consultius accolis visum, ne quis idem periculum incurreret, unam ex fœminarum sexu vatem consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset, machinamque illi fabricari qua conscensa citra noxam afflatu divino repleri & consulentibus vaticinari posset. Machinæ tres erant pedes, unde tripodi illi nomen obtigit.

Componitur autem iste ex quinque partibus, quarum inferior est instar basis, cui tres aliæ innituntur instar crurum aut columellarum, quintam quæ crateris seu lebetis formam habet sustentantes; totumque ex ære flavo ita rite elaboratum, ut tria illa crura proprii sui æquilibrii ope stare possint, præsertim imposito cratere. Hæ vero partes ita expolitæ & antiqua ærugine obductæ sunt, ut nullum sit vestigium eas aliquando clavis aut alio vinculo unitas fuisse; quinimo potius ita dispositæ videntur de industria, ut facile conjungerentur & quasi solo afflatu pro lubitu disjungerentur. Observatur equidem in hypocrateridio, quibus locis crura tripodis pedem fixerunt, ærugo parum diversa & minus densa, ita ut erectum satis longo tempore tripodem fuisse exinde constet. Nec id fortuito ita fabricatum fuisse mihi persuasum habeo, aut imperfectum sic remansisse. Fuit enim repertus Romæ alius æreus tripos, cujus deinde possessor Gualdus Eques, quem loco II. exhibemus, ita flexilis & plicatilis, ut ad minorem molem reduci possit, partibus tamen remanentibus simul junctis, non clavorum sed quarundam catenularum ope. Nec id sine mysterio affectabant, ut hæ partes levi modo flatu agitarentur aut conciderent, spiritusque illius subterranei & divini indices extarent, cui convenit illud Lucani:

Spargitque vaganti
Obstantes TRIPODAS.

Certum quippe est agitationem quandam in his fuisse tripodibus, qua partes invicem collidebantur, sive id ab illo dæmoniaco spiritu acciderit, sive ab aliqua Sacerdotum arte; inde Lucanus improbatam Appii curiositatem dicit:

Hic tempore longo
IMMOTOS TRIPODAS, *vastæque silentia rupis*
Sollicitat.

Et paulo post:

Sentit TRIPODAS *cessare furensque*.

Propterea Tripodem ΚΥΚΛΟΝ ΕΠ' ΑΥΤΟΒΟΗΤΟΝ, circulum sponte sonantem vocavit Nonnus, cum oraculi Cadmo redditi mentionem facit, postquam, ait, cessavit & quasi extinctus fuit Tripodum terribilis sonus: quinimo verisimile videtur hoc sono Pythonissas in furorem actas fuisse, sicuti in Bacchi Orgiis cymbalorum tinnitus Bacchantes & Tigrides commovebat & furentes reddebat.

Est enim crater hic ita tenuis & subtilis, ut vix chartæ pergamenæ crassitudinem æquet, sonumque ederet acutissimum, nisi ærugo a vetustate contracta eam hinc inde perforasset fidissetque: si-

quidem alter ejusdem magnitudinis, proportionis A & materiæ, quem confici curavimus, peracutum & admodum penetrantem sonum edidit.

Cui autem usui fuerit illud in ima parte crateris extans foramen examinandum. An ut relationem quandam haberet Ætnæ & Vesuvii, aliorumque ignivomorum montium spiraculis & aperturis, quæ & crateres vocantur; ita etiam tale tripodis foramen subterraneos spiritus & æstus suos fatidicos, Pythonissas non tantum calefacientes, sed & in furorem agentes evomeret. Quantumvis enim maximus ille & genuinus tripos Delphicus, quo Apollinis antrum operiebatur, ita conformatus spiritus fatidicos emitteret: erant tamen per uni- B versam Græciam infiniti alii ad ejus, ut diximus, similitudinem fabricati, testibus Diodoro Siculo aliisque. Et sicubi eorum ad oracula usus erat quæ initio permulta erant, non dubium est quin frigus, calor, humiditas, aerisque subterranearum cryptarum temperies, aut saltem maligni spiritus illic invocati ventum excitare potuerint, agitando tripodi sufficientem, quo sono ab iis divino putato cæcutientes illi Ethnici in furorem agerentur.

Magna incantamenta vix certe sine sonitu & strepitu patrabantur, quo Dæmon Dei simia simile aliquid adventui Spiritus Sancti produceret; C *dum factus est* die Pentecostes *de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis qui replevit totam domum*. Idque imitantur sortilegi sive malefici qui procellas grandinemque excitant, aut excitare putant: at illa omnia mysteria fatidica, fatentibus priscis Philosophis, non sine magia & sortilegio celebrabantur. Quia vero baculis usos fuisse Magos legimus, quidni & dicamus, hisce percutere tripodas de more fuisse, instar Musici instrumenti, quo sonos obscuriores aut acutiores ederent, prout magis dæmonibus suis placere existimabant, eos aliquando voci accommodantes, certamque symphoniam observantes.

Inde priscorum hæreticorum error, qui Basilidiani & Gnostici audiebant monstrosa numina confingentes, inter quæ & cælos numerabant, quos septem tonis & septem Alphabeti Græci vocalibus distinguebant, sub nomine Angelorum, vel intelligentiarum moventium: hique literas illas Græcas combinantes & multiplicantes abstrusiora mysteria reperiebant, Deosque suos & eorum virtutes multiplicabant. Nullus etiam dubito quin mysterium aliquod lateat in illo trigono, quod in medio hypocrateridii apparet: cum esset priscæ philosophiæ commentum, trigono maximo æquilatere tria contineri elementa ignis, aeris & aquæ, ex aliis trigonis composita, & nescio quæ alia somniantis hominis figmenta.

Superiori crurum sive Ancularum parte sculpta sunt caprina capita tum in hoc tripode, tum in aliis quos exhibent numismata: quod referendum ad originem oraculi Delphici a Capris inventi: quanquam & alia, forte tantum ornamenti gratia, Leonum, Gryphumque exprimantur.

II. In hoc vero secundo Tripode plicatili, qui fuit olim Equitis Gualdi, non brutorum sed fœminarum sculpta sunt capita, quæ vel tres Triopes filiæ sunt, quæ teste Porphyrio Apollinem in tripode suo sepultum planxerunt; vel etiam tres Pythonissæ, quæ diu simul in templo Delphico ministrarunt: vel tandem Bacchantes uvis coronatæ. Baccho enim tripodem etiam tribuit Athenæus. *In Bacchi*, inquit, *certaminibus victoris præmium est tripus: nam qui vera fantur, e tripode loqui dicimus*, & alia superius citata.

III. Omnino tandem in hoc tertio tripode tres illas Pythonissas repræsentari puto, vel tres Triopes filias, quæ adornando tripodi incumbere videntur. Hunc Tripodem ex Manuscripto D. de Bagarris exhibemus, qui eum Romæ in Palatio Strozzi delineaverat ex antiquo Toreumate: hancque dissertationem fere totam ex Peireskii schedis.




MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUARTA.

ILLUSTRIUM VIRORUM CAPITA MONUMENTAQUE.

Agaſias Doſithei,
& Agaſias Menophili, Sculptores.

Romæ.
Sub Statua gladiatoris in villa Borgheſia.



Id eſt
Agaſias Doſithei filius *Epheſius fecit.*

AGASIAS Sculptor eximius ignotus nobis eſſet, niſi nomen ſuum inſcripſiſſet elegantiſſimæ Statuæ gladiatoris, quæ in villa Borgheſia cernitur. Epheſius fuit, Græcorumque peritiæ non indignus alumnus, inter quos Epheſii, Rhodii, Athenienſes, alios præcellebant, ut ex eorum operibus quæ Romæ viſuntur intelligitur.

Alterius *Agaſiæ* Menophili filii, Epheſiique Statuarii meminit ſequens Inſcriptio, a Gronovio in notis ad Plinium relata.

Amſtelodami, apud Vitzium ex Aſia allata.

ΓΑΙΟΝ ΒΙΛΛΙΗΝΟΝ ΓΑΙΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ

ΡΩΜΑΙΩΝ ΟΙ ΕΝ ΔΗΛΩΙ ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ

ΕΝΕΚΕΝ ΤΗΣ ΕΙΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΑΝΕΘΗΚΑΝ

ΑΓΑΣΙΑΣ ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

ΑΡΙΣΤΑΝΔΡΟΣ ΣΚΟΠΑ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ

Id eſt,

Gajum Billienum Gaii filium Legatum Romanorum, ii qui in Delo operantur, Benefactorum cauſa in eos collatorum hac Statua venerati ſunt, *Agaſias Menophili filius Epheſius fecit, Ariſtander Scopæ Parius curam habuit.*

Apollonius *Sculptor*.

ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ


Id eſt:

Apollonius Neſtoris filius *Athenienſis fecit*.

Apollonius primi ordinis Sculptor Athenienſis, nomen ſuum inſcripſit, ut hic exhibemus, ſub ea Figura truncata in Vaticano tantopere a Michaele Angelo æſtimata, unde ab eo tempore *il torſo di Michel Angelo* dicta eſt. Idemque inſcripſit elegantiſſimæ Æſculapii Statuæ pariter mutilæ in Palatio Cardinalis defuncti Camilli Maximi. Sitne idem ac ſequens non mihi conſtat: Sculptores enim aliquando etiam erant gemmarum cælatores.

Dioſcorides, Apollonius, & Micon gemmarum Cælatores.

Gemmæ, olim apud Fulv. Urſin.



Dioſcoridis eximii gemmarum cælatoris mentio eſt apud Plinium lib. 36. & apud Suetonium, qui in Auguſti vita ait hunc Imperatorem in ſigillandis literis, uſum eſſe Dioſcoridis manu ſculpta imagine ſua: cujus & hic Mercurius dicendus eſt. Vidi & in cimeliarchio D. Thoſſantii Lauthier Aquis ſextiis, præſtantiſſimum Amethyſtum Solonis caput repræſentantem, a Dioſcoride qui ei nomen ſuum expreſſit cælatum, pluribuſque aureis æſtimatum.

Apollonidis celebris gemmarum Cælatoris mentio eſt apud Plinium lib. 36. Unde ſuſpicari licet hic forte erratum in nomine & Apollonium pro Apollonide ſubſtitutum. Si tamen diverſum quis ſentiat, non refragabor, modo peritiſſimum etiam Cælatorem fuiſſe fateatur. Hæc enim uncialis magnitudinis gemma annulo incluſa aureo, fuit olim a Fulvio Urſino centum aureis empta ob venuſtatem tum gemmæ tum cælaturæ. De his majoris molis annulis, Plin. lib. 33. *Jam*, inquit, *alii pondera eorum oſtendunt*. Juvenalis, Sat. 1. *Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ*: Idem: *Ciceroni nemo ducentos nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens*. Diana autem montana ut in Græco epigrammate nominatur ΑΡΤΕΜΙΣ ΟΡΕΙΤΗΣ, heic ſculpta cernitur, Pharetram a tergo geſtans, dextra neſcio an arcum. Succincta veſte ad venationem apta, ſemitectiſque femoribus, ut ait Arnob. lib. 6. Notandum Lud. Demontioſium qui has duas gemmas viderat, in hac legiſſe ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ.

Myconis celebris Pictoris Athenienſis mentionem facit non uno loco Plinius; item Myconis Statuarii, quem Pauſanias in Eliacis dicit Statuam equeſtrem feciſſe Hieroni Syracuſano. De vinea cujuſdam Myconis, forte ejuſdem, Theocritus Idyll. 5. ſed an aliquis ex iſtis gemmam hanc cælaverit temerarium erit pronunciare, nullo alio argumento quam nominis ſimilitudine, quæ inter Græcos non raro occurrit. Caput videtur eſſe alicujus Conſulis Romani.

Archelaus *Sculptor*.

Romæ, marmor elegans Homerum exhibens, cui corona capiti imponitur circumſtantibus plurimis Artium, Virtutum, Muſarumque ſimulachris, adjecto Sculptoris nomine.

ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΕΠΟΙΗΣΕ ΠΡΙΗΝΕΥΣ

Id eſt,

Archelaus Apollonii filius *Prienenſis fecit*.

Archelaus Sculptor fueritne prædicti Apollonii cælatoris filius, an alterius dubium eſt. Uterque ſane Græcus & in arte ſua peritus. Apollonios plures memorat Suidas, ſed Philoſophos; Archelaum item Apollodori filium Mileſium Philoſophum. Priene una erat ex duodecim Joniæ urbibus, non longe a Mileto.

Aurelius Symmachus.

Romæ.

Effossa in monte Cælio ann. 1617.

EVSEBII
Q. VALERIO SYMMACHO V. C.
QVAEST. PRAEF. PONTIFICI
MAIORI CORRECTORI
LVCANIAE ET BRVTTIORVM
COMITI ORDINIS TERTII
PROCONS. AFRICAE PRAEF.
VRB. COS. ORDINARIO
ORATORI DISERTISSIMO
Q. FAB. MEMM. SYMMACHVS
V. C. PATRI OPTIMO

Ex Gualtheri Tabul. Sicil. & Vossio de Historicis Latinis.

Quintus Aurelius Symmachus Præfectus urbis anno 365. sub Valentiniano I. & Consul. ann. 330. sub Constantino M. Pater Q. Fabii Memmii Symmachi, cujus extant Epistolæ.

Virius Nicomachus.

Ibidem.


VIRIO NICOMACHO FLAVIANO V. C.
QVAEST. PRAET. PONTIF. MAIORI
CONSVLARI SICILIAE
VICARIO AFRICAE
QVAESTORI INTRA PALATIVM
PRAEF. PRAET. ITERVM COS. ORD.
HISTORICO DISERTISSIMO
Q. FABIVS MEMMIVS SYMMACHVS V. C.
PROSOCERO OPTIMO

Ex iisdem.

Virius Nicomachus Flavianus fuit Præfectus Prætorio Italiæ anno Christi 391. ad cujus filium Symmachi Epistolæ lib. 2. De hoc & superiore vide Ægidii Lacarry Historiam Christianam sub Præfectis Prætorio.

Cleomenes.

Romæ, in villa Montalto, sub Statua pulcherrima Germanici nudi.


ΚΛΕΟΜΕΝΗΣ
ΚΛΕΟΜΕΝΟΥΣ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ Ε
ΠΟΙΗΣΕΝ

Id est,

Cleomenes Cleomenis filius Atheniensis fecit.

Cleomenes Atheniensis peritissimus Statuarius omittendus non erat: ex ejus enim exquisito opere ipsius peritia dignoscitur. Vixisse autem Germanici tempore verisimile est, eo quod illius sculpserit Statuam. Cleomenis Sculptoris qui Thespiades Musas fecerat meminit Plinius lib. 36. cap. 5. qui alteruter horum, pater vel filius fuisse videtur.

Cæcilius Novatilianus.

Beneventi, basis.

Marco	M. CAECILIO. NOVATILIANO.
	C V R.
	POETAE. ET. ORATORI. IN
Viro Clarissimo	LVSTRI. V. C. ALLECTO. IN
	TER. CONSVLARES. PRAESI
	DI. PROV. MOES. QVAESTO
	RI. AFRICAE. PRAEFECTO
Jurisdicundi Hispaniæ citerioris	IVRISD. HISPAN. CIT. ET
	CALABRIAE
	SPLENDIDISSIMVS. ORDO. BENEVEN
	TANORVM. PRIVATIM. ET. PVB
Posuit decreto	LICE. PATROCINIO. EIVS. SAE
Decurionum.	PE. DEFENSI P. D. D.

Ex Gualtheri Tabulis Siciliæ.

Diogenes

Diogenes in dolio.

Marmor Antiquum, Romæ.




Diogenes in dolio cum baculo & pera Philosophica, assidente cane. Hinc discimus fictile dolium fuisse, non ligneum quod ex viminibus commissurisque cognosceretur. Unde Juvenal. Satyr. 14. *Dolia nudi non ardent Cynici, &c. Sentit Alexander testa cum vidit in illa.* Doliis autem hujusmodi servabatur olim vinum & aqua, ut ait Plinius lib. 35. cap. 12. Defodiebanturque in terra, ut ait J. C. de fundo instructo & de contr. empt. Utebantur & ad frumentum servandum, J. C. Julianus, & Capitolinus in Antonino Pio, inter omina imperii ejus: *Et in Hetruria dolia quæ defossa fuerant, supra terram reperta sunt.* Romæ hodie etiamnum ad aquam utuntur. Ausonius de Diogene:

Diogenes cui pera penus, cui dolia sedes,
Additus est justæ nunc canis Erigonæ.

Peram & baculum cum pallio Monachis Eremicolis Ægypti, qui Christianorum Philosophi erant, tribuit Cassianus, lib. 1. Institut. Monachor. Hieronymus de Diogene loquens 2. contra Jovinianum: *Habitabat autem in portarum vestibulis & porticibus civitatum, cumque se contorqueret in dolio,* &c. quod marmor nostrum illustrat; est enim Templi alicujus vestibulum. *Quocirca,* inquit Laertius, *ajebat Athenienses, Jovis porticum ostendens, sibi condidisse palatium ubi vesceretur.* Filius erat Icesii urbe Sinopo natus, ut habent inscriptiones capitis ejus, quod Romæ cernitur, item & gemma antiqua, quam ante quinquennium contrectavi.

Florentiæ, apud Card. Mediceum.



Reperitur in eum epigramma incisum antiquis marmoribus, quod habetur in Epigrammatum Anthologia. Marmor Patavii citat Sertorius Ursatus Antiquarius eruditissimus, & ego simile exscripsi:

Venetiis, ad piscinam Sancti Moysis, in domo quæ erat Erizzorum, suprastante Cane.

ΕΙΠΕ ΚΙΩΝ ΤΙΝΟΣ ΑΝΔΡΟΣ ΕΦΕΣΤΟΣ ΣΗΜΑ ΦΥΛΑΣΣΕΙΣ
ΤΟΥ ΚΥΝΟΣ ΑΛΛΑ ΤΙΣ ΗΝ ΟΥΤΟΣ ΑΝΗΡ Ο ΚΥΩΝ
ΔΙΟΓΕΝΗΣ ΓΕΝΟΣ ΕΙΠΕ ΣΙΝΩΠΕΥΣ ΟΣ ΠΙΘΟΝ ΩΚΕΙ
ΚΑΙ ΜΑΛΑ ΝΥΝ ΔΕ ΘΑΝΩΝ ΑΣΤΕΡΑΣ ΟΙΚΟΝ ΕΧΕΙ

Eſt veluti dialogus viatoris qui marmor inſpicit, & canis in eo ſculpti. *Dic canis, cujus viri monumentum diligenter cuſtodis?* R. *Canis*. *Sed quiſnam eſt iſte vir, o Canis?* R. *Diogenes*. *Dic mihi cujas erat*. R. *Sinopenſis*. *Ille autem qui dolium inhabitabat, nunc mortuus Aſtra pro domicilio poſſidet*. De eo qui plura velit, adeat Diogenem Laertium, qui ejus vitam deſcripſit.

Dion.

Romæ, in villa Matthæi.

ΔΙΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ
ΣΘΕΝΝΙΣ ΕΠΟΙΕΙ

Id eſt,

Dion Philoſophus Epheſius, Sthennis fecit.

Dionis hujus Philoſophi Epheſii nemo quod ſciam adhuc meminit. Suidas plures memorat hujus nominis: Dionem Hipparini filium Syracuſanum, Philoſophum Platonicum: Dionem Coccejum patria Nicænum qui Romanam hiſtoriam ſcripſit: Dionem Paſicratis filium Pruſæum Sophiſtam ac Philoſophum, quem & Chryſoſtomum cognominarunt. Coccejus lib. 39. Dionem quemdam refert Alexandrinum legatum ad Romanos, Ptolomæi Auletis tempore. Dionis Epidaurii mentio eſt apud Pauſaniam. Dionis Diapyri apud Athenæum, lib. 9. & Dionis Chii qui primus Bacchicum Spondæum tibia cecinit, lib. 14.

De *Sthenni* etiam nihil habeo quod proferam. Is videtur vel Sculptor fuiſſe qui Dionis Statuam fecisſet, vel Architectus qui monumentum aliquod,in quo Dionis & aliorum inſculpta erant nomina, erexerat. Tales enim lapides ſex aut ſeptem extant ſimul in villa Matthæi, quos ſuo referemus loco. Forte etiam Sthennis ille idem eſt quem Plinius Sthenim vocat Lyſiſtrati fratrem, Sculptorem Alexandri Magni tempore florentem, circa Olympiadem 114.

Hephæſtion & Myron.

In Inſula Delo, baſis.

ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ ΜΥΡΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

Id eſt,

Hephæſtion Myronis filius *Athenienſis fecit.*


Hephæſtion qui proculdubio Statuam aliquam huic impoſitam baſi in Inſula Delo ſculpſerat, Athenis artium Magiſtra urbe natus, nullum nactus eſt Hiſtoricum qui ejus meminerit, imo nec ſupereſt Statua ex qua, tanquam ex ungue leonem, hujus artificis induſtriam cognoſcere valeamus. Myron autem ipſius parens, percelebris erat Statuarius, Polycleti contemporaneus, qui circa Olympiadem LXXXVIII floruit: cujus operum meminere Plinius lib. 34. & Pauſanias. Eleutheris natus erat, ut ait Plinius; at Pauſanias eum Athenienſem perpetuo vocat; eo quod Eleutherienſes Athenas ſponte migraverint, & ideo pro Athenienſibus ſint habiti. Extat Viennæ Allobrogum baſis Statuæ quam ſculpſerat. Adſunt enim hæ literæ.

Μ Υ Ρ Ω Ν Ο Σ

De qua conſulendus Eruditiſſimus Chorerius in Viennenſium antiquitatibus.

Leochares.

Romæ, in hortis Medicis.




Id eſt,

Ganymedes Leocharis Athenienſis.

Leochares floruit Olympiade CII. & ſequentibus, ut refert Plinius, lib. 34. Fuit is inter nobiliores æſtimatus, ita ut Regina Artemiſia eum cum tribus aliis vocarit ad Mauſolei ſculpturam, ut idem memorat Author lib. 36. Verum ex hoc marmore alius Plinii locus emendandus, lib. 34. cap. 8. *Leocras*, ſed repono, Leochares *aquilam ſentientem quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, parcentem unguibus etiam per veſtem ſculpſit*. Unde non dubito quin hujus eximii operis ſuperſtes hæc baſis fuerit. Leocharis opera quædam recenſet Pauſanias in Græciæ deſcriptione, & inter alia Jovis, Amyntæ, Philippi, & Alexandri Statuas. Plinius vero loco citato præter Ganymedem iſtum, puerum Autolycum pancratio victorem, Jovem Tonantem in Capitolio, & Apollinem diadematum.

Maximus Tianus.

Athenis.



Maximi Philoſophi Juliani tempore florentis, Nymphidiani atque Claudiani fratris, Smyrnæorum, meminit Eunapius in vitis Philoſophorum, ſed iſne idem ſit ac iſte qui Tianus hic cognominatur, me prorſus latet.

Matrinius.

Romæ.

SOMNO AETERNALI
C. MATRINI VALEN
TIS PHILOSOPHI EPICVR.
VIX. ANN. XXXIX.
M. VI. D. VII.
HOR. VIII.
MATRINIA CONIV
GI INFELICISSIM.
IN FR. P. III. IN AGR. P. VIII.

Ex ſchedis Barberinis.

Cajus Matrinius Valens Philoſophus Epicureus æterno ſepultus ſomno foret, niſi lapis hic eum a tenebris vindicaret. Athenagoras in oratione pro Chriſtianis apud Juſtinum, dicit Epicureos mortem profundum ſomnum & oblivionem eſſe cenſere, ſunt enim *fratres ſomnus, morſque ipſa gemelli.* Unde alius, *ſtulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?* Virgil. *Et conſanguineus lethi ſopor.* Pauſanias germanos eſſe dicit & ſimulachra conjuncta habuiſſe. Horatius moribus nonnihil Epicureis: *Ergo Quintilium perpetuus ſopor urget.* Inſcriptiones antiquæ. QVOS DII IRATI VNO DIE AETERNO SOMNO DEDERVNT. In Manuſcriptis Ligorii SOMNO AETERNALI IVLIAE FORTVNATAE, &c. SOMNO AETERNALI Q. POMPEIO ZOSIMO, &c. Inedita pariter & marmora ſequentia.

Florentiæ, in villa Strozzi.

D. SOMNO AETERNALI M.
AVRELIVS ABASCANTVS
AVG. LIB. ET FORTVNATA
AVG. LIB. FECER. SE VIBI
SVISQVE LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM

Exſcripſi.

Romæ, in Palatio Ducis Monti.

SOMNO AETERNA
LI IVLIAE EVTERPE
MATRI DVLCISSIM.
VLPIA PAVLINA
FECIT ET SIBI ET
LIB. LIBERTA
BVSQVE POSTERIS
QVE EORVM

Exſcripſi.

Romæ, in hortis Juſtinian.

SOMNO SEPVLCHRO
AETERNALI SACRVM
EVTYCHIAE QVAE
VIXIT ANNIS XXX
ONESIMVS CONIV
GI DVLCISSIMAE
ET SIBI AMANTIS
SIMAE FECIT

Exſcripſi.

Florentiæ, in horto Marq. Corſini.

D. M.
SOMNO PERPETOALI
L. IVLIVS EVCARPVS
VIVVS FECIT SIBI ET
IVLIAE POLITICENI
CONIVGI SVAE ET
IVLIO SAGARIANO FL. *
LIBERTIS LIBERTABVS
QVE POSTERISQVE
EORVM

Exſcripſi.

* *ſic*

Messius Egnatius Lollianus.

Suessæ.

MAVORTI
Q. F. MESSIO EGNATIO LOLLIANO
Viro Clarissimo V. C.
Quæstori Kandidato Q. K. PRAEFECTO VRBANO
QVIRITIVM COMITI
Populi Rom. AVGVRI PVBLICO P. R.
D. D. NN. AVG. FIL. CAESARVM
CVRATORI ALVEI TIBERIS
ET CLOACARVM SACRAE VRBIS
CVRATORI OPERVM PVBLICORVM
CONSVLARI AQVARVM
Minuciæ ET MINVC. CONSVLARI CAMPANIAE
ORDO POPVLVSQVE
SVESSANVS

Ex Capacio.

Sic legendum Inscriptionis initium, *Mavortio Quinti filio Messio Egnatio Lolliano Viro Clarissimo Quæstori Kandidato*. Fuit autem is *Mavortius Lollianus*, Præfectus urbis Romæ Anno Christi 340. sub Constante. *Candidati* dicebantur, qui munera quædam publica, Magistratusque petebant, eo quod candida toga tunc indui solerent: de quibus vide Rosini Antiquitates Romanas, lib. 7. cap. 8. *Suessa*, Urbs & Colonia Campaniæ antiquissima, *Pometia* Plinio & Tacito dicta, *Aurunca* vero Livio.

Flavius Peregrinus Saturninus.

Romæ, in villa Matthæi.

FL. PEREGRINO SATVRNINO
A PRIMIS ADVLESCENTIAE SVAE ANNIS
PACE BELLOQVE IN REPVBLICA DESV
DANTI POST IVGES EXCVBIAS MILITIAE
TRIBVNO MILITVM COMITI ORDINIS
PRIMI MODERANTI INLVSTREM SACRI
PATRIMONII COMITIVAM SECVNDO VRBI
PRAEFECTO CVIVS OB TESTIMONIVM MORVM
INTEGRITATIS ADQVE IVSTITIAE
SINGVLARIS INLVSTRIS VRBANAE
PRAEFECTVRAE GEMINAM DIGNITATEM
SACRO IVDICIO AETERNI PRINCIPES
DETVLERVNT MERITORVMQVE INSIGNIVM
CONTEMPLATIONE AD POSTERITATIS
MEMORIAM DECORANDAM STATVAM
SVB AVRO FVLGENTEM IN FORO DIVI TRAIANI
ERIGI CONLOCARIQVE IVSSERVNT

Exscripsi.

Flavius Peregrinus Saturninus bis Præfectus urbis Romæ, ultima quidem vice sub Valentiniano II. anno Christi 382. Ergo ipsi statua erecta regnantibus simul, Valentiniano juniore, Theodosio & Arcadio. *Statua sub auro fulgens*, id est deaurata, vel sicuti in antiquis Inscriptionibus loquebantur, Statua *auro illustris*, *auro superfusa*, *sub auro*, & *in auro*.

Lucius Scipio.

Romæ reperta anno 1616.

HONC. OINO. PLOIRVME. COSENTIVNT. R
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONEM. FILIOS. BARBATI.
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVET
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE
DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO

Fuit hæc Inscriptio a Sirmondo antiquissima putata, sicque ab eo explicata.

Hunc unum plurimi consentiunt Romæ
Bonorum optimum fuisse virum
Lucium Scipionem; filius Barbati,
Consul, Censor, Ædilis hic fuit:
Hic cepit Corsicam Aleriamque urbem:
Dedit tempestatibus ædem merito.

At de hujus antiquitate dubitant alii, inter quos vir quidam Eruditus, Batelerius nempe, cujus extat Epistola ad Puteanum inter schedas Peireskianas, qua eam rejicere conatur ob allatas multas rationes tum grammaticales tum historicas.

Midas Phrygiæ Rex. Nausicaa Alcinoi Regis filia.

Ex duobus nummis perraris.




1. Insignem & perrarum huncce nummum D. de Chevane Divionensis possidet. Exhibet autem ex una parte *Midam* Phrygiæ Regem apud Mythologos celebratum. Pileum gestat in anteriora recidentem, qui Phrygiorum mos erat, ut videre est in nummo Hadriani RESTITVTORI PHRYGIAE, aliisque nummis Iliensium in quibus Æneas. Depingitur barba capillisque brevibus ac crispis non injucunde ornatus: at non auriculis illis asininis, quas ludentes Poetæ ipsi affixerunt: idque proculdubio a populis regionis illius tanquam ineptum falsumque creditum, & MIΔAC BACIΛEYC *Midas Rex* ideo ab iis, non diversa ab aliis hominibus facie expressus, venerationem suam erga priscum Heroem suum testaturis: quænam autem urbs inter hos Phrygiæ incolas nummum cuderit, invidit ærugo: legi enim tantum potest .... IHCCEΩN. Figura illa stans dextra bilancem tenens monetam aliquando designat, aliquando & justitiam, quæ si ad Midam relationem habet, justitiam ejus immerito suggillatam a Poetis, indicare voluisse censeo hosce Græcos, qui nummum publicarunt.

2. *Nausicaam* Phæacorum Regis Alcinoi filiam elegans hic nummus exhibet. Heroidis nomine eam celebrat, eademque est quæ Ulyssi naufragio ad Phæaciam sive Corcyram insulam delato occurrit, ut narrat Homerus, quæque eum Patri suo commendavit. At nummus, ut pars aversa docet, a Mytilenensibus cusus, sub militiæ duce Hierocle: ΕΠΙCΤΡΑΤηγε ΙΕΡΟΚΛεως ΜΥΤΙΛηναιων. Est figura illa sedens

Sappho quam Mytilenenses in suis cudebant nummis, eo quod esset Mytilenis in illorum Insula Lesbo nata: ut testantur Aristoteles lib. 20. Rhet. & Julius Pollux: οἱ Μυτιληναῖοι, inquit iste, lib. 9. Σαπφῶ τῷ νομίσματι ἐνεχάραττον. Confirmant numismata Mytilenæorum, unumque argenteum extat apud Fulvium Ursinum in Virorum Illustrium imaginibus. Lyra quæ inter manus ejus est, Poetas Lyricos denotat inter quos celebris fuit. Plectrum Sapphonis inventum Græci scriptores memorant, & Sapphicum quoque metrum ab ipsa dictum fuisse. Periit submersa cum se e Leucade insula regni Ulyssis in mare præcipitasset: unde memoriam ejus renovari, in Corcyreensis Heroidis nummo non absurdum est, cum sint vicinæ insulæ Corcyra & Leucas, cumque etiam fortassis inter hasce duas illustres virgines similitudinem quandam animadvertissent Mytilenæi. Dissimulare non debeo, Clarissimo Patino hanc figuram sedentem, quam Sapphonem esse dixi, Apollinem videri Mytilenis cultum; at vestiri Apollinem stola ad pedes usque, eique comam non humeris sparsam, vix mihi persuadere possum: adde quod citati Aristoteles & Pollux, meam opinionem non parum confirment. Reperitur autem hic nummus Bononiæ apud Alexandrum Nigri, qui typi ejus copiam mihi dedit; & in Thesauro Regio Ludovici XIV.

Nicomedes *Medicus*.

Romæ.



Θ. K.
CTHΛHN ЄΘHKAN
NIKOMHΔEI CYΓΓЄ
NЄIC OCHN APICTOC
IHTPOC ЄN ZΩOIC
OY HN ΠOΛΛOYC TЄ
CωCAC ΦAPMA
KOIC ANωΔYNOIC
ANωΔYNON TO Cω
MA NYN ЄXЄI ΘANωN
ЄYΨYXω NIKOMHΔHC
OCTIC OYK ΗΜΗΝ KAI ЄΓЄNO
MHN OYK ЄIMI KAI OYΛY
ΠOYMAI ZHCAC ЄTH MΔ
KAI HMЄPAC KΓ

Id est,

Diis Manibus.

Cippum posuerunt
Nicomedi Affines ejus,
qui erat optimus
Medicus in vivis cum
esset: Multos autem
servans remediis
Anodynis (seu dolorem sedantibus)
Anodynum (seu dolore expers)
corpus nunc habet mortuus.
Bono animo sum Nicomedes,

quia non eram & natus sum,
non sum & non contristor,
Vixi annos XLIV. &
dies XXIII.

Nicomedes Medicus Smyrnæus artem suam Romæ exercens eleganti elogio hic excipitur, dum multos, ait epigramma, servans remediis anodynis anodynum, hoc est sine dolore, corpus nunc habet mortuus. Videtur autem vixisse circa Gallieni tempora, ob literas illas rotundas C pro Σ, & ∈ pro E, & ω pro Ω quæ tunc, ut ex nummis patet, usurpabantur: imo & jam imperantibus Antoninis, etsi equidem rarius. Græcorum sane amicus erat Gallienus. Athenis Archon esse voluit, mysteriisque initiari. Smyrnæis, ni fallor, benefecerat, eorum Theatrum restaurando, dum enim a Turcis ante aliquot annos destrueretur, reperta ibi infinita nummorum Gallieni quantitas, imo & aliorum illius temporis Tyrannorum, sed multo plures Gallieni. Nicomedis hujus ecce duo alia epigrammata unicæ basi insculpta.

Romæ.

Eruta basis ex vicinia Thermarum Trajani.

Tω CωTHPI ACKΛHΠIω CωCTPA KAI
XAPICTHPIA NIKOMHΔHC O IATPOC
TAN ΠAIΔOC KAΛΛICTAN
∈IKωTAN ΔE Θ∈OIO
ΠAIANOC KOYPOY MATPOC AΠAPTITOKOY
ΔAIΔAΛΛΩN M∈POΠ∈CCIN
∈MHCAO C∈IOBOHΘ∈
∈YΠAΛAMOY COφIHC
MNAMA KAI ∈CCOM∈NOIC
ΘHK∈ Δ OMOY NOYCωN T∈
KAKωN ZωAΓPIA NIKO
MHΔHC KAI X∈IPωN
Δ∈IΓMA ΠAΛAIΓ∈N∈ωN

Id est,

Æsculapio servatori donaria pro salute restituta, gratiarumque actione Nicomedes Medicus offert. *Pulcherrimam hanc imaginem pueri Dei Pæanis,* (id est, Apollinis) *filii matris quæ cito peperit, adornans mortalibus effinxisti Seioboethe* (Sculptoris nomen) *artificiosæ scientiæ tuæ monumentum etiam posteris. Posuit autem Nicomedes, ut esset simul liberationis pretium a malis morbis, & manuum specimen antiquarum.*

Ex

Ex altera parte Basis.

Τω ΒΑCΙΛΕΙ ΑCΚΛΗΠΙω CωCΤΡΑ ΚΑΙ ΧΑΡΙCΤΗ
ΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗC CΜΥΡΝΑΙΟC ΙΑΤΡΟC
ΟΙΟΝ ΕΜΑΙΟCΑΝΤΟ ΝΕΟΝ ΤΟΚΟΝ
ΕΙΛΕΙΘΥΙΑΙ
ΕΚ ΦΛΕΓΥΟΥ ΚΟΥΡΗC φΟΙΒω
ΑΚΕΙΡΕΚΟΜΗ
ΤΟΙΟΝ ΤΟΙ ΠΑΙΑΝ ΑCΚΛΗΠΙΕ
CΕΙΟΒΟΗΘΟC
ΧΕΙΡΟC ΑΓΑΛΜ ΑΓΑΘΗC ΤΕΥΞΕΝ
ΕΑΙC ΠΡΑΠΙCΙΝ
ΝΗω Δ ΕΝ Τω ΔΕ ΖωΑΓΡΙΑ ΘΗΚΕΝ
ΟΡΑCΘΑΙ
ΠΟΛΛΑΚΙ CΑΙC ΒΟΥΛΑΙC
ΝΟΥCωΝ ΛΛΕΥΑΜΕΝΟC
CΟC ΘΕΡΑΠωΝ ΕΥΧΗC ΟΛΙΓΑΝ
ΔΟCΙΝ ΟΙΑ ΘΕΟΙCΙΝ
ΑΝΔΡΕC ΕΦΗΜΕΡΙΟΙ ΤωΝ ΔΕ
ΦΕΡΟΥCΙ ΧΑΡΙΝ

Id est,

Regi Æsculapio dona pro salute, gratiarumque
Actione Nicomedes Smyrnæus Medicus consecrat.
Qualem obstetricatæ sunt recens natum Ilithyæ
Ex Phlegyæ filia, Phœboque intonso,
Talem tibi Pæan Æsculapie Seioboethus
Manu erudita Statuam industrie sculpsit.
Hoc vero in templo pro mercede salutis posuit conspiciendam,
Tuis sæpe consiliis expulso morbo,
Tuus Cliens tenue pro voto donum, qualia Diis
Viri Mortales horum gratia offerunt.

Æsculapius natus erat ex Apolline & Coronide Phlegyæ filia, ut ait Hyginus. Basis igitur hæc ferebat Æsculapii Statuam, ob sanitatem recuperatam a Nicomede Medico dedicatam: utrumque enim numen sanitati præesse credebatur. De Apolline Ovidius:

Inventum Medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Apollo vero filium suum Æsculapium Chironi Centauro erudiendum in Medicina tradidit, qui in ea ita peritus evasit, ut deinde hujus scientiæ Deus existimatus fuerit: quapropter Hippocrates discipulos suos hocce jurejurando obligabat: *Per Apollinem Medicum & Æsculapium, Hygiamque & Panaceam jurejurando affirmo, & Deos Deasque omnes testor*, &c.

Publius Plotius Romanus.

Romæ, in horto Barberino.

P. PLOTIVS ROMANVS COS. SODAL. AVG. CL.
LEG. AVG. PR. PR. PROV. ARAB. ITEM GAL.
PRAEF. AER. SAT. LEG. AVG. CENS. ACC. HISP. CIT.
IVR. PER AEM. LIG. CVR. VIAE LABIC. CVR. VERG.
PR. VRB. TRIB. PL. Q. KAND. VI VIR EQ. R. TVR. II.
TRIB. MIL. LEG. I. MIN. ET II. ADI. ET IIII. V. V. CVR.

Exscripsi.

Ita autem legenda sine abbreviationibus.

Publius Plotius Romanus, Consul, Sodalis Augustalis Claudialis,
Legatus Augusti Pro-Prætore Provinciæ Arabiæ, Item Galliæ,
Præfectus Ærarii Saturni, Legatus Augusti censibus accipiendis Hispaniæ citerioris,
Juridicus per Æmiliam, Liguriam, Curator viæ Labicanæ, Curator Vergiliæ,
Prætor Urbanus, Tribunus plebis, Quæstor Kandidatus, Sextumvir, Eques Romanus Turmæ secundæ,
Tribunus militum Legionum primæ Minerviæ & secundæ Adjutricis, & quartæ Valeriæ Victricis Cyrenaicæ.

Salpion.

Salpion *Atheniensis Sculptor eximius, vide supra, initio Sect. II.*

Silianus.

Gruterus post Fulvium Ursinum citat Inscriptionem quæ sic habet, Γ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΙΛΙΑΝΟΣ ΙΑΤΡΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ, *Cajus Silianus Medicus Ephesius*. Ego vero sequentem repperi ejusdem Viri, qui dum juvenis esset, Deabus Cereri & Proserpinæ consecratus a parentibus fuerat.


Eleusi.	Id est,
ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙ ΚΛΑΥΔΙΑ	*Claudius & Claudia*
Γ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΙΛΙ	*Caium Claudium Sili-*
ΑΝΟΝ ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΝ	*anum Polycritum*
ΤΟΝ ΥΙΟΝ ΜΥΗΘΕΝΤΑ	*filium suum initiatum*
ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΤΑΙΝ ΘΕ	*a foco Deabus* (Cereri &
ΑΙΝ ΑΝΕΘΗΚΑΝ	Proserpinæ) *consecrarunt*
ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΚΛΑΥΔΙΑΣ	*sub Sacerdotio Claudiæ*
ΤΕΙΜΟΘΕΑΣ ΤΗΣ ΤΕΙΜΟ	*Timotheæ Timothei*
ΘΕΟΥ ΓΑΡΓΗΤΤΙΟΥ ΘΥ.	*Gargettii filiæ.*

ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ a Foco apud Suidam. *Ἀφ᾽ ἑςίας ἀπὸ τῆς οἰκίας ϗ ἀφ᾽ ἑςίας μυεῖσθαι ἀφ᾽ ἑςίας μυόμενο[s] ἀθηναῖος ὤν. A foco, a domo, & initiari a foco & initiatus a foco dicebatur* qui *Atheniensis erat*. Initio enim solum Atheniensibus, hisce mysteriis initiari fas erat: concessum deinde Herculi, Baccho, Dioscuris

Æsculapio & Hippocrati, imo & tandem omnibus peregrinis, præterquam Barbaris, homicidis & sceleratis. Videtur autem hæc Inscriptio non primis temporibus liberæ urbis sculpta, sed jam sub Romanorum potestate existentibus Athenis. Est enim Siliani nomen Romano more ex prænomine, & cognomine conflatum, Cajus Claudius Silianus, cui & agnomen Polycriti additur; quod antequam eos subegissent Romani non solebant Græci, uno contenti nomine. De Mysteriis Eleusiniis Consule Meursii Eleusinia. *Gargettus* Pagus erat Atheniensium Tribus Erechtheidis, patria Epicuri. Idem *Meursius de populis Atticæ*.

Timotheus.

Romæ, in villa Matthæi.




Id est,

Timotheus Atheniensis, Polycritus fecit.

Timotheus celebris fuit Atheniensium dux exercitus, Cononis filius, de quo Athenæus lib. 13. Timotheus quidem cum aliquando irrideretur, quod eum meretrix generasset, illi se gratiam habere dixit, quia propter eam Cononis esset filius. Fuit & alter Timotheus famosus tibicen, sed Milesius. Timothei etiam Statuarii meminit Plinius. Timothei Atheniensis ex Eumolpidarum gente & in Eleusi urbe cerimoniarum Antistitis, Tacitus sub finem histor. lib. 4. mentionem habet.

Theon.

Massiliæ apud Fouquerium, Smyrna allatum caput marmoreum.




Id est,
Theonem Platonicum Philosophum Sacerdos Theon, patrem suum veneratur.

Theones plures commemorat Suidas, Philofophos, Rhetoricofque, fed inter alios Theonem Platonicum Philofophum Smyrnæum, quem hunc effe non dubito, cum fit marmor iftud Smyrna Maffiliam allatum, ut ex ejus poffeffore intellexi. Præterquam autem Philofophum illum nominat Theon ipfius filius, barba & pallium Philofophicum ejus profeffionem fatis atteftantur. Hujus Viri Illuftris opera nonnulla nobis fuperfunt, præfertim Mathematica, ab Ifmaele Bullialdo edita, verfione, eruditiffimifque notis illuftrata, nonnullaque alia inedita, a Philippo Labbeo in Bibliotheca Manufcriptorum memorata.

Xenocrates.


Romæ, apud Fabricium de Maximis.



Deerat inter Virorum Illuftrium capita a Fulvio Urfino, Theodoroque Gallæo edita, *Xenocratis* Chalcedonii caput, quanquam illius cippum infcriptionemque referant hoc modo ΞΕΝΟΚΡΑΤΗϹ ΑΓΑΘΑΝΟΡΟϹ ΧΑΛΚΑΔΟΝΙΟϹ, *Xenocrates Agathanoris Chalcedonius*. Hujus Philofophi vitam defcripfit Diogenes Laertius, notatque illum, ut etiam ex hoc apparet marmore, fevero ac ferio habitu & ore femper fuiffe, ita ut fæpe ad illum Plato diceret, *Xenocrates gratiis facra facito*. Ejus etiam meminit Cicero, lib. I. Academicarum Quæftionum. *Nam cum Speufippum fororis filium, Plato Philofophiæ quafi hæredem reliquiffet: duos autem præftantiffimos ftudio atque doctrina Xenocratem Chalcedonium & Ariftotelem Stagiritem.* Et paulo poft: *Speufippus autem & Xenocrates, qui primi Platonis rationem, auctoritatemque fufceperant, & poft hos Polemo & Crates, unaque Crantor, in Academia congregati, diligenter ea, quæ a fuperioribus acceperant, tuebantur.* Habemus & elegantem gemmam a Chifletio in Socrate traditam, quæ Xenocratem exhibet afino infidentem, propter ingenii tarditatem. Diogenes enim Laertius in ejus vita, hebetem ingenio, ac tardum adeo fuiffe ait, ut dum illum Plato cum Ariftotele conferret, *alterum fræno, alterum indigere diceret calcaribus:* illudque, *cui equo quem ASINUM jungo!* Teftis eft Sidonius, *crure collecto*, pingi folitum: nec ratio in promptu, nifi forte ut in illa Sarda, ab æmulo Ariftotele, aut aliquo ex ejus Sectatoribus, afello infidens ac repræfentatus fuerit *crure collecto*, atque habitu mali fefforis.

Hyperides.

Romæ, in villa Matthæi.



Id eſt,

Hyperides Rhetor, Teuſiales fecit.

Hyperides celeberrimus Orator Athenienſis Platonis Auditor inter præcipuos decem Oratores numeratur.

Pythodoris.

Maſſiliæ, apud D. Fouquier.



Pythodoris iſte quiſnam fuerit non mihi conſtat. Videtur ſane Orator, Poeta, vel Dux aliquis Epheſius fuiſſe, eo quod ejus caput corona Lauri ſit redimitum, advectumque ſit hoc marmor ab Epheſo urbe, curante quondam D. Fouquier Maſſilienſi Smyrnæ Mercaturam exercente. De Pythodori quidem regina Ponti Polemonis uxore, Pythodorique Tralliani Viri opulentiſſimi filia paſſim Strabo; ſed quid hæc ad noſtrum propoſitum, quidve ipſius pater qui ΠΥΘΟΔΩΡΟΣ non Pythodoris vocabatur, ut apud Strabonem legitur, lib. 14. Geograph. niſi dicamus vel Marmorarii vel Authoris iſtius erratum eſſe. Pythodoros etiam duos Statuarios commemorat Plinius, lib. 36. cap. 5.

Lyſis.


Ibidem.


ΛΥΣΙΣ ΜΙΛΗΣΙΑ
ΔΗΜΟΚΡΙΤΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

Quænam ſit mulier iſta inter illuſtres Viros numerata, dicere pronum non eſt, nec quis ille Statuarius Architectuſve Democritus, qui ejus ſculpſerat imaginem.

Hippaſus.

Ibidem.


...ΠΟΣ ΙΠΠΑΣΟΥ ΠΕΛΟΠΟΝ...
ΚΑΛΑΜΙΣ ΕΠΟΙΕΙ

Id eſt,

. . . . . *pus Hippaſi* filius *Peloponneſiacus*; *Calamis fecit.*

Hippaſi Philoſophi Lacedæmonii meminit Diogenes Laertius: ſed marmor hocce in filii ejus memoriam ſculptum fuiſſe videtur: qui generico patriæ nomine Peloponneſiacus indigitatur. Calamidis etiam percelebris Statuarii mentionem facit Plinius, lib. 34. c. 8.

Pyrrhus.

Achates Pyrrhi caput exhibens.



Rariſſimam hanc gemmam hic delineari curavi, quæ antehac apud D. Cabrier Mercatorem Lugdunenſem reperiebatur, a Domino Gaillhard Anglo harum rerum curioſiſſimo peritiſſimoque fere centum coronatis empta. Caput exſculptum ſive extans eſt in Achate coloris albi ſuper fundo fuſco ac diaphano, eximii Sculptoris opus. Pyrrhi autem Protomen, ſive imaginem pectore tenus exhibere ſuſpicatus ſum, ex ſimilitudine tum ſtatuæ hic ſimul ſculptæ, tum picturæ ejus antiquæ apud Theodorum Gallæum ex orbe argenteo inter Virorum Illuſtrium monumenta repoſitæ. Caput galea ornatur, plumis ad ornatum decorata. Paludamentum ſive veſtis militaris circa humeros, pectuſque capitibus leoninis in folia ad latus deſinentibus, tum ad ornatum, tum ad terrorem incutiendum, variegatur: prout antiquis mos erat. Sed hæc vulgaria ſunt nimis, quam ut iis inſiſtere diutius debeamus.

Pyrrhi Statua Colossica:

Romæ, in Palatio Fabricii de Maximis.



Pyrrhi Epirotarum Regis caput ex Fulvii Ursini antiquo monumento sculpsit Theodorus Gallæus, sed hæc merebatur Statua quæ in æs incideretur, ut totus strenuissimi Ducis habitus bellicus cerneretur. Hujus enim militarem virtutem, quanquam ipsorum infensus hostis esset, mirabantur Romani, ideoque ipsius etiam Statuas sculpi curarunt, qualem hanc inter majores & elegantiores numerandam. Pyrrhi vitam qui scire voluerit Plutarchum adeat, aliosque graves Authores qui bella ejus describunt.

Homerus, Solon, Euclides, Plato, Sextus Chæronensis, & Frontinus.

Ex nummis perraris.



I. *Honerus* Musarum delicium, numismata in honorem suum cusa, dum in vivis superstes fuit, non vidit. A: bona posteritas tam chari capitis imaginem nepotibus traditura, illud persæpe ex marmore & ære sculpsit. Protomen marmoream quæ Romæ visitur, ostendit mihi Eruditissimus ac φιλομηρώπατος Abbas Pecoil Lugdunensis, quam illic delineatam ex itinere Italico redux secum attulerat. Nummos vero longe post ipsius obitum cudere inceperunt Græci, & præcipue urbes illæ quæ inter alias de illius natalibus disceptabant Chios & Smyrna, quorum aliquot recenset vir profundæ Eruditionis Ezechiel Spanhemius, Differtatione quinta de præstantia & usu numismatum. At hicce qui nunc exhibetur nummus ex Contorniatorum genere, a me Smyrnæ visus, ab aliis nondum traditus, elegans & infrequens est: videturque cusus ævo Constantiniano, quo tempore illud numismatum genus invaluit, forteque ab aliquo qui pugnam ludumve Equestrem vicerat in Homeri honorem dicatum: unde ab una parte Homeri caput adjuncta palma victoriæ præmio, ab altera fessilis equus ad manum deductus. *Apud Smyrnæos quidem numisma quoddam æreum*, inquit Strabo, *Homerejum vocabatur*: cujus nescio an mentio sit in Inscriptione a me descripta Lampsaci, alias inter marmora Græca referenda, in qua legitur ΤΟΥΣ ΟΜΗΡΟΥΣ.

II. *Solon* Salaminius notissimus Atheniensium Legislator in simili nummo depingitur, nec male a nobis Homero subjungitur, *cujus poemata*, inquit Laertius, *ut ordine resarcirentur scripsit, ut esset versuum sensuumque consequentia*. Ideo autem in hac nummorum specie, qui *Crotoniati* sive *Contorniati* vulgo audiunt Athletis frequentes, ejus facies signata est, quod ut idem asserit, *Athletarum præmia castigata moderatione correxisset, & quidem qui Olympia vicisset quingenta drachmas, qui vero Isthmia, dari centum constituisset, eademque ratione in certaminibus cæteris*. Quid enim aliud COMMUNITAS METROPOLITANORUM qui IN IONIA sunt, cum Solone commune habuerunt, nisi ut ludos aliquos exhibituri, in Jovis sui & Dianæ Ephesinæ cujus vicini erant honorem, hunc priscum Heroem Ludorum moderatorem venerarentur? De Ephesina autem, mammosaque Diana hominum nutrice, passim Mythologi & Numismatographi disseruerunt satis superque.

III. *Euclides* Megarensis celeberrimus Philosophus ac Mathematicus ab Hadriano in altera nummi parte cusus proculdubio fuit, eo quod hic Imperator, teste Spartiano, *fuerit litterarum omnium studiosissimus, Arithmeticæ, Geometriæ, Picturæ peritissimus*. Idemque *Mathesin sic scire sibi visus est, ut sero Calendis Januarii scripserit, quod ei toto anno posset evenire*. Unde *omnes Professores & honoravit*

& divites

& divites fecit, licet eos quaestionibus semper agitaverit. Prolixa autem barba, ut caeteri Philosophi, depingitur heic Euclides, laureato vero capite ut solebant Poetae, forte quia amatores dialogos, teste Laertio, scripserat: verum & alii Heroes laureati in antiquis Monumentis depinguntur.

IV. *Plato*, post Socratis mortem ad Euclidem venit, maternum genus à Solone ducens, Academicae disciplinae eximius Author, divinique cognomine donatus. In Altera numismatis sui parte ab Augusto Caesare exhibitus, eadem forte ratione qua Euclides ab Hadriano. Haberi enim volebat Philosophiae cultor assiduus, unde, inquit Suetonius, *multa varii generis prosa oratione composuit, ex quibus, nonnulla in coetu familiarium, velut in auditorio recitavit; sicut Rescripta Bruto de Catone: Item Hortationes ad Philosophiam.* Verum hic perelegans nummus fuse & erudite a Patino nostro peculiari dissertatione illustratus est; ideoque a fusiori explicatione abstinemus.

V. *Sextus* Chaeronensis Philosophus Plutarchi nepos in hoc rarissimo sistitur nummo. Hujus auditor erat in Philosophia Marcus Aurelius Antoninus Imperator, teste Capitolino. Non alium autem Sextum esse tribus potissimum suffultus rationibus asserere audeo. 1. Quod unico nomine ΣΕΞΣΤΟΣ hic nominetur, eadem Orthographia qua apud Suidam. 2. Quod nummi fabrica, viri hujusce barba, foeminaeque in aversa parte caesaries in nodum ad occiput religata, aetatem referant Marci Antonini Faustinaeque uxoris. 3. Quod pallium Philosophis usitatum, hujusce Sexti humeris impositum conspiciatur. ΣΕΞΣΤΟΝ autem hunc ΗΡΩΑ cognominari, indicio est post mortem ejus cusum fuisse nummum forte ab ejus filia vel uxore, cujus nomen detritum est.

VI. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟϹ ΑΝΘΥπατός, i.e. *Frontinus Proconsul a Smyrnaeis sub Praefectura* cujusdam *Myrti*, hocce nummo honoratus est, insolito aliis Proconsulibus honore. Nonnullorum enim nummos videmus a Provinciis cusos, sed solo nomine insignitos, non vero capite, quod Caesarum Principumque jus erat. Quamobrem putabat Gallandius noster, qui nummum Smyrnae reperit, non Frontini caput esse, sed Jovis apud Smyrnaeos culti. Verum fortasse non erravero, si ipsiusmet Proconsulis esse affirmaverim, siquidem neque laurea cinguntur tempora, ut depingi solet Jupiter, neque alius ipsius character additus est. Barba enim Jovem non necessario indicat: siquidem eo tempore quo cusus videtur esse nummus, barbam alebant Proceres Romani, ad Caesarum imitationem, quod ab Hadriano introductum erat. Illius autem aetatis nummum esse auguror ex literis rotundis Є & C, quae fere post tempora Hadriani invaluerunt; etiamsi & ante sed infrequentius: tum etiam quod Frontini celebres esse coeperunt a Trajani tempore. Tunc enim florebat Frontinus ille qui de aquaeductibus scripsit. Sed quia hae rationes non admodum validae sunt, sitne Jovis vel Frontini facies adhuc sub judice lis sit. Rheginus autem qui in aversa parte decumbit, dextra herbam aliquam tenens, sinistra urceolo innixus instar fluminum, proculdubio fluviolus est Smyrnaeorum nobis nunc ignotus.

Medicorum quorundam Epitaphia.

1

Romae, apud Sculptorem, in vico Scanderberg.

M. ALLIVS PAMPHILVS
MEDICVS
PRIMILLAE L. ET VXORI ET
PRIMO L. DELICIO
CARISSIMIS SIBI FECIT
IN FRONTE P. XXII. IN AGR. P. XXV.

Exscripsi.

Pamphili Grammatici Alexandrini, qui de re herbaria scripsit, meminit Galenus in prooemio lib. VI. de Med. simpl. facultatibus: verum iste alius esse videtur Romanus Medicus.

2

Romæ, In Palatio Card. de Maximis.

L. APPVLEIVS

Lucii Libertus L. L. EROS MEDICVS

L. APPVLEIVS L. F.

PHILVMENVS

L. APPVLEIVS L. L. IANVARIVS

Exscripsi.

3

Florentiæ, in villa Strozzi.

CYRVS

LIVIAE DRVSI CAES.

MEDICVS

Exscripsi.

Medici Græci in magno honore habiti fuere Romæ, inter quos hic Cyrus Liviæ Drusi Cæsaris uxoris, quæ postea Augusto nupsit, Medicus. Idemne autem sit is qui in sequenti inscriptione ΚΥΡΟΣ, id est Cyrus Apollonii filius nominatur, dubitari potest.

4

Lampsaci.

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ

ΚΥΡΟΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΑΡ

ΧΙΑΤΡΟΝ. ΑΡΙΣΤΟΝ. ΠΟΛΕΙ

ΤΗΝ. ΕΠΙΣΗΜΟΝ. ΠΡΟΣ. ΠΟΛ

ΛΟΙΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑΣΙΝ. ΕΙΣ

ΑΥΤΗΝ. ΑΛΒΙΨΑΝΔΑ. ΛΑΜ

ΠΡΩΣ. ΚΑΙ. ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ

ΚΑΙ. ΑΠΟΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΝ. ΧΕΙΛΙΑΣ. ΑΤ

ΤΙΚΗΣ. ΤΗ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ

Exscripsi.

Id est, *Senatus Cyrum Apollonii filium Archiatrum optimum civemque insignem veneratur, ob multa beneficia sibi collata cum celebritate & multis expensis, donumque Senatui ab ipso factum Drachmarum mille Atticarum.* Apollonii plures celebres Medici, de quibus consulendus Suidas.

5

Romæ, in via Appia.

DIIS MANIBVS SACRVM

L. ANNIVS CASSIVS MITHR

ADORVS MEDICVS IIII

FACTION. CIRCEN. FECIT

SIBI. ET. LIBER. SVIS. POSTE

RISQVE. EORVM. LOC.

MAR. ADI. N. LXXV

IN FRONTE P. XXX. IN. AGRO. P. XV.

Ex sched. Barberin.

6

Romæ.

Apud Card. Carpegna.

MV. FONTEIVS — MV. Id est, *Manius*

NICANDER

MEDICVS

Ex D. Fabretti.

7

Romæ, In villa Cæsarini.

ILLVSTRIVS TI. CAESARIS
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIVS
PIVS PARENTVM SVORVM
VIXIT ANNOS XXX
HIC SITVS EST IN PERPE.

Exscripsi.

8

Bononiæ.

DIS MANIBVS
M. LATINIVS
MEDICVS
OCVLARIVS
HERMES VIXIT ANNOS
XXXX

Ex libro cui titulus Instruttione delle cose notab. di Bologna.

9

Massiliæ, sed Smyrna allatum marmor cum fig. muliebri & 2. pueris.

ΜΕΛΙΤΗΝΗΝ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝ.
ΔΕ ΙΑΤΡΟΥ ΔΕ ΓΥΝΑΙΚΑ

Exscripsi.

Id est,

Melitinen Demetrii filiam, Hermogenis vero Medici uxorem.

10

Iguvii seu Eugubii Umbriæ urbe.

L. SABINVS L. L.
PRIMIGENIVS
ORTVS. AB. IGVVIO. MEDICVS FORA. MVLTA. SECVTVS
ARTE. FEROR. NOTA. NOBILIORE. FIDE
ME. CONSVRGENTEM. VALIDA. FORTVNA. IVVENTA
DESTITVIT. RAPIDIS. IMPOSVITQ. ROGIS
CLVSINO. CINERES. FLAMMAE. CESSERE. SEPVLCHRO
PATRONVS. PATRIO. CONDIDIT. OSSA. SOLO

Ex Ferretti Musis Lapidariis.

11

In via quæ Neapoli Nolam ducit, proxime Vesuvium, ubi rudera urbis, quæ olim Palæpolis.

D. SERVILI D. L. APOLLONI *Decimi Liberti*
MEDICI SERVILIA D. L.
AMBROSIA FECIT PATRONO
SVO ET SIBI ET SVIS

ΩΔ. ΕΠΑΦΟΥ. ΓΕΝΝΗΜΑ. ΣΟΦΟΙΣ. ΕΠΙΕΙΚΕΛΟΣ. ΑΝΗΡ
ΚΕΙΜΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΣΠΕΡΜΑ. ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ
ΚΛΗΤΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΙΜΟΣ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΣ. ΕΙΔ. ΕΤΗ. ΕΛΘΩΝ
ΕΝΝΕΑ. ΠΟΥ. ΔΕΚΑΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΡΙΑ. ΩΣ. ΕΛΕΓΟΝ

Ex Capacii Hist. Neap.

Id eſt,

Hic Epaphi filius ſapientibus comparandus vir,
Jaceo Romanorum ſoboles multa poſſidentium,
Vocatus Decimus Servilius, Annos natus
Circiter nonaginta tres, ut ajunt.

12

Romæ, Sarcophagus in villa Pamphilia.

D. M.
T. VIBIO RVFO MEDICO
COH. V. PR. VALERIA *Cohortis V. Prætoriæ*
RVFINA CONIVG. OPTIM. FECIT

Exſcripſi.

13

Florentiæ in horto March. Corſini.

HELPIS LIVIAE
AD. VALETVDINAR.

Exſcripſi.

AD. VALETVDINAR. An *Adjutrix Valetudinaria*, id eſt Clinica

14

Comoræ in Hungaria.

ΙΤΑΛΜΥΡΙ ΕΥΨΥΧΕΙ ΜΕΓΑϹ ΙΑΤΡΟϹ

Ex itinere Ed. Brovn.

Italmuri bene vale Magne Medice.

Brovnius eam citat indiſtinctis quidem vocibus, quod forte prototypo conveniens, ſed ni fallor male habet ΜΕΤΑΤΙΑΤΡΟϹ. pro quo ſine dubio reſtituendum ut feci, ΜΕΓΑϹ ΙΑΤΡΟϹ.

His pauculis Inſcriptionibus deſtrui poteſt ridiculum Robortelli & ſequacium commentum, qui aſſeruerunt Romæ tantum ſervos medicinam exercuiſſe. Etiamſi enim in Inſcriptione 8. Illyrius Tiberii Cæſaris ſervus fuerit *Medicus*, obſervandum eſt addi *Ocularius*: ſicque potius Chirurgum quam Medicum, hocque nomine non aliter condecoratum, quam aliquando Clinicæ, aut Empiricam profitentes fœminæ *Medicæ* in marmoribus vocantur. At in aliis hiſce lapidibus Medici ſoli ingenui aut Liberti; & inter illos unus apud Gruter. *Sextumvir Auguſtalis* nominatur, quod munus inter prima civitatum officia eminebat. Ad libertos vero quod attinet, non mirum ſi Medicinam exercerent, cum fere ſolis Libertis in Cæſarum aulis officia concederentur, ut ſæpiſſime fuerint primi ordinis Miniſtri, & aliquando Imperatoria fere poteſtate potirentur, veluti ſub Claudio Cæſare Pallas & Narciſſus. Imo ſæpiſſime apud antiquos Authores Medici quidam inter Cæſarum amicos enumerantur, quod Cæſarea gravitate indignum, ſi ſervi fuiſſent. Plutarchus enim in Cæſare, quendam memorat Cæſaris amicum, quem Suetonius Cæſaris Medicum, ut jamdiu annotavit Caſaubonus, qui in ſuis ad Suetonium notis hanc maculam a Robortello Medicis inuſtam deterſit. Tacitus *Eudemi Medici & amici Liviæ* meminit. Cicero lib. 4. de Oratore, de Aſclepiade loquens, *quo nos*, inquit, *Medico amicoque uſi ſumus*. Cæſar Auguſtus Medicis immunitatem tribuit, & *Julius Cæſar omnes Medicinam Romæ Profeſſos civitate donavit*, inquit Suetonius. *At tale beneficium in ſervos fuiſſe collatum*, nimia, ait Caſaubonus, *ſtultitia eſt vel ſuſpicari*. Plinius præterea teſtatur lib. 29. cap. 1. *Quirites Medicinam factitaſſe*, at nemo Quiritium ſervus fuit. Hæc

& plura refert Eruditiss. Drelincurtius Leidensis Professor in *Apologia* sua *Medica*, quam quia vix ad hasce oras delata fuit excerpere non dubitavi. Ibidemque ut hoc obiter addamus, fortiter calumniam eliminat eorum qui Medicos sexcentis annis Roma exulasse asserunt: quod orationis ipsius præcipuum est argumentum.

Addo & duas Inscriptiones ex opere Reinesiano desumptas, tertiamque ex Ursati Monumentis Patavinis.

15

Romæ.

L. ARRVNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO. T. F. I.
IN FRONTE P. XX. IN AG. P. XX.

Ex Sirmondo & Reinesio.

16

Romæ.

D. M.
TI. CLAVDIVS. IVLIANVS
MEDICVS. CLINICVS. COH. IIII.
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET
TVLLIE. EPIGONE. CONIVGI
LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
CLAVDIIS. POSTERISQVE
EORVM
H. M. H. N. S.

Ex Reinesio.

17

Patavii.

P. CHARM.
SOSTHE.
MEDIC.
IIIIIVIR. AVG.
SIBI
ANCHAR.

Ex Ursati Monument. Patav.

Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur.

Ex his tribus lapidibus idem concluditur, atque ex superioribus. Priores enim duo Medici neque Servi, neque Liberti fuere; ultimus vero præterquam ingenuus fuit, Sextumviratus dignitate ornatus observatur.

Iuba.

Genealogia Iubæ Regis.

In urbe Carthagine nova, vulgo Carthagene Hispaniæ.

N. Nepoti. *Regis Gaudæ*

REGI. IVBAE. REGIS
IVBAE. FILIO. REGIS
HIEMPSALIS N. REG. GAV.
PRONEPOTI REGIS MASI
NISSAE ABNEPOTI N. E. P. D. I.
II VIR. QVINQ. PATRONO
COLONIAE
COLONI ET INCOLAE
LIBERTINI

Vidit & exscripsit Casaubono A. de Bibran Eques Silesius. Ego autem ex schedis Peireskii.

Ex hac Inscriptione discimus quomodo *Juba*, pater & filius, quos ex stirpe Masinissæ ortos constat, illum contingerent, nempe per Gaudam, quem memorat Sallustius de bello Jugurthino. *Erat*, inquit, *præterea in exercitu nostro Numida quidam nomine Gauda, Manastabalis filius, Masinissæ nepos quem Micipsa secundum hæredem scripserat, moribus confectus, & ob eam causam mente paululum imminuta, cui Metellus petenti more Regum, ut Sellam juxta poneret, item postea custodiæ causa turmam Equitum Romanorum, utrumque negaverat honorem.* Gauda fuit Manastabalis filius, Masinissæ nepos: verum hic lapis Manastabalem non recenset, eo quod statim post Patris obitum morbo fuerit consumptus, vixque regia dignitate ornatus fuerit, sicut & ejus frater Gulussa, relicto solo Micipsa. Sic enim

Salluſtius, initio belli Jugurthini: *Igitur amicitia Maſiniſſæ bona atque honeſta nobis permanſit, ſed imperii vitæque ejus finis idem fuit. Deinde Micipſa filius ejus regnum ſolus obtinuit, Manaſtabale & Guluſſa fratribus morbo abſumptis.* Micipſam etiam omittit marmor iſtud, eo quod Juba Rex non eſſet ex ejus progenie, ſed ut intelleximus per Manaſtabalem, Gaudam Hiempſalemque, Maſiniſſam attingeret. Hiempſal autem hic fuit Gaudæ filius & ſucceſſor, ſenioris Jubæ pater, aliuſque ab Hiempſale Adherbalis fratre, ut clarius ex ſequenti tabula Stemmatologica patebit.

N. E. P. D. I. Interpretor ex ſimilibus Cæſarum Inſcriptionibus, *Numini ejus plurimum devoti juſſerunt*: quanquam hæc interpretatio amico cuidam erudito non placeat, eo quod, inquit, divinos hos honores primis Cæſarum temporibus tributos fuiſſe non reperiat. At ego regero, in nummis Ægypti & Syriæ, Reges Deos frequentiſſime cognominari, imo & Auguſtum & alios poſt eum Imperatores, vivos adhuc, Deos nuncupatos fuiſſe, iiſque templa erecta.

Patrono Coloniæ. Carthago nova erat Carthaginenſium ab Aſdrubale deducta Colonia. Puto autem Jubæ tempore colonos accerſitos ex Numidia, qui exhauſtam Hiſpaniam inhabitarent. Iſti ergo Numidæ in Hiſpania Coloni, Jubam in veteri patria regnantem, non jam ut Regem, ſed ut Patronum colebant, ob commercii eorum in Numidia ſecuritatem.

Cæterum prodiit jamjam in lucem Reineſii Syntagma Inſcriptionum Romanarum, in quibus & hanc conſignavit: verum Vir ille alias Eruditiſſimus nimis audacter Inſcriptiones corrigit, uti in hac legi vult GVL. pro GAV. cum de *Guluſſa*, non autem de *Gauda* cogitaſſet.

Jubæ utriuſque patris & filii, tum etiam Ptolemæi Jubæ filii ecce tres Nummos, primum quidem vulgarem, alteros duos rariſſimos.



Prior quidem paſſim in Muſeis reperitur, & ab Antiquariis explicatur. Secundus in Muſeo olim erat Cardinalis de Maximis. Tertius a Patino in Suetonio nummis illuſtrato refertur.

Obſervanda in *Seniore Juba* coma illa pexa & in gradus diſtincta, quo more uſos fuiſſe Mauritaniæ Reges, ita ut capillos calamiſtrarent & aureo pulvere inſpergerent, notarunt priſci Authores. Eſt præterea in ipſius vultu neſcio quid crudele, barbarumque, mentum nempe prominulum apud Phyſiognomonicos crudelitatis indicium. Sceptrum humeris adponitur, regiæ majeſtatis inſigne. Templum octapylum in altera parte viſitur, cum literis Punicis ſive Phœniciis, quibus in ea regione utebantur.

At *Juba junior* Romanum morem illius temporis imitatus, barba raſa conſpicuus eſt. In averſa parte ſtat Ara cui avis impoſita, forte Cygnus Africæ familiaris. A dextra & ſiniſtra erectæ duæ Laurus, ut in Auguſti nummis, quas *fideles Cæſarum Janitrices* ideo vocabant. Characteres numerales adſunt nobis ignorabiles, ſicut in aliis quos Patinus profert XXXII. & XXXVI. loco ſupra citato.

Ptolemæum tandem itidem imberbem exhibet tertius nummus, laureaque ut Romani Cæſares ornatum, quem juvenem Caligula occidit teſte Suetonio. Adeſt in altera parte caput ferocis equi, nummis tractus illius familiaris, ut pote Carthaginis primordia indicans, Virgil. 1. Æneid.

Stemmatologia Regum Numidiæ.

GALA Rex Numidarum Masæsylorum. *Livius lib.* 29.

DESALCES Galæ fratri succedit in regno. *Liv. lib.* 29.

MASINISSA Galæ filius victo Syphace, Lacumace & Mezetulo, amicissimus populi Romani, regnum paternum vehementer auxit. Vixit annos amplius XC. regnavit LX. annis. Filios XLIV. reliquit, e quibus tres priores ex uxore legitima suscepit, qui jussu Patris, Scipione arbitro, regnum inter se diviserunt. Reliqui e concubinis. *Appian.*

CAPVSA filius Desalcis & successor a Mezetulo propinquo, regnique æmulo cæsus. *Liv. ib.*

LACVMACES minor filius Desalcis, a Mezetulo, qui Tutoris nomine regnum arripuit, educatus, tandem a Masinissa victus. *Liv.*

MICIPSA Masinissæ filius natu maximus fratribus brevi mortuis regnum solus obtinuit.

GVLVSSA Patris Masinissæ cum fratribus successor non longe post patrem obiit.

MANASTABALES Masinissæ tertius filius in partem regni successit, sed statim morbo absumptus eam Micipsæ fratri reliquit.

Masgaba e concubina natus Romam missus a Patre. *Liv.*

Misagones fil. Massinissæ. *Livius.*

Massugrada fil. Massinissæ e concubina. *Sallust.*

MASSIVA filius Gulussæ regnum affectans a Jugurtha occiditur.

Dabar Massugradæ fil. Boccho Regi acceptus. *Sallust.*

ADHERBAL Micipsæ fil. a Jugurtha necatus. *Sallust.*

HIEMPSAL filius alter Micipsæ, cum Jugurthæ cedere recusaret, brevi post patris obitum est interemptus. *Sallustius.*

GAVDA Manastabalis fil. morbis confectus, ideoque mente paululum imminuta, cui Metellus petenti more Regum Sellam regiam & turmam equitum Rom. ad custodiam, utrumque negavit. Marius tamen in spem regni concitavit, *Sallust.* & *Marmor* Regem vocat.

IVGVRTHA Manastab. fil. e concubina natus ob egregiam indolem a Micipsa patruo adoptatus, & regnum cum Adherbale & Hiempsale partiri jussus, eos e medio sustulit. Ita solus rerum potitus Romanos hostes suos corruptione Ducum diu illusit: tandem ad Bocchum profugus, ab hoc traditur Syllæ, & in triumphum a Mario deducitur.

HIEMPSAL

Gaudæ filius regno pulsus a Numidis, restitutus est a Pompejo jussu Syllæ. *Appian.* 1. *lib. de bello civ.*

IVBA

Hiempsalis filius Pompeii partes adversus Cæsarem secutus, desperatis rebus mutuis, cum Petreio vulneribus cecidit.

IVBA Iubæ fil.

litteris quoque clarus, ducta in uxorem Cleopatra juniore, regnum Maurorum mortuo Boccho ab Augusto accepit.

PTOLEMAEVS

Iubæ junioris & Cleopatræ filius Caii Imperatoris jussu necatus.

Cajus Furius Sabinius Aquila.

Lugduni.

C. FVRIO SABINIO AQVILAE
TEMESITHEO PROC. PROV. LVGD. ET
AQVIT. PROC. PROV. ASIAE IBI VICE XX
ET XXXX ITEMQV. VICE PROCOS. PROC.
PROV. BITHYNIAE PONTI PAPHLAGON.
TAM PATRIMONI QVAM RAT. PRIVATAR.
IBI VICE PROC. XXXX. ITEM VICE PROC.
PATRIMON. PROV. BELGIC. ET. DVARVM
GERMANIAR. IBI VICE PRAESID. PROV.
GERMAN. INFERIOR. PROC. PROV. SY
RIAE PALAESTINAE IBI EXACTORI RELI
QVORVM ANNON. SACRAE EXPEDITIO
NIS PROC. IN VRBE MAGISTRO XX
IBI LOGISTAE THYMELAE PROC. PROV.
ARABIAE IBI VICE PRAESID. BIS PROC.
RATION. PRIVAT. PER BELGIC. ET DVAS
GERM. PRAEF. COH. F. GALLIC. IN HISPAN.

C. ATILIVS MARVLLVS ARVERN.
ET G. SACCONIVS ADNATVS ME
DIOMATR. PATRONO OPTIMO

Exscripsi.

Quia abbreviationes negotium multis Lectoribus facescere queunt, ita venit legenda tota Inscriptio.

Cajo Furio Sabinio Aquilæ Temesitheo, Procuratori Provinciæ Lugudunensis & Aquitanicæ, Procuratori Provinciæ Asiæ, ibi vice vigesimæ & quadragesimæ; itemque vice Proconsuli, Procuratori Provinciæ Bithyniæ, Ponti, Paphlagoniæ, tam patrimonii, quam rationum privatarum, ibi vice Procuratori quadragesimæ, item vice Procuratori patrimonii Provinciæ Belgicæ & duarum Germaniarum: Ibi vice Præsidi Provinciæ Germaniæ inferioris, Procuratori Provinciæ Syriæ Palæstinæ: ibi exactori reliquorum annonæ sacræ expeditionis, Procuratori in Urbe, Magistro vigesimæ, ibi Logistæ Thymelæ, Procuratori Provinciæ Arabiæ, ibi vice Præsidi, bis Procuratori rationum privatarum per Belgicam & duas Germanias, Præfecto Cohortis Fidelis Gallicæ in Hispania: Cajus Atilius Marullus Arvernus & Gajus Sacconius Adnatus Mediomatricus, Patrono optimo.

Longam hanc Inscriptionem ubi contemplor, in mentem mihi venit Principum quorundam consuetudo, qui variarum Provinciarum, dominiorumque titulis ornari, onerarique gaudent, qui omnes unico nomine comprehendi possent. Sic Cajus iste Furius Sabinus Temesitheus, totius Imperii Roma-

Romani Procurator dici potuisset: cum omnes fere Provinciæ ipsi tributa Cæsarea, vigesimas, & quadragesimas deferrent, unde Procuratoris, sive ut nunc loqueremur, Thesaurarii generalis nomen merebatur. Quænam sint Reliqua illa Annonæ sacræ expeditionis, inquiri dignum foret. *Reliqua* in genere sunt tributorum, censuumve reliquiæ a Populis fisco Cæsaris debitæ, ut in Hadriani nummo RELIQVA VETERA *sestertia novies millies abolita*. Logista a Græco λογιστής, qui in Glossariis antiquis *Tabularius*, *Pensitator*, *Curator*. Thymela vero θυμέλη, *scena*, *pulpitus*. Ita ut Exactor sive Tabularius fuerit scenæ, sive Theatri Romani.

Vettius Agorius Prætextatus.

Romæ, In Palatio Fabricii de Maximis.

VETTIO AGORIO PRAETEXTATO V. C. ET INL.
CORRECTORI TVSCIAE ET VMBRIAE
CONSVLARI LVSITANIAE PROCONSVLI
ACHAIAE PRAEF. VRB. PRAEF. PRAETORII
ILLYRICI ITALIAE ET AFRICAE CONSVLI DESIGNATO
LEGATO AMPLISSIMI ORDINIS SEPTIES
ET AD IMPETRANDVM REB. ARDVIS
SEMPER OPPOSITO
PARENTI PVBLICE PRIVATIMQVE REVERENDO
VT ETIAM STATVAE IPSIVS DOMVS
HONORARET INSIGNIA CONSTITVI
LOCARIQVE CVRAVIT

Exscripsi.

Hanc Inscriptionem etsi antehac editam typis iterum dare volui, eo quod grandis apud Gruterum irrepserit error, cum linearum ordo ita fuerit immutatus:

VETTIO AGORIO PRAETEXTATO V. C. ET INL.
CORRECTORI TVSCIAE ET VMBRIAE
ILLYRICI ITALIAE ET AFRICAE CONSVLI DESIGNATO
ACHAIAE PRAEF. VRB. PRAEF. PRAETORII
CONSVLARI LVSITANIAE PROCONSVLI
LEGATO AMPLISSIMI ORDINIS SEPTIES &c.

Etsi autem in Erratis, ab aliis quintam lineam pro tertia legi notaverit, quia tamen Authores * nonnulli Gruteri exemplar sequentes mirati sunt quomodo Vettius hic Agorius Prætextatus *Consul designatus Achaiæ* dicatur, cum Provinciæ Consulibus non gauderent, repetendam hic censui, ut genuina ejus lectio, quam ad lapidem ipsum accepi, Eruditis redderetur, neve ipsis amplius fucum faceret. Fuit ergo Vettius Agorius Proconsul Achaiæ, Præfectus Urbis, Præfectus Prætorio Illyrici, Italiæ & Africæ, Consulque designatus. Hujus Viri Illustris meminere Hieronymus Epist. 61. & Ammianus Marcellinus, florebatque sub Valentiniano seniore, fuitque Præfectus Prætorio Illyrici & Italiæ anno Christi 367. Fuisse autem Oratorem Ethnicorum religioni addictum patet ex Epist. 41. lib. 1. Symmachi, qui ejus Panegyricum scripsit & ei Statuam poni rogavit Valentinianum, cujus Statuæ hæc superest basis.

* Reines. Lucius Camarra, in Teate Antiquo.

Claudius Posthumus Dardanus.

In Provincia prope Cisteronem. Inscriptio a Grutero incorrecta & mutila citatur, pag. CLI. 6. *Sicque ex Sirmondo & schedis Peireskianis corrigenda.*

CL. POSTHVMVS. DARDANVS. V. INL. ET PA
TRICIAE. DIGNITATIS. EXCONSVLARI. PROVINCIAE
VIENNENSIS. EX MAGISTRO. SCRINI. LIB.
EX. QVAEST. EX. PRAEF. PRAET. GALL. ET
NEVIA. GALLA. CLAR. ET. INL. FEM. MATERFAM.
EIVS. LOCO. CVI. NOMEN. THEOPOLI. EST
VIARVM. VSVM. CAESIS. VTRIMQVE. MON
TIVM. LATERIBVS. PRAESTITERVNT. MVROS
ET. PORTAS. DEDERVNT. QVOD. IN. AGRO
PROPRIO. CONSTITVTVM. TVENTIONI. OM
NIVM. VOLVERVNT. ESSE. COMMVNE. ADNI
TENTE. ETIAM. V. INL. COM. AC. FRATRE. ME
MORATI. VIRI. CLAR. CL. LEPIDO. EXCONSVLARI
GERMANIAE. PRIMAE. EX. MAGISTRO. MEMORIAE
EXCOM. RERVM. PRIVAT. VT. ERGA. OMNIVM
SALVTEM. EORVM. STVDIVM
ET. DEVOTIONIS. PVBLICAE
TITVLVS. POSSET. OSTENDI

Ex Peiresk. sched. & Ægid. Lacarry.

V. INL. Id est, *Vir Illustris*. Fuit Dardanus iste Præfectus Prætorio Galliarum sub Honorio anno 409. & 410. cujus meminit Cod. Theodos. & fuse Erud. Lacarry in sua. Hist. Gall. sub Præfectis Prætorio pag. 116.

Sempronia Moschis. Junia Torquata. Laberia Felicla.



Laberia Felicla Sacerdos Maxima Matris Deum Magnæ Idææ, quæ alias Cybele ut alibi diximus, in primo hujus tabulæ marmore conspicitur, velo capiti imposito ut solebant sacrificantes, dextra

pateram tenens super ara, quasi numini suo libare vellet, sinistra catenam aut simile quid gestans, cujus me mysterium latet: nisi sint tintinnabula, quorum usus in Matris Deum cerimoniis receptus erat, Pendet autem ex humeris & alia catena. Cæterum appensum est collo ad pectoris regionem Jovis caput: qui mos a Dionysio Halicarnasseo libro secundo Antiquit. Roman. illustratur: Is enim de sacris Matris Idææ loquens: *Sacra autem*, inquit, *ejus peragunt vir Phrygius & mulier Phrygia, & isti per urbem ea circumferunt, Matri Deorum stipem cogentes, ut mos eorum fert, de pectore pendentes imagines gestantes; & ad modulos eorum qui tibiis ludentes ipsos sequuntur, & Matris Magnæ carmina canunt, incedentes & tympana pulsantes*. Citat & aliam Inscriptionem Eruditiss. Bagarrius, ex cujus schedis hæc figura excerpta est.

LIVIA CLITE LIVIAE AMMIAE SACERD. M.D.M.I.

De Matre Deum cætera omnia vulgaria sunt apud Mythologos & Historicos veteres ac recentiores.

2. *Juniæ Torquatæ Caii Silani filiæ Sacerdotis Vestalis* Inscriptio a Grutero refertur, sed absque Statua basi imposita, quam hic ex Bagarrii Manuscripto delineatam, exhibemus. Vocatur in aliis marmoribus Virgo Vestalis maxima: ideoque perpetuum ignem manibus gestat, quo ejus professio indigitetur. Tacitus lib. 3. Annalium eam *priscæ sanctimoniæ virginem* vocat. Ibi enim de Cajo Silano Asiæ Proconsule repetundarum postulato differens, Senatorum & Tiberii Imperatoris rationes profert, quibus disceptarunt utrum ipsum in insulam Gyarum, aut Cytheram exulare juberent: addidit Cæsar; *darent Juniæ familiæ & viro quondam ejusdem ordinis, ut Cytheram potius concederet. Id sororem quoque Silani Torquatam, priscæ sanctimoniæ virginem expetere*. Velum autem ejus capiti obductum clausum ac nodo revinctum sub collo apparet, eo quod continuo ab iis gestaretur nec removeretur, perpetui voti symbolum.

3. *Sempronia Moschis*, Matrona Romana severo ac venerando aspectu tandem hic sistitur, quam Maritus piam, frugi, pudicamque celebrat. Sic Ausonius in Epitaphio conjugis suæ:

Læta, pudica, gravis, genus inclyta, & inclyta forma,
Et Dolor atque decus conjugis Ausonii.

Idem alibi de Pudentilla affini sua.

Nobilis hæc frugi, proba, læta, pudica, decora.

Et in antiquo Sarcophago in Hortis Justinianeis:

Romæ.

HIC SITA EST AMYMONE MARCI OPTIMA ET PVLCHERRIMA
LANIFICA PIA PVDICA FRVGI CASTA DOMISEDA

Exscripsi.

Pulchra hæc in muliere elogia, & quis plura cupiat? Non minora tamen habet Græca hæc Inscriptio.

Romæ.

CωφPONA ЄЄMNHN
ΘЄOΔωPAN
φIΛANΔPON φIΛOT
ЄKNON AΓAΘHN
MONANΔPON ΔIK
AIAN ΘЄOCЄBH
N ABIΠC AΘΛIOC AΠ
OΛЄCAC φAOC OIKOT
. . . .

Exscripsi.

Id est, *prudentem, venerabilem Theodoram, Viri & Liberorum amantem, Bonam, univiram, justam, Deos colentem*, Maritus *miser amittens lumen domus* hocce monumento prosecutus est. ABIΠC quid sit ignoro, nisi unica litera immutata ABIOC legatur, hoc est *vitam non curans*, ut interpretantur Glossæ Philoxeni, quod majorem mariti dolorem exprimit.

Scipio Africanus.

Ex musæo D. OCTAVII MEY civis Lugdunensis.



CLYPEVS VOTIVUS

Antiquus ex argento puro, pondo librarum XXI. diametri 2 ped. cum 2 unc. repertus in Rhodano prope venionem anno 1656. Exhibens Scipionis Africani memorandam actionem qua captam in expugnatione Carthaginis novæ eximia formâ Virgine Allucio Celtiberorum Principi cui desponsata erat, intactam gratis reddidit Polyb. lib 10 Livius lib 26


CLYPEI VOTIVI erant Disci quidam magni ex metallo, in quibus sculptæ erant Heroum imagines, actionesque memorandæ, qui in Deorum Fanis suspendebantur & vovebantur: quiquidem mos antiquissimus fuit, & forte ex illa consuetudine apud Græcos pingendi ac sculpendi Clypeos bellicos ortus, ut apud Homerum observamus, de Clypeo Achillis, & Ajacis. Inde a Romanis ut & a Carthaginensibus usurpatus. Titus Livius lib. 25. refert monumentum Victoriæ Lucii Martii de Pœnis fuisse in Capitolii Templo Clypeum argenteum cum imagine Barchini Asdrubalis, pondo centum triginta octo. In Triumpho Titi Quintii de Philippo Macedoniæ Rege Demetrii patre, inter spolia fuere *Clypea argentea decem, & Clypeum unum ex auro totum.* Lucio Quintio & Cneo Domitio Consulibus posita fue-

re in Capitolio *duodecim Clypea inaurata*. Suetonius in vita Domitiani, ait Senatum de hujusce Tyranni morte ita lætatum fuisse, ut *Clypeos & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet*. Tiberio dedicatus fuit Clypeus aureus. Trebellius Pollio in vita Claudii Gothici: *Illi Clypeus aureus, sive ut Grammatici loquuntur Clypeum aureum, Senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur, expressa thorace vultus ejus imago*. Salmasius in hunc locum hosce Clypeos asserit vocatos etiam fuisse *Discos, Cyclos, Aspides, Pinaces, Stylopinakia, Protomas, Opla, Stetharia, Thoraces, atque Thoracletas*: quod variis Veterum Authoritatibus confirmat.

Jam ut ad nostrum Clypeum redeamus, sculptam ostentat Scipionis actionem memorandam, quæ a Polybio & Livio narratur, ubi de Carthaginis novæ celebris in Hispania Civitatis expugnatione differunt. *Eodem quoque tempore*, inquit Polybius interprete Casaubono, *juvenes quidam Romani virginem nacti & ætatis flore & formæ bonitate cæteris mulieribus longe præstantem, qui non ignorarent Scipionem natura mulierosum esse, puellam ad ipsum adducunt, atque in conspectu illius sistunt, & hanc se illi donare munere dicunt. Scipio miraculo pulchritudinis attonitus: Ego vero, inquit, nec si privatus viverem, poteram accipere munus ullum aliud magis gratum, neque nunc Imperator ullum aliud minus gratum &c. Cæterum virginis patre accito, e vestigio suam ei filiam tradidit, jubens ut cui vellet cumque civium nuptam eam daret. Hoc ille suæ continentiæ & moderationis edito specimine, magna studia assequebatur eorum quibus imperabat*. Hæc Polybius qui Scipionis contemporaneus & familiaris fuit. *Captiva deinde*, ait Livius, *a militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, ut quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam, parentesque, inter cætera accepit, desponsatam eam Principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus, sponsoque ab domo accitis, cum interim audiret deperire eum sponsæ amore, ubi primum venit, accuratiore eum sermone quam parentes alloquitur: Juvenis, inquit, juvenem appello, quo minus sit inter nos hujus sermonis verecundia: Ego, cum sponsa tua capta a militibus nostris ad me deducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem, quia ipse si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore, & non Respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem, tuo cujus possum amori faveo. Fuit Sponsa tua apud me eadem, qua apud soceros tuos, parentesque suos verecundia: servata tibi est, ut inviolatum & dignum me teque dari tibi donum posset: &c. Parentes inde cognatique virginis appellati, qui quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionem ut id ab se donum acciperet. Scipio quando tantopere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes jussit, vocatoque ad se Allucio: super dotem, inquit, quam accepturus a Socero es, hæc tibi a me dotalia dona accedent, aurumque tollere ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, implevit populares laudibus & meritis Scipionis*. Hæc hujus Herois continentia ab Aulo Gellio comparatur Alexandri moderationi, qua Statiram Darii uxorem captivam suam, mulieremque formosissimam videre noluit. Igitur in Scipionis honorem sculptus iste Clypeus, & dum ex Hispania in Italiam rediret, in Rhodano cum aliis forte sarcinis mersus, usque ad ætatem nostram amissus fuerat.

Sedet in medio Scipio solo pallio semitectus, barba omnino rasa, ut solebant tunc temporis Romani, hastam manibus tenens, quod imperatoriæ dignitatis symbolum. Eum circumstant quatuor Hispani hispida barba, ut apud eos mos erat, conspicui, parentes affinesque Allucii & Virginis, qui Scipionem obtestantur donum acciperet pro sibi reddita virgine. Stat illa nonnihil verecunda cum sponso suo, qui ei manum fidemque dat, alteraque manu eam amplectitur. Imberbis quia adolescens, crine tamen hispido, ut gentiles sui. Humi sedet Hispanus quidam nudus ex captivis forte unus, qui Scipionem miratur. Sparsa hinc inde arma victoriæ jam jam reportatæ symbola, quam & tribunal in arcus triumphalis modum, & Tritones buccinantes publicant. Duo tandem Romani militum Tribuni paludamento vestiti, Clypeum & Corniculum gestantes, imberbes stant prope senem qui Scipionem alloquitur, quorum unus forte Lælius est Classis Præfectus. Qui plura velit, adeat fusiorem dissertationem quam inter Disquisitiones meas Antiquitatis Gallice editas typis dedi. Tandem Clypeos votivos in nummis expressos, scalpi curavi, notisque illustrare operæpretium duxi. Ecce illos in pagina sequenti.

Nummi antiqui Clypeos votivos exhibentes.



1. Aversa pars nummi Cæsaris Augusti Clypeum exhibet a Senatu Populoque Romano huic Imperatori consecratum, in memoriam Signorum Militarium a Parthis redditorum, ut ex literis CL. V. quæ Clypeum Votivum designant, intelligitur. Suetonius in Augusto. *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt: & signa Militaria, quæ Marco Crasso & Marco Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: obsidesque insuper obtulerunt*. Et ea quidem, teste Dione, Augustus a Phraate Rege, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit. Quin & propterea Templum Marti Ultori in Capitolio ædificavit, ubi signa illa Militaria suspensa sunt, & proculdubio, ut ex nummo liquet, Clypeus iste votivus.

2. In secundo Senatus Populus Que Romanus CLypeum Vovet, vel Votivum consecrat CAESARI AVGVSTO, ut in præcedenti, propter aliam quandam memorandam actionem.

3. Tertium eidem dicatum victoria coronat, ob aliquam de hostibus reportatam victoriam. Nec forma differt a prioribus, sed dumtaxat suspensione ad columnam, unde Clypei Votivi *Stylopinakia* a Græcis aliquando vocabantur, quasi diceres *Columnis* appensas *tabulas*, juxta Græcam Etymologiam.

4. Vespasiano hic Clypeus Columnæ appensus inter duas Laurus EX *Senatusconsulto*, forte ante ipsius ædes dedicatus. Utraque enim Laurus Calendis Januariis, vel post celebrem aliquam victoriam ad Palatii fores erigebatur. Unde a Plinio Laurus dicitur: *Gratissima domibus janitrix Cæsarum, quæ sola & domos exornat & ante limina excubat*. Binas autem fuisse indicat locus hic Tertulliani: *Qui sunt qui Imperatores inter duas Laurus obsidunt?*

5. Clypeus Votivus Augusto consecratus ob cives recuperatos, quod corona civica ex quercu contexta designat. Phraates enim quia nihil eorum, quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus ne bello ab Augusto impeteretur, non solum signa militaria, sed &, inquit Dio, *Captivos omnes, paucis exceptis, qui se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanserant, remisit*.

6. Tiberio Cæsari, cujus nummus est, Clypeus Votivus Lauro cinctus ob ejus moderationem a Senatu consecratus hic offertur. Vellejus Paterculus Tiberii perpetuus adulator, *Quis non*, inquit, *inter reliqua, quibus singularis Moderatio Tiberii Cæsaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod cum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit?* Ita fucabantur hujus Principis vitia. Aliquandiu tamen moderate illum vixisse asserit Dio, sed dumtaxat quandiu in vivis superstes fuit Germanicus, quem Principatui imminentem ante oculos habebat, quove æmulo sublato in vitia cursum deflexit.

7. Clypeum eidem Tiberio ob ejus *clementiam* voverat Senatus, quæ virtus sub virginis forma exprimitur. Suetonius cap. 53. *Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam nurum Agrippinam in Gemonias abjecerit, proque tali* clementia *interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Jovi donum ex auro sacraretur*, aureus nempe iste Clypeus. En miram Tiberii clementiam. Cæterum Clypeus iste ex iis est, qui a Trebellio Pollione *Disci Corymbiati* vocantur, ob sculptam Corymbion herbam, ut alias pateras Filicatas, Hederatas & Pampinatas vocitabant.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUINTA.

GEOGRAPHICA,

Urbes, Municipia, Coloniæ, pagi.

Albanum.

Romæ, urna in villa Matthæi.

RVBRIA PRIMA
ALBANIESIS
P. RVBRIVS REVTILIS
AMICE HAVE ET
VALE EGO HIC
SITVS SVM

Exscripsi.

Dubitari potest an Albaniesis, sive Albaniensis dicta fuerit Rubria Prima, ab Albano loco prope Romam, ubi sacrificia Jovi Latiali peragebantur, qui & *Albano* hodie, an ab Albania Provincia Macedoniæ, a qua melius derivatur *Albaniensis*: verum prius ni fallor præferri debet, eo quod si fuisset mulier ista ex Macedonia, Græcum fuisset Epitaphium.

Albintimilium.

Romæ, urna in villa Matthæi.

M. SABINIVS
FAB. ALBINTIMILI
EVOC. AVG. SALVT.
VIX. ANN. XXXVIII
PROFECIT EX COH. V.
P. R.

Fabia Evocatus

Exscripsi.

Niciæ.

..ALICONI TRIB.
..ALBINTIMILIENSIVM
..RAE FILIO M. AEMILIO
..EMILIO PROCLO
..BARBARO ANIENSI
..IMA CONIVGIBVS
SIBI VIVA FECIT

Ex Hist. Niciens.

Albintimilium urbs Liguriæ maritima, nunc *Vintimiglia* ditionis Genuensium. SALVT. Salutiis *Saluzzes*, a qua urbe Albintimilium fuerat evocatus Imperatoris jussu, Marcus Sabinius, tribu Fabia, Miles Cohortis V. Populi Romani, vel si hæ literæ PR. conjungantur, PRAETORIAE.

Arausio.

Vesontione.

GEMINIA TITVLLA
ARAVSIENSIS MATER
SACRORVM HIC
ADQVIESCIT
D. IVL. P. L. AVCTVS CON.
PIISSIMAE ET AVRAE
SEVERI QVI M. PRO F.
OBSER.

Ex Chiffletio.

Viennæ.

D. M.
L. CAECILI
PISONIS
CIVIS ARAVS.
L. CAECILIVS
VARIANVS
ET VALERIVS
ORPHITVS
FILII PATRI
PIISSIMO
ET VAL. MARITIMA
CONIVGI
INCOMPARABILI

Exscripsi.

Arausensis

Arausio Colonia Secundanorum, nunc *Orange*, cujus cives Arausienses & *Arausenses* cognominantur ex Inscriptionibus hic exhibitis & Sect. III. in titulo LIX. non vero *Arausionenses*, ut nunc exprimere solent. In prima Chiffletium emendo qui habet GEMINIA II IVLIA & in linea 5. D. IVL. PI. AVGTVS, quæ duo ultima verba frigide PIVS AVGVSTVS ab eo explicantur, cum sint Cæsarum cognomina. Non dubium est legendum esse P. L. AVCTVS Publii Libertus Auctus. Reperitur & alibi tale cognomen AVCTVS. QVI M. PRO F. OBSER. obscura sunt. Chiffletius vult esse *Qui Monumentum pro Flamine observavit*. F. tamen *Flaminem* non solet designare, sed potius *Filium* aut *Filiam*.

Anagnia.

Anagniæ.

IMP. CAES. L. SEPTIMII PII PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIABENICI PARTHICI MAXIMI
FORTISSIMI FELICISSIMI P. P. FILIO M. AVRELIO
ANTONINO PIO FELICI AVG. TRIBVNIC. POTEST.
IIII. COS. PROCOS. S. P. Q. ANAGNINVS

Ex Suaresio in Explicat. Arcus Severiani.

Anagnia nunc vulgo *Anagni*, urbs Latii, ditionis Pontificiæ, hanc Inscriptionem Antonino Caracallæ dicaverat.

Anatilii

Anatilii, & Heraclea.

Tabula reperta in urbe S. Gilles in Occitania.

ATAVLPHO FLAVIO
POTENTISSIMO REGI REGVM RECTISSIMO
VICTORI VICTORVM INVICTISSIMO VANDALICAE
BARBARIEI DEPVLSORI ET CAESAREAE PLACIDIAE
ANIMAE SVAE DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS
ANATILII NARBONENSES ARECOMICI
OPTIMIS PRINCIPIBVS IN PALATIO POSVERVNT
OB ELECTAM A SE HERACLEAM IN REGIAE
MAIESTATIS SEDEM

Ex Bouche Hist. Provinc.

Anatilii Plinio & Ptolemæo Occitaniæ Regio circa Rhodanum, ubi nunc urbs *Fanum S. Ægidii* S. Gilles, in qua repertum marmor; ea propter Jo. Poldo Dalbenas existimat eandem urbem esse quæ Heraclea olim vocabatur: quanquam & Anatilium dictam fuisse urbem hanc putent alii. *Arecomici* alia regiuncula, in qua Nemausus.

Antipolis.

Antipoli.

M. MOLTELIO C. F. VOLT. SECVN
DINO FLAMINI IIVIRO ANTIPOLI
HEREDES EX TESTAMENTO

Ex Bouche Hist. Provinc.

Antipolis urbs maritima Provinciæ, vulgo *Antibe*. Hujus urbis *Flamen & Duumvir* erat *Marcus* hic *Moltelius Caii filius Secundinus Voltinia tribu*. Urbs est antiquissima, in qua ante biennium maxima Romanorum Numismatum copia reperta est, dum portus repararetur. Nomen ejus Græcum est, eo quod a Græcis, sicuti Massilia, fundata fuisset.

Alpes Cottiæ & Maritimæ.

I

Segusii vulgo Suse.

SALVIS DDD. NNN. VALENTE
GRATIANO ET VALENTINIANO
THERMAS GRATIANAS DVDVM
COEPTAS ET OMISSAS
Q. MAG. ALPIVM COTTIARVM
PRAEFECTVS EXTRVXIT ET VSVI SE
GVSINAE REDDIDIT CIVITATI FIRMAVIT ET
FISTVLAS DEDIT AQVAM DEDVXIT NE QVID
VEL VTILITATI VEL VRBIS DEESSET
COMMODITATI

Ex Guichenon & Bouche Hist. Provinc.

2

Cemenelii.

D. M.
M. M. A.
FLAVIAE BASSILLAE CONIVG. CARISSIM.
DOM. ROMA MIRAE ERGA MARITVM AMORIS
ADQ. CASTITATIS FEMINAE QVAE VIXIT
ANN. XXXV M. III. DIEB. XII. AVRELIVS
RHODISMANVS AVG. LIB. COMMEM. ALP.
MARIT. ET AVRELIA ROMVLA FILIA
IMPATIENTISSIM. DOLOR. EIVS ADFLICTI
ADQ. DESOLATI CARISS. AC MERENT. FERET
FEC. ET DED.

Ex Joffred. Histor. Nicens.

Alpes Cottiæ a rege Cottio ita dictæ, Coctiæ & Coctianæ aliis, Sabaudiam a Pedemontio separant, inter quas mons Cenisius. Maritimæ ad Ligusticum mare.

Asta.

1

Astæ.

P. VRVINVS Q. F. TAVRIN.
AEDILIS ET PONTI SVPER
FLVMINE TANARO STRATO
AC IVL. CAES. APVD ASTAM
PRAEF. SIBI ET POMPELIAE
VXORI ET AVREL. VRVINO FIL.
T. T. V. F.

Ex Guichenone.

2

Astæ.

L. AVR. GALLO
VIRO FORTITVDINE
ET ANIMI ET CORPORIS
INSIGNI OB EGREGIA
FACTA CIVITATE DONATO
VITA FVNCTO
CIVITAS ASTENSIS
ET NATI P. P.

Ex Guichenon.

3

In pago de Manfreon.

AELIAE AELIANAE
MVLIERI PVLCHRITVDINE
FORMAE VENERI PRVDEN
TIA ET ALIIS VIRTVTIB.
PALLADI COMPARANDAE
OB CIVITATEM A BELLO
VESI FVRORE SERVATAM
ASTENSES
OPTVMAE CIVI
P. P.

Ex Guichenon Hist. Sab.

4

Astæ.

C. TILIVS M. F.
POL. VITAL.
AST. VETERA
NVS MILITAVIT
IN BRITANN.
XXII.....

Ex eodem.

5

Astæ.

M. GARDINO M. F.
OB CIVITATEM IN SVMMA
ANNONAE INOPIA PROPRIO AERE
SVBLEVATAM ASTENS. CIVITAS
OPTIMO CIV.
D. P. P.

Ex Guichenon.

6

Astæ.

SIBI....
DIS M. F. VLLIAE L. N.
VXORI
MONVMENTVM
PRO RE MAGNVM
PRO PIETATE PARVVM
L. M. IN FR. P. XII.
IN AGRO P. XXIIII

Ex eodem.

7

Astæ.

TITVS ANNIVS AGNANVS
L. AEMILIVS AGNANVS NATVS ROMAE
ASTE EDOCATVS MEMOR EXTREMI FATI
SIBI SYLVIAE VXORI KAR.
P. VIVENS
L. E. D. P. P.
QVI HIC QVIESCERE VOLET ITA IVSTE
VIVAT VT NOBIS AEQVARI POSSIT

Ex eodem.

Asta urbs Liguriæ ad Tanarum, nunc *Aste* Duci Sabaudiæ paret. In 3. Inscript. habet Guichenon AELIANAE AELIANAE, qui manifestus vel exscriptoris vel Typographi error pro AELIAE AELIANAE. Est enim Ælia familia: sed ut verum dicam, hæc Inscriptio non parum mihi suspecta est, ob nimiam Bellovesi antiquitatem, quo tempore rudior erat lingua Latina. Secundam sic deformat LEYR. GALLO: quid enim LEYR. illud sibi velit, nemo est qui divinet, nisi mecum reponat L. AVR. Lucio Aurelio.

Aricia.

Vide Inscriptionem supra inter Collegia relatam, ad *Collegium Lotorum*. *pag.* 775.

Bregantium, vel Bregantionetum.

In pago Brianſonnet Diœceſis Glandevenſis.

IMP. CAES.
L. DOMITIO
AVRELIANO
P. F. INVIC.
AVG. P. M.
ORD. BR. F. C.

alii leg. BREG.

Ex Hist. Provinc.

Id est, *Imperatori Cæsari Lucio Domitio Aureliano Pio Felici invicto Augusto Pontifici Maximo Ordo Brigantinorum fieri curavit*. Ex qua colligere licet pagum illum, Bregantii sive Brigantii nomen antiquitus habuisse, sicut & aliæ urbes homonymæ.

In territorio Brigantino vulgo de Briancon.

MARIAE MATERNI FIL.
LVCILLAE MARIVS
MATERNVS IVLIA MATERNA
FILIAE MARII PATERNVS ET
IVLIANVS SORORI CARISSIMAE
L. D. D. D.
FVNDEMO MATERNVM OB
HONORES II VIRAT. ET FLAMON.
BENE GESTOS PATRON. COOPT. A. R.
BRIG.

Ex schedis Peireskii.

Beneventum.

Vide supra in Virorum Illustr. monumentis pag. 895.

Capua.

Neapoli in æde S. Severini.

POSTVMIO. LAMPADIO. V.C.
ET INLVSTRI. CONS. CAMP. Consulari Campaniæ
RESTITVTORI. PATRIAE. ET. REDINTEGRATORI
OPERVM. PVBLICORVM
ORDINIS. PROVISORI. POPVLI. SVBVENTORI
OB. INSIGNIA. EIVS. VNIVERSA. PATRONO
LONGE. A. MAIORIBVS. ORIGINALI
ORDO. CAPVENSIS
VOTI. ET. OBSEQVII. SVI. PIGNVS. LOCAVIT

Ex Capacio.

Capua antiquissima & celeberrima Campaniæ urbs, ita olim superba ut Romæ præferri voluerit, a cujus ruderibus Capua nova duobus distat milliaribus. Lampadius iste videtur idem esse qui anno Christi 366. sub Valentiniano I. Præfectus fuit urbis Romæ, & antea Præfectus Prætorio, de quo Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 2. & Lacarry in Historia Christiana sub Præfectis Prætorio.

Civitas Caturigum.

In oppido Chorges Delphinatus, lapis sive cippus duabus faciebus inscriptus.

	Ab una facie.	*Ab altera facie.*
	. . . .	. . . .
	F. INV. AVG. II	PIO PRINCIPI INVICTO
	COS. PROCOS	AVGVSTO RESTITVTORI ORBIS
	CIVIT. CATVR. D. N.	PROVIDENTISSIMO RETRO
Linea corrupta	E CVRIE PEC. E DIC. FE.	PRINCIPVM AC SVPER OMNES
	P. CVR. RO. AL.	FORTISSIMO ANNIVS RVFFINVS
		VT PROCVRATOR ALPIVM MA
		RITIMAR. DEVOTVS NVMINI
		MAIESTATIQVE EIVS

Ex Boessæi Miscellis & Bouche Hist. Provinc.

Prior facies apud Gruterum desideratur, altera quidem ibi legitur pag. CCLXXXVII. 7. sed valde incorrecta: ideoque utramque hic damus.

Ex hac Inscriptione discimus illud oppidum Delphinatus, qui nunc *Chorges* vocatur ad Druentiam, fuisse eandem urbem quæ *Civitas Caturigum* dicebatur. Forte eadem est quæ in notitia Imperii in provincia Alpium maritimarum vocatur *Civitas Rigomagensium*, seu ut melius scriberetur *Caturigomagensium*. Vide Bouche Hist. Provinc. Provinciæ autem minus hostibus expositæ, ut hæc Alpium maritimarum, per Procuratores regebantur, qualis hic Annius Ruffinus.

Crotona Colonia.

1	2
Romæ.	*Crotonæ.*
DIIS MAN.	FVTIAE C. F. LOLLIANAE
L. ANTONIO	FILIAE PIISSIMAE C. FVTIVS
L. F. QVIR. OLYMPIONICO	ONIRVS ITERVM II VIR. ITEM
CROTON.	DEDIT DECVRIONIBVS HS X̄ N̄
MILIT. LATERANO LEG. III. PARTH.	VT EX VSVRIS EORVM QVOD
MIL. ANN. XX VIXIT	QVOD ANNIS VII IDVS APRILES
ANN. CIII D. XV	NATALE FILIAE MEAE EPVLAN
L. ANTONIVS L. F. QVIR.	TES CONFREQVENTETIS
MARCIANVS	HS CCC N̄ ET IN PROFVSIONI
H. S. F.	BVS HS CC N̄ NEQVE IN ALIOS
Ex sched. Barber.	VSVS CONVERTATIS
	L. D. D. D.
	Ex Gualterii Sicil. Antiq.

3

Crotonæ.

L. LOLLIO L. F. L. N. L. PRON.
COR. LOLLIO MARCIANO — Cornelia Tribu
EQVO PVBL. ORNATO PATRONO
COL. OMNIBVS HON. FVNCTO
FVTIA C. F. LONGINA MATER
FILIO PIISSIMO OB CVIVS
STATVAE DEDICATIONEM
DECVRIONIBVS AVGVSTALIBVS
EPVLANTIBVS POPVLO
VIRITIM DIVISIONEM DEDIT
L. D. D. D.

Ex eodem.

Crotona urbs olim Bruttiorum Athletis celebris, Colonia vocatur in tertia Inscriptione Lollii Marciani patroni Coloniæ. Cur ibi vox Lollio repetatur ignoro, nisi sit mendum fabrile.

Natale filiæ meæ: Dies natales publica cum lætitia celebrabantur, unde in iis Crustum & Mulsum dabatur, oleum & vinum distribuebatur, cujus profusionis qua sepulchra aspergebantur hic mentio fit, & ante Statuas Lectisternia ponebantur. In Martyrologiis *Natalis Martyrum* dicitur eorum mors.

Capsa.

Romæ.

DIIS MANIBVS
M. ANTONIO M. F.
SERGIA
PATERNIANO
NAT. CAPSA
TRIB. LEG. III. PARTH.
MIL. ANN. XVI.
VIX. ANN. XXXIX.
M. VII. D. IX.
IN FR. P. III. IN AG. P. III. S. — Id est Semis.
M. AVRELIVS BASSVS COLL. S. — Collegæ suo.


Ex sched. Barberin.

NAT. CAPSA, *Natione Capsa* quæ est urbs Africæ, ubi olim erant thesauri Jugurthæ. Florus lib. 3. cap. 1. Marius *urbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus, arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit.*

Cemenelium.


In territorio Cemenelii vulgo Cimies, prope Niciam Provinciæ.

Niciæ.



Ex D. Demazaugues.

Niciæ.



Ex Bouche Hist. Prov.

Niciæ.

L. VENIREIVS PICTVS
D. S. CEMENSE VICO SIBI ET
LIBERT. LIBERTAB. POSTERISQVE EOR.
C. METILIA C. F. C. MARIVS C. F.
. . . .

Ex Peiresk. sched.

Cemenelium urbs olim satis ampla antiquitates multas ostentans, nunc viculus est sive fere tantum rudera vulgo *Cimies*, de qua consule Joffredi Hist. Niciens. & Bouche Hist. Provinc.

Civitas Pompejonensis.

Vide infra in Sectione sequenti inter Decreta & Senatusconsulta.

Colonia Alba Pompeja.

In Oppido Cereal. territorii Albensis.

P. CORNELIO P. F. L. N. AFRICANO
ET CN. POMPEIO MAGNO CN. F. SEX. N.
ALBAE INSTAVRAT. S. P. Q. CERIALIS D.

Ex Guichenon Hist. Sabaud.

Taurinis.

. . CAM. CELSO
AED. PLEB. CERIAL. Q. ADLECT. IN
SENATVS ORDINEM AB DIVO
NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO
PRAEF. COH. BREVCOT. MVNICIPIO SVO
ALBA POMPEIA PATRONO COLONIARVM
MVNICIPIORVM ALBAE POMPEIAE
AVG. BAGIENNORVM
. .ENS GENVENS. AQVENS. STATIEL.

Ex Guichenone qui eam incorrecte citat.

Alba Pompeja Colonia fuit in Liguria ad Tanarum flumen a Pompejo Magno instaurata, quæ etiamnum hodie *Alba* vocatur, in Ducatu Montisferratensi. *Augustam Bagiennorum*, cujus & hic mentio, putant fuisse, quæ nunc *Saluces*. *Genuenses* etiam Liguriæ populi notissimi. *Aquenses Statiellenses* incolæ urbis, quæ Aquæ Statiellæ audiebat, vulgo nunc *Acqui* in eadem regione. *Ceriales* vero territorii Albensis nomen retinent.

Colonia Augusta Ariminum.

Ventavon urbe Pedemontii.

DIS MANIB.
Q. CAETRONI Q. FIL.
VOLT. TITVLLI VETER.
COH. VII. LOCO II VIR. PONTIF.
COL. AVG. ARIM. PRAEF.
PAGI EPOT. FLAM. AVG. ET
MVNER. PVBLICI CVRAT.
AD DEAM. AVG. VOC.
HERED. EX TEST.

Ex Peiresk. sched.

Ariminum, qui nunc Rimini, Æmiliæ regionis urbs ad Rubiconem, ubi pons est antiquus ab Augusto & Tiberio, ut innuere videtur inscriptio, inibi extructus, cujus territorii forte *Pagus Epotianus* hic memoratus. *Dea Augusta Vocontiorum*, in qua Flamen & muneris publici curator erat Quintus Cætronius, urbs est perantiqua quæ nunc *Die* appellatur in Delphinatu.

Colonia Julia Apta.

Aptæ in æde Cathedrali.

	1	2
	C. ALLIO C. F.	T. CAMVLLIO
Voltinia tribu	VOLT. CELERI	T. FIL. VOLT. AEMI
Flamini	IIII VIR. FLAM.	LIANO FLAMINI
	AVGVR. COL. I.	IIII VIRO COL. IVL. APT.
Ex quinque decuriis.	APT. EX V. DEC.	ORDO APTENSIVM
	VORDENSES	. . . .
	PAGANI	TAS..HONORE
	PATRONO	CONTENTVS IMPENDIVM
		REMISIT

Ex Peireskii schedis.

Erudi-

Eruditiss. Vir Ægidius Lacarry qui de Coloniis a Gallis ad exteras nationes & ab exteris nationibus ad Gallos missis librum edidit, hujusce Coloniæ non meminit, eo quod ex solis Inscriptionibus Coloniam fuisse sciri poterat, tacentibus libris. Vocabatur ergo *Colonia Julia Apta* hæc Provinciæ urbs, quæ nunc *Apt*, ab Julio Cæsare deducta. *Pagus Vordensium* in ejus territorio Geographis est ignotus.

Colonia Julia Paterna Arelate, & Pagus Lucretius.

In pago Gemenos 4. leucis ab Aquis Sextiis, in ædicula Deiparæ.

PAGANI PAGI LVCRETI QVI SVNT
FINIBVS ARELATENSIVM LOCO GARGARIO
Q. COR. MARCELLI LIB. ZOSIMO IIIIII VIR.
AVG. COL. IVL. PATERNA ARELATE OB
HONOREM EIVS QVI NOTVM FECIT
INIVRIAM NOSTRAM OMNIVM SAECVLORVM
SACRATISSIMO PRINCIPI T. AELIO ANTONINO
,...R.ROMAE MISIT PER MVLTOS ANNOS
AD PRAESIDES PROVINCIAE PERSECVTVS EST
INIVRIAM NOSTRAM SVIS IMPENSIS OB HOC
DONAVIT NOBIS INPENDIA QVAE FECIT
VT OMNIVM SAECVLORVM SACRATISSIMI
PRINCIPIS IMP. CAES. ANTONINI AVG.
PII BENEFICIA DVRARENT PERMARENTQVE
QVIBVS FRVEREMVR...S. ET BALINEO GRATVITO QVOD
ABLATVM ERAT PAGANIS...... QVOD VSI FVERANT
AMPLIVS ANNIS XXXX

Exscripsi.

Eximius iste lapis repertus fuit in loco dicto S. Iean de *Garguies* ad radicem montis excelsi, in quo crypta Divæ Magdalenæ, qui locus erat ille in Inscriptione proculdubio memoratus *Gargarius* dictus. *Pagus Lucretius* pariter Geographis ignotus, potuit esse in illa planitie quæ extenditur ab urbe Aubagne ad montem usque. Pagus enim aliquando pro territorio multos vicos & oppidula capiente usurpabatur, unde *Pagus Urbigenus* in Helvetiis. A *Pago* autem *Paganus* ejus incola, & nostrates voces *Pays & Paysan*. In *Aubagne* vicina urbe forte fuit *Balneum* in lapide memoratum a quo potuit sortiri nomen suum, *Ad Balnea*; id enim significat Provinciali illo idiomate *Au Bagne*.

Fuerat autem hæc Inscriptio sculpta in honorem Quinti Cornelii, Marcelli Liberti Sextumviri Augustalis Coloniæ Juliæ Paternæ Arelates, qui horum Paganorum Pagi Lucretii injuriam persecutus erat Romæ regnante Imperatore Antonino Pio, balneumque ipsis ablatum restitui curaverat, ut fusius in marmore exprimitur.

Fines Arelatenses hucusque extendi non mirum, cum esset olim civitas florentissima: confirmatque lapis sequens in Castellum Sancti Antonini delatus 3. ab Aquis milliaribus.

Lapis repertus ad radicem montis Sanctæ Victoriæ.

Ex una parte.	*Ex altera parte.*
FIN AQ.	FIN. AREL.

Id est *Fines Aquenses* & *Fines Arelatenses*. Mos enim erat antiquis lapidibus Terminalibus uti ad territoria dirimenda. Sic in Isthmo Corinthiaco Columna erecta fuit ab una parte inscripta HVC VSQVE IONIA, ab altera HVC VSQVE PELOPONNESVS.

Quia autem de Arelate sermo, non tacendum frustra disceptasse Viros Eruditos & inter hos Scaligerum in Commentariis ad Ausonium, quare Arelate diceretur in Inscriptione Mamiliaria, an ob soli fertilitatem, aliudve; cum ortum huic quæstioni dederit sequens Inscriptio a Grutero citata, & male accepta.

Arelate, in Columna.

SALVIS DD. NN.	
THEODOSIO ET	
VALENTINIANO	
P. F. V. AC TRIVM.	
SEMPER AVG. XV	
CONS. VIR. INL...	*Inlustris*
AVXILIARIS PRAE...	*Præfectus*
PRAETO. GALLIA...	*Prætorio Galliarum*
DE ARELATE MA..	
MILIARIA PONI S...	*Aliis loco S. habet P.*
M. P. I.	

Ex Scaligeri ac Knibbii schedis.

Ubi manifestum est, hic *Arelatem* non vocari Mamiliariam, cum tria puncta intersint MA..MILIARIA. At multo verisimilius est, ut ad me scribens olim notabat Eruditus Guyranus Nemausensis, interpretandum MATRE MILLIARIA: quod ibi regionis vicinæ inciperent Milliaria, uti ex variorum Milliariorum in vicinia repertorum cognosci potest: adde quod hic lapis ipsemet sit Milliarium, ut ex tribus intelligitur literis finalibus M. P. I. id est *Milliarium posuit primum*. Ecce quædam ex his Milliaribus prope Arelatem.

1
Cippus in Campo lapideo vulgo la Crau. 4. mill. ab Arelate.

CAESAR. DIVI F.
AVGVSTVS PONT.
MAXIMVS COS.
DESIGNATVS
TRIB. POTESTATE
IIII

Ex schedis Peiresk.

2
Ibidem in via Aurelia.

PATER PATRIAE
IMP. CAESAR. DIVI F.
AVGVSTVS
VII

Ex schedis Peiresk.

3
Non longe a præcedenti.

PATER PATRIAE
IMP. CAESAR. DIVI F.
AVGVSTVS PONT.
MAXIMVS COS.
DESIGNATVS XI
TRIBVNIC. POTEST.
VIII

Ex sched. Peiresk.

4
Ad Campum lapid. loco dicto le Paradet.

....
....
IMP. XIIII
TRIBVNI...
....
X

Ex schedis Peiresk.

5

Cippus in campo lapideo juxta viam antiquam Aureliam, prope locum le Mas del Brau.

PATER PATRIAE
IMP. CAESAR. DIVI F.
AVGVSTVS PONTIFEX
MAXIMVS COS. XII.
DESIGNATVS XIII
TRIBVN. POT. XXIII
XI

Ex ſchedis Peiresk.

Colonia Julia Auguſta Flor.

Lapis repertus in pago Arbin Sabaudiæ, & in Caſtellum Montmelian translatus.

T. POMPEIO T. F. FAB. ALBINO TRIBVNO MIL.
LEG. VICTR. SVB PROVINC. LVSITANIAE I. D.
COL. IVL. AVG. FLOR. V. POMPEIA
T. FIL. SEXTINA

Ex Guichenon Hiſt. Sabaud.

An legendum *Colonia Julia Auguſta Florentia*, ut de celebri Italiæ urbe intelligatur, an alio pacto, dubium eſt. Potuit enim eſſe Colonia Luſitaniæ, cujus in marmore mentio fit. V. illud poſt vocem FLOR. poteſt eſſe VICTRIX, ita ut quemadmodum Tarraco in Hiſpania Colonia Victrix Tarraco, ſic iſta Colonia Julia Auguſta Florentia Victrix vocetur.

Colonia Julia Equeſtris.

Genevæ.

L. IVL. P. F. VOL. BROCCHVS VAL.
BASSVS PRAEF. FABR. BIS TRIB.
MIL. LEG. VIII AVG. IIVIR IVR. D.
IIIVIR LOC. P. P. AVGVR. PONTIF. IIVIR.
FLAMEN IN COL. EQVESTRE VI ANIS
GENAVENSIBVS LACVVS DAT

Exſcripſi.

Colonia Equeſtris ſive IVLia *EQueſtris*, ut in alio marmore Genevæ legitur, Geneva non eſt, ut putarunt nonnulli authores, ſed oppidum *Nions* 4. ab hac urbe leucis: unde in notitia Imperii Theodoſii ætate ſcripta legitur *Civitas Equeſtrium Noviodunum*. Et itinerarium Antonini hanc a Geneva recte diſtinguit, primam ſcilicet Civitatem Genavenſium in Viennenſi Provincia collocans & Civitatem Equeſtrium ſive Nevidunum in Sequanenſi. Nummum etiam ſive monetam 400. circiter annos antiquam in hi-

ſtoria Genevenſi produxi,quæ ab una parte habet CIVITAS EQVESTRI circa crucem:ab altera SEDES LAVSANAE circa frontiſpicium Eccleſiæ Cathedralis: at Geneva Sedem Viennenſem non Lauſanenſem agnoſcebat. Vera igitur Sedes hujus Coloniæ erat inter fluviolos *la Verſoy* & *l'Aubonne* juxta lacum Lemannum, qui tractus in antiquo codice anni 1011. apud Guichenonem *Pagus Equeſtricus* dicitur, adhucque inter incolas *les Enqueſtres*. Cujus præcipuum oppidum erat *Nevidunnm*, Nions, Colonia ſcilicet a Julio Cæſare deducta ob irruptionis Helvetiorum metum, Equeſtribus copiis inſtructa, ideoque dicta *Julia Equeſtris* in alia Inſcriptione, quam in Hiſtoria Genevenſi retuli & explicavi, ſive *Civitas Equeſtris*: nec mirum ſi Genevæ reperiantur lapides ejus mentionem facientes: certum enim eſt aliquos huc translatos, alios vero nomen ejus referre quanquam Genevæ ſculptos, ob viciniam, & varia officia, quibus aliquis Genevæ degens in Equeſtribus poſſidere poterat.

Colonia Lucenſium.

Lucæ, in Columna, ubi olim forum erat.

AVGVSTO LIBERATORI NATIONVM
ORBIS ROMANI
INSTITVTORI LIBERTATIS HETRVSCAE REIP.
CONSERVATORI MILITVM TVTORI LEGVM
ET BONO REIP. NATO
COLONIA LVCENSIVM
DIVO TIBERIO CLAVDIO QVARTO EIVS AN.
NERONI INVICTO PATRI PATRIAE ROMANORVM
SEMPER AVGVSTO

Boldonus ex Hiſt. Lucenſ. Manuſcripta.

Colonia Luca ſive Lucca, quæ etiamnum nomen retinet Reſpublica nulli ignota hanc columnam Auguſto Cæſari dedicaverat, quæ eum elegantibus exornat epithetis.

Colonia Napuca.

Clauzenburg ſive Claudiopoli, quæ olim Napuſa ſive Napuca.

NVMINI AVG.
M. VLP. CAECIL.
BASSIANVS
M A G.
AVGVSTALIS
COL. NAP.
D. D.

Ex Reineſ. Epiſt. ad Hofman. pag. 134.

Colonia Napuca a Ptolemæo in Dacia memoratur, quæ nunc vulgo *Clauzenbourg*, hoc eſt *Claudiopolis* in Tranſſylvania, & *Koloſvvar* Hungaris audit. In eadem urbe lapis inſertus muris hæc duo verba ſculpta habet COL. NAP. idemque in lateribus terræ coctæ. Ergo *Napuca* non eſt, ut putavit Lazius & poſt eum alii Geographi, urbs illa quæ Germanis *Buſaten* vocatur, quinque milliaribus Germanicis a Claudiopoli diſtans.

Colonia Neapolis.

In antiquis ruinis Cumæ.

S. P. Q. NEAPOLITANVS
D. D. L. ARRVNTIO L. F.
GAL. BAEBIO CENSORI
REIPVB. NEAP.

Ex Scipionis Mazell. antiquit. Puteol.

Neapoli.

NEAPOLITANI
. . . . O COMINIO PRIS
CO V. P. MAGISTRO
ludORVM PATRONO
ColonIAE SACERDOTI
AugVRVM AGONOTHET.

Ex Capacio.

Neapoli.

AVRELIO SYMPHORO
AVG. LIB. OFFICIALI VETERI A MEMORIA
ET A DIPLOMATIBVS EXORNATO ORNAMENTIS
DECVRIONALIBVS ORDO CIVIT.
OB MEMORIAM ET INSTANTIAM
ERGA PATRIAM CIVESQ.

Ex Capacii hist. Neap.

Neapolis celeberrimum Italiæ Emporium, ita nominata ab Augusto Imperatore cum prius Parthenope vocaretur a Parthenope Eumeli filia ejus conditrice, plurimas habet inscriptiones antiquas a Grutero, Summontio & Capacio memoratas.

Colonia Nemausus.

1

Nemausi.

DEO SILVANO ET LIBERO
PATRI ET NEMAVSO
. . ARCHVS SINODI

Ex Guyrani sched.

3

Nemausi.

D. M.
M. VERNONII VI
RILLION. AED. COL.
VIRILLIA TITIA
MARIT. OPTIM. ET
VERNONIVS TITVS
FIL. PATRI PIISSIM.

Ex Guyrani libello de nummo Nemaus.

2

Nemausi.

D. M.
Q. AEMILII FIRMI
AED. COL. ET *Ædilis Coloniæ*
CLOVSTRIAE SVAVIS
VXORIS
AEMILIANVS FIL.

Ex Guyran. lib. de nummo Nemaus.

4

Nemausi.

IIIII VIR AB AER.
POMPEIA SERVATILLA
VIRO PIENTISSIMO
IIIIII VIR. AVG.
Q. MARIVS PHILOLOGVS V. S. P.

Ex Grassero.

5

Nemauſi.

SEX. AVRELI ZOSIMI
STATORI NEM.
AVRELIA COSMIA
FRATRI PIISSIMO
L. LETIVS MARVLLVS
IIIIII VIR AVG. DECVR. ORNAM

Ex Graſſeri antiquit. Nemauſenſ.

1. *Nemauſus* conditorem & Patronum colebat Nemauſum filium Martis putatum: ejus enim habitu in Coloniæ nummis exhibetur. 2. 3. 4. 5 Coloniæ habebant Ædiles, Quartumviros, Statores & Decuriones, non ſecus ac Roma ipſa Coloniarum Latinarum mater & archetypus.

Colonia Claudia Copia Lugdunum.

Lugduni, nunc in pagum Ternay tranſlata.

Extat hæc Inſcriptio apud Gruterum, ſed incorrecte.

D. M.
ET MEMORIAE AETERNAE
C. VLATTI MELEAGRI IIIIII VIR. AVG.
C. C. C. AVG. LVG. PATRONO EIVSDEM
CORPORIS ITEM PATRONO OMNIVM
CORPOR. LVG. LICITE COEVNTIVM
MEMMIA CASSIANA CONIVNX
SARCOFAGO CONDIDIT ET S. A. D.

Lugduni in vico de Flandres.

. . . .
C. VLAT.
ASPR. . . .
SEGVSIA . . .
HONO . . .
F V . . .
C. VLATTI

Exſcripſi.

Reineſium virum Antiquitatis peritiſſimum mire torquebat vox illa ſecundæ lineæ CVLATTI quæ apud Gruterum legitur, cum nulla ſit familia *Culattia*, neque Romanum videatur nomen, reponebatque STLACCI: ſed corrigendi Gruterus & Paradinus, legendumque C. VLATTI, ut ex adjuncto fragmento, id diligentius examinans, certior factus ſum. At primam meam ſententiam, quam in Antiquitatibus noſtris Lugdunenſibus Gallice editis aperui, retractare cogor, meamque fateri ignorantiam, dum has voces IIIIII VIR C. C. C. AVG. LVG. ita male explicavi cum Paradino *Sextum Viri Auguſtalis trecentorum Augurum Lugdunenſium*. AVG. enim nunquam cum unico G. Augures in plurali deſignat, ſed *Auguſtus*, *Auguſta*, *Auguſti*, *Auguſto*, ſecundum ea quæ præcedunt. Adde quod puncta inter tria C. C. C. trecenta ſignificare etiam non poſſunt: & trecentos Augures Lugduni fuiſſe, quis ſibi perſuadeat? Sic ergo cum Scaligero & Grutero exponendum, *Sextumviri Coloniæ Claudiæ Copiæ Auguſtæ Lugduni* vel *Luguduni*, ut ex Inſcriptione Gruteriana, quæ in pago *Tein*, ubi ita nominatur integris fere vocibus, patet. *Claudia* dicta ob beneficia a Claudio accepta, qui Lugduni natus erat, *Copia* a frugum copia, *Auguſta* in Auguſtorum & præcipue Claudii Auguſti honorem: ſed id cognomen forte tantum ætate Claudii, aut ſaltem paulo poſt ſubſtitit; inde fit ut apud Authores non reperiatur. Hujus autem urbis antiquitates, quia fuſiori ſtylo libro peculiari, in quantum potui, explanavi, paucas ſeligam Grutero ignotas inſcriptiones.

1

Lugduno in Insulam Barbaram translata.

D. M.
ET QVIETI AETERNAE
C. VICTORI.... VRICI SIVE
QVIGVRONIS CIVIS LVG. INCORPORATO
INTER VTRICLAR. LVG. CONS. QVI
VIXIT SINE VLLIVS OFFENSA
ANN. XVII M... D. V. CASTAVRINA
MATER VNIC. FILIO PIISS. PONENDVM
CVRAVIT ET SVB ASC. DEDICAVIT

Exscripsi.

2

Lugduni.

D. M. ET. QVIETI AETERNAE
AVRELIAE MVNATIAE CONIVGI
CARISSIMAE ET INCOMPARABILI
QVAE VIX. ANNIS XXIIII MENS.
VI DIEB. IX. QVINCIO AVG. LIB.
TABVLARIVS XXXX GALLIARVM
SVB ASCIA DEDICAVIT

Ex Reines. Epist. ad Hofman. p. 318.

Utriclarii erant nautarum genus a navicularum genere, quæ utriculi dicebantur: quorum mentionem faciunt plurimæ Inscriptiones.

XXXX. *Quadragesima Galliarum* erat tributum aliquod Cæsarum fisco debitum.

Sub ascia dedicare frequentissima in lapidibus hujus regionis formula. Ascia instrumentum est quo monumenta dedolantur. Lex XII. Tabularum *Rogum ascia ne poleito*: ideoque in omnibus fere inscriptionibus ubi hujus formulæ mentio est, Ascia in superiori parte insculpta. Vult tamen Nicolaus Chorier Eruditus Antiquitatum Viennensium enarrator, *sub ascia* nihil aliud esse, quam sub dio, sive in loco sine umbra, ex Græca voce *ἀσκία* quod est sine umbra.

1

Lugduni 1678. reperta ad D. Irenæum.

D. M.
ARTILIAE MARTIAE
T. MVNAT. FELIX.
Curator CVR. IIIIII VIR. AVG. LVG.
CONIVGI INCOMPARABILI
ET SIBI VIVVS POSTE
RISQ. SVIS POSVIT ET
SVB ASCIA DEDICAVIT

Exscripsi.

3

Lugduni apud D. Mascrany.

IVLIA ADEPTA
HIC ADQVIESCIT
L. IVLIVS CVPITVS
MATRI ET SODALES
DE SVO ET PERPETVA
FIL.

Exscripsi.

2

Soloturri, Soleurre, apud D. Surry.

MERCVR. AVG. VALER. HISPA
NVS IIIIII VIR AVG. LVGVD.
EX S. VOTO *Ex suo Voto*

Ex D. Stoffel Ducis Virtemb. Neustad. Consiliario.

4

Lugduni.

D. M. ET MEMORIAE AETERNAE
AVFIDI MILITARIS QVI VIXS. ANN.
XXII CVIVS SVPREMA TALIA FVERVNT
HIC IENS IN CVRAM PER AMNEM
ARAR. SVBITO CASV ABREPTVS HVNC
TVMVLVM POSVIT L. IGNIVS CHARITO
SORORIVS EIVS ET CLAVDIANVS
DVLCICIVS SOROR. SIBI POSTERISQ.
SVIS ET SVB ASCIA DEDICAVIT

Ex Reinesio.

1. Sextumviri Augustales in omnibus fere Coloniis Romanis, erant sex Magistratus annui ab Augusto ordinati, de quibus consulendi, qui de Magistrat. Roman. scripsere.

2. *Mercurio Augusto*. Cognomen Augusti passim Diis tribuitur in marmoribus. LVGVD. Antiquiores aliis lapides sunt qui sic nomen urbis scriptum habent. Lugudunum enim prius dicebatur, quæ postea Lugdunum, teste Dione Cassio; ubi ejus fundationem a Munatio Planco & Lepido persequitur, XLIII. annis ante Christi Salvatoris nativitatem.

3. Julia Adepta quæ hic quiescebat, conjux erat Nobilis Servatoris æquitatis monetæ Tiberii Cæsaris, & mater Lucii Julii Cupiti & Perpetuæ, ut ex hac Inscriptione, & alia Gruteriana pag. DLXXXIII. 8. patet: sed hunc Tiberium non censeo fuisse Augusti filium, sed Tiberium secundum, Christianum Imperatorem, sub finem sexti sæculi: siquidem rudi litera insculpti hi duo lapides, multasque Paganismi notas habent. *Sodales* sunt opifices monetarii, qui sub hujus viri dispositione erant.

4. IN CVRAM forte legendum *in curiam* vel *in curru*, errore descriptoris; eam enim nusquam reperire potui.

Lugduni ann. 1676. reperta in Suburbio Veze.

DIIS MANIBVS
C. AVCI GAL. *allia ribu*
CELERIS IIIIII VIR.
AVG.
C. AVCIVS MACRINVS
PATRI

Exscripsi.

Lugduni, in horto extra portam D' Alincourt.

PATERNO
VRSO
TVRONO
OMNIB. HONO
RIB. APVD SVOS
FVNCTI-
GALLIAR...
P....
EX CIVITATE
SVA
III PROVINC.
GALLIAE

Exscripsi.

Cum hac priore basi reperta fuit urna lapidea rotunda, quæ ipsi imposita erat, aut esse debebat, cum urna plumbea intra eam: & tandem intra plumbeam urna vitrea instar urcei cum operculo & lachrymatorio.

Lugduni.

ATTIO ALCIMO
V. E. PROC. FERRAR
ARVM
COGITATINIVS IV
VENIS B. F. LEG. LE..
....

Exscripsi.

Lugduni, apud Comitem de Savigny, basis.

DEDIC. XVIII. SEPT.
ORFITO ET MAXIMO
COS.

Ex altera parte.

D. M.
ET MEMORIAE
DIOC.. N....
.....

Exscripsi.

Lugduni.

D. M.
ET MEMORIAE AETERNAE
TITI VETTI DECIMINI VETE
RANI LEG. VIII. IMMVNI
CONSVLARIS HOMINIS
OPTIMI ET VERECVNDISSIM.
ET PROBISSIMI
MERCVRIALIA CASATA
CONIVGI KARISSIMO CVM
QVO VIXIT ANNIS XXIII DIES.
XXV. ET DECIMINA FILIA
VIVAE PONENDVM CVRA
VERVNT ET SVB ASCIA DE
DICAVERVNT

Exscripsi.

Lugduni

Lugduni Sarcophagus.

Ad D. Irenæum ann. 1678. reperta, nunc in ædib. prope Nosocomium.

MVRRAE ET VERECVNDO MVRRANI FILIS

QVI LEGIS HAS PVERI MORIBVNDAS PERLEGE VOCES
MVRRA PATRIS PRIMVM REFERENS E NOMINE PATREM
BIS MIHI SEPTENOS AETAS OSTENDERAT ANNOS
CVM SVBITAE PRO FALLAX CAVSA FVISTI
NAM TEMERE EMISSVS NON AD MEA FVNERA CLAVVS
...... PRIMVM PERCVLSI VOLNERE MANES
..... POSVISTIS FVNERE NATI
.... VOCARVNT


ET LACHRYMAM FATIS DA GEMITVMQVE MEIS
AMBORVM EFFIGIEM MATRE FAVENTE TVLI
CERTAQVE IAM NOSTRI FAMA PVDORIS ERAT
LVSVS ET AEQVALIS NON INIMICA MANVS
HAESIT ET IN TENERO VERTICE DELITVIT
PARCITE IAM LVCTV SOLLICITARE MEOS
TRIMVS ET IN DECIMO MENSE SEPVLTE IACES
IMMVNES NOSTRIS OSSIBVS VRNA SAT EST

Exscripsi.

Sarcophagus hic duo corpora fratrum continebat Murræ annos XIV. nati, & Verecundi, trium annorum & decem mensium: quorum primus funesto clavi ictu, qui ab amico projectus, temere ejus attigit & fauciavit verticem.

Colonia Claudia Aprensis, Colonia Julia Philippensis, Colonia Julia Pariana.

Inter rudera Trojæ urbis, basis Statuæ.



Exscripsi.

Apros Colonia, inquit Plinius lib. 4. cap. 11. *quæ a Philippis abest centum octoginta octo mille passuum*, Thraciæ urbs erat. Utriusque autem urbis Coloniæ scilicet Claudiæ Aprensis & Coloniæ Juliæ Philippensis Flamen hic Cajus Antonius Rufus nominatur, sed quod rarius, earundem sive eorundem incolarum Princeps. At Philippi urbs est Macedoniæ, sed in confinio Thraciæ, ad cujus incolas Paulus Apostolus Epistolam scribit. Notandum autem est Juliam cognominari a deductore sive protectore Coloniæ Julio Cæsare. Parium urbs Mysiæ ad Propontidem: hujus meminit Plinius, *Rhedæstum ex adverso Coloniæ Parianæ*. *Rhedæstum* enim quæ nunc *Rodesto*, non *Rezifton* legendum est. Hujus Coloniæ Parianæ Inscriptionem Græcam fœdus cum Cyzicenis continentem referemus in Miscellan. lib. 2.

Scubuli sint ne populi quidam a Geographis omissi, vel quod verisimilius videtur, militum quoddam genus, asserere nequeo. Aderant & ibi duæ aliæ bases, in quarum una legebam VIC. VIII. in alia VIC. IX. reliqua plane similia; an Vicus Septimus, Octavus, Nonus, urbis scilicet vel Romæ vel Trojæ, quæ tunc a Romanis instaurata erat, Coloniæque privilegiis donata.

Colonia Ortona.

Romæ.

MAVORTI VLTORI
Q. NINNIVS Q. F. QVIR. PAETVS
II VIR. COLON. ORTONAE
AVG. ET. VI VIR. AVGVSTAL.
QVINQVENN. II SACRVM

Ex schedis Barber.

Romæ.

APOLLINI AVG. SACRVM
M. PORCILIVS M. F. QVIR. GRATVS Quirina Tribu
EQVIT. ROM. VIVIR. AVG.
PATRONVS COL. ORTON.
IIII VIR QVINQVENN. ET PRAEF.
FABRVM EIVS COLONIAE Dat Dedicat
D. D.

Ex sched. Barberin.

Romæ.

DIS MANIBVS
TITO NOMONTIO T. F. QVIR.
PRIMITIVO PRAEFECTO
FABR. MVNICIP. ORTON.
VIXIT ANN. LXXX M. X.
M. PONTIVS. M. F. QVIR. POL
LIO IIII VIR ORD. ORTON.
ET TEST. F. C.

Ex sched. Barberin.

Gentium fortissimarum Italiæ Frentanorum oppida memorans Plinius, Histonium, Bucam *Ortonamque* nominat, hæcque nunc adhuc nomen servat in Aprutio citeriore. Ptolemæus *Ortonem* quæ eadem est, *Pelignorum* urbem facit. Frentani enim & Peligni admodum vicini, ut pote fluvio tantum divisi. Strabo lib. 5. *Post Aternum Orton est Frentanorum navale & Buca ipsa etiam Frentanorum, ac Teano Apulo finitimum est Frentanis Ortium, saxa a prædonibus insessa, qui sua ædificia ex naufragiis concinnant, vitamque agunt belluinam. Inter Ortonem & Aternum Sagrus fluvius labens Frentanos a Pelignis dividit*. Unde miror Ferrarium in Lexico Ortonam & Ortium confundere, quæ duæ diversæ urbes sunt. Illa autem in prima Inscriptione *Colonia Ortona Augusta* nuncupatur, & in ultima *Municipium Ortonense*; in utrisque vero Duumviros, Quartumviros & Sextumviros fuisse legimus, Coloniarum Magistratus.

Colona Ostia.

Romæ.

IVNONI. REGINAE
D. D. K. I.
Palatina Tribu P. ANNIVS P. F. PAL.
CARVS SACERDOS
NEPT. PATRON.
COLON. OST. QVINQ.
ITER. FL. VESPASIANO
AVGVSTO II ET TITO
VESPASIANO CAES. COS.

Ex sched. Barber.

Romæ.

IOVI OPTIMO MAX. ET
IVNONI REGINAE
SACRVM
M. CORNELIVS M. F. M. N.
LENTVLVS PRAEFECT.
V. S. FABR. OSTIEN.
IIII VIR. QVIN.
SVA PECVN.
V. S.

Ex sched. Barber.

Ostia Colonia Romæ vicina notior est quam ut de ea memorare aliquid debeamus. D. D. K. I. id est *dedicata* ara *Kalendis Januarii* vel *Junii*. Urbs autem cum esset maritima Templum Neptuni habebat, ad quod Sacerdos Publius Annius Carus Patronus Coloniæ.

Colonia Obsequens Julia Pisana.

Pisis, Milliarium in æde Petri.

IMP. CAES. D. N. FL. VALENTI
PIO FELICI SEMP. AVG.
IMP. CAES. D. N. FL. GRATIANO
DIVI VALENTINIANI AVG. FILIO
IMP. CAES. FL. VALENTINIANO
PIO FELICI SEMPER AVG.
DIVI VALENTINI ANI AVG. FILIO
CIVITAS PISANA
Milliarium posuit quartum. M. P..... IIII

Ex Cimentelli libro.

Pisis, in ædib. Cæsaris Roncionii.

D. M.
Q. LARGENNIO
Q. F. GAL. SEVERO
AEDILI PISAS
Q. LARGENNIVS
CHRESIMVS PATER
QVI OB HONOREM
BISELLI HS L̄ N̄V
REI. P. PISANOR.
DEDIT

Ex Cimentelli libro.

Prima Inscriptio est Columnæ Milliariæ a Civitate Pisana positæ, Imperantibus Valente, Gratiano & Valentiniano.

Secundam libro peculiari ex professo explicat Valerius Cimentelli hoc sub titulo, *Marmor Pisanum de honore Bisellii*. Bisellium augurat fuisse sellam duarum personarum capacem, pro quo honore Largennius Chresimus gratitudinis ergo Sestertia quinquaginta nummum Reipublicæ Pisanorum donaverat. Sestertium est mille Sestertii. Parvus autem Sestertius erat moneta argentea duorum circiter assium monetæ nostræ: de quibus fuse Gronovius, libro de Sestertiis. Vide Inscriptionem Gruterianam pag. 1099.

Nolui hic referre duo elegantissima Marmora Pisana, in honorem Caii & Lucii Cæsarum sculpta, quia a Reinesio in ejus supplemento Gruteriano tradita, & ab Henrico Noris, fuso & erudito commentario illustrata sunt. In iis hæc Civitas Colonia Obsequens Julia Pisana vocatur, cujus denominationis rationem videsis apud huncce ultimum Auctorem.

Col. Augusta Panhormitana.

1

Panhormi, basis Statuæ.

DIVO CLAVDIO
RESP. PANHORMIT.

3

Panhormi.

IMP. CAES. SEPTIMIO SEVERO
PIO PERTINACI AVG. ARAB. ADIABEN.
PART. MAX. PONT. MAX. TR. POT. VI IMP.
XI COS. II P. P. PROCOS. IMP. CAES. DIVI
M. ANTONINI PII GERM. SARMATIC. F.
DIVI COMMODI FRATRI ANTONI
NI PII NEPOTI DIVI HADRIANI PRONE
POTI DIVI TRAIANI PARTHICI ABN.
DIVI NERVAE ADNEPOTI INDVLGEN
TISSIMO ET CLEMENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO NOSTRO RES. P. PANHORM.
II VIR. P. SATYRI DONATI ET M.
MAECI RVFINI D. D.

5

Panhorm.

M. AVRELIO
ANTONINO CAES.
IMP. L. SEPTIMI SE
VERI PII ARABICI ADI
ABENICI P. P. AVG. ET IVD.
RESP. PANHOR. DED.

2

Imp. Cæs. L. Septimio Severo
Pio Pertinaci Aug. Arab. Adiab.
Pont. Max. DIVI COMMODI FRATRI
DIVI M. AVRELII ANTONINI PII FIL.
DIVI PII NEPOTI DIVI HADRIANI
PRONEPOTI DIVI TRAIANI ABNEPOTI
DIVI NERVAE ADNEPOTI RES. P.
PANHORMITANORVM

Supplenda hæc aut similia.

4

Panhormi.

IMP. CAES. DIVI
MAGNI ANTONI
NI PII DIVI SEPTIMI
SEVERI.......
...SEVERO
.....PIO FEL.
AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. II COS. II. COL.
AVG. PANHORM.
D. D.

6

Panhormi.

TI. CLAVDIO HERODI
ANO C. V. LEG. PROV. SI
CIL. IVDICI RARISSI
MO PATRONO COL.
PANHORMIT. PRINCI
PALES VIRI EX AERE COL.
LATO D. D.

Ex Gualtheri Sicilia.

Panhormus Siciliæ Urbs constanter in his Marmoribus cum adspiratione scribitur, quanquam apud veteres Authores sæpe absque ea legatur. Antiquissima est urbs primo a Carthaginensibus condita, postea a Romanis capta, teste Polybio lib. I. inde Coloniæ titulo ab Augustis condecorata. Ejus Historiam & Antiquitates tradidere Cluverius, Fazellus, Gualtherus, & Valguarnera; imo & egomet libro quem Deo dante edituri sumus, cui titulus erit *Sicilia vetus & nova*.

Colonia Helvia Ricinnia.

Romæ.

Lucio Cœlio Lucii filio, Quirina Tribu, Rufo Viro Clarissimo.

L. COELIO L. F. QVIR. RVFO V. C. FLAVIALI SACERDOTI
SPLENDIDISSIMO PONTIFICI MINORI COOPTATO IN COLL. *Collegium*
OMNIVM FABR. CENTONARIOR. ET DENDROFOR. CVRATORI TRIVMFI
IMP. CAES. L. SEPTIMII PERTINAC. AVGVSTI PARTHICI
ARABICI ET PARTHICI ADIABENICI MAXIMI CONSVLARI
CAMPANIAE ET APVLIAE BIS CORRECTORI TVSCIAE ET VMBRIAE
ET PICENI PROCVRATORI LVDI LITTERARII IIII VIRO VIARVM
STERNENDARVM VIAE SEPTIMIAE PROCVRATORI XX HERED. (HEREDItatium.)
BRVTIAE ET CALABRIAE CVRATORI AEDIFICIORVM
AQVARVM QVAESTORI AERARI SATVRNI PATRONO COLONIAE
RICINNIAE HELVIAE IN CVIVS CVR. ET OF. BENEMERITO RICINNATI
HELVIANI SVA IMPENSA IN FORO CAESAR D.D.

Ex Arcus Severiani explicatione ab Episc. Suaresio edita.

Ad Arnastum in Ponto.

SEX. VIBIO GALLO RICINARIO
PRIMOPILARI PRAEF. KASTR OR.
LEG. XIII. GEM. DONIS DONATO
AB IMPERATORIBVS HONORIS
VIRTVTISQ. CAVSA TORQVIBVS
ARMILLIS PHALERIS CORONIS
MVRALIBVS III VALLARIBVS II
AVREA I HASTIS PVRIS V
VEXILLIS II SEX. VIBIVS
COCIANVS PATRONO BENEMERENTI

Ex Marulli MS.

Ricinenses populi Piceni Plinio memorantur, quorum urbs ex Inscriptione Ricinnia Helvia, a Gothis excisa, ex cujus ruinis *Macerata*, & Recinetum vulgo *Recanati* 13. ab Ancona milliarib. extructæ. *Flaviali Sacerdoti*, id est Divi Vespasiani, qui ex gente Flavia. De Fabris Centonariis & Dendrophoris diximus supra in Collegiorum explicatione Sect. II. Similia cæterum officia videre etiam est in aliis Gruterianis Inscript. de quibus consulendi Panvinius & Pancirollus. De coronis aliisque quibus milites donabantur, vide etiam Inscript. Gruter. Guichard. de funerib. Roman. Hist. Augustam Salmasii & alios de re militari tractantes. Extat inter Gruterianas Inscript. pag. CCCLV. 5. una quæ Severum hujus Coloniæ conditorem appellat. Helviam ergo eam nominarunt in honorem Helvii Pertinacis, ut suspicatus est Clariss. Patinus ad nummos hujus Coloniæ lib. de nummis ex ære mediæ & minimæ formæ.

Colonia Romula.

Hispali.

In ingressu ad atrium Archiepiscopalis Ecclesiæ.

IMP. CAESAR. DIVI HADRIANI F.
DIVI TRAIANI PARTHICI NEPOTI
DIVI NERVAE PRONEPOTI
T. AELIO HADRIANO ANTONINO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII.
IMP. II. COS. IIII. P. P.
SCAPHARI QVI ROMVLAE
NEGOTIANTVR
D. S. P. D. D.

Hispali.

In Ecclesia S. Hermenigildi.

M. HELVIO M. F. M. N. SERG.
AGRIPPAE F.
HVIC ORDO SPLENDIDISSIMVS
ROMVLENSIVM
IMPENSAM FVNERIS STATVAM
LOCVM SEPVLTVRAE DECREVIT
M. HELVIVS AGRIPPA PATER
HONORE VSVS
IMPENSAM REMISIT

Ex Erudito Antiquario Patre Cattany, Provinciali Bononiensi.

Notus est Antiquariis elegans nummus, qui ab una parte Juliæ caput habet & inscriptionem IVLIA AVGVSTA GENETRIX ORBIS: Ex altera parte COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Colonia Romula* sive *Romulea permissu Divi Augusti*: quam vulgo putant esse Romuleam oppidum Samnitum. Sed liceat mihi suspicari esse nummum Hispanicæ fabricæ, ut jam subolfecit Clariss. Patinus in nummo ejus Coloniæ, & fuisse Coloniam Romulam etiam in Hispania non longe ab Hispali, ob hasce elegantes duas Inscriptiones, quæ illic reperiuntur. Cujus Coloniæ Hispalensis meminit & Plinius. *Scapharii* a scaphis ita dicti, qui in scaphis merces deportabant.

Colonia Rufra.

In agro Theanensi.

M. AGRIPPAE L. F.
PATRONO RVFRANI COLONI

Rufrium, Rufræ, vel *Rufrania Colonia* Campaniæ, erat in Samnitum confinibus, nunc in Diœcesi Theanensi. Theanum 12. milliaribus Capua distat, vocaturque Tiano.

Colonia Reiorum Apollinarium.

Massiliæ.

..FLAM. IN
COL. REIOR. APOLL.
...ATRE...ORVM
ET DE.......
DENDROPH. MASSIL....
VS STATVAE IMPENDIVM
REDDERET DEDICATIONIS XII.
SPORTVLARVM CORPORATIS DEDIT

Ex schedis Peireskii.

Colonia Reiorum Apollinarium quam alii Regium vocant, urbs est Provinciæ septem leucis ab Aquis Sextiis, nunc *Riez* vulgo dicta, de cujus Antiquit. vide Bouche Historiam Provinciæ. De Dendrophoris & Sportulis diximus alibi.

Colonia Setinorum Sal. Martialis.

Romæ.

D. M.
C. REPSI IVSTI QVI VIX. ANN.
XXXVII. M. VI. PATRONO FABRVM
COLONIAE SETINAE MARITO
BENIGNISSIMO ET INCOMPARA
BILI REPSIA CRESCENTINA VIVA
BENEMERENTI FECIT

Ex sched. Barber.

Romæ.

M. NOMEICIVS M. F. PAL. NOMESIANVS
MAGISTER AVGVSTALIS COLONIAE
SETIN. SAL. MARTIALIS CAPVLATVS
IIII VIR VIARVM CVRAND.
V. S. FECIT SIBI ET SVIS LIBERIS ET
POSTERIS EORVM H. M. D. M. AB.
IN FR. PED. XVII. IN AGR. PED. XVIII

Ex sched. Barber.

Setia Colonia & urbs Latii patria Valerii Flacci, cujus populi Setini Plinio vocantur. Cognominata autem videtur Salonina Martialis ab Imperatore seu Cæsare Salonino & Marte: sicuti Salona in Dalmatia, quæ in antiqua Inscriptione IVLIA SALONA MARTIA apud Gruterum, & Narbona quæ *Narbo Martius* cognominantur. *Capulatus* idem quod sepultus. Capulus enim feretrum est sive arca funebris qua tollebantur, inde *Capularis* senex dicitur Plauto, capulo vicinus. H.M.D.M.AB. id est, *Huic Monumento Dolus Malus Abest.*

Colonia Salonensis.

In urbe Spalato, in turri Ædis maximæ.

TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F.
AVGVSTVS IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XXI. COS. III.
VIAM A SALONIS AD CASTEL.
DAESITIATIVM PER MILLIA PASSVVM
CL VI MVNIT
ET IDEM VIAM AD IA....
QVOD DIVI FILIVS....
A SALONIS MVNIT PER MILLIA
PASSVVM CLVIII
CVIVS VIAE MILLIA PASSVVM SVNT
CLXVII MVNIT PER VEXILLARIOS
LEG. VII ET XI
ITEM VIAM GABINIANAM
AB SALONIS ANDETRIVM APERVIT
ET MVNIT PER LEG. VII

Fragmentum separatum ex tota Inscript.

Exscripsi.

In urbe Spalato.

Ibidem.

TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F.
AVGVSTVS PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XXI. COS. II.
A COLONIA SALONENSI...
PER MILLIA PASSVVM CLXXVII
A LEG. PRO.

Exscripsi.

Salonis.

MART. INVICT.
DOMIT. POMPEIVS SAL. CV.
CENT. SIG. MIL. ET ARAM
POSVER.

Ex Marulli MS.

Tiberius Imperator vias quæ circa *Salonas* erant refecerat & muniverat. *Dæsitiates* in Pannonia memorantur Straboni lib. 7. Geograph. Distabant a Salona 156. millia passuum. *Andetrium* ea erat urbs quæ nunc *Clissa* vocatur, arx Venetorum in confiniis ditionis Turcarum. Corrigendus Plinius lib. 3 cap. 22. ubi Mandetrium pro Anderrio legitur. Via quæ illinc per 3. aut 4. millia deducebat Anderrium, *Gabiniana* vocabatur, ut ex marmore docemur. De Anderrio & Salonis plura in itinere meo Gallico. Sed placet non ingrata quædam subjungere ex Marci Marulli Manuscripto codice, qui in Bibliotheca Vaticana extat, numero 5249 item etiam in Museo nostro. Cum enim Marullus Poeta, Scaligero aliisque eruditis non ignotus, fuerit Spalatensis, istius urbis Salonarum quæ 3. tantum milliaribus distabat, antiquitates penitus cognoscere & exponere valebat.

Qualis quantaque urbs ista extiterit, quæ a Gothis solo æquata desiit, non modo reliquiæ ejus testantur, verum & veteris historiæ indicat authoritas. Strabo Delmatarum emporium Salonas esse asserit, ac Delmatas complures annos adversus Romanos bella gessisse. Plinius quoque de ea ait: *Salona Colonia ab Jadera CCXXII. Millia passuum. Petunt in ea jura descripti in decurias CCCXXII. Dalmatæ.* Et inferius, *Salona LXXII. Millia passuum apposita cognominis sui fluvio, a mari XX. M.* Præterea in Cæsaris Commentariis hæc leguntur: *Marcus Octavius cum iis, quas habebat, navibus Salonas pervenit, ibique concitatis Dalmatis, reliquisque Barbaris, Hissam a Cæsaris amicitia avertit: conventumque Salonensem, cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi promovere posset, oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum & loci natura & colle munitum*: narratque ulterius quomodo oppugnantes repulerint & Octavium fugarint. His authoritatibus accedit quod Diocletianus Imperator Salonis natus, virtute rebusque gestis ad Romanum Imperium meruit promoveri; deposito deinde Imperio privatam vitam peregit in patria, & cum Romam ad pristinam dignitatem revocaretur, maluit hic consenescere privatus, quam Romæ imperare, usque adeo eum ceperat & amœnitas loci & tranquillum in secessu otium. Extat ædificium ejus Salonis proximum, quod majores nostri incolere cœperunt, nunc nostrum natale solum est, quod *Spalatum* appellant, sed & ipsum semirutum atque in partem deintegratum, murorum tamen ac turrium pulchritudine portarumque affabre structarum decore ostendens qualia & illa fuerint, quæ vel vetustate vel inimicorum injuria defecere. Stat adhuc Templum Jovi quondam sacrum, nunc Domnio Martyri dedicatum, magnæ turris instar rotunda specie angulatum, cujus murus quadrato lapide reticulataque structura] constat, octo columnis ingentibus intus fulcitur: quibus aliæ insident minores, quarum quatuor e marmore porphyrite, cum aliis ad testudinem usque tecti eriguntur. Exterius Ecclesia magnarum duarum & viginti columnarum peristylium habet, id quidem synadico marmore nobile. Porro ante templi limina vestibulumque ipsum atrium patet spatiosum columnis grandibus & ipsis ex marmore phrygio dolatis circumseptum, quibus arcus impositi fulciuntur, ita ut nusquam Romæ tot tantasque columnas uno in loco compositas reperias. Præter ista erant & alia tria templa reliquo ædificio, ut apparet, vetustiora, atque adeo magis diruta. In his tessellata pictura, qua exornata fuerunt, alicubi adhuc visitur. Extant & cryptoporticus plurimæ, ita ut non minus miremur subterranea ædificia, quam quæ in aperto spectantur. *Hæc Marullus*, subjungitque pleraque Salonensia Marmora, inter quæ hæc seligimus.

1

Salonis.

L. LIBVRCIO FELICI
V. ANN. XXIIII.
PATRIA MIRA FORTITVDINE
DEFENS. INTERFECT.
COMMVN. LACHRI.
AD ROG. DVCTVS
IVLIOLA MARCELLA
V. PI. POST. III. DI. OBIIT

Marullus explicat *Viro piissimo, postea tertia die obiit.*

Ex Marullo.

2

Salonis.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIII
P. P. COH. I. CXↃ DEL. SVB CVR. GRANI
FORTVNATI TRIB. COH. EIVSD.
MVRI P. DCCC. IN HIS
TVRR. VNA

Ex Marullo.

Salonis

3

Salonis.

D. M.
L. CORNELIO L. F. BEATISSIMO
QVI VIX. PL. M. ANN. XXIX
FVIT ORDINIS MILIT. COH. I.
HABVIT VII SPOL. XI. CORON. CIVIC.
A CLASSE ROMAN. CVM EORVM NOTA
INTEREMPTVS ET A SOCIIS CONCLAMATVS
S.C. EX AERARIO CIVI NOBILISSIMO
ET B. M. P. III. IDVS IVLIAS

Ex Marullo & Io. Lucio.

4

Salonis.

A. IANIO SATYRO
DELMINIO DECVR.
LEG. II. VIRTVTISQ.
CAVSA DONIS DONATO
GEM. TORQ. CORON. MVRALIB.
AVR. II. VEXILL. III.
VIBIVS PIVS MIL. SVO
B. M.

Ex eodem.

Murus Salonarum aut ſaltem ejus pars pedum 800. conſtructus fuit teſte ſecunda Inſcriptione a Cohorte prima Delmatarum, cujus fundamenta adhuc extant ingentibus ſaxis poſita prope fluminis ripam. Delmatarum autem virtus ex eo declaratur, quod primæ cohortis fuiſſe memorantur. Prima quippe cohors cæteras numero & dignitate ſuperabat. Habebat enim prima cohors 1105. pedites & 142. equites: reliquæ vero 555. pedites & 66. equites.

In tertia Inſcript. *Habuit ſeptem ſpolia*, ſcilicet toties hoſte ſingulari certamine victo: *undecim coronas civicas*, toties ſervato cive in prælio, iis enim qui civem ſervaverant corona quercea dabatur. *A claſſe Romana cum eorum nota interemptus*, forte cum M. Octavius Salonas obſediſſet ex inſidiis interfectus; *a ſociis conclamatus*, id eſt deploratus, & ad rogum cum lachrymis deductus.

In quarta *Delminius* fuit iſte Miles, hoc eſt Delminio oriundus. Strabo lib. 7. Delminium, inquit, ampla civitas a qua cognomen gens illa vendicat. Eam exilem Naſica reddidit, agrumque deſolatum pecori paſcendum reliquit. GEM. TORQ. an Gemmis, Torquibus, ut explicat Marullus, an vero gemino torque. Gell. lib. 5. cap. 6. *Muralem* ait *coronam, tum caſtrenſem & navalem ex auro fieri ſolitas*, ut hic indicatur. Hujus Vibii Pii Inſcriptionem aliam vide in Sectione prima.

Colonia Iadera.

Iaderæ, quæ nunc Zara.

IMP. NERVA TRAIAN.
PONTIF. MAX. TR. POT.
AQVAE DVCTVM COLON.
IN QVO DANTE IMPEN..
SACRATISSIMI PRINCI....
. . . .

Ex Manuſcript. Valerii Ponte.

Iaderæ.

CARRENVS C. F.
TRO. MAXIMVS AED. TRO. *Tromentina Tribu*
HONORAT. AB ORDINE
IADESTINIO COLIBEN. FVN.
STATVA PEDESTRI T. F. I.
ARBITRATV ET CVRA P.
CORINTHI ET CARREN. DIONYSI

Ex MS. Val. Ponte, & ex Io. Lucii Inſcr. Dalmat.

Iaderæ.

TI. CAESAR DIVI AVG. F.
AVGVST. IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XX. COS. III
DESIG. IIII. LEG. XI
P. CORNELIO DOLABELLA
LEG. PRO PR.

Exſcripſi.

Jadera Colonia, nunc Zara Venetorum arx munitissima Dalmatiæ Metropolis, multis nitet antiquitatibus, quas quia in itinere meo Dalmatiæ & Græciæ Gallico descripsi, idcirco non repetam.

Colonia Puteolana.

Vulgo nunc Pouzzol.

1

Puteolis.

CN. ASINIO
POLLIONIS ET AGRIPPAE NEPOT.
PVTEOLANI PATRONO PVBLICE

2

Neapoli.

D. M.
GEN. COL. PVT. P. ACILIVS
HERMERON

Ex Capacio.

3

Puteolis.

Q. TILIVS L. FILIVS RVFVS
ET Q. ACRIELVS QVAE IN HIS
PRAETOR DVVMVIRI LANIARIAS
ET EO VECTIGALI QVOTANNIS
COLONIS MVLSVM ET CRVSTVM
NATALE CAESARIS AVGVSTI
PARETVR

Ex Capacii Hist. Neap.

4

Neapoli.

IMP. CAESARI
IEROPOLITANI BE
RYTENSES QVI PVTIOLIS
CONSISTVNT

Ex Capacio.

5

Puteolis.

C. CATINIO T. FILIO
TITIO SEVERO
PRAEFECTO FABRVM
PRAEFECTO COHOR. III VIG.
P. PIL. LEG. II HAL. PRAEF.
VEHICVLORVM PVTEOL.
CVRATORI R. P. NOLAN.
EQVO PVBLICO PR. PRAETOR.
IN AFRIC. AEDIL. ET III VIR.
INCOL. AVXIM. BIS ET AEDIL.
COLON. PVTEOL. ET PATRONO
COL. AESIS XVIR. STLIT. IVD.
. . . . . REMISIT
. . . . . CONTENTO
CVIVS DEDICATIONE CEN. POP.
DEDIT HS III CXXX N CVRION.
* XIII SODAL. AVG. * XI VI VIR
AVG. * X ET PER GRAD. X...

Ex sched. Barberin.

Puteoli quæ & Dicæarchia Straboni & Plinio, Ποτιόλοι Stephano, urbs olim ampla Campaniæ, de qua Tacitus Annal. lib. 14. cap. 27. *At in Italia vetus oppidum Puteoli, jus Coloniæ & cognomentum a Nerone adipiscitur*, unde *Neronianam* cognominatam fuisse statuere licet, sicuti & Patræ, *Colonia Neroniana Patrensis* in nummis dicitur. Inde fit ut in prima Inscript. ante Neronem sculpta, Colonia non nominatur. Hæc incolis nunc *Pozzuolo* & Gallis *Pouzzol* dicitur.

Colonia Interamna.

Romæ.

DIIS MANIBVS
SACRVM
ET. QVIETI. AETERNAE
L. AVRELI. L.L. PORPHYRION.
VIXIT. ANN. LXVII
M. AVRELIVS. L.L. HEROS
FECIT. ET. SIBI. ET
SVIS. POSTERIS
ET. SIBI. VIVVS. PONEN.
CVRAVIT. ET
SVB. ASCIA. DEDICA
VIT. IN FR. P. XII
IN AGR. SIT. EST
PED. XVIII
APVD NAVAL. ITERAMNAT.
NAHART.

Ex sched. Barber.

Romæ.

D. M.
BESVLENO
PRIMIGENIO
VIX. ANN. XI
MENS. VII. D. VIIII.
L. BESVLENVS SEX.
FIL. CLV. PHILIPPVS *Clustumina Tribu.*
ITERAMNA
VMBR. *Vmbriæ.*
TRIB. LEG. XXX VLP.
FEC.
IN FRONT. PEDES IIII
IN AGR. PEDES VIIII. S.

Ex sched. Barber.

Interamna sive Iteramna ut hic scribitur, urbs *Umbriæ*, quæ nunc Terni, ad fluvium Narem, ubi ejus navale. Populi Interamnates Ciceroni & Nartes Plinio. Ea duo nomina combinat Inscriptio, sed cum aspiratione *Iteramnates Nahartes*. Fuit Colonia & Municipium splendidissimum, ut testantur varia antiquitatis monumenta, quæ inibi reperiuntur. Sed quia in Umbria sumus, ecce quindecim Provinciarum populi in marmore sequenti enumerati.

Populi XV. Umbriæ.

In urbe Foligno, quæ olim Fulginium, apud Ludov. Jacobelli.

C. BETVO TRO. CILONI. MINVCIANO *Tromentina Tribu.*
XV. POPVLORVM. VMBRIAE. PATRONO. MVNICIPI
AMERINI. ASISINATES. FOROFLAMINIENSES
FVLGINATES. HISPELLENSES. IGVVINI
INTERAMNATES. MEVENATES. NARNIENSES
NVCERINI. OCRICVLANI. SPOLETINI
TREBIATES. TVDERTINI. ET. VETTONIENSES
B. M. F.

Refert Gruterus aliam Inscriptionem hujus Caii Betui Minuciani, in qua etiam quindecim populorum Umbriæ Protector nominatur, sed eorum populorum nominibus omissis, qui hic ordine

alphabetico, ne inter eos de præeminentia lis esset, statuuntur; at multo plures erant populi sive plura oppida Umbriæ, quorum fortasse alius erat Patronus.

1. *Amerini* incolæ urbis Ameriæ, quæ nunc Amelia, quorum meminit *Virg.* 1. Georg.
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.

2. *Asisinates* urbis Assisii quæ Patroni Franciscanorum D. Francisci Assisinatis natalibus claret.

3. *Foro-Flaminienses* oppidi Fori-Flaminii a Longobardis diruti, nunc *Forfiamma* 3. a Fulgino milliaribus,

4. *Fulginates*, quorum urbs Fulcinium & Fulginium nunc *Foligno*. *Silius Italicus*.
Patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

5. *Hispellenses*. Hispellum seu Hispella, nunc *Spello*. *Silius Italicus*.
Hispellum & duro monti per saxa recumbens
Narnia.

6. *Iguvini*. Eugubium qui nunc *Gubio* in Ducatu Urbinate.

7. *Interamnates*, quasi inter amnes Tyberim & Narem, de quibus supra.

8. *Mevenates*. Mevania Propertii patria quæ nunc Bevagna. *Lucanus*.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis.

9. *Narnienses*. Narnia Nervæ Imperatoris patria nunc Narny. *Claudianus*.
Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum.

10. *Nucerini*. Nuceria, quæ hodie *Nocera* incolis.

11. *Ocriculani*. Ocriculum, quæ nunc *Otricoli*.

12. *Spoletini*. Tito Livio Spoletani, nunc *Spoleto*, olim *Spoletum*. *Martialis* lib. 13.
Spoletina bibis vel Marsis condita cellis.

13. *Trebiates*. Trebia quæ nunc *Trevi*.

14. *Tudertini*. Tuder seu Tudertum nunc *Todi* patria Sancti Martini Papæ. Silius Ital. lib. 4.
Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.

15. *Vettonienses*. Vettonium hodie arx *Bittona*.

Colonia Augusta Lilybæum.

1

Marsala.

L. PINARIVS RVFVS OB HONOREM
AEDILITATIS IMAGINEM GENII
MVNICIPI LILYBITANOR. EX ARG.
R. V. P. S. P.

Ex Gualthero.

2

Mazara in Sicilia.

L. AMATIO L. F. FAB.
MAXIMO MEMORIANO
Q. PR. AEDILI III VIRO FLAM.
IMP. ANTONINI II VIRI
.. YCETANI....
PRINA.... X. FR.
POPVLVS LILYBITANVS
BONO CIVI
L. P. D. D. D.

Ex Gualtheri Sicilia.

3

Marsala.

L. QVARTIO MASCVLO
T. QVARTI CRESCENTI NEP. R.
ET P. DEC. SPL. COL. AVG. LILYB.
Q. P. P. CVR. F. P.

Ex Gualthero.

4

Ibidem.

C. BVLTIO GEMINIO TITIANO PROCOS.
PROV. SICIL. COC. C.
OB INSIGNEM EIVS
BENIVOLENTIAM ERGA ORDINEM
ET PATRIAM XII. TRIB.
PATRONO MERENTI

Ex eodem.

5

Ibidem.

M. MARIO. M. F.
CL. ABIETI. GLAVCO. PATRI
SENATORIS. EQVO. PV
BLICO EXORNATO. PA
TRONO. OB. MERITA. EIVS
QVAE IN CIVES SVOS
CONFERT. C. V. ADLECTO
INTER TRIBVNICIOS
AB IMP. CAESARE
M. AVR. COMMODO ANTO
NINO PIO FELICI
AVG. TRIBVLES TRIB.
IOVIS AVG. PECVNIA SVA L. P. D. D. D.

Ex eodem.

Lilybæum promontorium, & urbs Siciliæ a Romanis excisa teste Strabone, ex cujus ruinis *Marsala* ædificata est. Hic Carthaginensium Classis ab Attilio Regulo Romanorum duce fusa fuit. In prima Inscriptione ARG. R. V. P. S. exponit Gualtherus, *Argento rudi vivus pecunia sua posuit. Vide plura de hac urbe apud Gualtherum, Fazellum, Cluverium aliosque rerum Sicularum Authores.*

Ephyra.

Romæ.

DIIS MAN.
L. FANNIO L. F. PAL. — *Palatina Tribu*
ARISCVLO
Natione — N. EPHIRA
Centurioni — 7 LEG. VIII. CLAVD. — *Claudiæ*
PRIMOPILO
LEG. XII. GEM. VIX.
ANN. XLIX. MIL. A. XX.
Q. FANNIVS L. F. PAL.
MARIVS SVFEN.
F. C.

Ephyra urbs Epiri ab Ephyro quodam ita dicta, teste Stephano Byzantino, qui alias cognomines urbes memorat.

Forum Cornelii.

Venetiis.

Q. EPIDIO Q. L.
APELLAI IIIIII VIRO
FORO CORNELI
TERTIVS L. P.

Ex Tomasino.

Forum Cornelii nunc dicitur *Imola*, in confinio ditionis Bononiensis.

Forum Claudii.

In urbe Aixme Tarantasiæ.

1

IMP. NERVAE CAESAR. AVG. PONTIFICI
MAX. TRIBVNIC. POTEST. COS. III.
P. P. FOROCL. CENTRON.

Ex Guichenon. Hist. Sabaud.

2

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO
AVG. GERM. DACICO PONTIFICI MAX.
TRIBVNIC. POTEST. XII. IMP. VI. COS. V.
P. P. DEVICTIS DACIS FOROCLAVD. PVBL.

Ex P. de la Biguerne schedis & Guichenon.

Centrones olim qui nunc dicti *la Tarentaise*, supereſt tamen pagus adhucdum *Centron* dictus. *Forum Claudii* putant enim eſſe quæ nunc *Mouſtiers en Tarentaiſe*.

Forum Novum.

Romæ, in ædibus Barberinis, baſis Statuæ.

CHEIONIO CONTVCIO V. C.
OB EGREGIA FACTA ET RA
RVM VETERIS SANCTITATIS
EXEMPLAR INLVSTRATVRI
PROSAPIAE SVAE CVIVS OPE
AVCTAM INSTAVRATAMQ.
TOTA SE PROVINCIA GRATV
LATVR QVO IVDICANTE QVASI
QVODAM PARENTE
PRIMEVO SINGVLAE CI
VITATIS IN PRISTINAM FACI
EM REVOCATAS ESSE LETAN
TVR FORONOVANI
DESIDERIA TOTIVS
PROVINCIAE PRAE
CEDENTES STATV
AM AD VIVACEM RECOR
DATIONEM ET SEMPITERNAM
MEMORIAM POSVERVNT

Chejonium hunc ex familia ea eſſe puto, quæ ſine aſpiratione *Cejonia* vocabatur, quarto præcipue ſæculo florente, cujus ævi eſt hoc marmor, ut ex titulo V. C. Viro Clariſſimo & prava orthographia cognoſcere licet. Fuerant autem initio hujus ſæculi Conſules Cajus Cejonius Rufius Voluſianus ann. Ch. 314. Flavius Rufius Cejonius Cæcina Sabinus ann. 316. Publius Publilius Cejonius Julianus Camœnius ann. 325. Cajus Cejonius Rufius Albinus ann. 335. Unde facile fuit hunc Conſulum affinem, Prætorem vel Proconſulem eſſe in Piceno & Flaminia, cui *Foronovani* Statuam poſuerant. Hæc autem Sabinorum urbs *Forum novum*, nunc jacet deleta, ſuperſtite ſolum Epiſcopali Eccleſia *Veſcovio* dicta, teſte Baudrand ad Ferrarii Lexicon.

Forum Seguſianorum.

Quatuor Columnæ Milliariæ Fori Seguſianorum vulgo Feurs repertæ.

1		2
IMP. CAES. C. IVL. VE		CAES. C. IVL. VERO MA
RO MAXIMINO PIO		XIMINO PIO FELIC.
FELIC. AVG. GERMAN		GERMANICO MAX. SARMA
ICO MAX. SARMATICO		TICO MAX. DACICO
PONT. MAX. DAC. MAX.		MAX. PONT. MAX.
PROCOS. OPTIMO MA		OPTIMO MAXIMO
XIMOQVE PRINC. ROM.	*Romano*	QVE PRINC. AVG.
C. IVL. F. SEG.		FELICI PA. . . . . .
L. I.		L. II.

3

IMP. CAES. G.
IVL. VERO MA
XIMINO PIO FEL.
AVG. GERMANICO
M. DAC. M. SAR. MAX.
PONT. M. TR. POT. III
COS. PROCOS. P. P. O. M. PR.
N. ET G. IVL. VERO
MAXIMO GER. M.
NOBIL. CAES. AVG. N.
FILIO A. P. SEG.
L. III

4

IMP. C. IVLI
VERO MAXIMINO PIO
FELIC. AVG. GERMA
NICO MAX. SARMATIC
O MAX. DACICO MA
X. PONT. MAX. TRI
B. POT. III COS. PRO
COS. P. P. OPTIMO MA
XIMOQVE PRINC. N.
C. IVL. F. SEG. LIBERA
L. IIII

Ex D. de la Mure, Histoire du Forez, *qui tamen eas incorrecte citat.*

Elegantissimæ sunt hæ Inscriptiones sive columnæ Milliariæ, tum ob titulos Maximini, tum ob titulum Civitatis antiquissimæ *Fori Segusianorum.* In iis Maximinus sicuti, ante illum Trajanus, M. Aurelius, Commodus & Severus, cognominatur Germanicus Maximus, Sarmaticus Maximus, & Dacicus Maximus, Pater Patriæ, Optimus Maximusque Princeps, imo etiam ejus filius Maximus, Germanicus Maximus appellatur.

Urbs autem ista Forum Segusianorum, *Feurs en Forez*, his Principibus adulari volens aptatis sibi eorum nominibus, uterque enim Julius vocitabatur, se *Coloniam Juliam Forum Segusianorum liberam* nominat. Plinius lib. 4. cap. 18. *Secusiani liberi, in quorum agro Colonia Lugdunum.* L. I. L. II. L. III. L. IIII. Lapidem primum, hoc est Milliarium primum, secundum, tertium & quartum indicant. Debebant enim singulæ hæ lapideæ columnæ in tali distantia a Foro Segusianorum statui, sed proculdubio audita statim morte Maximini & Maximi, eosque hostes populi Romani declaratos fuisse, non ausi sunt, Forenses eas in viis publicis collocare, ne successoribus displicerent: ideoque eas abscondere fategerunt & ab eo tempore ad nostram usque ætatem sepultæ fuerunt.

De Segusianis aliqua etiam diximus in explicatione Inscriptionis DEAE SEG. F. in sectione III.

Fanum Herculis.

Romæ, In hortis Mediceis.

C. AEMILIO C. F. FAB. — *Fabia Tribu.*
ANTONINO
EQVITI ROMANO
Q̄Q̄. PATRON. MVNICIPII — *Quinquennali.*
OMNIB. HONORIB.
HONESTE PERFVNCTO
CVR. FANI HERC. VICI
PONTIFICI

Exscripsi.

Herculis Fanum teste Strabone fuit Hetruriæ pagus, ubi nunc ruinæ Templi dicti *Tempio d' Hercole* in pago *Massaciuccoli*, ut asserit Michael Antonius Baudrand, in additionibus ad Dictionarium Geographicum Ferrarii. Hic autem Cajus Æmilius Antoninus Curator Fani Herculis, & ejusdem vici Pontifex indigitatur.

Jeſſona *vel* Jeſſonum,

Romæ, In hortis Juſtinianeis.

VESONIA CN. F. *Cnei filia*
PROCVLA
EX HISPANIA
CITERIORE
IESSONENSIS ANN.
XXIII H. S. E. *Hic ſita eſt*
IVLIVS NATALIS VXORI
OPTVME DE SE MERITAE

Exſcripſi.

Locus hic plane incognitus, *Jeſſonum* ſive Jeſſonam vocaveris, in Hiſpania citeriore.

Civitas Lemovicum.

Lugduni, ad confluentes Araris & Rhodani.

. . . . . CAL. FIDO A . . .
GALLO PACC . . . . . .
PROVINC. MACEDONIAE CVRA
TORI VIAE TIBVRTIN. VALER. LEG. LEG.
PROVINC. CRETE ET CYRENARVM LEG.
AQVITANIC. VII VIRO EPVLON SODALI H . . .
. . . . . CIVITAS LEMOVIC.

Exſcripſi.

Lemovicum civitas Galliæ Aquitanicæ, nunc Limoges, quorum populi Lemovices, a Cæſare & Plinio memorati, nobilem hunc Romanum, multa officia poſſidentem veneratur.

Lucus Auguſti.

Romæ.

D. M.
T. NIGRIO
SIMILI TRIBOCO
EX GERMANIA SVPERIORE
LVCO AVGVSTI NIGRIVS
MODESTVS FRATRI OPTIMO
ET PIISSIMO CINERARIVM
FECIT

Ex ſched. Barberin.

Lucos Auguſti duos memorant Geographi, unum in Hiſpania, alterum in Gallia, at in Germania in Tribocis unum etiam fuiſſe docet marmor iſtud.

Municipium

Municipium Svelitanum.

Fuengirolæ Hispaniæ Bæticæ, quæ olim Svel, quatuor leucis a Malaca.

NEPTVNO AVG.
SACRVM
L. IVNIVS PVTEOLANVS
VI VIR AVGVSTALIS
IN MVNICIPIO SVELITANO
D. D. PRIMVS ET PERPETVVS
OMNIBVS HONORIBVS QVOS
LIBERTINI GERERE POTVERVNT
HONORATVS EPVLO DATO D. S. P. D. D.

Ex Aldrete del origen della Lengua Castellana.

Amplissimum Reinesii in hanc inscriptionem Commentarium habes in Epist. xxxi. ad Hofman. & Rupertum: ubi fuse de Seviris Augustalibus, Decurionibus, & libertinorum honoribus differit. Cæterum hoc Municipium Plinio & Antonino Svel & Sivel vocatur: *Molina* est Samsoni aliisque Geographis, 21. millib. a Malaca distans. In Thesauro Linguæ Latinæ *Chipiona* indigitatur. Sed neutri favet Inscriptio, quæ potius ipsammet *Fuengirolam* esse probat, cum ibi reperiatur, conveniantque alia circa situm ab Auctoribus antiquis notata, idque ab Hispano illo Canonico Cordubensi qui eam refert confirmatur.

Municipium Tiburtinum.

Tiburi vulgo Tivoli.

Q. POMPEIO Q. F. QVIR. SENECIONI
ROSCIO MVRENAE. COELIO SEX.
IVLIO FRONTINO SILIO DECIANO
C. IVLIO LVRYCII HERCVLANEO
VIBVLLIO PIO AVGVSTANO ALPINO
BELLICIO SOLLERTI IVLIO APRO
DVCENIO PROCVLO RVTILIANO
RVFINO SILIO VALENTI VALERIO
NIGRO CLEVS.... SALENTIANO
SOSIO PRISCO PONTIFICI SODALI
HADRIANALI SODALI ANTONINIANI
VERIANI SALIO COLLINO QVAESTORI
CANDIDATO AVGG. LEGATO PR. PR. ASIAE
PRAETORI CONSVLI PROCONSVLI ASIAE
SORTITO PRAEFECTO ALIMENTOR.
XX VIRO MONETALI SEVIRO PRAEF.
FERIARVM LATINARVM QQ. PATRONO
MVNICIPII SALIO CVRATORI FANI H. V.
S. P. Q. T.

Exscripsi.

Rariſſimus eſt hujus Inſcriptionis modus, quo ſcil. quindecim vel ſexdecim Illuſtres Viri nominantur continua ſerie, appoſitis deinde ſimul eorum officiis, quæ nobis nunc cum perſonis combinare difficillimum eſſet, eo quod ex iis nominibus ambiguum fit aliquando, utrum ſit unum vel duo nomina. Soſius Priſcus in Faſtis Capitolinis Conſul nominatur ſub Vero, ann. Chr. 169. At ipſi quomodo juxta ordinem aptabitur Conſulatus, quin potius cum ultimus nominetur is ille ſit qui Curator Fani H. V. dicitur. H. V. an Hujus Urbis, vel Herculis Victoris explicari debet. Hercules enim ibi celebre Templum habebat. S. P. Q. T. id eſt *Senatus Populuſque Tiburtinus*, ut in aliis marmoribus.

Marruvium.

Ad Lacum Fucinum reperta.

COMESTIO PAV
LINO C. V.
PRAEF. VRBIS FERIARVM
LATINARVM QVAESTO
RI VRBANO AED. CER.
PRAETORI. EODEMQ.
TEMPORE. PRAETOR.
AETRVRIAE XV POPVL.
CVRATORI P. SPLENDI
DISSIMAE CIVITATIS
MARS. MARR. EODEM TEM
PORE ET CVR. VIAR. TIB. VAL.
ET. ALIM. PATRONO ABSTI
NENTISSIMO

Ex Mucio Phœbonio Lucius Camarra.

Marruvium Marſorum Civitas, nunc tantum pagus Marno dictus, in Italiæ regione quæ vulgo *Abruzzo*, ad Orientalem Lacus Fucini oram, quem Phorcum appellavit Lycophron, a Phorco Marino Deo, a quo originem duxiſſe Rhœtum Marrubiorum Regem ſcripſit Servius. Populi Marruvii & Marrubii dicti. Virgil. Æneidos 7. *Quin & Marrubia venit de gente Sacerdos.*

Melita.

Melitæ quæ nunc Maltha.

CHRESTION AVG. L. PROC.
INSVLARVM MELIT. ET GAVL.
COLVMNAS CVM FASTIDIIS
ET PARIETIBVS TEMPLI DEAE
PROSERPINAE VETVSTATE
RVINAM IMMINENTIBVS
. . RESTITVIT
SIMVL ET PILAM INAVRAVIT

Ex Gualthero & Maltha Illuſtrata Abelæ.

Id eſt, *Chreſtion Auguſti Libertus Procurator Inſularum Melitæ & Gauli*, &c. De Provinciarum Procuratoribus paſſim apud Authores Romanos mentio fit, veluti Africæ, Aſiæ, Syriæ, Illyrici. Erant autem Magiſtratus Provinciales Cæſarei fiſci curam gerentes, quorum unus Melitam & Gaulum junctim

administrabat, ob harum Insularum viciniam. *Fastidiis* error fabrilis pro *Fastigiis*, quæ aliis capita & capitula columnarum dicuntur. Cæterum de Templo Proserpinæ apud Ins. Melitam silent Authores.

Mons Marianus.

Hispali, In Bibliotheca Ducis de Alcala.

T. FLAVIO AVG.
LIB. POLYCHRYSO
PROC. MONTIS
MARIANI PRAES
TANTISSIMO
CONFECTORES AERIS

Ex R. P. Cattani.

Marianus mons Ptolomæo est Hispaniæ Tarraconensis mons, in quo forte æs effodiebatur: unde *Confectores æris* Procuratori istius tractus lapidem hunc voverant.

Pagus Ligirrus.

In Monasterio S. Pons prope Niciam Provinciæ.

MATTVCIAE PATERNAE EX PAGO
LIGIRRO VICO NAVELIS IMMATVRA
MORTE SVBTRACTAE ANN. XXV. M. V.
L. MATTVCIVS CARINVS ET
AELIA MATERNA PARENTES

Ex Bouche Hist. Provinc. Joffred. Hist. Niciens.

Joffredus legit *ex pago Licirro*, non vero *Ligirro*; sed utrumvis legas perinde nobis est incognitus locus, ut & *Vicus Navelis*.

Pagus Mercurialis.

Ex Agro Tunetano Africæ Florentiam translata.

IVLIAE DOMNAE AVG.
MATRI. CASTRORVM
MATRI AVGVST...
IMP. CAES. L. SEPTIMI SEVERI PII
PERTINACIS. CONIVGI
Q. SILICIVS. VICTOR. ET C. TADIVS FOR
TVNATVS. OB. HONOREM. FLAM.
SVI. PERPETVI. STATVAM. CVM
BASE EX HS BINIS. MILIB. N. LEGI *Nummum*
TIMIS ADIECTIS TERTIS EX DE
CRETO. PAGANOR. PAGI MERCVRIALIS
VETERANORVM MEDILITANORVM
S. P. F. IDEMQVE DEDICAVERVNT

Exscripsi.

In promontorio Africæ, qui nunc vulgo Cap de Bon vocatur, non longe ab urbe Tunetana, proculdubio situs erat *Pagus Mercurialis*. Hoc enim promontorium a Plinio *Mercurii promontorium* vocatur, a Ptolomæo Hermæum. *Medilitani* vero qui fuerint etiamnum obscurissimum est, cum a nullo, quod sciam, memorentur Geographo.

Gaulus sive Municipium Gaulitanum.

1

Melitæ.

.....QVIR. POSTVM...MVNICIPII

..... ADRIANI PERPETVI QVINQ. DECVR. IVDI..

....QVADRINGENARIOS ADLECTO A DIVO ANTONINO AVG. PIO

OMNIB. HONORIB. CIVITATIS SVAE

HONESTE FVNCTO ITEM LEGATIONE GRATVITA APVD

.....HADRIANVM ET APVD AMPLISSIMVM ORDINEM DE

....ALIB. REDHIBENDIS PLEBS GAVLITANA EX AERE

CONLATO OB PLVRA MERITA EIVS D. D.

Ex Malth. Illustr.

2

In Insula Gaulo nunc Gozzo.

IVLIAE DOMNAE AVG.

MATRIS CASTR. AVGVSTORVM

IMP. CAES. L. SEPTIMI

SEVERI. PERTINACIS

AVG. CONIVGI

MVNICIPIVM GAV

GVL. P. P....

CVRANTE DAPSI...

. . . .

Ex Gualther. & Abela Malth. Illustr.

3

In Insula Gozzo.

D. N. C. AVR. VALER.

CONSTANTIO AVG.

R. P. GAVL. CVRANTE

F. POLLIONE...RVFO

MF....III VIR R..

Ex Abelæ Malth. Illustr.

4

Ibid. sub Statua.

CESTIO L. F. POAMPI GALLO VA

RENIANO LVTATIO NATALI AEMI

LIANO PATRONO MVNICIPII

L. MARCIVS MARCIANVS AMICO OPTIMO

V. CARISSIMO SIBI HONORIS CAVSA S. L.

Ex eodem.

Gaulus parva Insula prope Melitam Equitibus Melitensibus paret, vulgoque nunc audit *Gozzo*. Straboni *Gaudos*, *Claudos* aliis & Κλαύδη Act. Apost. cap. 27. Hic vero Respublica & plebs *Gaulitana* vocatur, non *Gaulitica*, ut habet Ferrarii Lexicon Geophraphicum. In secunda Inscript. videtur *Municipium Gaugulitanum* vocari. Diodorus Siculus l. 5. c. 12. *Post hanc* Melitam, *altera est insula quæ Gaulos appellatur, in alto pelago & ipsa, portumque commoditate præstans, a Phœnicibus primum babitata*. At Romanum factum fuisse Municipium, nemo nisi lapides nostri docent. Solinus c. 32. dicit in Gaulo insula serpentes neque nasci, neque vivere illuc invectos. Serpentes sine veneno esse in vicina Melita afferunt omnes, ab adventu, ut putant, Divi Pauli in eam Insulam.

Nantuates.

In urbe S. Maurice regionis Valesiensis.

IMP. CAES.

DIVI F. AVGVST.

COS. XI. TRIBVN. POTEST.

PONTIFICI MAXIMO

NANTVATES PATRONO

Ex Guichenon Histor. Sabaud.

Nantuates comprehendebant regionem dictam nunc *le Chablais*, & territorium *Sancti Mauricii*, ut ex hac inscriptione, item ex Caes. Comment. lib. 3. de bello Gall. intelligere est. Eos Caesar *Antuates* vocat. *Cum*, inquit, *in Italiam proficisceretur Caesar, Ser. Galbam cum legione duodecima & parte equitatus in Antuates, Veragros, Sedunosque misit, qui a finibus Allobrogum & lacu Lemanno & Flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent*. Male ergo Paradinus credit Nantuates esse incolas urbis *Nantua*, nominis affinitate deceptus.

Nicomedia.

Nicomediae, quae Ischnigimid, quasi εἰς Νικομηδείαν.
In arca Meschitae novae.

OPTIMO BENIGNISSIMOQVE
PRINCIPI FLAVIO VALERIO
CONSTANTIO NOB. CAESARI
GERMANICO MAX. CONS. COLONIA
NICOMED. D. N. M. Q. EIVS

Exscripsit D. Vaillant Antiq. Regius.

Nicomedia urbs Bithyniae maritima olim clarissima, Colonia ab Authoribus non nominatur, sed fortasse Coloniae nomen & privilegia adepta a familia Constantini Magni, quem Imp. in ejus villa mortuum dicunt. In cujus patris honorem *devota numini Majestatique ejus Colonia Nicomediensis* hunc dicaverat lapidem: quae formula frequens in Ethnicorum Imperatorum Inscriptionibus. Extat eorum nummus in Cimeliarchio Reginae Sueciae, Severi Imperatoris ex aere magno, cum triremi in aversa parte, quae maritimam potentiam indicat, & literis ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Nicaea.

Nicaeae, quae hodie Nice *Provinciae.*

Q. MEMMIO MACRINO
Q. II VIR MASSIL. Q. Q. ITEM
PRAEFECTO PRO II VIRO Q. Q. *Quinquennali*
AGONOTHETAE
EPISCOPO NICAEENSIVM
AMICI

Ex Ioffred. Histor. Niciens.

Episcopi mentionem fieri in Ethnica inscriptione non mirabitur, qui legerit apud eruditos Autores *Episcopi* vocem non esse a Christianis inventam. Sic notat Vossius in Etymologico, Homerum Iliade ω, Hectorem vocare *Civitatis Episcopum*, & apud Athenienses esse Magistratus quosdam, ad quos delectus, Provinciarumque negotia referebantur. Episcopus autem Nicaeensium is forte erat, qui in Inscript. supra in Sect. 1. Artic. 5. allata, vocatur alio nomine Procurator ducentesimae *Chorae inferioris*, in urbe Cemenelio Nicaeae vicina. *Agonotheta* vero qui ludis publicis praeerat.

Civitas Paralisensium.

In Dalmatia prope Castrum Nadini.

COCCEIO VMBRIAVO DECVRIONI AVGVR.
ITEM. PONTIFICI. CIVITATIS. PARALISENSI
VM. PROVINCIAE. DACIAE. COCCEIVS. SE
VERVS. FILIVS. PATRI. PIENTISSIMO

Ex Io. Lucii Inscript. Dalmat.

Civitatis hujus Daciæ *Paralisensium* meminisse aliquem antiquum Geographum non puto; fuisse tamen non ignobilem urbem Cocceii hujus officia denotant; cum esset in ea Decurio, Augur & Pontifex, & urbs ipsa *Civitatis* titulo decoraretur.

Colonia Prænestinorum.

Præneste.

IVL. RVFINAE
C. IVLI FESTI
CONSOLARIS
PATRONI COLONIAE
PRAENESTINORVM
AELIAE OPTIME
MERITAE PRAENESTIN.
IIV... D. D.

Ex sched. Barber.

Præneste.

FORTVNAE PRIMIGE
NIAE SACRVM CVM
SIGN. CVPIDINIS
L. ANOCINVS L.F.
TROM. SORORI
CVS PATRON. COLON.
LAETITI
AEILI. VOTO SVSCEPTO
L. M.

Ex sched. Barber.

Præneste.

Q. VERRIO Q.F. PAL.
FLACCO
SEVIRO AVGVSTALI
CVRATORI MVNERIS
PVBLICI
DECRETO STATVTVM
ET FAS ORDO DECVRIO
NVM ET AVGVSTALIVM
ET PLEPS VNIVERSA
S. P. P. P. D. P.

Ex sched. Barb.

Præneste Urbs notissima 24. milliarib. Roma distans, nunc *Palestrina*.

Municipium liberum Thugga.

In ruderibus Civitatis cujusdam antiquæ quæ *Tuca* vocatur, olim *Thucca*.

Novem Milliaribus ab urbe *Tunis* ad occidentem in excelso monte reperiuntur hujus urbis rudera: quæ adhuc *Tuca* vocatur. Fuisse autem eam urbem quæ a Ptolemæo Plinioque *Tucca* vocatur, nomen quod ei adhucdum superest, & sequens inscriptio quæ eam non admodum diverse & majori cum aspiratione scribit, evincunt.

Prope Templum antiquum.

IMP. CAES. DIVI ANTONINI MAGNI F. M. AVRELIO SEVERO
ALEXANDRO AVG. PONTIFICI MAXIMO TRIBVNIC. POTEST. ET
IVLIAE MAMMAEAE MATRIS AVG. ET CASTRORVM ET SENATVS ET
PATRIAE .... IVM LIBERVM
THVGGA .... VS PERP. AVG..... EIVS PERP.
S. P. F.

Hoc autem Templum videtur Jovi dicatum fuisse, eo quod in frontispicio elegantissima aquila sculpta sit. Columnæ Templi sunt striatæ Ordinis Corinthiaci. Exterius supra fores extat hoc fragmentum.

PAC. AVG. SACRVM
. . VERI. AVG. ARMENIAC.
. . . REGILLIANVS SVA...

Istud vero interius:

L. MARCIVS SIMPLEX ET MARCIVS SIMPLEX REGILLIANVS SIT..

Ibidemque theatrum est 70. circiter pedum diametri, & columnæ cum fragmentis Inscriptionum Antonino Pio & M. Aurelio dicatarum, ut & Faustinæ. In alio fragmento.

. . TONIVS ZENO PROC.

Non longe a Templo videntur ædiculæ cujusdam reliquiæ, ubi nunc 4. columnæ supersunt superimposito hoc lapide, ubi olim erant fores illius Ædis cum Inscriptione.

PIETATI AVG. SACRVM

.....ROGATVS TESTAMENTO C. POMPEI NA...

FRATRIS SVI LXII. XXX MISO... SVO... DEDICAVIT

. . MATOR ....

Extant & rudera arcus Triumphalis, aquæductus, aliaque non contemnenda, quæ simul cum prædictis evincunt non fuisse ignobilem urbem, ejusque fuisse circuitum circiter Milliarium sex.

Quia sese offert occasio, offeram nonnulla alia marmora ex illius Tractus vicinia allata.

Tribus ab Urbe Tunis Milliaribus.

Ibi reperiuntur antiqui cujusdam oppidi rudera. Locus nunc *Ianaca* vocatur. Templum illic parvum videtur 30. passus longum 10. latum, cum columnis 10. Corinthiacis 24. pedum altitudine. Ex quadam inscriptione detrita patet Genio Diocletiani & Maximiani fuisse dicatum. Fores 16. pedum altitudine sunt ex tribus solis lapidibus fabricatæ miræ magnitudinis, superiori aliquæ leguntur literæ CRISP.... TITIO DICAVIT. Fragmentum alibi legitur in quo *Gymnasii* mentio est, item in quadam arce.... HERI CIVIBVS.

Inscriptiones ex agro Tunetano Florentiam translatæ, repositæque In peristylio Magni Ducis.

C. SVLGIO L. F. PAP. CAECILIANO PRAEF. LEG. III CYRENAI

CAE P. P. LEG. XX. VALERIAE F. VICTRICIS PRAEF.....

QVATIONI CLASSIS PRAETORIAE............

VINDICIS ET THENSAVRIS DOMIN........

RVM DIVEHENDAR...........

ET PRIMAE PARTHICAE ET XVIIII ...

.......CLASSIS PRAE. . . . .

. . . ONI PEREGRI........

Cajus Sulgius Lucii filius Papia tribu Cæcilianus, Præfectus Legionis tertiæ Cyrenaicæ Primigeniæ Piæ, Legionis vigesimæ Valeriæ Fidelis Victricis Præfectus, alias item dignitates, quas in corroso Marmore divinare vix licet, possidebat. Octavius Falconerius Vir non parum de Antiquitate meritus, legebat in tertia linea *Ovationi Classis Prætoriæ*: sed quid *Ovationi* cum classe intersit non video. Triumphus vel Ovatio, id est minor triumphus, ducibus tantum conferebatur, non exercitui integro, multo minus Classi. Ego potius legendum censui, quanquam literis satis detritis, *Præfecto Aquationi Classis Prætoriæ*, id est, Aquæ toti Classi Prætoriæ subministrandæ Præfecto. Inauditam vocem esse non diffiteor, sed tamen quæ rei exprimendæ apprime convenit.

Ibidem.

S. D. S.

SEX. VALERIVS

FESTVS

SACERDOS

V. S. L. A.

Ibidem.

S. D. S.

L. SVLLIVS

FIRMVLVS

SACERDOS

V. S. L. A.

S. D. S. Saturno vel Soli Deo sacrum: sed primum præfero ob sequentem Inscriptionem quæ ibidem legitur & ex eodem loco allata est. V. S. L. A. Votum solvit libenti animo.

SAT. AVG. SAC.
LABIENVS PVDENS
CAECILIANVS C. V.
V. S. L. A.

Patavium.

In Urbe Augusta, Aouste.

IMP. CAESARE AVGVSTO
XIII COS. DESIG. C. AVILIVS
C. F. CALVVS PATAVIN.
PRIVATVM

Ex Guichen. Histor. Sabaud.

Patavium Urbs antiquissima, nunc vulgo Padoue, multis monumentis illustris, quæ diligenter enarravit Illustris. Eques Sertorius Ursatus nuper defunctus, in suis Monumentis Patavinis & Historia Patavina.

Municipium Petelinorum.

Strongili.

MV. MECONIO MV. FILIO
M. N̄. M. PRON. COR.
LEONI
AED. IIII VIR. LEG. COR. P. P.
PATRON. MVNICIPII
IIII VIR. Q. Q.
DECVRIONES. AVGVSTALES. POPV
LVS. EX. AERE. CONLATO
OB. MERITA. EIVS

Ex Gualther. Sicil.

Strongili.

MV. MECONIO MV. FILIO
COR. LEONI
AED. IIII VIR. LEG. COR.
QVAEST. PEC. P. *Pecuniæ publicæ*
PATRONO MVNICIPII
AVGVSTALES PATRONO
OB MERITA EIVS
L. D. D. D.

Ex Gualth. Sicilia.

Conjungendæ & conferendæ Inscriptiones cum Gruteriana pag. CCXV. quæ sic incipit KAPVT EX TESTAMENTO M. F. COR. LEONIS &c. Ubi notandum Gualtherum hanc ultimam citare, quasi in altera facie baseos hic citatæ MV. MECONIO: & sic legere KAPVT EX TESTAMENTO HOC AMPLIVS, &c. MV. seu M' id est *Manio*. COR. est Cornelia Tribu.

Petilinorum Municipium sive *Petilium* Lucaniæ olim caput Cluverius ad Scylacium sinum in Belcastro locat; Ferrarius putat esse Policastro, sed Lucas Holstenius Vir Eruditiss. & Gualther. ex hac Inscript. quæ Strongili seu Strongoli Calabriæ urbe reperitur, *Strongilum* putant fuisse Petilium: cui opinioni magis firmandæ dicit inibi detectos tubos plumbeos, in quibus inscriptum PETILIA. Ex quibus Inscriptionum utilitas ad situm locorum cognoscendum intelligenda.

Reate.

1

Reate in ductibus plumbeis.

SALLVSTIANVS
REIP. REAT.
Libertus L. S. F.

2

Ibidem.

SALLVSTIANVS R. S. F.
CLODIVS FORTVNA R. P. REATINORVM

Ex Camelii Reg. Suec. Antiquarii schedis.

Ibidem

3

Ibidem.

REATINVS SALLVSTIANVS
REIP. REAT.
LIB. S. F.

Eodem.

5

Reate.

C. COMINIO C...
VETERANO MIL.
PR. MARTIALIS MI..
DEDVCTVS REATE
A DIVO VESPASIANO
VIX. ANN....
C. COMINIVS C. F.
SECVNDVS PATRI
BENEMERENTI
COMINIA C.L.F.C. *Caii liberta fieri curavit.*

Ex Camelio.

4

Reate.

L. VALERIO
VALENTI
VETERANO LEG.
VIIII DEDVCTO REATE
A DIVO AVGVSTO
VESPASIANO
VALERIAE CALE
L. VALERIVS FORTVNATVS
PATRONIS BENE
MERENTIBVS FECIT

6

Ibidem.

P. VATINIO....
PRAEF. REAT...
APRO VACATIONE
DONATO
L. AEMILIO PAVLO II
C. LICINIO CRASSO COSS.

Ex eodem.

Reate Umbriæ in Sabinis oppidum, quod nunc *Rieti* vocatur, plures Inscriptiones adhuc ostentat, quæ apud Gruterum reperiuntur, hisce aliisque minoris momenti exceptis. Anno Urbis conditæ 537. Consules erant L. Æmilius Paulus & Cajus Terentius Varro, ex consensu omnium authorum, unde quomodo hic substitutus sit Cajus Licinius Crassus, ignoro.

Surrentum.

1

Surrenti.

IMP. CAES. TRAIANI F.
HADRIANO SVRRENTINA RESPVBLICA

Ex Capacio.

3

Ibidem.

FLAVIO GRATIANO SEMPER AVGVSTO
INSTAVRATORI ORBIS TERRARVM PERPETVO
AC PIISSIMO IMP. D. N. ET VALERIO CONSTANTINO MAXIMO PIO
FELICI SEMPER AVGVSTO VICTORI AVG.
RESP. SVRRENTINOR.

Ex eodem.

2

Ibidem.

IMP. CAESARI TRAIANI
PARTHICI F. D. NERVAE
NEPOTI TRAIANO
HADRIANO AVG. PONT.
MAX. TR. P. V. OPTIMO
MAXIMO PRINC.
DECVRIONES MVNICIPESQ.
STATVAM NOBILITATI EIVS
FACIENDAM CVRAVIMVS

Ex eodem.

4

Ibidem.

PIISSIMAE AC VENERABILI
MATRI D.D.N. MAXIMI VICTORIS AVG. CONSTANTINI
ET AVIAE DD. NN. CONSTANTII ET CONSTANTIS
ORDO ET POPVLVS SVRRENTINORVM

Ex eodem.

5

Surrenti.

FLAVIO FVRIO FAVSTO V. C. TRIBVNO
AB ORIGINE PATRONO
OB MERITA LABORVM SVORVM VNIVERSVS ORDO
ET POPVLVS SVRRENTINORVM
STATVAM NOBILITATI EIVS
FACIENDAM CVRAVIMVS

Ex Capacio.

6

Ibidem, in æde D. Antonini in lapide vermiculato.

L. CORNELIO L. F. MEN.... FLAMINI ROMAE
TI. CAES... AVGVRI AED. II VIR Q.... PRAEF. FABR.
BIS HOC LOC................. CRVSTVM ET MVLSVM
POPVLO AEDILITATE SPECTACVLVM GLADIAT.
CIRCENS. EDIDIT OB HONOR... DECVRIONIBVS
MAGNAM CAENAM L. QVINQVENNALITATE SVA
LVDOS.... HVIC DECVRION. PVBLICE LOCVM
FVNER. ET STATVAM

Ex eodem.

Surrentum Urbs Picentinorum nunc regni Neapolitani, vinis generosis celebris, teste Ovidio lib. 15. Metamorph. *Et Surrentinos generoso palmite colles.*

Civitas Saliniensium.

In Urbe Castellane *Provinciæ.*

M. MATVCONI MARCELLINI ET
M. MATVCONI MAXIMI DECC.
CIVITATIS SALIN. M. MATVCONIVS
SEVERVS ET IVLIA FVSCINA FILIIS
PIISSIMIS ET SIBI VIVI FECERVNT
H. M. H. N. S.

Ex Bouche Hist. Provinc.

In Provincia ad Varum.

Q. VIBIO SECVNDINO
QVI VIXIT AN. XII. M. VI. D. VIII
Q. VIBIVS Q. FIL. SALIN. CAPITO
FILIO SVPRA MODVM AETATIS
PIENTISSIMO
SIBI POSTERISQVE SVIS FECIT

Ex Bouche Hist. Provinc.

Ex hac Inscriptione existimat Author Histor. Provinc. Civitatem Saliniensium, cujus mentio in notitia Imperii, esse eam urbem quæ jam *Castellane* vocatur, quod a Geographis ignoratum erat.

Civitas Secusia.

Taurinis.

IMP. CAESARI
....
....
INVICTO AVG
PONTIF. MAX.
TRIBVN. POTEST. II
COS. II. PROCONS. P. P.
CIVIT. SEGG.

Ex Guichenone.

Secusiæ vulgo Suze.

IMP. CAESARI M. AVREL. VAL.
MAXIMIANO
PIO FELICI INVICTO AVG. P. F.
ORDO SPLENDIDISS. CIVIT.
SECVS.
CVRANTE AVRELIO SATVRNINO
VRB. PRAES.
D. N. M. Q. E.

Ex Guichenone, qui incorrecte citat.

Secusia Taurinum translata.

IMP. CAESARI. G. VALERIO DIOCLETIANO P. F.
INVICT. AVG.
ORDO SPLENDIDISS. CIVITATIS SECVSIAE
CVRANTE AVRELIO SATVRNINO VRB. PRAESIDE
D. N. M. Q. E.

Ex Guichenon. Histor. Sabaud.

Secusia quæ & *Segusium* antiquis, *Suse* nostratibus, urbs Pedemontii ad radices Alpium Cottiarum, similem Inscriptionem Diocletiano & Maximiano posuerat. D. N. M. Q. E. Devota numini majestatique ejus, ut omnibus in antiquitatis mysteriis initiatis constat.

Tarraco.

Narbonæ.

L. AFRANIVS. CEREALIS. L.
EROS. IIIIII AVG. DOMO. TA
RACONE. OSPITALIS. A. GALLO
GALLINACIO. AFRANIA. CERIA
LIS L. PROCILLA. VXOR. AFRANIA
L. LVRANIE. F. ANNORVM. XI.
HIC. SITA. EST.

Ex D. Fr. Graverol Nemaus.

Tarraco Ταῤῥακῶν Ptolemæo nunc *Tarragona*, Hispaniæ Tarraconensis Urbs celebris, Romanorumque Colonia in Augusti & Tiberii nummis C. V. T. T. Id est, *Colonia Victrix Togata Tarraco*, vocatur. Ex hac oriundus Lucius Afranius Cerealis Libertus Eros Sextumvir Augustalis, Narbonem Martium, sive Narbonam migraverat, ubi Hospitis sive Hospitalis professionem exercebat, cujus hospitio insigne fuit *Gallus Gallinaceus*. Itaque ex hac rara Inscriptione discimus antiquos, non secus ac recentiores, in Diversoriis insignia, veluti animalia, appendere solitos fuisse.

Teate.

1

Teate.

GENIO MVNICIPI

Ex L. Camarra.

3

Teate.

D. M. S.
Q. NINNIO Q. F.
ARN. OPPIANICO
AED. IIII VIR I. D.
IVLIA MARCIA B. M.

Ex L. Camarra.

2

Teate in Archiepiscopali Palatio.

D. M. S.
L. CAESIO L. F. MARCELLO LAV
RENTI LAVINATIVM P. C. TEATIN
ORVM CAESIVS PROCVLVS
SEN. FILIO DVLCISSIMO B.M.P.

Ex Lucii Camarræ Teate Antiquo.

4

Ibidem.

M. VETTIVS MARCELLVS PROC.
AVGVSTORVM
ET HELVIDIA C. F. PRISCILLA
MARCELLI SP. F.

Ex eodem.

5

Teate, columna milliaria.

TI. CLAVDIVS
CAISAR
AVG. GER. PONT. MAX.
TRIB. POT. VIII. IMP. XVI
COS. IIII. P. P. CENSOR
ℲIAM CLAVDIAM ℲALER.
A CERFENNIA OSTIA ATERN.
MVNIT IDEMQVE
PONTES FECIT
XLIII

Teate Urbs Marrucinorum Metropolis, nunc *Chieti* in Aprutio (*Abruzzo*) ad Fluvium Aternum sita, Canonicis regularibus qui Teatini dicuntur, nomen dedit, hanc societatem fundante Archiepiscopo Teatino, qui postea Paulus IV. Pont. Max. Notandum in ultima Inscriptione Digamma Ⅎ Æolicum a Claudio Imperatore inventum & eo regnante tantum usurpatum, ut notat Suetonius in ejus vita cap. 41. *Novas etiam commentus est literas tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit: de quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox Princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent. Extat talis scriptura in plerisque libris ac diurnis titulisque operum.* Quintilianus, *nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ ad hos usus literarum adjecerat.* De aliis duabus literis vide Justi Lipsii Commentarium ad Tacit. Annal. lib. XI. ubi negat AI diphthongum pro AE, quæ in Claudii Inscriptionibus ut in hac reperitur, unam ex his esse, eo quod ante eum jam in usu esset.

Cerfennia erat inter montem Imeum & Marruvium posita, ut contra Cluverium asserit Lucius Camarra: ait enim ubi nunc collis Armeus ibi etiam Cerfenniam extare: addit viam adhuc superesse extra urbem Teate a Cerfennia per agrum Teatinum usque ad Aterni ostia, ab Imperatore Claudio plurimo opere quondam munitam.

1

Teate.

PRO SALVTE
IMP . . . . AVG. ET
M . . . . CAES.
TAVROBOLIVM MOVIT
PETRONIVS MAR
CELLVS SACERD.
DE SVO

Ex L. Camarra.

2

Teate.

CRIOBOLIVM ET
AEMOBOLIVM MOVIT
DE SVO PETRONIVS MA
RCELLVS SACERD. VIRAL.
DEC. IIII PRIMO IVSTO

Ex L. Camarra.

Supplendum in prima, *Maximini* & *Maximi*, quorum nomina erasa ex Senatus Consulto, post eorum mortem, teste Capitolino. *Æmobolium* in secunda vocabulum singulare, quod idem putabat Holstenius ac Taurobolium: qui enim Taurobolium accipiebant sanguine perfundebantur. *Criobolium* est sacrificium arietum. De quibus fuse Salmasius ad Lampridii Heliogabalum.

Tiberiopolis.

In Tarantasia.

DIS MANIBVS
TI. CLAVDIVS ARTEMIDORI F.
Quirina Tribu QVIR. PHOEBVS TIBERIO
POLITANVS VIVOS SIBI
ET FILIAE FIDAE VASIENSI
VXORI CARISSIMAE

Filia videtur hic nomen esse familiæ, quæ alias Fillia, siquidem eadem uxor Tiberii Claudii indigitatur. *Tiberiopolis* urbs erat Thraciæ, item altera Phrygiæ magnæ.

Trajanopolis.

Romæ.

D. M.
P. AELIVS AVITIS
TRAIANOPOL.
TVBICEN. EQ. SING. AVG.
TVRMAE L. LVCANI
NATIONE THRAX
V. A. XXXV MIL. A. XV
P. AELIVS AVRELIVS
HER. ET IVLIVS MAXIMVS
DECVRIO SECVS HER. OPTIMO
AMICO FACIENDVM CVRAVER.

Exscripsi.

Trajanopolis Urbs Thraciæ non ignota erat, ex qua oriundus hic Publius Ælius Avitus Tubicen & Eques Singularis Augusti, turma Lucii Lucani. SECVS HERES idem ac Secundus.

Vasio.

Vasione, basis.

IMP. CAES.
Publio Licinio P. L. GALLIEN.
INVICTO F.
AVG. VASIEN
SES

Ex P. Colomby schedis.

Vasione.

Q. PASSERIO TER
TIO IIIIII VIR. AVG.
Q. PASSERIVS VA
LENTINVS ET Q.
PASSERIVS FORTV
NATVS LIBERTI
PATRONO OPTIMO
EX TESTAMENTO

Vasio, Vasion & Vasionensis Urbs Antiquis Authoribus, Forum Vocontiorum Ciceroni, nunc *Vaison* in Comitatu Vindaxino 8. leucis ab Avenione, Episcopalis est: huncque Episcopatum jam ante paucos annos defunctus gerebat, Vir Eruditus Josephus Maria Suaresius, qui Præneſtem Antiquam, aliaque edidit opuscula.

Vvv iij

Civitas Vintienſis.

Vintii, Vence, *in æde D. Petri in ſuburbio, baſis.*

IMP. CAES.
M. ANTONIO
GORDIANO PIO FEL.
AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. P. P. COS.
CIVITAS VINT. DEVO
TA NVMINI MAIES
TATIQVE EIVS

Ex ſched. Peiresk.

Vintiis in ſacello Caſtelli.

IMP. CAES.
C. MESSIO QVIN
TO TRAIANO. DEC
IO PIO FEL. INVIC
TO AVG. P. M. TRIB.
P. III COS. II PROC.
P. P.
CIVIT. VINT.

Ex ſched. Peiresk.

Vintium urbs Liguriæ memoratur a Ptolemæo, nunc in Provincia 4. leucis a Nicia. Vide etiam Inſcr. MARTI VINCIO in tertia Sectione. Ejus ut & ſuperioris antiquitates vide apud Bouche Hiſt. Provinc. Obſervat Antonius Pagi in ſua Diſſertatione Hypatica, in hac Inſcriptione, quæ anno Chriſti 251. ſculpta eſt, Decium Conſulem II. dici, non III. eo quod nulla ratio haberetur Conſulatus Suffecti, quem geſſerat hic Imperator.

Vicus Caii Petronii.

In pago Peyruis.

. . . .
. . . . . PROH. DOLOR
AEMY. BERE. PRAEF. ILLYRICI
QVI IMPER. MAGISTRATVS
SICCARIOS INSECVTVS IVSTE
SEMPER FVERIT POST ADMINISTRATAM
AEGYPT. DVM IN GALL. CVM LIBER.
IVSSV IMP. CONSTANT...PROFICISCERETVR
A SICCARIIS ET IVDAEIS PERVICACISS.
NEFANDVM FACINVS IN VICO C.
PETRONII AD RIPAM DRVENTIAE
PVGIONE CONFOSSVS HIC SITVS EST
S. L. H. P. M. R. D. O. M. V. F.

Ex Hiſt. Provinc.

Habetur quidem hæc Inſcriptio apud Gruterum, ſed diviſa, quaſi duæ eſſent Inſcriptiones, ſcilicet pag. CCCCXCV. & CCCCXCVII. pauloque hac incorrectior. Sic ergo in integrum reſtituendæ, niſi quod priores lineæ ſint mutilæ.

Pagum hunc *Peyruis* ad Druentiam dictum fuiſſe olim *Vicum Caii Petronii* ſuadet Inſcriptio inibi reperta, quæ eum ad Druentiam collocat. Cum autem Cajus Petronius Arbiter celebris Poeta omnium Hiſtoricorum fide in Provincia fuerit natus, probabile eſt hanc habuiſſe patriam & pago nomen ſuum dediſſe. Vide Bouche Hiſt. Prov. Ultima linea mihi ignota eſt. Eam alter divinet OEdipus.

Verona.

Romæ.

QVART. ANNIVS QVART. F. POBL.
SATVRNINVS VERONA
MIL. LEG. V. AVG. PIAE VIGIL.
PROCVRATOR VIGESIM. HERED.
ET QVARTINIA BABAERIA
VXOR FECERVNT H. T. I. F.
H. M. D. M. ABES.
IN FR. PED. XVIII. IN AGR. P. XXVS

Ex sched. Barberin.

Veronæ.

SATVRNO AVG. SACR.
P. TOSSIVS ZOSIMVS
VIVIR AVGVST.
TOSSIA SVTVRNINA
CONIVX
V. S. L. M.

Ex Panvin. Antiquit. Veron.

Calderii, in agro Veronensi.

QVAE. MVLTVM. SYRENARVM. CANTV. DVLCIOR
ET. QVO. AD. BACCHVM. IN SODALITIIS. MAGIS
AVREA VENERE. QVAE. ELOQVI. VOCE. CLARIOR
IRVNDINE. ET. QVAE. AD. IVNONIS. FONTES
CAELESTIA. SOLATIA. CAPIEBAT
HIC. TVRPILIA. IACET. BISIO. LINQVENS. LACRIMAS
CVI. FVERAT. SOLATIVM. A. PVERITIA. ILLA
AVTEM. TANTAM. DEMVM. INOPINATE. DISIVNXIT
AMICITIAM

Ex eodem.

Veronæ celebris & antiquæ Urbis antiquitates qui scire voluerit, consulat Eruditiss. Panvinii Antiquitates Veronenses, post quem eloqui pudet. In prima Inscript. H. T. I. F. *Hoc Testamento jussum fieri*. H. M. D. M. ABES. *Huic monumento dolus malus abest* vel abesto. Nominatur in Inscript. Grut. *Colonia Augusta Verona nova Gallieniana*.

Vienna.

Romæ.

EXATTIVS
SEX. FIL. VOLT.
. . ETICVS VIENN.
OMNIB. HONORIB.
IN PATRIA SVA FVNC.
FLAM. PROV. NARB.

Exscripsi.

Viennæ.

D. IVL. D. FIL.
CAPITONI
FLAMI. VIENN. IIIVIR.
LOC. PVBLIC. PER.
IIVIR. AERAR.
PRAEF. FABR. TRIB.
MIL. LEG. VII
GEMINAE CIVIT.
REMI FOEDERATA
D. D. D.

Ex Chorier. Antiquit. Viennensibus.

Viennensium Coloniam valentissimam ornatissimamque, ut eam Tabula antiqua Lugdunensis nominat nulli ignotam, si quis exacte cognoscere velit, legat Eruditiss. Chorerii Antiquitates Viennenses vernacula lingua conscriptas. Hanc ibi ultimam Inscriptionem fœde apud Gruterum mutilatam restituit & explicat. Lapillum mihi ostendit D. de Vilambour Viennensis in suprema Metensium Curia Consiliarius, in quo sculptum literis extantibus VIENNA VENERIS AMICA: non quidem priorum sæculorum, sed ut videbatur inferioris ævi.

Ulpia Augusta, sive Respublica Ulpia.

In Urbe Thraciæ vicina nunc fere deserta, quæ videtur Ulpia fuisse.

IMP. CAESARI
DIVI MARCI ANTONIN.
PII GERMANICI SARMATICI
FILIO DIVI COMMODI
FRATRI DIVI ANTONINI
PII NEPOTI HADRIANI
PRONEPOTI DIVI TRAIANI
PARTHICI ABNEPOTI
DIVI NERVAE ADNEPOTI
SEPTIMIO SEVERO
PERTINAC. AVG. ARABICO
ADIABENICO PARTHICO
MAXIMO PONTIF. MAX. TRIB.
POT. XI. COS. III.
PROCOS. R. P. SVAE *Reipublicæ suæ*
VLP. CVRANTE *Ulpiæ.*
Q. ANICIO FAVSTO
LEG. AVGVSTORVM *Legato*
PR. PR. *Proprætore*

Ibidem.

IVLIAE DOMNAE AVGVSTAE
MATRI CASTRORVM
R. P. SVA VLP.
CVRANTE Q. ANICIO FAVSTO
LEG. AVGVSTORVM PR. PR.

Utramque exscripsit Excell. Antonius Soderini, Nobilis Venetus.

Respublica Ulpia, quæ & Colonia Ulpia Trajana ab antiquis Scriptoribus vocatur, fuit Urbs Daciæ a Cæsare Ulpio Trajano Coloniæ privilegiis donata, nunc Transsylvaniæ pagus, qui Germanice *Varhel*, Sclavonice *Gradisch* vocatur. Insculptus est lapis, biennio post Severi expeditionem in Orientem, a qua Parthicus Maximus dictus est. Proculdubio autem aliqua liberalitate aut benevolentia in eos usus est, siquidem hanc Urbem Reipublicæ suæ Ulpiæ titulo decorari voluit.

MISCEL-

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SEXTA.


OFFICIA ET ARTES,

Quæ in ſelectis quibuſdam lapidibus memorantur.

OFFICIA.

Ab Epiſtolis.

Florentiæ.


IVLIAE METHE
IANVARIVS
AB EPISTOLIS
CONTVBERNALI
CARISSIMAE

Exſcripſi.

AB *Epiſtolis* vocabantur ſervi qui dominorum Epiſtolas conſcribebant, quos nunc Secretarios nuncupamus: qui autem Latinas, *Ab Epiſtolis Latinis*; qui Græcas, *Ab Epiſtolis Græcis*, ut in ſequentibus.

Florentiæ.

D. M.
FAVSTVS AVG. LIB.
ADIVTOR AB EPIST.
LAT. VIXIT ANN. XVIIII
M. IIII. DIEB. XVI FECIT
ARTEMISIVS PAEDAGOGVS
ET LIB. PVERO CARISSIMO

Exſcripſi.

Romæ.

SEX. POMPEIVS SEX. F. FELIX
SEX. POMPEI AB EPISTVLIS
LATINIS

Ex Fulv. Urſini, Imaginibus virorum Illuſtrium.

Pisis.

D. M.
M. VLPIO AVG. LIB.
VERNAE
AB EPISTVLIS LATINIS
VIBIA THISBE VXOR
INFELICISSIMA

Ex Boldonio.

Romæ.

L. MVNATI L. VALERIVS
L. L. STACTVS
NICOMEDI AB EPIST. GRAEC.

Ex F. Urſino.

Adjutor ab Epiſtolis idem erat, qui nunc Scribæ aut Secretarii Vicarius. *Epiſtulæ* vox antiquo loquendi modo pro *Epiſtolæ*, paſſim occurrit, non ſolum in lapidibus, ſed & apud probatos Auctores.

A Bibliotheca.

Romæ.

DIS MANIBVS
T. FLAVIVS A BIBLIOT.
GRAEC. PAL.

Exſcripſi.

Titus Flavius a Bibliotheca Græca Palatina: id eſt, Præfectus Bibliothecæ Græcæ, quæ in monte Palatino aſſervabatur.

A Calida.

Romæ.

	Θ. IVLIVS ASTYOCHVS	IVLIVS CYPSVS
	Θ. ET C. IVLIVS AGATHYRSVS	AVG. SER. A. CAL.
	AVG. MINIST. APOLLINIS	
Teſtamento fecit	IVLIA ANDROCLEA T. F.	

Exſcripſi.

De Aquæ calidæ potione, cujus hic Julius Cypſus Auguſti ſervus Miniſtrator erat, ſcripſere permulti, & inter illos Lipſius & Octavius Ferrarius qui Electorum lib. I. cap. 12. Mercurialem arguit putantem aquam illam, quam potabant Romani, calidam vocari dumtaxat refrigeratæ comparatione, quia non eſſet nive aut glacie, aliove quopiam modo refrigerata: eruditeque probat vere calidam fuiſſe & quidem puram, quæ in deliciis erat Romanis, ſive ob aſſuetudinem, ſive ob ſtomachi conſolationem ac ſanitatem. *Martialis.*

Caldam poſcit aquam, ſed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Θ. Nota eſt eorum qui defuncti erant, ut in alia Sectione dicemus.

A Codicillis.

Florentiæ.

AEGYPTO SERVO
BARBARI AVG. LIB.
A CODICILLIS
EVTYCHVS PECV
LIARIS SYMMACHVS
FRATRES PIENTISSIMI

Exscripsi.

Ægyptus hic nomen est servi, qui erat a Codicillis Liberti cujusdam Augusti, cui Barbari cognomen erat. *Codicilli* erant tabulæ minores, in quibus Romani veteres cera extensa coopertis stylo ferreo Epistolas aut aliud quid scribebant. Erant etiam apud Juridicos parva Testamenta, quæ idem nomen apud Gallos nostros retinuerunt: *Codicilles*. Κωδίκελλος, τελευταία βούλησις, *Codicillus*, *ultima voluntas*, in Gloss. veteri Juridico.

A Cognitionibus.

Romæ.

DIS MANIBVS
T. FLAVI AVG. LIB.
ABASCANTI
A COGNITIONIBVS
FLAVIA HESPERIS
FECIT
CVIVS DOLORE NIHIL
HABVI NISI MORTIS

Exscripsi.

Cognitiones sequioribus sæculis erant *Homagia*, tum etiam arma sive insignia quibus familiæ ab aliis distinguebantur, ut videre est in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis. Sed in ista Inscriptione quæ primorum Cæsarum tempore sculpta est, *Cognitiones* forte erant idem ac Recognitiones, & a Cognitionibus, *Recognitor*, Græcis Αντιγραφεύς, nostris *Controlleur*.

Romæ apud Bellorium.

DELICATVS AVG. — AVGUsti, subaudi Libertus, vel Servus.
ADIVT. A COGNITIONIB.
DOMNICIS OBIIT IN EX
PEDITIONE GERMANICA
VIX. ANN. XVIII. M. VII. D. VIII.
FRATRI PIISSIM. FRATRIS

Exscripsi.

Adjutor Officii cujuscunque erat veluti ejus Vicarius, sive subordinatus Minister. *A Cognitionibus Domnicis*, id est, *Dominicis*

A Commentariis.

Romæ.

D. M.
M. VLPIO
ABASCANTO
CVSTOS A COMM.
BENEFICIORVM
FLAVIA PALLA
B. M. ET CAECILIAN.
FILIVS EIVS SIBI
LIBERTABVSQVE
EORVM

Ex Camelii ſchedis.

Romæ in villa Juſtiniani.

D. M.
PIERO
CAESARIS VERN.
A COMMENTARIIS
FISCI ASIATICI
VIXIT AN. XXIIII
MES. II DIEBVS XVIII
PARENTES FILIO
DESIDERANTISSIMO

Exſcripſi.

Romæ.

DIS MANIBVS
CLAVDIAE FAVSTINAE
FILIAE PIENTISSIMAE
QVAE VIX. ANN. XVI.
TI. CL. AVG. LIB. PHILETVS
A COMMENT. RAT. VESTIVM SCAENIC. ET
GLADIAT. ET FLAVIA PROCVLA PARENTES
ITEM M. FLAVIVS DAPHNVS ET CL. MARTIALIS
FRATRES FECERVNT ET SIBI LIB. LIBERTABVS
SVIS POSTERISQVE EORVM

Ex ſchedis Barberinis.

A Commentariis dicebantur ii qui Commentariis, ſeu variis rerum rationibus exſcribendis præerant, in quem ſenſum in hiſce lapidibus memorati referendi ſunt. Ita dicti etiam carcerum Præſides, quod cuſtodias in commentarium ſive diarium referrent. Hic autem ultimus, Tiberius nempe Claudius Philetus Auguſti Libertus, Officium poſſidebat, *A Commentariis rationum veſtium Scænicarum & Gladiatoriarum*; hoc eſt, curam & rationem habebat veſtium, quæ Comœdis & Gladiatoribus deſtinatæ erant.

Actor.

Romæ.

D. M.
AVRELIAE SA
BINAE LVNESIS
AVRELI APOL
LONI SER. ACTOR
FECIT
CONIVGI BENEMEREN
TI ET SIBI

Exſcripſi.

Lunesis, id est Lunensis, urbe Luna oriundæ; sive ita scriptum errore fabrili, sive antiquo loquendi modo. Servus Actor, idem qui servus major domus, a quo noster *Majordome*, qui res Domini sui procurat. Raban. Maurus: *Quoniam enim Actor prudens & bonus, scit quid sit Domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia*. Vide Laurentium Pignorium de Servis.

A Diplomatibus.

Romæ in villa Cæsarini.

T. AELIVS AVG. LIB.
SATVRNINVS
A DIPLOMATIBVS
SARDONYCHI
ALVMNO FIDELISSIMO

Exscripsi.

Diplomata quæ vulgo nunc *literæ patentes* vocantur. Iis exscribendis aut sigillandis præfectus erat *Titus* iste *Ælius Saturninus*, qui alumno suo *Sardonychi* lapidem sepulchralem posuerat.

A Iumentis.

Romæ.

D. M.
T. SALLVSTIO
EVTYCHO
A IVMENTIS CAES. N.
FLAVIA HORREA
CONIVGI B. M.

Exscripsi.

A Jumentis Cæsaris nostri, qui ejus Jumenta curabat. Ita *Muliones*, *Carrucarii*, *Lecticarii*, *Rhèdarii*, aliique urbanum famulitium Magnatum constituentes passim leguntur.

A Laguna.

Romæ.

C. IVLIO DARDANO LIVIAE
AVG. SER. A LAGVNA
C. IVLIVS CYDNVS
T. D. D. Q.

Exscripsi.

Servus *a Laguna* sive *Lagena* idem sæpe ac Servus a potione: unde in Inscript. Gruteriana utrumque officium conjungitur.

A Manu.

Romæ.

DIS MANIBVS
QVARTIONIS
DECVMI AVG. LIB.
EVPHEMIANI A MANV
FIDELIS CONLIBERTVS
FRATRI BENEMERENTI
IN FRONTE PEDES DVO
IN AGRO PEDES DVO

Ex Fabretti schedis.

Romæ.

THELICO
EVTYCHI
ACTES AVG. L.L.
ALVMNO A MANV
VIX. ANN. XXII.

Exscripsi.

A Manu & *Amanuensis*, quæ voces idem sonant, passim apud Autores leguntur. Hos nunc Secretarios aut Scribas vocamus. Cæterum in secunda Inscriptione ita legendum, *Thelyco Eutychi Actes Augusti Libertæ, Liberti, Alumno*, &c. Ita ut Eutychus qui alumno, amanuensique suo Thelyco breve istud Epitaphium inscribi curaverat, fuerit Actes Libertus: quæ quidem Acte Neronis Augusti Liberta & Amasia erat, teste Suetonio.

A Potione.

Romæ.

DOMO MORTVI
C. IVLIVS ARBVSCVLVS
A POTIONE AVG. N.
IVLIA CORINTHA
CONIVGI SANCTISSIMO
T. F.

Romæ.

SEXTILIA L. L. AVGE
VIX. ANN. XVI
SEXTIVS PACCIVS
SEX. POMPEI A POTIONE

Ex schedis Barberinis.

Romæ.

TI. IVLIVS
TI. AVG. SER.
A POTIONE
O. H. S. S.

Servi *a Potione* qui potum Dominis suis administrabant, Pocillatores ab Appulejo appellantur: de quibus vide Pignorium de Servis. In secunda *Sextius Paccius Sexti Pompeii* Servus *a Potione* memoratur. In tertia *Tiberius* quidam *Julius Tiberii Augusti Servus a potione*. O. H. S. S. Id est, *ossa hic sita sunt*.

A Rationibus, & Adjutor Rationalium.

Romæ.

H. M. SACEL.
LAT. *Figura* IN TIT.
ANTE *Militis* ANTE
PORT. *stantis* PEDES
PED. XII. VIII
A RET. IN AGR.
PED. XV. PEDES XI S.
M. PERCENNIO M. F. OVF.
AXYO NAT. MEDIA
MIL. COH. VII. PRAETOR.
7. C. CALVINI SEVERI
M. PERCENNIVS IVNIOR
CONSTANTI AVG. SCRIBA
A RATION. VOLVT. FEC.
SIBI ET FRATRI SVO K.
ET IVN. PERCEN. VXOR. S.

Exscripsi.

Frascati.

DIS MANIBVS
FLAVIAE AVG. L.
DAPHNE
CRESCENS AVG. L.
A RATIONIBVS
SORORI

Exscripsi.

Romæ.

FELICIS CAESARIS
N. VERNAE
ADIVTORI RA
TIONALIVM
PATRONO AVG. LIB.
PATER FEC. VIX.
ANN. XXIII. D. XXVII

Exscripsi.

A Rationibus seu Ratiocinator is vocabatur, qui patrono heroque suo familiæ impensam aliorumque ministeriorum Rationes reddere debebat. Ita, teste Suetonio, Claudius Imperator *Narcissum ab Epistolis & Pallantem a Rationibus*, Quæstoriis, Prætoriisque ornamentis ornari passus est.

Arcarius.

Romæ.

DIS MANIBVS
M. MAIO M. F. ORAT.
FABIANO
VIX. ANNIS VIII
DIEBVS XLVI
MARIA PROCLA
MATER FILIO
DVLCISSIMO
ET ANDRAGATHO
CAES. SER. ARCAR. XX.
HER.

Ex schedis Barber.

Neapoli.

D. M.
MARCIAE MELISSAE CONIVGI
INCOMPARABILI FELIX ARK.
REIP. NEAPOLITANORVM
L. D. EX PERM. MAGIST.
ET MARCIVS FELIX MATRI B.M.

Ex Summont. & Capacii Hist. Neapolit.

Romæ.

D. M.
TIRONI AVETTI
LATINI ARCARIO
XX. LIB. ERVCIA
PREPVSA DOMINO
ET CONIVGI BENE
MERENTI

Exscripsi.

ARK. *Arkarius* est, sive *Arcarius*, id est, *Arcæ publicæ Custos*; non autem, ut interpretatur Capacius, *Archon*, cum sit scriptum per K. In prima quidem *Andragathus* quidam *Cæsaris Servus Arcarius vigesimæ Hereditatium* indigitatur. ORAT. errore Sculptoris pro HORAT. id est, *Horatia* Tribu. In secunda *Felix Arcarius Reipublicæ Neapolitanorum*, cui *Locus Datus ex* PERM*issu* MAGISTr*orum*.

Romæ.

AGATHYRSVS AVG. N.
SER. ARKARIVS FONT
EM DILAPSVM RE
STITVIT ITEM MV
RVM CINGENDVM
ET ALVEA PONENDA
CVRAVIT

Exscripsi.

Romæ.

ANTONIAE
RVFINAE
FELICISSIMVS
ARK.

Exscripsi.

De *Arcariis* vide quæ differit Pignorius libro de Servis, qui lucem nostris marmoribus fœnerabitur, & ab iis vice versa lucem accipiet.

A Studiis.

Romæ.

TI. CLAVDIVS
LEMNIVS
DIVI CLAVDII
AVGVSTI LIB.
A STVDIIS

Exscripsi.

A Studiis is erat, qui Principis vel alterius Domini studiis ministerium suum præstabat.

Custos Officiorum.

Romæ.

D. M.
AVRELIVS DIONYSIVS
TITI.. ET.... VIVI SIBI
LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQ. FECER. AVRELIVS
D...IVS CVSTOS OFFICIORVM
...LIA PELAGIA VXOR...
LIBERTIS LIBERTABVSQ.

Exscripsi.

Custos Officiorum forte idem qui Officialis, id est Minister, Apparitor. Vide Du-Cange Glossar. Med. Latinit.

Cubicularius & a Cubiculo.

1

Romæ in villa Matthæi.

D. M.
THALLVS
ACTES N. SER.
CVB. VIX. ANN. XXIII
FEC. DIADVME
ET PHOCION ET
PHILETVS CONS.

Exscripsi.

2

Romæ, in villa Caroli Valle.

D. M.
CLESIAE AELII CLA
DEI A MEMORIA
ET CVBICVLO AVG.
SER.

Exscripsi.

3

Romæ.

DIIS MANIBVS
HELIO
ACTES AVG. L. *Liberta*
LIBERTO
A CVBICVLO

Subest Triclinium in quo mulier jacet: ante & retro stat juvenis.

Exscripsi.

Cubicularios & *a Cubiculo* nemo ignorat. A Memoria vero idem forte qui a Codicillis; aut saltem non admodum diversus. Acte autem Augusti Liberta, cujus a cubiculo erat Helius, fuit Neronis pellex. Suetonius in Nerone, *Acten Libertam paulum abfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret.*

Dispensator.

1

Florentiæ.

SILVANVS
PARIDIS DISPENS.
VIX. ANN. XXXVIII
EPHESIA MERENTI

Exscripsi.

2

In urbe Aixme, Tarantasiæ.

IVCVNDO CHRYSEROTIS
CAESARIS SER.
FAVSTIANI DISP. VICARII

Ex R. P. de la-Biguerne Franciscano.

3

Romæ.

VENVSTVS
PHILOXENI
TI. CLAVDI CAESARIS
SERVI
DISPENSATORIS
VICARIVS
B. D. V. S. L. M.

Exscripsi.

Romæ.

4

Romæ.

DIIS MANIBVS
CALAI L. APONI DIS
PENSATORI.V.A.XXXI
POSVIT IANVARIVS
ET SYNERVS
CONTVBERNALI
BENEMERENTI

Exscripsi.

5

Romæ, in villa Caroli Valle.

CLAVDIA FECIT SIBI ET
NYMPHIO AVG. LIB. BARON.
ET DONATO AVG. DISPENSATORI
CONIVGI SVO ET IVLIAE ANT.
MATRI SVAE ET LIBERTIS LIBERTABVSQ.
SVIS POSTERISQVE EOR.

Exscripsi.

6

Romæ, In villa Ludovisia.

HERACLAE
AVG.
DISPEN
SATORI
SEDATVS ET
MANSVETVS
EIVS VICARI

Exscripsi.

Dispensator, apud Suidam OEconomus est; qui Cæsaris Domui ordinandæ præficiebatur.

Magister a Balneis Augusti.

Florentiæ.

FLAVIO MARCIANO
VLPIO IVLIANO
MAG. A BALNEIS AVG.
DECVRIONES SCRIBAE VNCTORES AVG.
VLPIO CRATERI AVG. LIB. PROC. CASTR.
DECVRIONES SCRIBAE ET VNCTORES D.D.

Exscripsi.

Balneorum magnus erat apud Romanos usus: unde suos habebant Præfectos, qualis hic Flavius Marcianus *Magister a Balneis Augusti*.

Ministrator.

Romæ, extra urbem ad Turrim de Pignatara.

D. M.
ZOSIMO CAESARIS
VERNAE
MINISTRATORI
FECIT DOMITIA HYGIA
CONIVGI SVO B. M.
V. A. XXXV.

Exscripsi.

Ministratores vocabantur qui potum Dominis suis ministrabant. Petronius: *Vinum Dominicum Ministratoris gratia est*. Seneca Epist. 95. *Transeo Pistorum turbam: transeo Ministratorum, per quos signo dato, ad inferendam cœnam discurritur*.

Manceps Officinarum.

Romæ, in villa Juſtiniani.

P. CALVIVS P. F.
IVSTVS
MANCIPS
OFFICINARVM
AERARIARVM
QVINQVAE *ſic
ITEM FLATVRAE
ARGENTARIAE
HOC MONVMENTVM
CVM AEDIFICIO
ME VIVVS FECI MIHI ET
CALVIAE ASCLEPIADI
CONIVGI

Exſcripſi.

Mancips ſcriptum pro *Manceps*, id eſt ſervus in Officinis, ubi æs & argentum fundebatur ad Monetam cudendam. Flare enim eſt fundere, liquare: unde Monetarum Præſides, vocabantur Triumviri Auro, Argento, Ære, flando, feriundo, ut paſſim in nummis.

Opſonator.

Romæ, in villa Juſtiniani.

DIS
MANIBVS
TAVRIONIS
OPSONATORIS
POPPAEAE AVG.

Exſcripſi.

Florentiæ.

APHAREVS IVLIAE
AVG. L. OPSON.
DAT.
LIVIAE LIB.

Exſcripſi.

Seneca Epiſt. 47. *Adjice Obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt cujus rei illum ſapor excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit.* Obſonator ergo qui Obſoniis comparandis vacabat, ὀψώνης & ἀγοραστὴς Athenæo.

Oſtiarius.

Romæ.

T. FLAVIVS AVG. L. ACRABA
DECVRIO OSTIARIORVM
FECIT SIBI ET
HADRIAE ACRABILLAE

VIX. ANN. VII. MENS. VIIII D. XVII. H. X. ET
PROVINCIAE VIXIT
ANNIS XVIIII
PATER FILIABVS BENEMERENTIBVS ET
LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
IN FR. P. X. IN AGR. P. VIIII.

Exscripsi.

Ostiarius qui portas custodiebat, quem Græci θύρωρον vocabant. Suidas, Οστιάριος ὁ κρατῶν τὰς θύρας καὶ ὠθίζων τὰς εἰσιέναι βουλομένους, *Ostiarius qui custodit portas & impedit ingredi volentes*. Erat etiam sub Imperatoribus Christianis Officium in Ecclesia, de quo consulendi Balsamon & Codinus. In Aula vero ubi plurimi Ostiarii, Præfecti quidam eorum Decuriones vocabantur, qualis iste *Titus Flavius Augusti Libertus Acraba*, qui sibi & *Hadriæ Acrabillæ* filiæ suæ, necnon & *Provinciæ* alteri filiæ monumentum fieri curaverat.

Palæstrita.

Florentiæ.

L. CORNELIVS
POTHVS PALAESTR.
HOSPITA L.

Exscripsi.

Palæstrita qui in Palæstra sive lucta se exercet. Persius Satyra 4. *Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant.*

Scriba Librarii.

Romæ.

D. M.
VOLVSI PRIMA
NI SCRIB. LIBR. Q̄
III DEC. ET LICTO
RI III DEC. *Tertiæ Decuriæ.*
VOLVSIA SALVIA
PATRI PIENTISSIMO

Exscripsi.

Romæ.

PRO SALVTE
TI. CLAVDI CAESARIS AVG. PONTIF.
MAX. TR. POT. III COS. III DESIGN. IIII
PRAESENS AVG. L. EX VOTO SVSCEPTO
VIAT. ET SCRIB. LIBR. ET *Viator*
A LARICIVS LVDVS DED.

Ex sched. Barber.

De acceptione vocis *Scribæ* vide Meursii Lexicon Græcobarbarum. *De Laricio Ludo* cujus in 12. lap. mentio, nihil me legisse memini.

Silentiarius.

Romæ.

Q. SERVILIVS M. F. QVIR. SATVRNINVS
SILENTIARIVS DOMEST.
VIVVS FECIT SIBI ET
SERVILIO P. F. RVFINO ET SERVILIAE PRIM.

ET SATVRNINAE VXORI ET SATVR
NINO NEP. SVO VETERANO AVG. N. XXX
VIX. ANN. LXXIII
IN FR. P. XX. IN AGR. P. XXX. S.

Exſcripſi.

Silentiarius Officium erat in aula Cæſarea, Orientali præcipue, is nempe qui Silentium & quietem populo indicebat. Eos Agathias lib. 5. appellat τὰς ἐπιςάτας τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς, id eſt, *Præſides ſilentii quod circa Imperatores obſervari debet*. Eodemque nomine & is qui a Secretis Cæſaris erat vocabatur, inferiori ſcilicet Imperii ætate. Plura Vide in Gloſſario Med. Lat. Du-Cange.

Scriniarius.



Hæc prima Inſcriptio a Grutero refertur pag. DCXLIII. 9. Sed quia marmoris figuram non addidit, in quo Scrinium depingitur, hic eam addito typo repetere non erit inutile. *Quintus Fabius Hilarus Hilari Libertus Scriniarius* indigitatur. *Scriniarii*, inquit Erud. Du-Cange in Gloſſario med. Latin. *dicti qui in Scriniis operam ſuam locabant, & Scriptorum vices agebant*. Papias: *Scriniarii, Libellarii, Chartularii publici*. Suidas Σκρινιάριος, ὁ χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον, ἤτοι τὸ κιβώτιον. De *Scriniariis* videſis Tit. Cod. 50. lib. 12. Cujacium, Gothofredum & alios. *Scrinium* autem erat veluti Theca ad publica ſcripta recondenda: unde in Gloſſar. veter. Scrinium χαρτοφυλάκιον, & in Gloſſ. Baſilic. Σκρίνια, αἱ ἄρκλαι, id eſt, *Arculæ ſeu capſæ, in quibus libros, ſcripta aliaque ſecreta reponebantur*, inquit Iſidorus. Quatuor autem Scrinia erant, teſte Scholiaſte Juliani Anteceſſ. primum quod dicebatur Libellorum; ſecundum Memoriæ; tertium Diſpoſitionum; quartum Epiſtolarum: unde & quatuor Antigraphei ſeu Scriniorum Magiſtri. Hic tamen SCRIN. V. *Scrinium Quintum*, indicari videtur. Libelli aliaque ſcripta quæ in iis reponebantur, erant veluti colligata volumina, olim ita a volvendo dicta. Martial. Epig. lib. 14.

Conſtrictos niſi das mihi Libellos.

Et talia constricta cernuntur volumina in marmore infra exhibendo Titul. *Pædagogus*. Dio scribit Brutum & Cassium pugiones loco Libellorum in Scrinio detulisse in Senatum ad trucidandum Cæsarem. Quo pacto autem essent dispositi intus Libelli patet ex typo 2. hic a nobis ex schedis Bagarrianis vulgato: quibus & tertium debemus Marmor, Statuam nempe Viri cujusdam Togati Magistri forte Scriniorum, vel certe *Corporis alicujus Patroni*: quod indicare videtur Inscriptio Scrinii ad ejus pedes appositi: CONSTITVTIONES CORPORIS MVNIMENTA: quæ quidem Constitutiones inibi inclusæ censendæ. Cæterum ad hanc elegantem Statuam plura posset quis de Toga commentari; sed quia alii non pauci hanc provinciam susceperunt, dicam verbo, Togam, teste Veter. Gloss. ad Pers. Satyr. fuisse purum pallium forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu; quæque sub dextro veniens super humerum sinistrum ponebatur, ut in antiquis simulacris & picturis observamus. Sinum Togæ ad dextrum latus Persius candidum umbonem vocat, a rotunditate Clypei. Mensura Togæ justæ senas ulnas habebat. Ideo ineptum fuisset in bello vestimentum. In pace ea Romani utebantur, in bello paludamentis. Pulchram Togæ descriptionem habet Tertullianus, de Pallio.

Ex Statione Quadragesimæ Galliarum.

Romæ, ad Divi Laurentii.

D I S M A N.
PEDIA EPICTESIS
PLACIDO CAESARIS
EX STATIONE XXXX GALLIARVM
FECIT ET SIBI ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM

Exscripsi.

Quadragesima erat Tributum quod Imperatoribus Romanis pendebatur. *Ex Statione* idem ni fallor qui *Stationarius*, Miles, Apparitor, Ministerve publicus, qui Magistratui seu Præsidi ministrabat, ad hujusce Tributi exactionem. Vide Glossar. Med. Lat. in voce *Stationarius*.

Tabularius.

Florentiæ.

EVANDRO AVG. LIB.
TABVL. A PAL. AMICO
VLII ATHYRON ET
DEMETRIVS HEREDES

Exscripsi.

Romæ.

D. M.
L. SEMPRONI FESTI
TABVL. RAT. PORTVEN.
OPER. D. VIX. ANN. XXXI
SEMPRONIA MATER FILIO
OPTIMO FECIT

Ex sched. Barber.

Romæ.

D. M.
M. VLPI AVG. LIB.
EVTYCHI
TABVL. VIAE APPIAE
VIX. ANN. XXXX
FLAVIA DAPHNE
CONIVGI B. M.
FECIT

Exscripsi.

Florentiæ.

OPTATVS
ANTONIAE
DRVSI TABVL.

Exscripsi.

Tabularii qui tabulas publicas & Archiva curabant & custodiebant: unde in Gloss. Lat. Græc. Tabularius γραμματοφύλαξ, λογιστὴς & λογοποιὸς dicitur. Hæc officia passim apud veteres Historicos, & in antiquis lapidibus occurrunt.

Adjutor Tabularii Natalis Aug.

Romæ, ad D. Pancratium.

GAENAEO
AVG. N. VERN. — *Augusti nostri Vernæ.*
ADIVTORI
TABVLARI
NATALIS AVG.
N. DISP. FRATRI
MERENTI
FECIT

Ex Abbate Doni Florentino.

Natales Augustorum quotannis celebrari solebant, non sine magnis impensis, quarum rationes curabant & exscribebant his destinati *Tabularius*, & *Adjutor* sive Vicarius *Tabularii*.

Vicarius.

Romæ.

SECVRITATI
MARTIALIS
DANAI VICARI
FIDELISSIMI

Exscripsi.

Florentiæ.

D. M.
SECVNDIONI
VIX. ANN. XV
SECVNDVS VICARIO
BENEMERENTI

Exscripsi.

Vicarii qui vicem aliorum obibant, Substituti, passim apud Autores leguntur.

ARTES.

Argentarius.

1

Florentiæ.

SELEVCVS
IVLIAE AVG.
ARGENTARI
LYSENIANVS

Exscripsi.

2

Florentiæ.

L. GAVIDIVS EROS
FABER ARG. V. A. LXX. — Vixit annos
GAVIDIA CLEOPATRA
PATRONO FECIT

Exscripsi.

3

Lugduni ad Divum Irenæum.

D. M.
...PLACIDAE
...ODISI FILIAE
...ARGENTARI
...G. CLAVDIA
...TER MISERRIMA
...VPERVIXIT
...IT

Exscripsi.

4

Romæ, in villa Montalto.

D. M.
SILIO VICTORI FILIO
ET NAEBIAE AMOEBE
COIVGI ET SILIAE VICTORIAE
FILIAE SVAE P. SILIVS VICTOR
TRITOR ARGENTARIVS
F. S. ET S. — Fecit sibi & suis Libertis Libertabus.
L.L.POSTERISQ. EORVM

Exscripsi.

Artem omnibus notam non moror. Quicunque enim ex argento fabricabant aliquod opus, *Argentarii* aut *Fabri Argentarii* dicebantur, sicuti & qui terebant *Tritores Argentarii*, ut in ultimo marmore. Lugduni autem ex veteribus Instrumentis discimus ad Divi Irenæi ædem, ubi tertium reperitur marmor, vicum fuisse Fabrorum Argentariorum & Aurificum. *Argentarius* Plinio est Trapezita.

Aurifex.

Romæ, in ædib. Barber.

L. VECTIVS NYMPHIVS
AVRIFEX. V. A. XVII
ET TE TERRA PRECOR LEVITER
SVPER OSSA RESIDAS
SENTIAT VT PIETAS PRAEMIA
QVAE MERVIT
ET QVICVMQVE SVI SINCERE
PRAESTAT HONOREM
FELICEM CVRSVM PERFERAT
AD SVPEROS

Exscripsi.

Romæ.

D. M.
QVICVNQVE ES PVERO LACRIMAS EFFVNDE VIATOR
BIS TVLIT HIC SENOS PRIMAEVI GERMINIT ANNOS
DELICIVMQVE FVIT DOMINI SPES GRATA PARENTVM
QVOS MALE DESERVIT LONGO POST FATA DOLORI
NOVERAT HIC DOCTA FABRICARE MONILIA DESTRA
ET MOLLE IN VARIAS AVRVM DISPONERE GEMMAS
NOMEN ERAT PVERO PAGVS AT NVNC FVNVS ACERBVM
ET CINIS IN TVMVLIS IACET ET SINE NOMINE CORPVS
QVI VIXIT AN. XII.
MEN. VIIII. DIEBVS XIII HOR. VIII

Exscripsi.

Collegii *Aurificum* mentio est in marmoribus a Grutero relatis pag. CCLVIII. & DCXXXVIII. Hic vero juvenum in hac arte peritorum, quorum primus annos natus erat XVII. secundus tantum duodecim. GERMINIT errore fabrili sculptum pro GERMINIS.

Ars Caractearia.

Lugduni, in Suburbio D. Irenæi.

. . . .
AVRELI LEONT.
QVI VIXIT ANN.
XVIII. M. VII. D. V.
ARTIS CARACTE
. . . . IARI ANTONIA
AMANDA MATER
INFELICISSIMA FIL.
DVLCISSIMO PIENTISSI
MO ET SIBI VIV.
PONENDVM CVRAVIT
ET ASCIA DEDICAVIT

Exscripsi.

Artem Characteariam, ni fallor, profiteri dicebantur, qui lapidum characteres sculpebant, quorum magna erat necessitas, cum vix ullus Romano subditus imperio carere vellet Epitaphio.

Balneator.

Florentiæ, in villa Strozzi.

ASINIAE C. L. AMMIAE	C. ASINIO
MATRI FELICIS FABRI	FABRO BALNEA
BALNEATORIS	TORI VIXIT
	ANNOS XXXI

Exscripsi.

Balneatores inter *Fabros* recenseri rarum mihi videtur, cum alicui operi post se relinquendo non dent operam: nisi dicamus eos ita nuncupatos fuisse qui balnea fabricabant.

Caligarius.

Romæ.

Q. LAEVIO Q. F. TYCHICO
CALIGARIO DE VICO CYPR.
NAT. THRAC. DOM. PARTHEN.
LAEVIA LASIMVNDA MARITI
PIENTISS. FECIT

Ex sched. Barber.

Caligæ

Caligæ fuere calceamenti species gregariis militibus in usu. Hinc Cajus Cæsar, qui ut militibus placeret, eas gestare solebat, Caligula dictus. Tacitus lib. 1. Annalium de ipso: *Jam infans in castris genitus, in contubernio Legionum educatus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur.* Inde qui hasce Caligas parabat aut divendebat *Caligarius* dictus, qualis hic Quintus Lævius habitans in *vico Cyprio*, qui erat in Reg. Urbis IV. *natione Thrax*, domo, id est, origine sive natalibus *Parthenienssis*. Parthenium autem teste Stephano locus littoralis Thraciæ, ut notat Reinesius qui hanc Inscript. incorrectius citat.

Cerdo Faber.

Romæ.

POMPEIAE MELISSAE	POMPEIA SEX. L.	EMP.
MAIOR HAVE	MELISSA SIBI ET	DE. F. C. TROLTO
POMPEIVS NARDVS	SEX. POMPEIO CILICI EPIGONO	
CERDO FABER		

Ex sched. Barber.

Romæ.

SEX. POMPEIVS SEX.
HERMIA SEX.
POMPEI
CERDONI

Ex sched. Barberinis.

Cerdo Faber qui calceos fabricabat aut reficiebat, qui & simpliciter *Cerdo*.

Cocus.

1

Romæ,
In villa Carol. Valle.

ZETHVS MARCELLAE
MINORIS COCVS

Exscripsi.

2

Romæ,

EPAINVS MESSALLINVS
AVG. AVGVSTIANVS IVLIANVS
SELEVCVS C. CAESARIS
COCVS GERMANIC.

Exscripsi.

1. *Marcella* minor fuit Messalinæ mater. 2. GERMANIC. id est, *Germanicianus*, Germanus natione, ut in aliis marmoribus integra voce legitur.

Confector æris.

Hispali, in Bibliotheca Ducis de Alcala.

T. FLAVIO AVG.
LIB. POLYCHRYSO
PROC. MONTIS
MARIANI PRAES
TANTISSIMO
CONFECTORES AERIS

Ex R. P. Cattany Franciscan.

Confectores æris, ni fallor, dicuntur, qui in quibusdam fodinis æri extrahendo & conficiendo operam navabant, forte in eo *monte Mariano*, ubi *Procurator* erat *Titus Flavius Augusti Libertus Polychrysus*.

Eburarius.

Florentiæ, in villa Strozzi.

Q. CONSIDIVS EVMOLPVS
FABER EBVRAR.

Exscripsi.

Eborarius, *Eburarius*, sive *Faber Eburarius*, qui variis rebus ex ebore tornandis, aut sculpendis incumbebat.

Ab Hortulo.

1

Romæ.

POMPEIAE
PLACIDIAE
SEX. POMPEIVS
KARATVS
AB HORTVL.
SEXTIAN.
AD VIA LARIC.

Exscripsi.

2

Romæ.

C. OCTAVIVS C. L. PACCIVS
AVG. SER. AB HORTVL.
C. OCTAVIVS C. L. PROSPER
AVGVST. CVBICVLARIVS
OCTAVIVS C. L. PACORVS
AVG. A VESTE IMP. PRIVATA

Ex sched. Barber.

Ab Hortulo nihil aliud est quam Hortulanus. Notanda secunda Inscriptio tribus fratribus destinata; quorum major natus Augusti servus *ab Hortulo*, secundus *Cubicularius*, ultimus servus *Augustalis a veste Imperatoris privata*.

Insularius.

Romæ.

SEX. POMPEIVS SEX. L.
LATINVS INSVLAR.
SIT TIBI TERRA LEV.

Ex sched. Barber.

Romæ.

HIMERVS INSVL.
VENVSTO EPHEBO Q.

Ex schedis Barber.

Insularii, Insularum custodes. Erant autem Romæ Insulæ, ædes grandiores quæ cum vicinis ædibus communi pariete non jungebantur, quales Rufus & Victor in descriptione Urbis non paucas enumerant.

Lanarius.

Romæ.

TI. CLAVDIO TI. L. PALLANTI
LANARIO VIX. ANN. LXVIII
TI. CLAVDIVS L. OLYMPVS
AVRIFEX T. E.

Ex sched. Barber.

Lanarius qui lanas negotiatur vel saltem eas præparat ad pannos fabricandos: sic mulieres lanificæ & lanipendiæ dicebantur, quæ lanam nebant aut tractabant.

1

Florentiæ.

D. M.
IRENES LANIPENDAE
V. A. XXVIII
OLYMPVS
BENEMERENTI FECIT

Exscripsi.

2

HIC SITA EST AMYMONE MARCI OPTIMA ET PVLCHERRIMA
LANIFICA PIA PVDICA FRVGI CASTA DOMISEDA

Exscripsi.

Lapidarius

1

Vasione.

D. SALLVSTIO AC
CEPTO OPIFICES
LAPIDARI
OB SEPVLTVRAM EIVS

Ex sched. Episc. Vasion.

2

Divione.

I. O. M. ET FORTVNAE REDVCI
PRO SALVTE ITV ET REDITV
TITI FL. VETERIS PATRONI
OPTIMO ET FIDELISSIMO LAPIDARI
CLIENTES EIVS PAGAN. DOMO
COCISTENTES EX VOTO V. S. L. M.

Ex Guenebaldi Tumulo Chyndonactis.

Latomus & Lapidicæsor qui lapides in latomiis cædebat: *Lapidarius* vero is fortasse, qui simpliciter lapides parabat ad ædium fabricationem, an & qui gemmas, ut nos hodie vocamus *Lapidaires*. In 2. Inscript. legend. videtur TIB. FL. VETERIS ut habet Inscript. Gruteriana ejusdem Viri.

Lecticarius.

1

Florentiæ.

FELIX LECTICARIVS
REGILLI

Exscripsi.

2

Romæ.

M. VLPIVS AVG. L. ERASTVS
EX N. DECVRIONIS LECTICARIO
RVM FECIT EX PERMISSO DECRE
TI IBI POSTEA IANVARIVS ET SATV
RIO SCRIBAE LECTICARIORVM EX
PERMISSV PONTIFICIORVM FECE
RVNT SIBI ET SVIS EX DECRETO
PONTIFICVM ITEM SATVRIO COIV
GI SVAE AVRELIAE SEBERAE BENE FECISSE
IANVARIVS AVRELIO FORTVNATO ET VIC
TORINO FILIIS BENEFECIT SATVRIO FE
LICI ALVMNO BENEFECISSE POSTERIS
QVE EORVM

Exscripsi ex schedis Peiresk.

Lecticarius qui lecticas conducebat, deducebatque: itemque dicti Lecticarii qui mortuos efferebant in lectis ad rogum, ut ex Novellis Justiniani colligere est.

Lenuncularius.

Romæ.

MEMORIAE PERPETVAE
Q. CAECILIO Q. L. NICANORI
LENVNCVLARIO R. TIB.
Q. CAECILIVS ANOPTES TABVL.
R. TIB. S. T. T. L.

Ex Barberinis schedis.

Lenuncularii nautarum species, ita dicti a Lenunculis. R. TIB. est *Ripæ Tiberinæ* S. T. T. L. *Sit tibi terra levis.*

Librarius, Libraria.

Romæ.

MEMPHIS	M. ATTIVS	CORINTHVS
POMPEIAE LIBRARIAE	ATIAE L.	MARCIAE CVB.
V. A. XX.	VALENS	V. A. XXV.

Ex sched. Barberin.

Librarii dicti videntur qui pondera librabant, eo quod apud Modestinum lib. 6. cum Calculatoribus conjungantur, *μηδὲ λιβραρίους, μηδὲ χαλκουλάπρας, οὓς διαψηφιστὰς λέγομεν*, &c.

Manulearius & Patagiarius.

Romæ.

SEX. ANTONIVS SEX. L. ARISTVS
MANVLEARIVS PATAGIAR.
SEX. ANTONIVS SEX. LIB. IRENALEVS
VIOLARIVS
ANTONIA GAVGELA LIB.
COMM. FECERVNT IN FR. PED.
XX IN AGR. PED. XXV

Vide Inscript. apud Reines. p. 634.

Ex sched. Barber.

Manulea, idem ac manica: hinc *Manuleata tunica* apud Plautum in Pseudolo, & *Manulearii* in Aulul. inter artes enumerantur, ii scil. qui manicas conficiebant. *Patagium*, inquit Nonius, *aureus Clavus qui pretiosis vestibus immitti solet*, præcipue in muliebribus, & *Patagiarii*, qui hujusmodi opera faciunt. Hujus utriusque artis meminit Plautus in Aulul. Versibus infra citandis in Voce *Violarius*.

Materiarius.

Romæ, in villa Cæsarini.

TI. CLAVDIO
PROBO
MATERIARIO

Exscripsi.

An qui materias ædificiorum ministrabat, vel quid aliud, *Materiarius* diceretur, pronunciare non ausim.

Myrobrecharius.

Romæ.

P. IVNIO P. L. ANEOPHILO
P. IVNIVS P. L. DIONYSIVS
LIB. MYROBRECHARIVS
OL. D. S. D. *Ollam de suo dat.*

Myrobrecharius Græca expressione idem ac Latinis Unguentarius, qui Unguenta sive olea ad suffitum præparat. Suetonius in Augusto, ait eum Mecenatis sui orationem mollem, quam μυροβρεχεῖς *Cincinnos* vocabat, usquequaque persequi solitum fuisse: βρέχω enim est illino, μύρον vero unguentum. Salmasius in Hist. Aug. ad Aurelianum, putat apud Plautum in versibus infra citandis, voce *Violarius*, legendum *Myrobrecharius*, non ut vulgo, *Murrobathrarius* aut *Murobatarius*.

Mensor Ædificiorum & Architectus.

1

Romæ.

TI. AVGVSTO
IVLIAE AVGVSTAE
SACR.
L. POSTVMIVS PRIMVS
MENSOR
D. S. P.

Exscripsi.

2

Romæ.

L. LVCILIO MECENATI
POLIAENO LIBERTO
MENSORI AEDIFIC.
VIX. ANN. LXVIIII M. VII D. VI
C. LVCILIVS C. L. XANTHVS
EMPTO LOC. OLL. N. XIII. EX ORN.

Ex sched. Barberin.

3

Romæ.

D. M.
AVLIAE LAODICES
FILIAE DVLCISSIMAE
RVSTICVS AVG. LIB.
ARCHITECTVS PATER
INFELICISSIMVS QVAE
VIX. ANN. VI. MENS. VI.
DIEBVS IIII

Exscripsi.

4

Romæ.

M. ALFENIO ARCHI
TECTO
ALFENIA VIVANIA F.

Ex sched. Barber.

Menfor idem qui Agrimenfor apud Frontinum. Alii funt *Menfores* in Cod. tit. 34. l. 6. quorum munus fuit hofpitia Principi præparare, & Palatinis Principem comitantibus deputatas domos enotare, & poftibus hofpitaturi nomen adfcribere. *Du-Cange Gloffarium mediæ Latinitatis.*

Negotiator de facra via.

Romæ.

M. CAEDICI FAVSTI
NEGOTIATOR.
DE SACRA VIA

CAEDICIA
SYNTICHE
CONLIBERTA

Exfcripfi.

Viæ facræ, in qua negotiabatur Marcus Cædicius Fauftus, paffim apud Romanos Authores mentio; ita dictæ quod per eam facra ferrentur. De ea vide Panvinium in defcriptione Urbis, qui obfervat ex antiquis Grammaticis fubftantivum in his nominibus præponendum, ut dicatur *via facra*, non facra via, quod Sculptori noftro ignotum fuit.

Negotiator Sagarius & Pellarius.

Romæ.

Q. CORNELIVS Q. L.
PHILOMVSVS SAGARIVS A THEATRO
MARCELLI FECIT SIBI ET SVIS
CORNELIAE DAPHNE CONLIBERTAE SVAE
ET CORNELIAE NYMPHE SORORI EIVS L.
SE VIVO INTVLIT
CORNELIAM PROCVLAM FILIAM ANN. VII
CORNELIAM HELPIDEM CONLIBERTAM ET
CALLITYCHEN MATREM EORVM ET
C. PINARIVM GEMENVM

Exfcripfi.

Mediolani.

P. IVLIO MACEDONI
NEGOTIATORI SAGAR.
ET PELL. P. IVLIVS *Pellario*
SENNA LIB.
C. GEMINIO

Ex D. Mezzabarba de Biragues.

Sagum veftimentum militare, hinc *Sagaria negotiatio* in Pandectis legitur, & in Onomaftico *Sagarius* χιτωνοπώλης, qui Saga vendit, ut hic Quintus Cornelius Philomufus ad *Theatrum Marcelli* habitans.

Ornatrix.

Florentiæ.

IRICE LIVIAE L.
ORNATR.
ARISTO LIVIAE L.

Exfcripfi.

Romæ.

...PINAE
...ORNATRIX
...ANNOS XII
...ERMES CONSERVOS

Exfcripfi.

Ornatrices, quæ mulieribus circa capillos aliaque præcipue capitis ornamenta miniftrabant, fufe explicantur apud Pignorium libro de Servis.

Pædagogus.

Romæ, sub Alex. VII. reperta.

IMPERATORI CAESARI
M. AVRELIO ANTONINO
AVG.
L. SEPTIMI SEVERI PII
PERTINACIS AVG. FILIO
DOMINO INDVLGENTISSIMO
PAEDAGOGI PVERORVM A CAPITE
AFRICAE QVORVM NOMINA INFRA
SCRIPTA SVNT

TRYFERVS	VER.	LIB.	PETIZACE	S.	LIB.
EVPERILEMPTVS	S.	LIB.	ZOILLV	S.	LIB.
EVTYFRO	N.	LIB.	FREQVEN	S.	LIB.
TROPHIMV	VER.	LIB.	MODESTV	S.	LIB.
POLLVX	VER.	LIB.	PATROCLV	S.	LIB.
CHRYSOMALLV	S.	LIB.	HERME	S.	LIB.
PHILETERVS	VER.	LIB.	NICOMACHVS	VER.	LIB.
EVTYCHE	S.	LIB.	PAEDICV	S.	LIB.
SPENDO	N.	LIB.	HERMOGENE	S.	LIB.
PERSEV	S.	LIB.	NEON	VER.	LIB.
HERME	S.	LIB.	ANEMVRIV	S.	VER.
FELIX	S.	LIB.	EVTYCHE	S.	LIB.

PROCVRANTIBVS SATVRNINO ET EVMENIANO
DEDIC. IDIB. OCT. SATVRNINO ET GALLO
COS.

Exscripsi.

Ara sive basis Statuæ Marco Aurelio Antonino *Caracallæ* dicata a *Pædagogis puerorum a capite Africæ*, quorum Predagogorum nomina ibidem inscripta sunt. *Caput Africæ* erat locus Romæ in regione secunda, cujus Victor & Rufus in descriptionibus Urbis meminerunt. Fallitur ergo Eruditiss. Casaubonus ad Spartianum in Hadriano, citans lapidem Gruterianum D. M. P. AELIVS AVG. LIB. LYCVS PAEDAGOG. PVEROR. AC APVT AFRICAS: ubi ait, AC, *principium est nominis quo patria istorum puerorum declarabatur; sed erant in Africa plures populi quorum nomina ita incipiebant.* Manifestum enim est ex nostro marmore subesse errorem in prædicto Gruteriano, legendumque esse A CAPIT. AFRICAS, id est *a capite Africæ: Africas* enim scribi potuit Græco modo in genitivo pro *Africæ*: nihilque aliud designabat, quam Collegii locum ubi docebant prædicti Pædagogi.

1

Romæ, in villa Matthæi.

DIIS MANIBVS
L. CIARTI
HYPERETIS
CIARTIVS HELOPS
PAEDAGOGO
L. CIARTI SCYRI
COLLACTEI
SVI

Exscripsi.

2

Romæ.

T. AELIO AVG. LIB.
PEREGRINO PAEDA
GOGO PVERORVM FEC.
AELIA NICE PATRONO
B. M.

Exscripsi.

3

Romæ.

DIS MAN.
NERITI POMPONI
MATERNI PVERI
COMPAEDAGOGII
MERENTI

4

Romæ.

C. VALERIO LEONAE
ET LYCO FORTISSIMIS VIRIS
VALERIVS MYRISMVS
CONPEDAGOGITA
BENEMERENTI FECIT

Ex schedis Barberin.

5

Romæ.

D. M.
NOETO
TI. CLAVDIVS
EVANGELVS
CONPEDADOGI
TAE SVO F.

In tertia Inscript. Pueri *Compædagogii* dicuntur, qui sub eisdem pædagogis educabantur. In quarta vero & quinta *Compædagogita*, qui simul pædagogus erat. Hic non erit absonum Sarcophagum addere, in quo Puerorum ludi exhibentur.

Puerorum Ludi, ex Sarcophago Romæ in hortis quondam Carpensibus.

I



II



III




Puerorum certamina instituerunt Elæi nullo veteris memoriæ exemplo, arbitratu suo, ac primum quidem de cursu & lucta pueris proposita fuere præmia. Pausan. lib.5. ubi subjungit ac luctæ Hiposthenes

nes Lacedæmonius, cursus vero palmam accepit Elæus Polynices. Et XLI. Olympiade, pueros in cæstuum pugna commiserunt. Clemens Alexandrinus, Stromatum 7. *Sunt in Ecclesia, ut in Gymnicis, coronæ victorum ac puerorum.* Puerorum pugilem celebrat Agesidamum Pindarus Ode X. De pugna pugilum videsis Virgil. lib. 5.

In facie Sarcophagi conspicitur 1. Terminus, a quo in stadio cursum auspicabantur. 2. Juvenis Endromide indutus, ne frigus aut ventus obesset sudato. Erat autem *Endromis*, ut plurimum vestis hirsuta, inde sic dicta quod ἐν δρόμῳ, hoc est *in cursu* ea uterentur. 3. Victor puer in medio stat cum palma & corona oleaginea. 4. Sequuntur pugiles duo pugnis certantes. 5. Duo pugnantes cæstibus. Cæstus pugilum *lora* erant *claviculis distincta*, teste Clem. Alexandr. quibus brachium ligabatur. Hinc Poeta, *Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.*

Observanda tandem venit in omnibus similis capillorum religatio in nodum, quæ σκορπίον Græcis dicebatur: ea enim voce exprimere solebant quicquid in conum fastigiatum erat, ad modum caudæ scorpii. *Hæc fere, ut & Sarcophagi ectypum, ex schedis Bagarrianis.*

Cippus Romæ, qui apud Grut. exhibetur sine Fig.



Marco Junio Marci filio Palatina tribu, *Rufo*, *Soterichus Pædagogus* Epitaphium fecerat. Volumen ipsi porrigit. Retro puerum fasciculus voluminum, sive, ut ait Juvenalis, *Magno comites in fasce libelli. De quibus diximus supra in* Scriniarius.

Pedisequus.

Florentiæ.

C. LIVIVS LIVIAE
AVGVSTAE SER.
PEDESSEQVOS

Exscripsi.

Florentiæ.

IVLIVS EROS LIVIAE
AVGVSTAE SER. PEDE
SEQVOS

Exscripsi.

Pedesequos, & *Pedessequos*, antiquo scribendi modo, Servus qui Dominum pedibus sequitur.

Pictor.

Romæ, in villa Matthæi.

PRAECEDERE VOLVISTI SANCTISSIMA COIVX
VT ME RELINQVERES IN LACHRIMIS
SI EST ALIQVIT IN INFERNAS PARTES BENE
SINE TE VITAM SORDIDAM EXIGO ESTO FELIX
ET IBI DVLCISSIMA THALASSIA EDVCATRIX
C. V. ET MIHI IN CONNVVIO PER ANNOS XXXX
PAPIRIVS VITALIS ARTE PICTORIA MARITVS EIVS
FEMINAE INCOMPARABILI FECIT SIBI ET SVIS

Exscripsi.

Non inelegantia sunt hæc Epitaphia, in quibus superstites Tumuli Curatores defunctos alloquuntur, quale hic Papirius Vitalis uxori suæ *Thalassiæ* dicatum. C. V. quid sit non mihi liquet, nisi forte *Cara Uxor*.

Pistor.

1

Romæ.

M. ANTONIVS
AMPHIONIS L.
ANTEROS PISTOR

2

Romæ.

D. M.
STEPHANO ACTES N̄. PISTOR
V. A. XXXV. SATVRNINVS
SORORIS F. CONSECRAVIT

3

Romæ.

C. OCTAVIO C. L. HERBASIO
AVG. NOST. DISPENSATORI
C. OCTAVIVS C. L. VERCVNDVS OL. D.
C. OCTAVIVS C. L. TRETRAX
AVGVST. PISTOR
C. IVLIVS C. L. ILA
AVG. FABER

Ex sched Barberin.

Pistorum ara notissima. In tertia OL. D. id est *Ollam dedit*. De Ollis dicemus infra. Cætera plana sunt.

Pomarius.

Romæ.

C. IVLIVS EPAPHRA
POMAR. DE CIRCO
MAXIMO ANTE
PVLVINAR SIBI ET
VENVLEIAE CN. CN. L.
HELENAE CONIVGI SVAE

Ex Camelio.

Pomarius de Circo Maximo, videtur dictus Hortulanus qui Viridaria Circo Maximo, qui extra urbem erat, conjuncta colebat.

Prægustator.

Romæ.

DIS MANIBVS SACRVM
T. FLAVIO CAERIALI DOMITIANI
AVGVST. PRAEGVST. DOMITIAE DIVI
TITI AVGVST. LIB. ANTIQVAE CONIV
GI PIISSIM. ET FIDELISSIMO
DELICIO SVO FECIT
H. T.
IN FRONTE PEDES X̄ IN AGRO PEDES X̄I̅I̅I̅

Ex sched. Barber.

Prægustator qui fercula Imperatori prægustabat. Is autem melius inter Officia relatus fuisset: sed *ἀκρίβειαν* non affectamus.

Propola.

Romæ.

T. STATILIO T. L. ASOPO
PROPOLAE
HIPONA VIX. AN.
XXXVIIII M. VIII
STATILIO LIB. HEROS
T. F. C.

Exscripsi.

Propola ille est qui res, minori pretio emptas, majori postea divendit. Vide *Vossii Etymolog.*

Ratiarius.

Ara Genevæ reperta in Rhodano, ann. 1678.

DEO SILVA
NO PRO SALV
TE RATIARIOR.
SVPERIOR. A
MICOR. SVOR.
BASIM SANCT.
M. ARRIVS CIVIS HEL.
V. S. L. M.

Helvetius Votum solvit libens merito.

Ex Erud. Minutoli.

Ratiarii superiores qui in superiore Rhodani parte habitabant, sive fuerint Nautæ Rates deducentes, sive artifices eas fabricantes. *Rates* enim Festo *vocantur tigna inter se colligata, quæ per aquam aguntur: quo quidem vocabulo interdum etiam naves vocantur.* Nemo autem miretur in his montosis nemorosisque locis Helvetios attingentibus, Silvanum cultum fuisse; is enim in Gruteriana Inscript. *Dendrophorus* cognominatur, quasi ligna ministrans. Basim sanctam eam nuncupat *Marcus Arrius*, eo quod statuæ hujus numinis ferendæ destinata esset.

Refector Pectinarum.

Astæ.

T. VALERIVS L. F.
PLACIDVS
REFECTOR PECTINARVM
CORNELIA M...

Ex Guichenon.

Pectinæ forte erant Pectines, quibus Fullones utebantur ex erinaceis spinis, quæ sæpius refici debebant.

Scapularius.

Reate.

C. IVLIO
GLYCEROTI
FELICIS SCAPILANIE
DEC. III. Q. D.

TI. CLAVDIO AVG. LIB. FELICI
SCAPVLARIO D. III. QVIN
QVENNALI IMMVNI
TRIPLICARIO BENEMERENTI EX CONSENSV
DECVRIAE VNIVERSAE HONORIS CAVSA
ZOTHECAM PVBLICE DEDERVNT
ATIMETVS L. SVA PECVNIA ADORNAVIT

Ex Camelio, & ſched. Barberin.

Scapularius, anne ars, vel officium in aliqua Decuria, cujus munus ſcapulis geſtare, divinet peritior alter.

Seplaſiarius.

Florentiæ.

ADIECTO
SEX. AVIDI EVTYCHI
SEPLASIARI NEGOTIANTIS
SER. INSTITORI COMMVNIS
AMICO B. M.

Exſcripſi.

Seplaſiarius, Negotiator qui Seplaſia ſive pigmenta vendit. Conſule Erud. Du-Cange Gloſſar. med. Latin.

Speciarius.

Romæ.

THALASSIAE MIMAE
C. PISONIS NOTHI
SPECIARIAE
CONTVBERN. BENEMERENT.

Ex Camelio.

Quid fuerit ars Speciaria non mihi liquet; an quæ varias ſtirpium & medicamentorum *Species* vendebat, quales nunc vocamus ex voce inde forte derivata *Eſpiciers?* An vero aliud quid?

Statuarum Oculorum Repoſitor.

Florentiæ, in villa Strozzi.

M. RAPILIVS SERAPIO HIC
AB ARA MARMOREA
OCVLOS REPOSVIT STATVIS
QVA AD VIXIT BENE — *Id eſt, quoad*

Exſcripſi.

Statuis Romanis oculi aliquando ex alia materia conficiebantur, veluti argentei æreis statuis: quam præcipue artem callebat Marcus iste Rapilius Serapio; qui etiam *aras marmoreas* fabricare solebat.

Strator.

Romæ, via Appia.

DIOMEDES AP.
STRATOR
FAVSTAE HEDIAE

Ex sched. Barber.

AP. STRATOR, ni fallor, est viæ *Appiæ Strator*, qui viam sternebat, pavimentumque ubi deficeret, restituebat.

Structor Parietarius.

Florentiæ.

C. IVLIVS SALVIVS
STRVCTOR PARIETARIVS
IVLIAE HEVRESI
CONIVGI SANCTISSIMAE
IVLIAE RESTITVTAE ET
C. IVLIO STATVTO F.
AEDICVLAE IN QVA OLLAE IIII
ET INFERIORES II DATAE A M. IVLIO
IANVARIO ET A IVLIA BRVSA

Exscripsi.

Sarcinatrix.

Romæ.

VERANIA Ɔ. L.
PRIMA
IVLIAE AVG. L.
SARCINATRIX

Ex sched. Barber.

Sarcinator qui sarcinas sarcit. Lucillius apud Nonium, *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime*. Item qui sarcinas servat.

Servus Castelli & Aquarum public.

Romæ.

TI. CLAVDI VRBANI TI. CLAVDI TI. L. AGRII TI. CLAVDII SYRI
SEX. MENSORIS SER. CASTEL. SER. A LYMPHAEVM
AEDIFICIORVM LARIO AB AQ. CVRT. ET CERVL. OL. D. S. P. D.

Ex schedis Barberinis.

Castella erant aquæductuum pilæ majoris molis, quæ aquarum collectioni & distributioni inserviebant, quales in Aquæ Curtiæ & Ceruleæ ductibus erant, quibus præerant quidam Servi in lapide memorati.

Suntonator.

Genuæ.

C....STACTVS
SVNTONATOR
REGIS THOLOMEI
L. V. ANN. L. *Libertus vixit Annis 50.*

Exſcripſi.

Suntonatorem explico organorum Muſicorum Magiſtrum, a Græcis vocibus *σὺν cum*, & *τόνος tonus*, *concentus*. Cujus autem Ptolemæi Ægyptiorum Regis incertum, cum plures idem nomen prætulerint.

Tonſor.

Romæ.

SEX. POMPEIVS SEX. L.
FALIX SEX.
POMPEI TONSOR

Ex ſched. Barber.

Juvat in marmoribus inferiorum Miniſtrorum, qui Conſulum & Cæſarum Romanorum famulitium conſtituebant, nomina legere, quæ ab ipſorum Hiſtoriographis fuere neglecta.

Vinariarius.

Romæ.

IVLIAE S.F. MARCIANAE
CONIVGI OPTIMAE ET DVLCISSIMAE
ET DESIDERANTISSIMAE
RARISSIMI EXEMPLI FEMINAE
FECIT P. RAGONIVS DAPHNVS
VINARIARIVS IN CASTR. PR. *Prætorriis.*

Ex Abbate Doni.

Vinariarius in caſtris, qui vina inibi negotiabatur, unde alibi Negotiantes vini vocantur, ut in ſequenti Inſcriptione, & alibi Vinarii ſimpliciter.

Romæ ad campum Carleum.

Q. HERENNIO HETRVSCO MESSIO DECIO
NOBILISSIMO CAES. PRINCIPI IVVENTVTIS
COS. FILIO IMP. CAES. C. MESSI Q.
TRAIANI DECI PII FELICIS INVICTI
AVG. ARGENTARII ET EXCEPTORES
ITEMQ. NEGOTIANTES VINI SVPERNAT.
ET ARIM.
DEVOTI NVMINI MAIESTATIQ. EIVS

Exſcripſi.

Vini Supernatis denominatio a mari *Supero*, hoc est Hadriatico, ad cujus oram colligebatur, deducenda est; hinc *Ariminensi* jungitur, cum illius tractus urbs sit *Ariminum*.

Villicus.

1

Romæ.

PRO SALVTE
M. AVRELI ANT...
FELIC. AVG....
VILICVS RISINVM
SILVANO SAC.
IMP. CAESARIS
HADRIANI AVG.
SER. VILICVS

Exscripsi.

2

Apameæ.

TERTIAE ANN. XXV.
TERTIVS CN. CATILI
ATTICI SERVOS VIL
LICVS SORORI SVAE
M. C.

Ex D. Vaillant.

3

Romæ, ad Divi Sylvestri.

VOTO SVSCEPTO
BONAE DEAE
ASTRAPTON CAESARIS VILIC.
AEDICVLAM ARAM SAEPTVM CLVSVM
VETVSTATE DIRVTA RESTITVIT

Exscripsi.

4

Capuæ.

EVTYCHVS VILLIC.
A PLVMBO
EVAGOGVS A. F.
FEC. SIBI ET SVIS

Exscripsi.

5

GAA VILICVS

6

Romæ.

D. M.
SABBIO CAES. N̄. SER.
VILIC. AQVAE CLAVDIAE
FECIT SIBI ET FABIAE
VERECVNDAE CONIVG.
SVAE CVM QVA VIXIT
ANNIS XXIV. SANCTISSI
MAE ET LIBERTIS LIBERTA
BVSQ. EIVS ET VICARIS
SVIS POSTERISQVE EO
RVM OMNIVM IN
PARTE DIMIDIA SVA

SPORVS CAES. N̄. S.
VILIC. AQVAE CLAVDIAE
FECIT SIBI ET CLAVDIAE
HERMIONE CONIVGI
SVAE SANCTISSIMAE
ET LIBERTIS LIBERTA
BVSQ. EIVS ET VICARIS
SVIS POSTERISQVE
EORVM OMNIVM
IN PARTE DIMIDIA SVA

Ex sched. Fabretti.

Villicus, inquit Varro, *agri colendi causa constitutus, atque appellatus a villa* &c. Scribitur & Vilicus. Videtur etiam ita dictus qui fontes & tubos plumbeos aquæductuum curabat, ut ex ultimis Inscriptionib. colligere licet, item ex Villicorum nominibus tubis inscriptis, ut vidimus supra Sect. II. Art. VII.

Violarius.

Vide Inſcriptionem in *Manulearius*. Puto ita dictos Tinctores violacei coloris. Plautus in Aulularia hujus artis meminit, ut & plurium aliarum quæ hic recenſentur.

Stat Fullo, Phrygio, Aurifex, Lanarius,
Caupones, Patagiarii, Induſiarii,
Flammearii, Violarii, Carinarii,
Aut Manulearii, aut Murrobathrarii,
Propolæ, Linteones, Calceolarii,
Sedentarii, Sutores, Diabathrarii,
Solearii aſtant, aſtant Molochinarii,
Petunt Fullones, Sarcinatores petunt,
Strophiarii aſtant, aſtant Semizonarii.
Jam hoſce abſolutos cenſeas, cedunt, petunt;
Trecenti cum ſtant Phylaciſtæ in atriis,
Textores, Limbolarii, Arcularii ducuntur: datur
Æs. Jamque hoſce abſolutos cenſeas,
Cum incedunt Infectores Crocotarii.

Unctor.

Romæ.

ASINIA PREPVSA
VXOR ET CHRYSEROS
THREPTO C. ASINI
POLLIONIS VNCTORI
BENEMERENTI
VIXIT ANN. XX

Ex ſched. Barber.

Unctores qui Unguentis ſeu oleis odoratis egredientes e balneo, alioſve ungebant: unde cum Balneatoribus memorantur in alia Inſcriptione.

Unguentarius.

Romæ.

Q. TERENTIVS SEX. LIB.
AGESIDAMVS VNGVENT.
VALENTINIANI AVGVST.
TERTVLLA A. F. VXOR.

Ex ſched. Barber.

Romæ, In villa Pamphilia.

C. POPILIVS C. L.
PHILEROS AEQVITAS
VNGVENTARIVS

Exſcripſi.


Romæ.

T. FLAVIVS T. LIBERTVS
PHILIP. VNGVENTARIVS
VIC. LORETI MIN.
FECIT ET SIBI ET FLA
VIAE SPERAT. FIL. SVAE

Ex ſched. Barb.

Unguenta μύρα Græcis dicta nihil aliud erant quam Olea compoſita, ſive ad ſuffitum, ſive ad morbos deſtinata, unde Suffitores & Pharmacopœi, Myropolæ & *Unguentarii* vocabantur. Prodiere ante paucos annos Antiquitates Neomagenſes, quibus Smetius Vir Eruditus ſuum rerum Antiquarum Gazophylacium nobis exhibet: & eas inter, lapides duos virides quadratos in margine ſcriptos, quorum uſum ſe ignorare fatetur. Ego vero puto fuiſſe opercula pyxidum, in quibus Unguenta, Olea atque Collyria reſervabant Pharmacopolæ: quemadmodum apud noſtros Chirurgos in uſu eſt geſtare pyxides, in quibus quatuor aut quinque unguenta varii generis habent ad uſum. En hæc duo Opercula.

Lapilli virides politi in quorum marginibus Inscriptiones leguntur.



Ex Smetii Antiquit. Neomag. pag. 97.

Ecce horum nominum explicatio. *Marcus Ulpius Heracles*, cujus in his duobus lapillis mentio est, fuit Unguentarius sive Myropola, qui in pyxidibus hæc Collyria sua asservabat. STRATIOTICVM, hoc est Collyrium cujus meminit Marcellus lib. de Med. *Collyrium ad Caliginem & asperitudinem, quod Stratioticum dicitur*. TALASSE ROSA nobis incognitum. DIARODON, quod idem videtur ac nostrum *Rosaceum*, & Plinii *Rhodinum*, vel potius *Collyrium Diarbodon*, cujus Oribasius meminit: etenim addit AD IMP. hoc est ad *Impetum*, qui apud antiquos morbi oculorum species erat. Marcellus lib. de medicamentis, *Collyrii* cujusdam meminit, *ad Lippitudines & primos Impetus Oculorum*. CYCNARIVM, aliud Collyrium Oribasio *Cygnus* dictum.

MELINVM Plinius lib. 13. cap. 1. memorat: *Amaracinum*, inquit, *in Coo, postea eodem loco prælatum est Melinum*: & Galenus lib. de Comp. Med. lib. 2. Athenæus lib. 15. *In compotationibus utile Rosaceum est, Myrtinumque ac Melinum, quod etiam prodest ventriculo & Lethargicorum veterno*. DIAMYSVS a Mysi nomen habere potuit, quod est minerale notum. Collyrii Diamysios meminit Marcellus, *quod ad asperitudines oculorum*. TIPINVM & DIARICES mihi sunt incognita. Simile operculum ecce profero.

Genuæ.



Ex Peireskii schedis.

Operculum hocce erat ex lapide sive gemma non absimili Molochitæ, sed paulo obscuriori, forte *Chlorites* sive *Chlorides* Plinii, quam lib. 37. cap. 10. refert esse herbacei coloris. Collyriis asservandis virides hosce lapides seligebant, quod hicce color sit oculorum amicus. *Antiquos*, inquit Athen. lib. 15. *in unguentorum usu fuisse curiosos & diligentes hoc est indicio, quod privatim unicuique parti corporis idonea scirent.* Adde & uniuscujusque partis varia pro variis morbis, veluti ad oculos Collyria quamplurima, qualia hæc quæ *Caii Capii Sabiniani* Myropolæ sive Pharmacopœi erant. CHLORON AD CLAR. Collyrium *Chloron* dictum a colore suo viridi, *claritudini* oculorum prospiciens. NARDINVM AD IMPETVM nomen a spica Nardi habens, cujus meminit Aetius. Oleum quoddam Nardinum describit Mesue, nunc etiam in usu. *Nardinum*, inquit Plinius lib. 13. cap. 1. *sive Foliatum constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo.* DIABSORICVM AD CALIG. Collyrium ad oculorum Caliginem dissipandam, cujus mentionem facit Marcellus, ad caliginem & asperitudinem oculorum, siccamque perturbationem sine tumore, quam Xerophthalmiam Græci appellant, facit hoc Collyrium quod *Psoricum* dicitur. Item infra, *Collyrium Diapsoricum*. CHELEDON AD CLAritudinem oculis conciliandam. Plin. lib. 25. cap. 8. *Utuntur & per se succo Chelidoniæ in Collyriis quæ* Chelidonia *vocantur ab ea.*

Urnamentarius.

Nemausi.

DIANAI AVG. ACIL. COCIAVI
qIRONIS LIB. T. COMMIVS
IIIIIVIR AVG. T. COMMIO
VRNAMENTAR.

Ex Guyrano.

Erudit. Guyranus in nummo Nemausensi explicandum putat Urnamentar. pro *Ornamentario*. In Gloss. Græco-Latin. κοσμήτης Ornamentarius vocatur. Sed putarem potius nihil temere immutandum esse, & *Urnamentarium* nihil aliud esse quam Urnarum Figulum. q. est forte p. inversum Sculptoris errore.

Utriclarius.

Lugduni ad Insulam Barbaram, in Eccles. pavimento.

D. M. ET QVIETI. AETERNAE
C. VICTORI...... TVRICIS
SIVE. QVIGVRIONIS. CIVIS. LVGD.
INCORPORAT. INTER. VTRICLAR.
LVG. CONS.
QVI. VIXIT. SINE. VLLIVS. OFFEN
SA. ANN. XVIII M.... D. V.
CASTAVRINA. MATER. FILIO
VNICO. PIISSIMO. PONENDVM. CV
RAVIT. ET SVB. ASCIA. DEDICAVIT.

Exscripsi.

Utricularii seu *Utricularii* erant Nautarum species, ita dicti ab Utriculis sive naviculis in utris formam fabrefactis: unde sæpissime in antiquis lapidibus cum Navicularis & Lenunculariis conjunguntur. Vide *Reinesii Syntagma Inscriptionum Antiquarum, pag.* 621. & 630.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SEPTIMA,

AD MILITES, REMQUE MILITAREM PERTINENS.

ARTICULUS I.

FRANCISCI GRAVEROLII I. V. D.
& Academici Nemausensis,

MILES MISSICIUS,

Amicissimo JACOBO SPONIO *olim dicatus, nuncque denuo recusus.*

ANNO *reparatæ salutis millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, unus ex iis qui ποιοῦσι περὶ τὴν γῆν, lapidem Romanum effodit e fundamentis murorum antiquorum Nemausi, qualis hodierna die in ædibus D. de Jossaud Senatoris integerrimi visitur. Illum ipsum lapidem superioribus annis explicandum susceperat vir multi nominis D. G. G. Senator itidem integerrimus: sed quoniam, ut Thalmud habet Babylonicum,* comedit dactylos, projecitque foras quod in iis durum erat *(forte quia neglexerat, utpote qui publicæ rei fecerat satis) hortantibus amicis, αἰσχρὸν σιωπᾶν etiam cum Aristotele ratus, hanc qualemcumque symbolam in lapidis Enucleatione conferre volui. Eccam.*

Nemausi.

TI. CAESARIS. DIVI. AVGVSTI. FIL.
AVGVSTI. MILES. MISSICIVS. T. IVL.
FESTVS. MILITAVIT. ANNOS. XXV. IN
LEGIONE. XVI. DECRETO. DECVRIONVM.
ACCEPIT. FRVMENTI. ML. BALNEVM.
ET. SVI. GRATVITVM. AREAM. INTER.
DVOS. TVRRES. PER. PVSONIVM.
PEREGRINVM. IIIIVIR. ET. XIVIR.
ADSIGNATAM

Prolegomena.

Militibus honeste dimissis a militia consueverant Imperatores Romani dare Veteranorum privilegia in scriptis *Arg. l. si solemnibus, 7. C. de fid. Instrumentor.* idque ad perpetuam rei memoriam; hinc nonnunquam in tabulis æneis conscribebantur, sicuti tabulis, vel encausto, vel cerussa conscribi Edicto suo ad Florianum Præsidem indulserat Constantinus cognomento Magnus: quin etiam & in locis publicis figebantur, in Capitolio scilicet, murisve Templorum, vel ad aras Deorum.

Quæ Veteranorum privilegia, modo præmia finitæ militiæ, ut ea vocat *Corn. Tacit. Ann. lib.* 1. modo commoda militiæ aut missionum commoda dicebantur, ut loquuntur melioris notæ Scriptores. Dabantur autem vel ad decus, ut laudatio, armillæ, torques, corona civica, & similia; vel ad utilitatem vitæque ἄνεσιν, ut prædium, bina aut singula paria boum, frumentum, balneumve; verum sæpe sæpius ad utilitatem concedebantur, idque dubio procul duabus potissimum de causis; tum *ne aut ætate, aut inopia sollicitari ad res novas possent, ut ait Sueton. in Augusto cap.* 49. tum, ut quoniam Veteranorum *corpora addicta atque obærata reipublicæ fuerant* (verbis utar Livianis) ipsi vicissim post exantlatos militiæ Labores, tanquam hieronicæ apud Græcos constitutis e Republica vectigalibus perpetua vita fruerentur.

Primus demum hæc præmia instituit idem Augustus, teste Suetonio ibid. his verbis. *Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit; definitis, pro gradu cujusque & temporibus militiæ & commodis missionum &c. utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos, prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis instituit.*

His ita præmissis sequitur lapidis

Ἐξήγησις.

TI. CÆSARIS. DIVI. AVGVSTI. FIL. AVGVSTI. Hic duo notanda veniunt. 1. Quod Imperante Tiberio privilegia, de quibus impræsentiarum agitur, Julio Festo concessa fuerunt, quod facit ad συγχρονισμόν. 2. Quod in hac nostra inscriptione, sicut in omnibus fere Tiberii numismatis, ut videre est *apud Occonem*, & passim alibi, DIVI AVG. FILIVS AVG. (nimirum per adoptionem) Tiberius soleat indigitari. Cæterum Augusti filius Augustus dicitur tum honoris causa ob Imperatoriam Majestatem ampliore, quam Cæsaris, cognomine; tum quia Romanis mos erat assumere nomen patris adoptivi; ἔθος γὰρ ῥωμαίοις τοὺς θετοὺς τὰ τῶν θεμένων ὀνόματα ἐπιλαμβάνειν. Appian. lib 3. de bell. civil. His adjice quod ex sententia Caroli Sigonii de nomin. Roman. *quoties* TI *in antiquis marmoribus invenitur, semper Tiberius denotetur.* Ideoque inter ea prænomina, quæ duabus notantur literis, Tiberius numeratur apud *Plutarchum quæst.* 103. si pro τὸ βέρριον, cum Italiæ ocello legas Τιβέριον, prout subjecta materia & genuinus authoris sensus postulant.

MILES MISSICIVS. Idem ac Veteranus miles, siquidem Romanis, teste *Suida*, Veteranus dicitur qui militia dimissus est post confecta legitima stipendia, βετεράνος, ait ille, παρὰ ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας, ἐπὶ εἰκοσαέτειαν ἤδη δουλεύσας. MISSICIVS autem, sive Missitius, cujus justa missio visa fuerat; quod hic non de missione causaria, qua quis ob vitium corporis, aut morbum, tamquam inutilis militiæ factus mittebatur; sed de honesta missione intellige, quæ peditibus dabatur vicena stipendia meritis; quippe militaverat annos 25. Julius Festus miles noster Missicius.

Cæterum eo rarius esse hoc marmor nostrum animadvertendum est, quo *missiones Veteranorum rarissimas fecisse Tiberium, ex senio mortem, ex morte compendium captantem, asserit Sueton. in ejus vita c.* 48. Hinc est quod eodem sub Imperatore querantur milites Veterani apud *Cornel. Tacit. annal. lib.* 1. (modo) *ne dimissis quidem finem esse militiæ*: (modo) *tricena aut quadragena stipendia senes tolerare.* Quod inexplebilem ejus avaritiam arguebat, quasi enim exhaustus & egens esset, commoda Veteranorum, ut subdolæ mentis erat, semper differebat: quamobrem plenæ missionis præmia expectare cogebantur sub vexillis, quasi non statim repræsentari possent e Republica.

T. IVL. FESTVS. forte Titus Julius Festus, ut plerique putant; imo, ut mea ferebat sententia, Julius Festus e bello superstes: quamvis enim (præterquam quod fere omnibus Romanis illud conveniat, ut tribus nominibus inscribantur) litera T. in notis Antiquorum, ut Romanorum marmora testimonio sunt, Titum, Titium aut Tullium significet; militis tamen nomini apposita ipsum e bello superstitem esse designabat, sicuti & litera Θ (quæ initium est vocis Θάνατος i. e. mors) militem in bello occubuisse subindicabat: quod certo certius esse quisnam adeo in re antiquaria hospes, obsecro, ut nesciat? Consulendi *Probus in not. Isidorus origin. lib.* 1. *cap.* 23. *Bungus de num.* C C O. *in numeror. myster. Laurentius in Amalth. Onomast. Alexander ab Alexandro genial. dier. lib.* 3. *cap.* 5. *& Boldonius Epigraph. lib.* 3. *sect.* 8. ut sexcentos alios omittam. Conjecturam autem nostram augebat, Inscriptio antiqua, quam exhibeo, qualis visitur in ædibus præfati viri doctissimi & nunquam satis laudati D. Gaillardi Guyrani.

Nemausi.

EX DEC.
DECVRION.
AR. DAT. IVL.
FESTO. PER.
PVSO. PEREGR.

Ubi ipſemet Miles noſter Miſſicius Julius Feſtus ſine alio adjecto vocatur; quanquam & in alio, qui ibidem viſitur, Romano lapide T. Jul. Feſtus inſcribatur. Sed tu, amiciſſime Sponi, me pridem monuiſti videri tibi omnino T. *Titum* eſſe explicandum, illoſque erraſſe Autores qui T. ſuperſtitis Militis notam eſſe aſſeruerunt, Teque in tuis Miſcellaneis demonſtraturum hanc vitæ notam V. non vero T. charactere Antiquos expreſſiſſe. Quam fidei tuæ ſolutionem avide expecto, interimque judicium ſuſpendo.

MILITAVIT. ANNOS. XXV. Expectavitque ſub vexillis miſſionis ſuæ commoda per quinquennium, utpote qui vicena & quinque ſtipendia toleraverat; ſtipendii enim annus vigeſimus militiæ finem attulerat: qua de cauſa ita res ſe habuerit, ſaltem veriſimiliter, ſatis ſuperque aperui in *verb. Miles Miſſicius, §. 2.*

IN. LEGIONE. XVI. cum duæ dumtaxat ſedecenarii numeri Legiones fuerint apud Romanos, quarum altera Valeria, alia Flavia, cognomento erant; prioris hic mentionem fieri nemo eſt qui mecum non ſentiat, non autem Legionis Flaviæ, ut putavit vir doctiſſimus: tum quia Legio Valeria in Germania ſuperiori a Cæſare conſtituta fuerat, Flavia vero in Syria; quandoque etiam & Gallica dicebatur: tum quia Legio Flavia una erat ex quinque Legionibus, quæ, longe poſt tempora Tiberii Imperatoris, a Flavio Veſpaſiano (unde nomen deſumpſit) antiquis Legionibus additæ fuerant;

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

DECRETO DECURIONUM. Nimirum colonicorum ſive coloniarium: erat enim Nemauſis colonia Romana.

ACCEPIT FRVMENTI. Decuriones, cum rei frumentariæ curam gererent ex *l. non debere, 8. ff. ad municipal.* aliquot tritici hordeive modios Veteranis dare poterant in vim Legis Appulejæ; nec ex tabella cum recitabatur illorum decretum, tanquam ambitioſum, ſive in gratiam alicujus factum, reſcindebatur.

ML. i. e. modios quinquaginta; ſic ex Lege Valentiniani & Valentis Impp. (quot *extat 8. lib. 7. Cod. Theod. tit. 20.*) qui honeſtas miſſiones ſive Cauſarias conſecuti erant, modo ex protectore dimiſſi non fuiſſent aut protectoria dignitate honorati, quinquaginta modios utriuſque frugis, quaſi σιταρέσιον, accipiebant.

BALNEUM. Militi Miſſicio datur balneum in levamen laborum quos per 25. annos militiæ ſuæ exantlaverat, ἴσασι γὰρ καὶ λυτρὰ ἄκη πόνων παντοίων, ut ait Athen. Hinc *lib. 1. dipnoſoph.* θυμῆρες κράτος, i. e. καταθύμιον ὕδωρ *vocat Homer. Odyſſ x.* Conceditur & Militi Miſſicio balneum in monumentum belli, quod tam diu tamque ſtrenue geſſerat. In utramque ſententiam abit *Artemidor. lib. 1. oneirocr. cap. 66. hiſce verbis*: ἀλλὰ ἢ πόλεμον καταστρεψάμενοι, ἢ μεγάλῃ παυσάμενοι πόνου λούοντο: ὥστ᾽ ἦν αὐτοῖς ὑπόμνημα πόνου ἢ πολέμου τὸ βαλανεῖον, καὶ αὐτὸ τὸ λοῦσθαι, i. e. *ſed aut e bello reverſi, aut a magno labore ceſſantes lavarentur: Erat igitur eis balneum laboris aut belli monumentum, ſicut & ipſum lavari.*

ET SVI. pro ſuis. Cæterum nota quod immunitates, quæ jure communi perſonam non transgrediuntur, *hæredibus ideo non relinquebantur. l. 1. §. 1. ff. de jur. immunitat.* nec ad liberos ſpectabant juxta *Papinianum in l. 8. §. 2. ff. de vacat. & excuſat. muner.* niſi expreſſe generi poſteriſque conceſſæ fuiſſent, ut aperte deciditur *in d. l. 1. §. ult. & l. 4. ff. eod.*

GRATUITUM. Qui in balneis publicis lavabantur, Balneatori ſolvebant quadrantem,

Quod pueri norunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Hinc balneum *res quadrantaria* dicitur apud *Senecam in Epiſtolis ad Lucilium*. Gratis autem & ſine mercede ut lavaretur, Jul. Feſto conceſſerant Decuriones: balneum enim pro lavatione frequenter uſurpatur: atque illud ipſum eſt quod indicat vox (gratuitum) quo ſenſu Agrippam 170. balnea gratuita, cum Ædilis eſſet, populo Romano præbuiſſe, *ait Plinius* alicubi; ſic Auguſtum Imp. Fauſtumque Syllæ filium, βαλανεῖα, τότε λουτρὰ καὶ ἔλαιον προῖκα (i. e. gratuita) itidem præbuiſſe obſervat *Dio Caſſius hiſt. Rom. lib. cum 37. tum 49.* quanquam aſſeri etiam poſſit ædificatum fuiſſe Julio Feſto balneum intra privatos parietes quod quoniam domi ſuæ haberet, ibidemque gratuito, & ſine mercede lavaretur, aut quia impenſis Reipublicæ ædificatum eſſe decreto Decurionum, gratuitum ideo appelletur. Sic igitur duæ dari poſſunt balnei gratuiti poſitiones, quibus & tertia adjungi queat, quando nimirum quis alteri concedebat ut domi ſuæ gratuito lavaretur; quam balnei gratuiti ſpeciem lubeat appellare in ſolo

privato gratuitam lavationem, ad diſcrimen lavationis quæ in publicis balneis ſine mercede præbebatur. Hujus autem gratuitæ in ſolo privato lavationis exemplum exhibet, quæ viſitur Novariæ in Italia tractuque Tranſpadano, ſequens inſcriptio.

TERENTIA. Q. F. POSTVMINA
SIBI. ET C. VETVRI. LVCVMO
NIS. VIRI. SVI. ET. C. VETVRI. C.
F. POSTVMINI. F. SVI. NOMINE
BALINEVM. ET. LAVATIONEM
SOLO. PRIVATO. GRATVITAM
IN. PERPETVVM. DEDIT

AREAM. Locum ad ædificandum.

INTER. DVOS. TVRRES. i. e. in *meſopyrgiis*, ſive *metapyrgiis*, ut loquuntur Architectorum filii; (*in Interturrio* Latine dixeris) Extra Pomerium ſcilicet, ſed intra urbem; Pomerium enim neque *habitari neque arari fas erat*, & locus erat quem antiqui, Hetruſcorum more, *in condendis urbibus inaugurato conſecrabant*, ut ait *T. Livius decad.* 1. *lib.* 1. Cur autem area inter duas turres militi noſtro Miſſicio fuerit aſſignata, conjectari poſſe prima fronte credideram *ex l. devotiſſimos*, *C. de metal. lib.* 12. ſed quoniam & monuit, & probavit *Gothofredus* omnium Muſarum amicus & ἀνὴρ βιβλιακώτατος, *in ſui ad Cod. Theodoſianum Commentariis*, hanc legem male intellectam ab Interpretibus Codicis Juſtinianei, illud factitatum fuiſſe malim honoris cauſa; quamvis enim Miſſicii milites re vera non eſſent milites, quia non actu milites, tamen pro militibus erant, nomenque militiæ ſuæ retinebant. Ideoque juxta civitatum mœnia ſedes eis ſtatutas aſſeri poteſt ex Romanorum conſuetudine, cui forte alludens *Lucanus* cecinit olim *lib.* 1. *de bello civili*.

Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noſter Veteranus aret? quæ mœnia feſſis?

licet ſecundum vulgus Interpretum, mœnia pro coloniis metonymicῶs a Poeta uſurpari non ignoraverim.

DVOS pro duas, ſive inſcitia ſive imprudentia Quadratariorum, hinc ex 19. *Gruteriano indice*, caſus mutatio, & genus pro numero, & plurima id genus deprehenduntur in antiquis Romanorum marmoribus.

PER. PVSONIVM. PEREGRINVM IIIIVIR. ET XIVIR. Quartumvirum & Undecimvirum.

ADSIGNATAM. Quæ dabatur area decreto Decurionum, eadem & aſſignabatur a IIIIviris & XIviris; erant enim agris dandis Præpoſiti.

Atque ea erant, MI SPONI, quæ tibi communicanda volueram, qui totus tuus ſum, uſuque, & fructu, & mancipio;

Si quid autem *noviſti rectius iſtis,*
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

ARTICULUS II.

Ex I. SPONII *ad Clariſſ. Graverolium Reſponſione.*

In qua Miſſiciorum Militum Inſcriptiones, & Miſſionis Formula referuntur;

Itemque de literis V *&* Θ *Milites ſuperſtites aut mortuos deſignantibus.*

Actis Viro Clariſſimo gratiis pro nitida, eruditaque Miſſicii Militis explicatione, aliquas Inſcriptiones ex itineribus meis aut aliorum ſchedis excerpere libuit, ſimulque cum Miſſionis Formula hic exhibere.

1

Forojulii.

C. IVLIO
APOLLONI
F. APAE
MISSICIO EX
TESTAMENTO

Ex sched. Peiresk.

2

Tragurii, vulgo Traou in Dalmat.

VIRDONIARVS
THARTONTIS F.
DOMO BITVRIX
MISSICIVS ALAE
CLAVDIAE NOVAE
T. F. I.
PAMAE SORORI

Ex Io. Lucio.

3

Romæ.

C. CATINIVS C. F.
QVIRINA METIDIVS
MAIORINVS ADIVTOR
ANNON. LEG. XXX.
VLP. ET MISSICIVS
LEG. EIVSDEM. VIX.
ANN. LXXV TESTAMENT.
F. I. IN FR. P. III.
IN AGR. PEDES VIIII

Ex sched. Barber.

4

Romæ.

DIS MANIBVS
Q. AVRELIO Q. F.
QVIR. GALLO VSZALI
MISSVS VETERANVS
EX COH. V. PR. 7 PRISCI
V. A. LV. ET AVRELIO
SATVRNINO FRATRI CARISSI
MO Q. AVRELIVS MAXIMVS
B. M. F. ET EIS
POSTERISQVE

Exscripsi.

2. *Virdoniarus Thartontis filius.* Nomina hæc duo Gallica Patris & filii admodum barbara. *Domo*, id est, natalibus, *Biturix*, ex Gallica urbe Biturigum, quæ nunc *Bourges*. T. F. I. *Testamento fieri jussit.* In 4. VSZALI est patriæ nomen, *Vzala*, *Vsalla*, *Vsula* Africæ urbs Vticæ vicina.

5

Romæ, olim in hortis Colotii.



Ex schedis Bagarrianis.

Aurelius Mucianus Missicius Cohortis sextæ Prætoriæ in hac tabella depingitur, non veste militari indutus, sed stola sive talari veste, adstantibus liberis duobus, ejusque uxore Ælia Lucia, quæ ipsum virginis nomine donare forte dignatur, quod existimaret eum fidem erga se maritalem nunquam violasse.

6

Romæ.

DIS MANIB. SACR.
C. VERANIO VERANO
COH. VII. ET PR.
MVNICIP. TRIDENTIN.
MIS. HONESTA
MISSIONE T. F. I.

Ex sched. Barberin.

7

Romæ.

AESCVLAPIO SACRVM
EX VOTO SVSCEPTO
MISSI HONESTA MISS.
COH. III. PR. 7. GRADIVI
Q. ROSINIVS Q. F. POL.
SEVERVS MVTINA
L. POPILIVS T. F. ANTIOCHVS
CAESARAVG.

Exscripsi.

Hic character 7. Centuriam denotat, ut videmus in aliis Militum Inscriptionibus. CAESARAVG. id est, *Cæsaraugustanus* ex urbe Hispaniæ Cæsarea Augusta, quæ nunc *Saragozza*.

FORMVLA MISSIONIS MILITVM,
Ex Tabella ærea palmaris magnitudinis.

Neapoli apud Franc. Anton. Picchiati.

IMP. CAESAR. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG.
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P.P. PROC. ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG.
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. II. DESIGNAT. P.P.
IIS. QVI MILITANTES. SVNT. IN. CLASSE. PRAETOR. PHILIPPI
ANI. SEV. MISENENSE. QVE. EST. SVB. AELIO. AEMILIANO PR.
OCTONIS. ET. VICENIS. STIPENDIS. DIMISSIS. H.M.
QVORVM NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. FILISQVE EORVM.
QVOS. SVSCEPERINT. EX MVLIERIBVS. QVAS. SECVM. CONCESSA
CONSVETVDINE. VIXISSE. PROBATE. SINT. CIVITATEM. ROMA
NAM. DEDERVNT. ET. CONVB. CVM. ISDEM. QVAS. TVNC. SE

CVM. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SI. QVI
TVNC. NON. HABVISSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. VXORES. DV
XISSENT. DVMTAXAT. SINGVLIS. SINGVLAS. AD V. KAL. IAN.
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FELICE. AVG. COS. DES. III
ET IMP. M. IVLIO. PHILIPPO PIO. FEL. AVG. COS. II. DES. COS.
EX. OPTIONE
T. FL. T. FIL. ALEXANDRO. N. ITAL. D. MISEN. ET MARC.
PROCVLAE VX. EI. ET MARC. ALEXANDRO ET FL. MARCO ET
VLP. SABINO AVREL. FAVSTAE. FIL. EIVS
DESCRIPT. ET RECOGNIT. EX. TABVLA AENEA. QVAE. FIX. EST. ROMAE
IN. MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM

Ex Bellorii Vestig. Antiq. Rom.

Ecce

Ecce eam integram ſine abbreviationibus.

Imperator Cæſar Marcus Julius Philippus Pius Felix Auguſtus Pontifex Maximus Tribunitiæ poteſtatis quartum, Conſul tertium deſignatus, Pater Patriæ, Proconſul, & Imperator Cæſar Marcus Julius Pius Philippus Pius Felix Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ poteſtatis quartum, Conſul ſecundum deſignatus, Pater Patriæ, iis qui militantes ſunt in Claſſe Prætoria Philippiani ſeu Miſenenſe, quæ eſt ſub Ælio Æmiliano Prætore, octonis & vicenis ſtipendiis dimiſſis Hac Miſſione, quorum nomina ſubſcripta ſunt, ipſis filiiſque eorum quos ſuſceperant ex mulieribus quas ſecum conceſſa conſuetudine vixiſſe probatæ ſint, civitatem Romanam dederunt & connubium cum iiſdem quas tum ſecum habuiſſent cum eſt civitas iis data, aut ſi qui tunc non habuiſſent, cum iis quas poſtea uxores duxiſſent, duntaxat ſingulis ſingulas ad quinto Calendas Januarias, Marco Julio Philippo Pio Felice Auguſto Conſule ſecundum deſignato tertium, & Imperatore Marco Julio Philippo Pio Felice Auguſto Conſule ſecundum deſignato, Conſulibus: Ex Optione Tito Flavio Titi filio Alexandro Natione Italo Domo Miſenis, & Marciæ Proculæ uxori ejus, & Marco Alexandro, & Flavio Marco, & Ulpio Sabino, Aureliæ Fauſtæ filiis ejus. Deſcriptum & recognitum ex tabula ænea quæ fixa eſt Romæ in muro poſt Templum Divi Auguſti ad Minervam.

Adeſt & alia ſimilis Inſcriptio Miſſionis Militum apud Gruterum pag. DLXXIII. cujus archetypum vidi in Bibliotheca Barberina, in duabus æneis tabellis conjunctis inſtar duplicis folii alicujus libri ex utraque parte ſcriptis. In qua corrigenda quædam veniunt, & præfertim LADESTIN. tribus vicibus repetitum, pro quo reponendum IADESTIN. hoc eſt *Iadeſtini* civis ex urbe Iadera: & MAXIMI pro MIMI. Sequuntur & apud Gruterum quatuor aut quinque Inſcriptiones, quæ eandem Miſſionis formulam exhibent: omneſque in tabellis æneis, ne forte, chartæ commiſſas, milites eas aut perderent facilius, aut dētererent citius. Harum vero Miſſionum Archetypa ad Deorum Templa reponebantur, ne falſis tabellis Reipublicæ fraus fieret, qualis hæc muro Templi Divi Auguſti ad Minervam affixa, exſcripta & recognita ad uſum Titi Flavii Alexandri Natione Itali honeſta miſſione cum tota familia miſſi.

DE LITTERIS Θ. *ET* T. *SIVE POTIVS* V.

In deſignandis mortuis aut ſuperſtitibus.

In Militum defunctorum nominibus Θ, *ſuperſtitum a prælio* T *literam adſcripſiſſe veteres* tradit Iſidorus, origin. lib. 2. c. 3. De priori non eſt dubium, unde Perſius Sat. 4.

Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.

De litera T controvertitur. Reponit enim Lipſius apud Iſidorum V, quæ prima eſt in voce *Vivus*. At Reineſio magis placet Υ quæ prima in voce Υγιὴς *ſanus*. Variar. Lect. cap. 7. lib. 1. ſuæque ſententiæ confirmandæ cauſa Galeni locum affert: Comm. 1. ad 3. Epid. ἐπὶ δὲ τελευτῇ τοῖς μὲν σωθεῖσιν Υ προγέγραπται τὸ ὑγείαν σημαῖνον. Τοῖς δὲ ἀποθανοῦσι τὸ Θ, καὶ τοῦτο δηλονότι τὸν θάνατον ἐνδεικνύμενον. Id eſt, *In fine* ſc. notarum, *ſervatis*, ſive ſuperſtitibus Υ *adſcripta eſt, quæ ſalutem ſignificat: mortuis autem* Θ: *& hæc videlicet mortem indicat*. Unde ſi quando exſcripſerant lapidarii hoc in caſu literam V idem eſſe contendit ac Υ. Sepe enim unam pro altera exarare ſolebant, ut obſervo in marmore Salonæ DECIMIYS SECYNDINYS, &c. pro DECIMIVS SECVNDINVS. Rejiciendam ergo T literam in ſuperſtitibus militibus deſignandis, & V ſive Υ reponendum, Cl. Reineſii rationibus, ut & horum lapidum auctoritate adductus concludo.

1

Romæ.

V. BABBIA Ɔ. L. ASIA
V. C. BABBIVS Ɔ. L. REGILLVS
Θ. Q. PLOTIVS Q. L. NICEPOR.
V. Q. PLOTIVS Q. L. ANTEROS
V. Q. PLOTIVS Q. L. FELIX

Exſcripſi.

2

Lugduni Convenarum, quod nunc S. Bertrand, in æde D. Juſtæ.

V. C. IVLIVS EROTIS
L. ATTICVS
Θ. IVLIA EROTIS LIBERT.
SALVIOLA
Θ. C. IVLIVS ATTICI F. VICTOR
ANN. XVIII

Ex Oihenart notitia Vaſconiæ.

Denotatur itaque hac prima Inſcriptione, ex quinque illis Libertis Libertabuſque, duos priores, duoſve poſtremos vivos fuiſſe, tertium vero mortuum cum lapis ſculpebatur. In altera vero primum vivum fuiſſe, duos poſtremos defunctos. Ecce alios lapides.

3

Romæ.

L. MENENIVS Ɔ. L.	Θ. L. VETTIVS L.L.
DEMETRIVS	PAMPHILVS
VETTIA L.L.	L. MENENIVS L.L.
HILARA	STAPHIO
Θ. CALPVRNIA	L. MENENIVS L.L.
M. Ɔ. L. SYRISC.	ANTIOCHVS
Θ. CALPVRNIA	IN AG. P. X
M. L. SODIA	
IN FR. P. XIII	

Ex D. Fabretti.

4.

Florentiæ, in villa Strozzi.

V. QVARTIO
TEXTOR IIVIR
QVAESTOR TRIB.

Ex sched. Barberinis.

5.

Florentiæ, in horto March. Richardi.

Θ. L. APPVLEI
EVPORI

Exscripsi.

6.

Romæ.

N. BALONIVS FAVSTVS
Θ. BALONIAE N. L.
SECVNDAE VIX. AN. XXVI
N. BALONIO DARDANO

Exscripsi.

7.

Romæ, in villa Matthæi.

SEX AVONIVS SEX. L.
PAMPHILVS
SEX AVONIVS SEX F.
RVFVS VIXIT A. XIV
AVONIA SEX. L. MOSCHIS
V. AVONIVS. EROS L.
V. SEX. AVONIVS PHILEROS

Exscripsi.

T vero hac significatione usurpatum reperisse me non memini, sed tantum significasse *Titi* prænomen, vel *Testamentum*, vel aliud quid. Errat ergo Scaliger multiscius quidem, sed, ut fert humana conditio, non omniscius, qui putavit in Indicibus Gruterianis a se compositis, Literam illam unicam V quæ sæpissime in monumentis illis a Grutero editis occurrit, esse virorum & mulierum prænomen. Alicubi enim integrum reperiretur: nec aliis prænominibus adjungeretur: quanquam enim Romani duo habuerint aliquando prænomina, id tamen perrarum fuit, nec ita facile fuisset ex quinque nominatis Personis ut in priori marmore, quatuor illud rarum prænomen sortitas esse. Adde quod litera Θ quæ in eundem est usum, prænomen esse non potest. At de illa *ὁ πάνυ* ne gry quidem, quanquam passim in lapidibus observetur: quod oculatissimum virum non advertisse miror. Reperi & sequentem Inscriptionem quæ Lipsio favet, qui V appositum fuisse vult: quia prima esset litera in voce VIVVS, vel ut habet lapis, in voce VIVIT, quæ hic præfigitur.

8.

Romæ, in villa Matthæi.

VIVIT M. VETTIVS M. L. SVRVS
ET VETTIAE M. L. CALLISTENI
VIVIT MVLIERI MEAE M...
ET MEIS EM.........
MONVMENT. AVRELIA,...

Exscripsi.

Ex his autem omnibus Marmoribus observo non solum militibus e bello superstitibus aut defunctis Literas has V. Θ. apponi solitas fuisse, vitæ, mortisque indices, sed quibusvis aliis cujuscunque sortis hominibus: istudque factitatum fuisse tum in monumentis in plurium gratiam comparatis, ubi eorum quorum monumenti jus erat, aliqui defuncti essent, alii vero superstites, tum in quocunque alio publico opere, cui fundando plures concurrerant partim vivi, partim jam mortui.

ARTICULUS III.

ARA A CENTURIONIBUS ET MILITIBUS M. Aurelio Antonino (Caracallæ) dicata.

Romæ, in horto ædium Barberinarum.

IMP. CAESARI M. AVRELIO
ANTONINO AVG. SEVERI
AVG. N. FILIO PARTH. MAX. — *AVGusti Nostri*
TRIB. POT. VIII. COS. II.
COH. I. VIG. ANTONINIANA
CN. RVSTIVS RVFINVS PRAEF. VIG.
TI. CLAVDIVS MARCELLINVS
TRIB.
C. IVLIVS INGENVVS 7 — *7. Id est Centurio.*
C. VALERIVS VICTOR 7
C. IVLIVS QVINTINVS 7
C. MANCILIVS IVVENIS 7
C. CAECILIVS SEVERVS 7
T. FLAVIVS INGENVVS 7
M. AVRELIVS FLORIANVS 7
CVM COMMANVCVLIS
SVIS

Exscripsi.

A latere illius Aræ hæc Militum nomina scripta sunt.

7 INGENV	I	LEVCONI RESTVT	E	AGELLI REDDIT	E
Q. VALERI OPTAT	E	IVLI SABIN	E	ANISI FAO	R
Q. IVLI IVLIAN	E	EGNATI EVTYCHIAN	E	MINTHI HIPPOCRATE	S
OPT. RVTILI CLEMEN	S	BRVTTI PRISC	E	IVLI MAXIM	E
TES. CASSI PRIMILL	E	AELI ARTEMA	S	VALERI CVPIT	E
.RT. LABERI CELE	R	IVLI LINDA	E	CVRI PA....ST	E
ST. CAMERI BASS	E	CAECILI SEDAT	E	SINATRONI PAVLIN	E
ALEADONI SATVRNIN	E	VALERI VICTORIN	E	NATERI FELI	X
IVLI SATVRNIN	E	TRASI SECVND	E	VEGETI FIRM	E
VALERI FELI	X	MAGNI FELI	X	TRVTTEI SEVER	E
MARI EXPEDIT	E	SERGI PAVLV	S	CALPVRNI ACHILLE	V
VALERI CRESCENTIAN.		DOMITI VICTO	R	MESSI ALEXANDE	R
CALPVRNI FELICISSIM.		ALEDI QVINTVL	E	AEMILI ROMAN	E
AVIDIARI EVTYCHE	S	GAVLINE MARCELLIN	E	MARI VICTO	R
SITTI VICTO	R	AVRELI NISI	S	TITI CLEMEN	S
CINGI FELI	X	EGNATI CRESCEN	S	MEMMI HERME	S
ACILI EVTYCHE	S	QVINTI VER	E	CORNELI SABIN	E
NONI TIBVRT	I	POMPEI VICTORIN.		TAMVDI DIONYS	I
ANTONI CASSIAN	E	MAXIME GETVLIC	E	AEMILI PRIM	E
VLPI DIONYS	I	AVRELI CHARIT	O	AVRELI POPIL	I
AMPI SALVIAN	E	PVBLICI VERN	A	ALLATEDI MARCELLIN	E
AVIDIARI VALENTIN	E	AELI PICCH	A	SESENNI SEVER	E
DOMITI SATVRNIN.		IVLI SATVRNIN	E	BONI EVTYCHIAN	E
VALERI IARIN	E	AELI VICTO	R	TITVRNI ROGAT	E
SEI ADVENT	E	AVRELI FORTVNAT	E	AVDENI FELI	X
ANTONI EMERIT	E	FANI FELI	X	LOLLI IANVAR	I
LVSI AMPLIAT	E	ZEVCI FELI	X	SERVILI SEDAT	E
AVRELI CAR	E	LVSI CAST	E	VARI ATILIAN	E
SEPTIMI FAVST	E	CASSI ATTIC	E	VICERI SOLEMNI	S
CAECILI ADIECT	E	SITIVOVI MARCELL	E	VENNI VER	E
CERVI FIRMIN	E	CORNELI VICTO	R	MVNATI FIRM	E
CALPVRNI SABINIAN.		DECI DECIAN	E	CAELI PAVLIN	E
IVLI AMAND	E	MARIANI SPERAT	E	CAVARI MARCELL	E
PLOTI QVINTILIAN.		SEI IVST	E	VERATI SABIN	E
TERENTI RVFIN	E	ANNI SEVER	E	ACILI PVDEN	S
GENICI IVSTINIAN	E	FLAVI HILAR	E	CLAVDI MAXIM	E
AELI PHILIPP	E	MVNATI AVGVSTALI	S	AVRELI THEFIAN	E
CLODI VICTO	R	QVISIDI PAVLIN	E	MARCI RESTVT	E
CESTI VALEN	S	CAECILI RISCINIAN	E	MVSONI SOTE	R
DECI VER	E	PACVVI DEXTE	R	CALVILI ASCLEPIADE	S
PETILI DIOGA	S	VETTI FELI	X	TITINI PONT	I

ANTONI FAO R
IVNI SATVRNIN.
IVNI HONORAT E
SEPTIMI PERTIC A
EVMERESI DONAT E
PETRONI FELI X
VOLOSI LICINIAN.
VALERI CRISPIN E
SERTORI GRAECIN E
IVLI VERISSIM E
SICINI PRVDEN S
PACCI PACCIAN E
DECIANE MELISS E
LICINI IVST E
POLLENTI DECEMBE R
RVTILI INGENV E
OFILI IANVAR I
MELVI DONAT E
SALVI SILVESTE R
AVILI CRESCEN S
CORNELI BASILIC E
STATI VER E
CLODI HOSPE S
ACILI CRESCEN S
VIRI CLEMEN S
ACVTI SATVRNIN E
MAGNI PRIM E
ORBI ROGAT E
FLAVI CHRESIM E
LICINI SVR A
CESENI MARTIN E
AEMILI FLACC E
VETTI VALEN S

IVLI PROCVL E
SEPTIMI FRVCT E
TERENTI REDEMPT E
VVLCEI VALEN S
LIGVVI VER E

7 VICTORIS

SS MESSORI VICTO R
OP. VALERI VICTO R
VEX. ACIDI CHREST E
TES. TVLLI ONAGE R
HT PETITI MARCELL E
VC. AVRELI MENOFANT E
ST. CAECILI IANVAR I
VLPI VICTORIN E
CASTRICI AGATHOP E
MANILI BARBAT E
HORATI HORATIAN E
AVRELI MARTIALI S
VLPI MAXIM E
BLAESI FELI X
CALPVRNI PRIMIGEN I
VLPI THEODOT E
FRONTO SOCRATE S
CAELI VIATO R
SEPTIMI IANVAR I
VISIDENI PAVLIN E
FLAVI SVRTAG E
CAMONI PRIMIGEN I
IVLI LIBERALI S
GAVINI PRIMITIV E
VALERI SECVND E
FLAVI GAIAN E
OCTAVI SEVER E
CAELI FELI X
SAVFEI THEODOR E
FLAVI PARTHENOP E
FVFICI SECVNDIN E
EGNATI IVSTIAN E

CAECILI MAXIM E
VETTI LASCIV E
SEXTI CHRYSOGON E
TREBONI TATIAN E
AVRELI SABIN E
BAEBI IVST E
HERENNI CHRESTIAN E
VENNI FRONT O
CORDI SEVERIN E
RVFONI VICTORIN E
VARI MERCVR I
MARATI FAVST E
HERENNI RVF E
PETELLI FORTVNAT E
FLAVI HASTE R
HORTENSI RVFIN E
VIBI FORTVNAT E
VALERI VITALISSIM E
IVLI LIBERALI S
DECIMI RVFIN E
QVINTILI PROCVL E
BAEBI SVCCESS E
PETRONI PERENNI S
VOLVMNI HYGIN E
IVLI DONAT E
TVTILI LE O
AEMILI ASCLEODOT E
DOMITI IVLIAN E
VVOLTI MAXIM E
IVLI SATVRNIN E
ATRI SABIN E
TITINI SECVND E
MANILI REGVL E
COMINI CAPRIOL E
VOCONI MARCELLIN E
COCCEI ATILIAN E
SVETO PAVLIN E
VENELI VER E
FARRAX IVST E
AVFIDI GEN I
LICINI MERCVR I
AVRELI HERMOGENE S
AVREL. VIATO R
IVLI SATVRNI N.

In altero latere Basis.

7 QVINTINI

APRONI PRIMITIV	E	ATTI VICTO	R		
CORN. MESTRI APRILI	S	FORMI ASPRENA	S		
POPILI PERGAM	E	FLAVI MACHO	N		
TESS. VETTI TERT	I	SEPTICI CHARIT	O		
OPT. PLOTI POSTVMIN	E	NVMISI SECVND	E		
VEX. RENNI FELIX		ABVREDI COGITAT	E		
EMER. CAECILI FORTVN (ATE		VALERI RESTVT	E		
CVRTI PRVDEN	S	VARRENI VERECVND	E		
MVNATI HERME	S	PETRONI VERIN	E		
GEMINI FAVST	E	MARCI SEVER	E		
VIC. AVRELI HERMADI	O	PESCENNI FELI	X		
ACCI VITALI	S	CORNELI POLLIAN	E		
SERGI SALVIAN	E	CORNELI CALLIMORF	E		
EVDOCI PAVLIN	E	GERMANI FILONIC	E		
FONTEI IANVAR	I	MARCI IANVAR	I		
TITI PRIMITIV	E	NOVASI SEVER	E		
AEMILI TEANA	X	7 IVVENIS			
CLAVDI PROCVLEIAN	E	HER. MARCANE FORTVN (ATIANE		IVVENTI DECEMBE	R
CLAVDI DIONYS	I	CO. AEMILI BASS	E	CALPVRNI CELE	R
IVLI ANDRONIS	E	VEX. TITI SATVRNIN	E	STAMINI SATVRNIN	E
SATRI VERIN	E	OP. TITI SECVND	E	AVRELI ALEXANDE	R
EBVRINE VERIN	E	CORNELI FELICISSIM	E	ALLETTI PRIM	E
HABRENI VER	E	SITTI CHRYSERO	S	MESSI RESTVT	E
SACCONI CANDIDIAN	E	GARGILI BARBAR	E	TETTI VENERAND	E
VALERI SATVRNIN	E	IVLI CHARYM	E	AVRELI AVTYDOR	E
IVLI CRISPIN	E	BLAESI PROBAT	E	LICINI FELICISSIM	E
DESSI PRIM	E	AEMILI VITALI	S	TITI FELI	X
SEDVLI FIRM	E	LVTATI FILADELFI	E	CLODI POMPEI	E
TVLLI IVST	E	SECVNDE FELI	X	AVRELI FAVSTIN	E
IVLI IOVINIAN	E	FANI HERODIAN	E	TITI PAVLIN	E
FLORI VRBAN	E	MARTI CEION	I	IANVARI FELI	X
SETINI MARCELL	E	CLAVDI MARC	E	MVRRI VALERIAN	E
CVSPIDI PRISC	E	ARRENI MARCELL	E	AVRELI VICTORIN	E
CASSI FORTVNAT	E	NOVI EPHOEB	E	IVNI LAVRENT	I
ARNI MARCELLIN	E	MARI TIMO	N	NONI IOVIN	E
PVBLICI EVTYCHE	S	VITRASI ARTEM	A	NAEVI TITIAN	E
SEXTI EVFRO	N	AEMILI OPTAT	E	MAEVI ROGATIAN	E
NONNI FORTVNAT	E	DECIMI QVINTIL	I	AVRELI SEVERIN	E
CAECILI DOMITIAN	E	AVRELI LIBERALI	S	SATRI LARENSI	S

SEMPRONI LOLLIAN E
CORNELI PRIM E
IVLI SECVND E
PROSPERTI FIRMIAN E
FLAVI FELI X
TERENTI CORNELIAN E
CARINATI CRESCEN S
SERVILI SALVTARI S
SEMPRONI RESTVT E
ASELLI FACILI S
PAPI......
. . . .
AVRELI POSIDON I
NVMENI SEVERIN E
RVFRI RVFIN E
PETILI PAVLIN E
FABI FELI X
FONTEI VENER I
FLAVI PRIC E
ASINI ABASCANT E
ANTISTI MODESTIAN E
AELI MACRIN E
. . . .
ANTONI HONORAT E
AVRELI DIONYS I
SAVIDI MAXIM E
VANVCI RESTVT E
VALERI CAESONIC E
RVFRI SABINIANE
CALPVRNI BORYSTHE (NES
IVLI VERAN E
AVILLI PHILOMVS E
AEMILI HERME S
AVRELI ZOTICE
HERMOGENES DIODO (RE
CANINI MEGAMIX E
ANTONI APRILI S
MACCI . . MENE I
CLAVD. TISINIAN E
CONELI RVF E
PRIMISI CHRYSOGON E
IVLI ROGAT E
DOMITI SATVR E

AEMILI ORE V
CLAVDI PRIMITIV E
SALLVSTI PRISTIN E
AELI QVINTI O
CATTI SERVAND E
OCTAVI MAECILIAN E
PVMIDI FELI X
. . . . .
VEREI SEDVCTO R
CASSI PRIVAT E
FLAVI HERMOGENE S
AVLE CRISPIN E
MARI SEVER E
SAVFEI FELI X
CRETORI NOVEMBE R
PVBLICI MACED O
IVLI PROCVL E
ACAENI CRISPINIAN E
CORNELI HERME S
PVBLICI VMIDIAN E
FAENI CLEMEN S
PETRONI FIRM E
CAECILI FORTVNAT E
VE..NI CALIST E
ANNI... VICTORIN E
CASSI PRIMITIV E
ANTISTI MARCELLIN E
AEMILI MARIN E
PAPINI SATVRNIN E
COSSVTI FEST E
GAVINI MVST E
GELLI APOLLON I
CLAVDI PLACENTIN I
EPPI VERIAN E
ANTISTI FORTI S
CASSI POLLI O
IVLI DONAT E
FVLLONI LEONA S
IVLI LVCIAN E
GAENI OPTIM E
SERVENI PROCVL E
FVLVI VALER I
AEMILI IVST E

COMINI MARCELL E
AELI HERMOGENIAN E
IVLLEI FELI X
AVRELI VARRONIAN E
DEVLTRONI VITALI S
OCTAVI CELE R
SPVRI SEVER E
NERONI MAXIMIAN E
VETTONI FELI X
VERANI RVFIN E
CAECILI VICTO R
AELI HILAR E
VITRASI ROMAN E
COCCEI ROGATIAN E
VERGILI FELI X
MATERNI VICTORIN E
LIQVIDI QVART E
AILAFIDI SEVERIN E
SEPTIENI PRISC E
CALPVRNI FAVST E
POMPEI SALLVST I
TITINI HORTENSIAN E
SABERI VICTO R
MVNATI IVSTIN E
BVCCERI TERTVLL E
AVRELI ROMAN E
IANVARI FELI X
ATILI HELIODOR E
LOLLI SEVERIN E
VERBICI VITALI S
EXTRICATE FELI X
BVCCERI QVART E
VALERI SECVNDIN E
ANCHARI IVSTIN E
VIBVLENI MERCVR I
GALERI NEPTVNALI S
VELLENI FRVCT E
GEMELLI FELICISSIM E

PISENTI AGRICOL A	MVRSI SATVRNIN E
AELI SABINIAN E	AVRELI IVCVND E
IVLI PEREGRIN E	ALLETI QVARTIN E
PETRONI SATVRNIN E	ALLETI LIBERALI S
SICINI CRESCENTIAN E	FL. IVVENET E
SEMPRONI AFRODIS I	MVSSI CRISP E
MAGVDI SVCCESS E	CAECILI DONATIAN E
OCTAVI IANVAR I	CALPVRNI IRENE V
	VRSENI AFRISILAN E
AFRANI PRIM E	OCTAVI CLEMENTIAN
VALERI CRESCEN S	CIRRI FEST E

Exscripsi.

In Aræ Corona quam Galli Corniche *vocant, scriptum:*

DEDIC. KAL. . . . .

IMP. ANTONINO AVG. III.

COS.

In præcipua Inscriptionis facie Antoninus Caracalla in cujus honorem erecta est, Consul II notatur, quo tempore scilicet sculpta est, hic vero COS. III. nempe dedicata ipso Consulatum tertium ineunte Calendis Januariis.

Elegans est hoc marmor cujus jam primam faciem dumtaxat exhibuit ex Langermanno Reinesius, sed incorrectam. Simile etiam habet Gruterus pag. CCLXIX. 3. a Centurionibus dicatum, in quo septem pariter Centurionum nomina Cohortis II. Vigilum, cum aliquot aliis Officialibus leguntur. Hic Cohors I. Vigilum Antoniniana Antonino Severi filio (Caracallæ) Domino suo ac Patrono aram solemnem dedicat, voventibus & impensam facientibus septem hujus Cohortis Centurionibus cum ejusdem Præfecto ac Tribuno, omnibusque fere Centuriarum Militibus in laterali marmoris facie utraque inscriptis. 7 Centurionem & Centuriam designat, ut quibusvis tantillum in Antiquitate versatis notum est. OPT. *Optio*. TES. *Tesserarius*. CORN. *Cornicularius*. VEX. *Vexillarius*. EMER. *Emeritus*. VIC. *Vicarius*. ST. *Stator*: quæ omnia in Antiquorum militia non infrequentia sunt. Sed hic perrarum Milites omnes in vocativo signari, quasi vocaret eos & exercitus lustrationem faceret Tribunus. Id præterea obscurum videbitur quare Centuria *Ingenui* plures ac centum Milites habeat, ut & Centuria *Juvenis*: cum e centum Militibus Centuriæ constarent: cur vero Centuriæ ultimæ, *Severi*, *Flavii Ingenui*, & *Floriani* non nominentur.

Prioris difficultatis nodum ut solvamus sciendum in singulis Centuriis fuisse, præter justos centum milites gregarios, decem Decanos: decem enim militibus sub uno tentorio degentibus, unus erat ipsis præfectus. Præterea sicuti prima Legionis Cohors alias Cohortes numero Militum præcellebat: habebat enim teste eodem 1105 pedites, cum cæteræ Cohortes 555 dumtaxat haberent. Ideoque Cohors I vocabatur Milliaria, aliæ vero Quinquagenariæ: ita ni fallor in illis Centuriis, plures alii Officiales esse poterant, veluti Optio sive Adjutor Centurionis, Cornicularius Tribuni, Vexillarius, Tesserarius, Medicus Cohortis, Accensus, Stator, Beneficiarius, aliive inter Gregarios Milites recenseri non soliti. Inde in primis nostris duabus Centuriis, præter eos qui Munus aliquod habuisse notantur affixum ante nomen, leguntur 110 aut 111. Militum nomina, quæ, ut indicavi, Decanos simul cum Gregariis comprehendunt. Ad secundam vero difficultatem, trium nempe Centuriarum non memoratarum, fieri potuit ut duæ essent Aræ similes, in quarum altera istarum Milites inscripti forent, ut in hac quatuor priorum insculpta sunt.

ARTICU-

ARTICULUS IV.

OFFICIA QUÆDAM MILITARIA.

Baltearius.

Romæ.

M. CRITONIVS M. F.
APOLLONIVS
MILES EX ARMAMEN
TARIO AVGVSTOR.
BALTEARIVS
FECIT SIBI ET SVIS
LIBERIS
IN FR. P. XIII. IN
AGR. P. XVIII.

Exscripsi.

Baltearius is proculdubio vocabatur qui in Armamentario Augustorum Balteorum curam habebat, sive iis conservandis, sive subministrandis, sive resarciendis, vel ornandis incumberet. Erant enim Baltei aurei, argentei, gemmati. Plin. lib. 34. *Et quid hæc attinet colligere, cum capuli Militum etiam ebore fastidito, cælentur argento, vaginæ batillis, balthei laminis crepent?* Unde Spartianus Hadriani modestiam notat, *qui sine auro balteum sumeret*, cum tamen balteos auro gemmisque ornatos gestare solerent Duces Romani.

Beneficiarius.

Nemausi.

D. M.
VMIDII. AVITI. MILIT.
LEG. VIII. GEMIN. FELICIS
BENEFICIARI
IVNII OMVLLI CONSVLAR.
CVRAT. VITRASII. POLLION.
LEGATI AVG.

Ex Grassero.

Beneficiarii ita vocati, *quod*, inquit Vegetius, *promoverentur Beneficio Tribunorum*. Unde Beneficiarii Tribuni memorantur frequenter in antiquis marmoribus. Aliter Festus, *Beneficiarii Milites dicebantur, qui vacabant muneris beneficio*. Observat Reinesius ad tempora Hadriani lapidem esse referendum, cum hujus Imperatoris ad Vitrasium Pollionem Legatum Augusti Provinciæ Lugdunensis Rescriptum legatur. Eundem Reinesium consule de Beneficiariis, Syntagm. Inscript. Antiq. pag. 524.

Cassidarius.

Romæ.

Q. NAEVIVS MARINVS
MILES EX ARMAMENTARIO IMP.
CAESARIS DOMITIANI AVG. GERMANICI
CASSIDARIVS
VIXIT ANN. XXXX

Ex sched. Barber.

Cassidarius qui in Armamentario Cassidum curam habebat. Cassidum autem sive galearum, aliæ simplices erant, aliæ cristis, Sphyngibus, Chimæris, hiantibus animalibus ad terrorem & ornatum insignes. Virgil. Æneid. 7. de Turno:

Cui triplici crinita juba, galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Ecce duas Cassides antiquas, quarum priorem ferream deauratam possidebat olim in Museo suo Petrus Paulus Rubens Antiquarius & Pictor celeberrimus, & ipsemet a se delineatam ad Peireskium misit, ex cujus schedis nunc depromimus.



Prima hæc Galea non proprie cristata, sed foliata, hoc est foliis ornata, dicenda est. Altera Aquilæ cristæ loco insignis, Centauro & Delphinis præterea ornatus causa cælata.

Centurio.

Prope Vicentiam in basi Statuæ Equestris.

Q. SERTORIVS L. F.
POB. FESTVS
CENTVR. LEG. XI.
CLAVDIAE. PIAE. FIDELIS

Ex Jos. Magnavacca Bononiensi.

Romæ.

DIIS MAN.
QVARTIVS IVNIVS QVAR. F. PAL.
HESPERINVS
7 COH. VI VIGIL. ET
QVARTIA TERENTIA SECVNDA
FECERVNT SIBI ET SVIS
LIBERIS
IN FR. P. XII IN A. P. XV

Ex schedis Barber.

Centurio & *Centenarius* Græcis Ἑκατόνταρχος dicebatur, qui *centum pedites sub uno vexillo gubernabat*, ut ait Vegetius, sive potius ut ex MSS. correxit Stevechius, *Centum & decem*, ob rationem supra allatam de decem Decanis, qui decem Militibus sub uno papilione degentibus præerant. Erant autem Centuriones in una Legione sexaginta: hique ut melius a Militibus dignoscerentur signum habebant in galea, sive literas in cassidum cristis, teste laudato Vegetio: sed quas litteras, quodve signum, non constat: forte signum istud 7. quod Centurionis nota est, additis litteris COH, I. II. vel III. prout ille Centurio primæ, secundæ, vel tertiæ Cohortis erat.

Comitus seu Comes.

Romæ.

SEX. APVSTIO SEX. F. ESQ.
VERISSIMO NAT.
MEDVLLIA COMIT.
LEG. VI AVG. VIXIT ANNOS LX
MIL. ANN. XXVI
SEX. APVSTIVS SEX. F. ESQ.
AVCTVS
COMITVS LEG. VIII. AVG.
T. F.

Ex sched. Barber.

Romæ.

DIS MAN. S.
L. AVRELIO L. F. LARCIO
COMIT. LEG. III. GEM.
L. AVRELIVS PANNICVS
MIL. COH. X. PR.
H. T. F.

Ex sched. Barber.

Romæ.

M. IVNIO M. F. VOLVMNI
ANO CAELAETRAE MIL.
COH. VI PR. 7. MACRIANI PII
MILIT. ANN. XVII. MEN. VII
VIXIT ANN. LXV
M. IVNIVS M. F. MERVLATTA
COMIT. LEG. PR. MINER.
T. F.

Ex sched. Barb.

Romæ.

Q. ASPRINIO Q. F. ASELLIO
NAT. TISIA
COM. LEG. FL. VALERIAE P. F.
MIL. ANN. XVIIII
VIX. ANN. LVIIII
Q. ASPRINIVS PARVINVS
T. F. I.

Ex sched. Barber.

Comes, inquit Mauritius lib. de re militari, *est qui Legioni aut numero Præfectus est, idemque Tribunus Militum*. Memorantur Comites rei militaris vel Tribuni in Codice Justinian. lib. 1. Leo in Tacticis cap. 3. Κόμης δὲ ἐστιν ὁ τοῦ ἑνὸς τάγματος, ἤτοι βάνδου ἀφηγούμενος, *Comes autem, est unius Ordinis seu Bandi Ductor*. Vide Erud. Du-Cange Glossarium mediæ Latinit. in voce *Comes*, & *Comitus*, ubi eosdem esse censet ac Centuriones. *Medullia* sive *Medullius* Augusti patria, Mons est Hispaniæ Tarraconensis Orosio, 2. *Celetrum* Macedoniæ oppidum Livio.

Commanipularis, Commanipulus.

Romæ, in villa Justiniani.

D. M. L. PLENATI
L. F. QVIR. SENILI
SOLVA MIL. COH. IV.
PR. 7. TREBELLI V. AN.
XXV MIL. A. VI. M. VI
TESTAMENTO
FIERI MANDAVIT
PER HEREDES

AELIVM RESTITVTVM
COMMANVPVLAREM
SVVM ET L. PLENATIVM
VALENTEM FRATREM SVVM

Commanipularis idem qui Vegetio *Contubernalis*, & Spartiano *Commanupularis* & *Commanipulo*, Miles qui in eodem contubernio sub uno Decano erat, militabatque; *Commanuculus* in Ara superius a Centurionibus & Militibus dicata. *Solva* hujus Militis patria nominatur in notitia Imperii, idem ac Solvense oppidum apud Noricos Plinio lib. 3. c. 24.

Doctor Sagittarius.

Romæ.



D M
T. FLAVIO EXPEDITO
DOCTORI SAGITTAR.
FLAVIA EVPHROSINE
ET ATTICA FILIAE
PATRI B. M.

Doctor Sagittarius forte qui Milites in sagittandi arte edocebat, sicut in lapide apud Reinesium p. 650. Pompejus quidam Phrixus *Doctor Librarius* nuncupatur, ubi Reinesius nimis temerarie, *Structor Librarius* reponendum esse censet, eo quod inepta locutio videatur, & Doctores disciplinarum ac scientiarum, non vero artium mechanicarum Præceptores dicantur.

Duplarius.

Romæ.

Q. VAESIO Q. F. PAL. NIGERIANO
MIL. COH. V. PR. 7. VERI MILIT.
LEG. X GEMIN. DVPLAR.
STIPEN. * II ANN. XVI
VIXIT ANN. LXV. M. VI
L. VAESIVS L. F. PAL. MACER
T. F. C.

Ex sched. Barber.

Romæ.

DIS MANIBVS
SEX. RVLLIO SEX. F.
SERGIA
MASONIANO
VETERANO
SEX. RVLLIVS
SEX. F. Q. N. AVCTVS
MILES DVPL. ARM.
FRATRI PIENTISSIMO
FECIT

Ex ſched. Barberin.

Romæ.

DIS MANIBVS
T. AELIVS T. F. POP. HEDISCVS
MIL. DVPLAR. ARMATVR. VIXIT
ANN. XXIIX M. VII D. XXV
MIL. ANN. XIX. NAT. SYR. SVPER.
FEC. SIBI ET LIBERTIS
LIBERTAB. QVE EORVM
IN FR. P. XI IN AGR. PEDES XVI.

Ex ſched. Barber.

Armaturæ Duplares, inquit Vegetius lib. 2. cap. 7. *quæ binas conſequuntur annonas, ſimplares, quæ ſingulas.* Hinc *Duplares* & *Duplices* huic Autori Milites dicuntur, *Duplicarii* Livio, & *Duplarii* in antiquis lapidibus: διδραχμοπολῖται Polluci vocati, quod duos denarios virtutis nimirum cauſa mererent, cum unus eſſet ſtipendium Militis diurnum. Id confirmat prima Inſcriptio in qua *Quintus Væſius Quinti filius Palatina* Tribu *Nigerianus*, *Miles Cohortis Quintæ Prætoriæ Centuria Veri*, *militavit in Legione Decima Gemina Duplarius ſtipendio denariorum duorum Annis ſedecim*.

Eques Singularis.

Romæ.

T. AVR. FELICI
EQ. SING. AVG. TVR.
VLPI VICTORIS
NAT. CANONEFAS
V. A. XXVIII. M. II. D. X.
T. AVR. VERAX VIX.
H. AMICO OPTIMO F. C.

Exſcripſi.

Romæ.

D. M.
P. AVLINIVS ABENTI
NVS EQ. S. DN. NN.
VIX. ANN. XXXVIII M.
ANN. XVIII. T. RVFINI
NIGER.... IVL. SEVERI
NVS B. ET VETTIVS
MARTINVS SING.
B. M. F.

Exſcripſi.

Romæ.

D. M.
IVLIO ISARGVRO
LIBERTO VIXIT
ANN. XXXV.
T. F. L. RVFINVS
EQ. SING. AVG.
TVR. GAI LEPIDINI
AMICO B. M E.

Exſcripſi.

Romæ.

D. M.
T. AVREL. SATVRNINO
EQ. SING. AVG. TVRM. AELI
CRISPI NAT. PAN N. VIX. AN.
XXX. MIL. AN. XI T. FLAVIVS
MARCELLINVS SIGNIF. HER.
ET T. AVR. SECVNDINVS
SEC. HER. AMIC. OPTIM.
FACIENDVM CVRAVER.

Exſcripſi.

Equites Singulares Auguſti dicebantur, qui ad ejus cuſtodiam ſelecti erant, ſimiles iis trecentis quos

ſibi corporis cuſtodes ſelegerat Romulus, ut notat Salmaſius lib. de re militari Romanorum. Illos Hadriani & ſequentium Imperatorum ætas *Singulares Imperatoris* aut *Prætorianos* vocabat, poſterior vero *Domeſtico:* & *Protectores*.

Equo publico honorati.

Comoræ in Hungaria.

D. M.
M. VAL. VALERIANO LEG. IIII. FL. VIXIT. ANN. XLII.
ET M. VAL. VLPIO EQ. PVB. FIL. VIXIT AN,
VIII SIM. CONDITIS VLPIA PARATIANE
MARITO ET VLPIA VALERIA FILIA
HEREDES T. S.

Ex Itiner. Eduard. Brouvn Angli.

Romæ.

DIS MANIB.
L. OGVLNIO C.F. ARN. VELO.
EQVO PVBLICO PRAEFECTO
TVRM. ALAE. II LEG. I. MINER.
VIXIT ANN. LIIX MENS. VII
D. XVIIII. EX TESTAMENTO
M. OGVLNIVS L.F. ARN. AVCTVS
EQ. ROM. PATRI OPTIMO
PONE. CVRAVIT H. M. D. M. A.
IN FRONTE PED. XIII
IN AGRO PEDES XVI
H. MONVM. VSTRINVM APPLIC.
NON LICET

Ex ſched. Barberin.

Novioduni, *vulgo* Nions *in Helvetia*.

D. IVL. L. F. VOL. RIPANO CAPITONI BASSIANO
EQVO PVBLICO HONORATO PRAEFECTO FABRVM
TRIB. MIL. COH. I. GAL. IVL. BROCCHVS
VALER. BASSVS FILIO

Ex Jacobo Flournoy Genev.

Equo publico honorari dicebatur Miles, cui Equus publicis impenſis alebatur, ut jam dixi ad Inſcri-

ptionem sect. tertiæ, num. XXVI. De quo consule Salmasium lib. de re militari Rom. cap. 21. qui *Equum publicum* vocari censebat, mira loquendi formula, pro eo qui publico donatur Equo. Verum pridem me monuit Antiquitatis amantissimus D. Jacobus Flournoy, sibi idem non videri ac Salmasio, & ubi *Equo publico* legitur subaudiendum honorato vel donato: quod confirmat Inscriptio superius pag. 115. citata, in qua *Publius Virilius Assianus, Equo publico, Sacerdos*, &c. indigitatur: ubi necessario subintelligendum *honoratus*, alioquin ad Salmasii mentem fuisset scribendum eodem casu, *Equus publicus*. Frequentissime autem ablativo absoluto ita utebantur, v. g. cum Cæsares *Tribunitia potestate* I & II dicebantur, hoc est exornati seu donati. Verum si correctus sit lapis apud Erud. Reinesium in Syntagm. Inscript. citatus pag. 719. in quo legitur *Cajus Gadisius Calenus Equus publicus*, fatendum id locutionis genus, equidem raro, aliquando tamen fuisse usurpatum. Vide laudatum Reines. in explicatione marmoris Classis I. & Lipsium de Milit. Rom. lib. I. dial. 5. Ultima Inscriptio citatur a Grutero, sed in prima linea male legit *Valeriano*, pro VOL. RIPANO. Confirmatur correctio ex eo quod plures alii ejusdem familiæ hujusce Voltiniæ Tribus fuisse observentur, in aliis lapidibus a nobis ad Historiam Genevensem relatis.

Evocatus.

Romæ.

DIS MANIBVS
L. DAMARIONI L. F. ROM.
GENIANO
EVOKATO AVG. IN PRAET.
VIX. ANN. LXIII M. III D. XIII.
H. S. E.
T. FLAVIVS T. F. ROM. FELIX
FLORENTIA
VETER. AVG. N̄. T. VESPASIAN.
AMIC. PIISSIMO F. C.
IN FR. P. VI IN A. P. IV.

Ex schedis Barberin.

Romæ.

T. MATRINIO P. F.
OVF. QVADRATO
EVOK. AVG. VIX. ANN.
XL. MILIT. ANN. XVI.
L. ANTONIVS L. F. PAL.
MARCIANVS MIL. COH.
VIIII PRAET. AMIC.
FEC.

Ex sched. Barberinis.

Romæ.

DIS MANIBVS
C. SALLVSTIO T. F. POMP. ABINNAEANO
NAT. TRAMPE
EVOKATO AVG. N̄. VIX. ANN. LXV. M. II
M. SALLVSTIVS M. F. POMP. AVCTVS
T. F.

Ex sched. Barber.

Evocati, inquit Salmasius ad Vopiscum, *Milites erant veteres, & qui e militia jam exierant, sed ad eam sponte revocabantur, Ordinum & præmiorum spe.* Ταξιάρχοι, Ordinarii *in Glossis exponuntur: eædem &* Evocatum Ταξίαρχον *interpretantur*. Ordinarii dicti quia primos Ordines ducebant. Instituere illos ceperat Augustus, teste Dione, cum veteranos Patris contra Antonium convocavit, servavitque deinde. Hæc Legio *Evocatorum* appellata fuit, quod missi facti a militia rursus ad eam convocarentur. In Militum Epitaphiis Tribus fere semper designabantur, sic trium horum Militum primus notatur ROMilia, secundus OVFentina, ultimus POMPtina tribu. Hic Natione sive NATalibus TRAMPE. Thrambus promontorium Macedoniæ Stephano de urbibus.

Librarius.

Æmoniæ in Istria, quæ nunc Civitas nova.

C. TOCERNI MAXIMIANI MIL. LEG. II.
ITAL. STIPENDIORVM V LIBR. COS. ANNOR. *Librario Consulis*
XXII. MENSIVM VIII DIER. VI C.
TOCERNIVS HERMEROS PATER
FILIO KARISSIMO

Ex Erud. Fabretti schedis.

Librarii, inquit Vegetius lib. 2. dicti *ab eo quod in libros referant rationes ad Milites pertinentes.* Nec absimili notione sumuntur supra pag. 224. pro iis nempe qui computabant, calculabant, negotiorumque rationes servabant. Vide Commentarium Reinesii ad Inscript. XLIV. Classis Octavæ Syntagmatis Inscript.

Miles Cohortis Prætoriæ.

Romæ.

DIS MANIBVS
L. MATRINIO G. F. QVIR.
AELIO FARSVLEIO
FELICI IVNIORI
ORIVNDO LEPTI CIVIT.
MIL. COH. IX. PRAET. 7. SERVI
MIL. ANN. XVII VIX. ANN. LIIX
L. MATRINIVS AELIVS
FARSVLEIVS FELIX
IANVARIVS
FRAT. PIISSIM. ET R. FECIT

Romæ.

DIS MANIBVS
L. LVCILIANO C. F. CLV.
PASSER. NATI. CIV.
THIRMIDA
MIL. COH. VIII. PRAET.
7 VERINI MILIT. ANN.
LXXII
L. LVCILIVS L. F. CLV.
EVARIST. FEC.

Ex sched. Barber.

Prætoriani Milites Cæsarum custodiæ destinati passim noti sunt. At *Prætoria Cohors*, inquit Festus, *est dicta quod a Prætore non discedebat.* *Leptis* Civitas est Africæ; *Thermida* quæ hic Thirmida Oppidum Hispaniæ Tarraconensis.

Optio.

Romæ, in villa Matthæi.

D. M.
L. SERTORIO SECVNDO
OPTIONI COH. I. PR. 7. RENNI
VIX. ANN. XXX. L. SERTORIVS
MARCELLVS FRATRI CARISS.
ACCEP. LOC. A BALONIO SEVERO
PINARIA ET VERNE

Exscripsi.

Ucetiæ.

L. PORCIO L. F. VOLTIN.
IRO MILIT. LEG. AVG.
OPTIONI SIGNIFERO

Ex D. du Bourdieu.

Optiones, inquit Veget. l. 2. c. 7. *ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis; hi tanquam adoptati eorum atque Vicarii solent universa curare.* In hunc locum vide Godescalci Stevvechii Commentarium, & Rosini Antiquitat. Rom. lib. x. cap. VII.

Præfe-

Præfectus Cohortis Prætoriæ, & Præfectus Vigilum.

Romæ.

M. OSTORIVS M.F. ESQ. FLACCVS
PRAEFECTVS PRAET. ET PRAEFECT.
COH. VII. PRAET. ANN. IIII. V. F.
SIBI ET OSTORIAE ALBINAE AV
RELIAE VXORI CARISSIMAE ET
L. OSTORIO L. F. ESQ. MARCIANO
EQ. ROM. NEP. SVO PIISSIMO
ET OSTORIAE MARCIANAE FIL.
CVM Q. VIX. ANN. XX. M. IIII. D. VI.
HS. S.
IN FR. PED. XIV. IN AGR. PED. XX.

Ex sched. Card. Barber.

Romæ.

M. AVRELIO M. F
SEVERIANO
TORQVATO
PRAEF. VIG. ET
X VIR. STLITIBVS
IVDICANDIS
AVRELIA CAE
SONIA CONIVGI
PIISSIMO FECIT

Ex schedis Barberin.

Præfectus Cohortis in Ara superius a Militibus dicata nominatur ante Tribunum: & sane non contemnendum fuit Militare Officium, quo ut & Præfectura Prætorii ornatus erat *Marcus* iste *Ostorius Flaccus Esquilina* Tribu.

Primopilus.

Romæ.

Q. NVMENIO Q. F. Q. N.
OVF. CALVO LATINO
PRIMOPILO LEG. MINER.
MILIT. ANN. XXVI
VIX. ANN. XLII
NVMENIA VIVANIA
MATER F. C.
IN FR. PED. XIII. S.
IN AGR. PED. XVIII

Ex sched. Barberin.

Primopilus, *Primipilus*, sive *Centurio primi pili*, seu primi ordinis, dicebatur qui Triariorum Manipulo in prima Cohorte præerat, reliquosque omnes Centuriones dignitate anteibat, de quo consulesis varios qui de re Militari scripsere Autores.

Sagarius.

Romæ.

SEX. NAEVIVS RVFVS
MILES COH. VII VIG. SAGARIVS
VIXIT ANN. LVIII M. VIII

Ex sched. Barber.

Sagum, vestimentum Militare, quod armis superinduebant, teste Strabone & aliis. *Sagarius* Sagorum Sartor & Mercator. *Hæc enim erat cura præcipua*, inquit *Vegetius*, *ut quicquid exercitui necessarium videbatur, nunquam deesset in castris.*

Signifer.

Taurinis.

Q. COELIVS Q. F.
MILES LEG. VIII
SIGNIFER OB
VIRTVTES
TORQVIBVS
ARMILLIS
EST DECORATVS

Ex Guichenon. Hist. Sabaud.

In pago Monpezat, Provinciæ.

A. IVLIVS SATVRNINVS
SIGNIFER LEG. X.
GEM. P. F. IIII VIR. CL.
A. VIVVS FECIT
SIBI ET SVIS

Ex Solerii Hist. Provinc.

Signifer qui Cohortis signum ferebat. Erant enim in Legione una tantum Aquila, signa vero plura, totidem nempe quot Cohortes. Illorum ectypum in nummis passim videre est: basin scilicet in cujus summitate transversum lignum, in quo scriptus Titulus COH. I. vel COH. II. pro earum numero.

Simplarius & Sesquiplarius.

Romæ.

NONIVS ARVSIVS N. F.
PVPIL. PAVCAESTA NATI.
CORCYRA NIGRA
MIL. LEG. II. AVG. MILIT.
ARMAT. SIMPLAR. ANN.
XVI VIX. ANN. XXXIII
H. S. E.

Romæ, in Quirinali.

T. FL. SATVRNINO SESQVI
PLICI EX NVMERO EQVIT.
SINGVLARIVM AVG. CLAVD.
VIRVNI TVRMAE MACEDONIS
MIL. AN. XXI. VIX. A. X....
FACIENDVM CVRAVER.
SEXTILIVS AMIC........

Exscripsi.

Armaturæ *Simplares quæ singulas* annonas consequuntur: Duplares quæ duplas, ut supra diximus: *Sesquiplares* unam & semis, hoc est denarium unum semis pro diurno stipendio. Hi & hic Sesquiplices dicuntur.

Speculator.

Romæ, in Palatio Justiniani.

D. M.
M. AVR. VRSI SPE
CVLATOR. COH. IIII
PR. PV. PERVINCIVS
PEREGRINVS HERES
CONTIBERNALI BE
NE MERENTI FECIT

Exscripsi.

Speculator, inquit Festus, *ab Exploratore hoc distat, quod Speculator hostilia silentio perspicit, Explorator parata clamore cognoscit.*

Tubicen.

Romæ, in Quirinali.

D. M.
P. AELIVS AVITVS
TRAIANOPOLI
TVBICEN EQ. SING. AVG.
TVRM. AELI LVCANI
NATIONE THRAX
V. A. XXXV. MIL. A. XV.
P. AELIVS AVRELIVS
HER. ET IVLIVS MAXIMVS
DECVRIO SECVS HER. OPTIMO
AMICO FACIEND. CVRAVER.

Ex Erudit. Fabretti schedis.

Tubicines, Cornicines & Buccinatores, qui tuba, vel ære curvo, vel buccina committere prælium solent. *Vegetius* l. 2. c. 7. Cuique Turmæ aut Manipulo sui fuere Tubicines, ut ostendit Casp. Bartholinus de Tibiis Veterum lib. 3. cap. 7. SECVS HER. videtur sculptum pro SECVNDVS.

Veteranus.

Romæ.

PRO SALVTE
L. ANTONI VETER. SABIN.
V. C. IVR. STVDI.
VOT. SOLVIT
C. ANTONIVS L. F.
CLEMENS VETER.
DED. XIIII KAL. MART.
SER. SERVIANO III ET
IVVENTIO VERO COS.

Ex sched. Barberinis.

De *Veteranis* fuse supra in Missicio Milite, & passim apud Hist. Rom. Scriptores.

Vexillarius, *seu* Vexillifer.

Niciæ.

SEX. SVLPICIO CL.
SABINO VEXILL. COH. I. L.
L. F. HISCR. GRATINI I. L.
L. T. H. M. H. S.

Ex Histor. Provinc.

Ut Signum Cohortis, ita *Vexillum* Centuriæ erat. COH. I. L. Est *Cohors prima Ligurum*. H. M. H. S. *Hoc monumentum heredes sequetur*. Alia quædam obscura, quæ nescio an recte descripta. Cæterum male apud Reinesium Syntagm. pag. 479. legitur EXTRA AVCTORITATEIS pro EXTRA AVTORATEIS.

Donatio sepulturæ Militibus Exauthoratis, aliisque quorum memoria infamis. Sassinæ.

BAEBIVS GEMELLVS
SASSINAS MVNICIPIBVS SINGVLEIS
INCOLEISQVE LOCA SEPVLTVRAE D. S. P.
DAT EXTRA AVTORATEIS ET QVEI
SIBEI LAQVEO MANVS ADTVLISSENT
ET QVEI QVAESTVM SPVRCVM PROFE
SSI ESSENT SINGVLEIS IN FRONTE
P. X IN AG. P. X INTER PONTEM
SAPIS ET TITVLVM SVPERIOREM QVEI *Fluviolus Sapis*
EST IN FINE FVNDI FAGONIANI
IN QVEIBVS LOCIS NEMO HVMA
TVS ERIT QVI VOLET SIBI VIVOS
MONVMENTVM FACIET IN QVEIB.
LOCEIS HVMATI ERVNT EI D. T. D. T. *Id est Dumtaxat.*
QVI HVMATVS ERIT POSTERISQ.
EIVS MONVMENTVM FIERI LICEBIT

Ex MS. Franc. Redi Serenis. Ducis Florent. Medici.

Citatur hæc ipsa Inscriptio in Historia Sassinensi, sed fracta & dimidia linearum parte decurtata; quæ tamen integra perlegi merebatur, cum antiquissima sit, ut conjicere licet ex antiquo scribendi modo EI pro I. Is autem Bæbius Gemellus pietatem suam testari voluit in eos qui alias sepulchro carebant, *Extraautboratis* nempe, sive Exauthoratis, id est, qui officio aliquo præcipue militiæ ob aliquod crimen privati fuerant: *Item iis qui sibi laqueo manum attulissent*, *& iis qui spurcum quæstum professi essent*, hoc est lenonibus & meretricibus, quibus locus solum concedebatur in quo monumentum sibi facere vivi poterant. Notandum in Manuscripto legi BAEBLIVS, sed corrigere non dubitavi BAEBIVS: fuit enim notissima familia *Bæbia*, at nulla *Bæblia*. Adde quod apud Gruterum pag. CCCXXIII. 3. citetur Inscriptio etiam Sassinæ, ubi mentio cujusdam Titi Bæbii Gemellini, qui forte ejus affinis diminutivo cognomine gaudebat. Ex *Gemello* enim fit *Gemellinus*.

Familiæ Bæbiæ ecce aliam Inscriptionem,

Ex Corsica Genuam translatam.

D. M.
C. BAEBIO MARINO
BAEBIVS MARTIALIS
ET BAEBIA PROBA
L. LIB. PATRI PIENTIS.

Ex Bocconi schedis.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO OCTAVA.

CÆSARUM IMPERATORUMQUE INSCRIPTIONES,

Præter eas quæ sparsim in aliis Sectionibus allatæ sunt.

Julii Cæsaris.

1
Astæ.

C. IVL. CAES. DOMITORI GALLIARVM
DICTATORI PERPETVO
TRIVMPHATORI S. P. Q. AST.
LAETITIAE ERGO ET HONORIS P. P.
L. D. D. D.

Ex Guichenon. Hist. Sabaud.

2
Astæ.

C. IVL. CAES. C. F. DE GALLIS ET
ALLOBROGIBVS TRIVMPHATORI
ASTENS. BENEFACTORI PIO INVICTO DIVO
LAETITIAE ET GRATI ANIMI ERGO
P. P. L. D. D. D.

Ex Guichenon. Hist. Sabaud.

Benefactorem suum Julium Cæsarem hic veneratur Civitas Astensis quæ ab eo in antiquo nummo COLOnia Julia Asta nominatur, sive illuc coloniam deduxerit Julius, sive Coloniæ privilegia oppido huic dederit. Non enim parvi momenti erat urbs ista, cujus in Sect. V. Geograph. mentionem facimus. L. D. D. D. *Locus datus decreto Decurionum* Statuæ sive qualicunque monumento in ejus honorem collocando.

Augusti.

1
Neapoli.

IMP. CAES. DIVI F.
AVGVSTVS PONTIFEX
MAXIMVS COS. XIIII.
TRIBVNIC. POTEST. XXXII
IMP. XVI PATER PATRIAE
MVRVM TVRRESQVE
REFECIT

Ex Summontii Hist. Neap.

2
Romæ.

IMP. CAESAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII
EX S. C.
TERMINOS POMERI
RESTITVENDOS CVR.

Ex sched. Card. Barb.

3
Romæ.

IMP. CAESAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIF. MAXIMVS TRIB.
POTEST. XXXIV
EX S. C.
FINIBVS POMERIVM AM
PLIAVIT TER. QVE

Ex sched. Barber.

4
Romæ.

APOLLINI
IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIIII. COS. XI. TR. POT. XVI
EX STIPE QVAM POPVLVS ROMANVS
KALENDIS JANVARIIS C. MAR
CIO CENSORINO ET C. ASINIO GALLO COS.

Ex sched. Barber.

5

Prope Constantinopolim, ad ingressum Ponti Euxini, in basi Columnæ quæ vulgo Pompeii dicitur.

CAESARI AVGVSTO
E. CL. ANNIDIVS
L. F. CLA. FRONTO

Exscripsi.

Opera quædam Augusti recensent tres priores Inscriptiones, MVROS Neapolitanos refectos, terminos Pomerii Romani restitutos, ampliatosque. Id enim curæ Cæsarum erat. Videsis amplum super hoc Commentarium Onuphrii Panvinii in suo Imperio Romano. In Inscript. quarta mentio fit stipis quæ Calendis Januariis Cæsari offerebatur, hoc est strenarum, quas ad Apollinis Statuam erigendam impenderat Augustus. In quinta intelligitur quam male hæc Columna vulgo vocetur Pompeii Columna, cum in honorem Cæsaris Augusti fuerit erecta, a Claudio Annidio Lucii filio Claudia Tribu Frontone.

Tiberii.

Jaderæ, vulgo Zara in Dalmatia.

TI. CAESAR DIVI AVG. F.
AVGVSTVS IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XX. COS. III.
DESIG. IIII LEG. XI
P. CORNELIO DOLABELLA
LEG. PR. PR.

Exscripsi.

Memoratur ab Historiæ Rom. Scriptoribus Publius Cornelius Dolabella qui Cæsarianarum fuit partium, deinde Consul cum Antonio, quique tandem Laodiceæ obsessus a Cassio seipsum interfecit. Hujus filius fuit ejusdem nominis Consul alius anno Urbis conditæ 763. & forte nepos iste Dolabella Legatus Augusti Pro-Prætore. Eandem supra citavimus in Sect. V.

Drusi Tib. filii.

Viennæ.

DRVSO CAESAR.
TIB. AVG. F. DIVI AVG.
NEPOTI DIVI IVL.
PRONEPOTI TRIB.
POTEST. II. COS. II

Exscripsi.

Romæ.

PLEPS. VRBANA. QVINQVE. ET
TRIGINTA. TRIBVVM
DRVSO. CAESARI. TI. AVG. F.
DIVI. AVGVSTI. N.
DIVI. IVLII. PRONEPOTI
PONTIFICI. AVGVRI. SODAL. AVGVSTAL.
COS. ITERVM TRIBVNIC. POTEST. ITER.
AERE. CONLATO

Exscripsi.

PLEPS sæpius scriptum in antiquis lapidibus pro *Plebs*. Plebs ita dicta a πλῆθος, *multitudo*, inquit Vossius in Etymologico Linguæ Lat.

Germanici.

Athenis.

GERMANICO
CAESARI TI. F. AVG. NEP.
Q. AVGVRI COS. DESIGNAT.
D. D.

Ex D. Vaillant.

Romæ.

PLEPS. VRBANA. QVINQVE. ET
TRIGINTA. TRIBVVM
GERMANICO. CAESARI
TI. AVGVSTI. F.
DIVI. AVGVSTI. N.
AVGVRI. FLAMINI. AVGVSTALI
COS. ITERVM. IMP. ITERVM
AERE. CONLATO

Exscripsi.

De XXXV. Tribubus Romanis vide Onuphrium Panvinium in Civitate Romana. Similis autem Inſcriptio utrique dedicatur, Druſo proprio Tiberii filio, & Germanico ejuſdem filio adoptivo: & forte vel Statua vel aliquod aliud publicum monumentum, ad quod æs ſive pecuniam contulerat Tribuum plebs univerſa.

Claudii.

Taurinis.

IN HOC
TI. CLAVDII DRVSI F. CAES. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS.
DESIGN.

Ex Guichenon Hiſt. Sab.

Baveni, in Comitatu Mediolan.

TROPHIMVS
TI. CLAVDII CAES.
AVGVSTI
GERMANICI SER.
DARIAE ET DIANAE
MEMORIAE
ET TARPEINE SACRVM

Ex ſched. Peiresk.

IN HOC; reponendum ni fallor IN HON. *In honorem*. Scatent enim erroribus Inſcriptiones a Guichenone relatæ.

Neronis.

In pago Luc Forojul. ad viam Aureliam.

NERO CLAVDIVS
DIVI CLAVDI F.
GERMANICI CAESAR.
N. TI. CAES. AVG. PRO
NEP. DIVI AVG. ABNEPOS
CAESAR. AVG.
GERMANICVS PONTIFEX
MAX. TR. POT. IIII IMP. ITER.
COS. III. P. P. RESTITVIT

Ex ſched. Peiresk.

Viæ Militaris Aureliæ in Gallia Narbonenſi reſtitutionem indicat hic lapis, in illa ipſamet via ad modum Milliarii erectus.

Galbæ, Othonis & Vitelii.

Galbæ Inſcriptio unica apud Gruterum reperitur, Othonis nulla, Vitelli etiam unica: neutrorum vero ne quidem unam reperire potui. Raritatis earum cauſa eſt breve admodum imperium: vix enim hi tres annum ſimul explerunt.

Veſpaſiani.

Taurinis.

IMP. CAESAR. VESPASIANVS
AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS
TRIB. POTEST. COS. III
COS. DESIGN. IIII

Ex Guichenon.

Elegantem aliam Vespasiani Inscriptionem vide infra inter Marmora Græca Thyatirena: in qua viarum ab eo restitutio notatur, quarum gratia forte & hæc posita fuerat.

Nervæ.

Romæ.

SERGIAE LAENATISAE PLAVTILLAE
MATRI IMP. NERVAE CAES. AVG.

Ex sched. Barber.

Incognita est Historiæ Romanæ Scriptoribus Mulier ista Nervæ Imperatoris mater. Hujus Augusti vide Inscriptionem superius.

Trajani.

Epistylium in hortis Barberin. Romæ.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF. MAX.
TRIB. POT. XII. IMP. VI. COS. V. PROPAGATORI
ORBIS TERRARVM LOCVPLETATORI CIVIVM CVLTORES LARVM ET
IMAGINVM DOMVS AVGVSTI SOLO PRIVATO SVA PECVNIA FECERVNT

Exscripsi.

Magnificos titulos quibus hic decoratur Trajanus observare est, *Propagatoris Orbis terrarum & Locupletatoris Civium*; sicuti successor ejus Hadrianus, *Restitutor* & *Locupletator Orbis terrarum* in nummis vocatur. De Laribus dixi supra Sect. III. num. XCV. Videtur autem fuisse Confraternitas sive Collegium quoddam *Cultorum Larum & Imaginum Domus Augusti*, qui suis impensis in Collegii *privato solo* Ædiculam aliquam Trajano erexerant, cujus dumtaxat superstes hoc Epistylium.

Hadriani.

Romæ.

IMP. CAES. TRAIAN. HADR.
AVG. COS. EX STRATIONE. MARM.
RHOD. NVM. CCX L. IVNI VRVASI

Ex sched. Barber.

Posita, ni fallor, Inscriptio in memoriam alicujus pavimenti *ex stratione marmoris Rhodii*, in Æde sacra aut ædificio publico Imperante Hadriano, *Lucii Junii Urvasi* cura seu impensis.

Marci Aurelii & Lucii Veri.

Mediolani.

IMP. CAESARI
L. AVRELIO VERO AVG.
ARMENIACO MEDICO PARTHICO
MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VIII
COS. III P. P. DIVI ANTONINI PII F.
DIVI HADRIANI NEPOTI DIVI
TRAIANI PARTHICI PRONEPOTI
DIVI NERVAE ABNEPOTI DEC. DEC.

Ex D. Vaillant.

Marci

Marci Aurelii Inscriptionem retuli supra in qua mendum corrige typographicum COH. I. CXↃ, & repone COH. I. COↃ. id est, *Cohors prima Milliaria*, de qua Cohortis cognominatione dixi paulo superius.

In urbe Tripoli Africæ, in Arcu Triumphali.

IMP. M. AVRELIO ANTONINO AVG. P. P. ET IMP. CAES. L. AVRELIO
VERO ARMENIACO AVG.
SER. CORNEL. SCIPIO OREITVS PROCOS. CVM VTTEDIO MARCELLO
LEG. SVO DEDICAVIT
C. CALPVRNIVS CELSVS CVRATOR MVNERIS PVB. MVN. AERAR.
IIVIR Q. Q. FLAMEN PERPETVVS
ARCVM PECVNIA SVA CONSTRVEND. CVR. ET MARMORE SOLIDO
FECIT

Ex D. Girard schedis.

Elegantem hanc Inscriptionem debemus D. Girard Copiarum Helveticarum Chirurgo, qui absoluta in his Africæ oris peregrinatione nobis Tripolitani Regni historiam & descriptionem adornat, ubi hujus Arcus typum exhibebit. Observavit ille hanc urbem quæ nunc Tripoli vocatur, non aliam esse ab ea quæ Plinio & Melæ Oea nuncupatur: ibique nonnulla alia Antiquitatis monumenta descripsit. OREITVS videtur sculptum pro ORFITVS, ut in Fastis nominatur Consul Lucius Cornelius Scipio Orfitus: verum & in alia Inscriptione Romana, quæ etiam apud Gruterum citatur, ad lapidem distincte me legisse itidem memini OREITVS: ita ut utroque modo scriptum fuisse hoc cognomen inde conjicere liceat.

Commodi.

Romæ, in Thermis Antoninianis.

DIVO COMMODO DIVI PII F.
COH. VII. VIGIL. L. ANTONIVS AVRELIANVS
PRAEF. M. VIBIVS VRBICVS 7 M. AVRE
LIVS SECVNDVS AIYRON 7 M. COMINIVS
DEXTER 7 L. AVRELIVS FVLVIANVS 7.
T. FLAVIVS SABINVS 7 M. AVRELIVS
APHRODISIVS SIGN.

Romæ.

PRO SALVTE
IMP. CAES. AVGVST.
M. AVRELIO COMMODO
M. AVRELIVS M. L. FAVO
RINVS CVRTIA FA
VORINA V. S.

Ex sched. Barber.

7 ut diximus, sive nota aliqua non admodum diversa *Centurionem* denotat. SIGN. est *Signifer* Cohortis.

Severi, Caracallæ & Juliæ.

1

Romæ.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO. PERTINACI
AVG. P. M. TRIB. POT. III DES. IIII COS. II
ARABICO ADIABENICO FRATRI ARVALI

Ex Episc. Suaresii Explicat. Arcus Severiani.

2

Romæ.

DIANAE SACRVM
PRO SALVTE IMP. L.
SEPTIMII SEVERI
ET M. AVRELI ANTONINI
AVG. ET IVLIAE AVG. MATRIS CAS (TRORVM
ET SENATVS
CVR. A. FVRIVS NIGRINVS D. D.
N.N. PROC. XXXXXX

3

Albani.

IMP. CAES. L. SEPT. SEVER. PII PERT. AVG.
PARTH. ET IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINI
PII FELIC. AVG. PARTH. MAX. BRITANN.
MAX. P. P. ET IVLIAE AVG. MATR. AVG.
N. ET SENAT. ET PATRIAE ET CASTR.
MINERVAE AVG. SACR.
DASIMIVS FIRMAN. CORN. LEG. ET AVR.
VICTORIN. ACTAR. CVM IMM. LIB.
EX EXACTIS VOT. M. F.

Ex Suaresio.

4

Ibid.

LVNAE AETER. SACR.
PRO SALVTE
IMPER. CAES. L. SEPTIM.
SEV. PII INVIC. PRIN.
PONT. MAX. P. P.
IVL. BALBILLVS IVL. F.
ANVLLINVS
PRAEF. VIGIL. V. S. L. M.

Ex sched. Barber.

5

In Castello de Monfalcon Sabaudiæ.

. . . .
IVLIAE AVG. MA
TRIS CASTRORVM
SEPTIMIVS HO
NORATVS PROC.
AVGG. ET CAES.

Ex Guichenon, qui tamen eam incorrectissime citat.

6

Ardeæ.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS FELIX
(COS. P. P.
PONT. MAX. GERM. MAX. TRIB. POTEST. IIII. IMP. V. COS. PRO
ET M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS GERM. MAX.
DACICVS MAX. PRINCEPS IVVENTVTIS
(ENTIBVS
LITVS VICINVM VIAE SEVERIANAE ADSIDVIS MARIS ADLV
FLVCTIBVS ADLABEM RVINAE LABEFACTATVM AGGERIBVS
MARINI OPERIS IN FVNDAMENTIS VT PERICVLVM
COMMEANTIBVS ABESSET EXTRVI CVRARVNT

Ex Episc. Suaresii Explic. Arcus Severiani.

Notanda præcipue tertia Inscriptio quæ Juliam matrem Augusti nominat, nempe Antonini cognomento Caracallæ, quæ controversiam inter Historicos dirimit, quorum alii ipsam Caracallæ Matrem fuisse volunt, alii tantum Novercam. Prioris sententiæ fautores sunt Dio Cassius & Philostratus coætanei, posterioris vero Spartianus, Eutropius & Aurelius Victor. *Julia Tarantis mater cognita filii cæde*, inquit Dio. Tarantes fuit aliud hujus Cæsaris cognomen. *Inerat ei malitia matris Syrorumque*, ait idem Autor; Julia enim natione Syra fuit. *Sed cum diu frustra mater* (Julia) inquit Herodianus, *discordantes fratres conciliare vellet* (Caracallam & Getam) *Terram quidem & mare, o filii, jam invenistis quo pacto dividatis: matrem vero quonam modo dividetis.* Tandem Suidas in Carac. *Cum enim eos in se & matrem dicteria jecisse cognovisset*, &c. *Matrem* enim *ejus*, Herodiano teste, *Jocastam appellabant*, quod putarent nempe ipsam filio suo Caracallæ nupsisse.

Columna duobus Milliaribus a Sidone, Tyrum versus.

IMPERATORES
CAESARES
L. SEPTIMIVS SE
VERVS PIVS PER
TINAX AVG. ARA
BICVS ADIABENIC.
PARTHICVS MAXI
MVS TRIBVNICIA

Fragmentum Columnæ, ibidem.

. . . .
ET VIAS ET IMPERIVM
PROVINCIAE SYRIAE
RENOVAVIT
. . . .
VENIDEVM RVFFVM

Ex sched. Peiresk.

POTEST. VI. IMP. XI. COS. II.
PROCOS. P. P.
ET M. AVREL. ANTONI
NVS AVG. FILIVS EIVS
VIAS ET MILLIARIA
PER Q. VENIDIVM RVFFVM
LEG. AVG. PR. PR. PRAE
SIDEM PROVINC. SYRIAE
PHOENIC. RENOVAVERVNT
I I

Ex schedis Peiresk.

Columnam Milliariam sive Milliarium hic habemus, & quidem II. hoc est *Secundum* a Sidone, Imperantibus Severo & Caracalla *per Quintum Venidium Ruffum Legatum Augusti Proprætore*, &c. restitutum. Alias Severi & Caracallæ Inscriptiones vide Sect. 5. Sed hujus ecce iterum aliquas.

Marci Aurelii Caracallæ.

Frascati in horto Borghesiano.

IMP. CAES. M. AVRELIO AN
TONINO PIO FELICI AVG.
PRINCIPI IVVENTVTIS NV
MINI PRAESENTI RESTITV
TORI ET CONSERVATORI
SEMPER VITAE ADQVE
DIGNITATIS SVAE
DEVOTISSIMVS NVMI
NI EIVS
A. AEMILIVS MACER FAVSTINIA.
V. C.

A Latere.

DEDIC. XVIII KAL.
SEPTEM. λ
CATIO SABINO ET CORNE
LIO ANVLINO COS

Exscripsi.

Romæ.

SALVIS
DOMINIS
N. N. ANTO
NINO AVG.
ET IVLIA
FELIX RVFINVS
LVPERCILIA

Exscripsi.

Mira sane & rara hæc adulatio qua Aulus Æmilius Macer Caracallæ *Numinis præsentis* elogium tribuit. Est autem anni a Nativitate Christi 216. hæcce Inscriptio, ut pote sub Consulatu Sabini & Anullini sculpta, quorum prior in Fastis Capitolinis Q. Aquilius Sabinus nominatur.

Panhormi.

IMP. CAESARI
M. AVRELIO ANTONINO
AVG. TRIB. POT. PROCOS.
IMPERATORIS CAESARIS L.
SEPTIMI SEVERI PII PERTINACIS
AVG. ARABICI ADIABENICI PARTHICI
MAXIMI FILII DIVI M. ANTONINI

In urbe maritima Africæ Regni Tunetani, quæ nunc Biserta.

IMP. CAESAR
M. AVRELIVS
ANTONINVS PIVS AVG.
PARTH. MAX. BRIT. MAX.

PII GERMANICI SARMATICI NEPOTI
DIVI HADRIANI ABNEPOTI
DIVI TRAIANI PARTHICI ET DIVI
NERVAE ADNEPOTI INDVLGENTISSIMO
ET CLEMENTISSIMO PRINCIPI DOMINO N̄.
MAESIA FABIA TITIANA
C. F. ET
MAESIVS FABIVS TITIANVS
C. F.

Ex Gualthero.

GERM. MAX.
TRIB. POT. XVIIII
COS. IIII P. P.
RESTITVIT
X X

Ex Peiresk. schedis.

Frequens est in antiquis monumentis adulandi modus per Parentes, Avos, Majoresque Cæsarum, ut hic Mæsia & Mæsius, soror & frater, Antonino Caracallæ bonorum parentum pessimo filio.

Inter Berytum & Tyrum, In rupe excisa viæ causa, ad ostia fluminis Lyci.

INVICTE IMP. ANTONINE
PIE FELIX AVG.
MVLTIS ANNIS IMPERES
. . . .

Et infra.

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS
ANTONINVS PIVS FELIX AVGVSTVS
PARTH. MAX. BRIT. MAX. GERM. MAX.
PONTIFEX MAXIMVS
MONTIBVS IMMINENTIBVS
LYCO FLVMINI CAESIS VIAM DELATAVIT
PER A. . . . .
ANTONINIANAM SVAM

Ex schedis Peiresk. & Ant. Soderini Nobilis Veneti, qui vidit.

Fluvius hic ab Arabibus nunc vocatur *Nar-kelb*, quasi Fluvius canis, ob magni canis, ut ajunt, Statuam lapideam, quæ illic ad mare dejecta cernitur. At nonne potius Lupi est hæc Statua; inter canem quippe & Lupum non magnum est discrimen? Sicque Fluvii typus & idolum antiquum esset. *Lycus* enim Græcis, idem ac Latinis *Lupus*. Cæterum notanda venit prior Inscriptionis pars in vocativo, *Invicte Imp. Antonine*, &c.

Getæ.

Romæ.

L. SEPTIMII GETAE
SAECVLARIA
SAECVLI FELICITAS
P. PETRONIVS FAVSTVS
AVGVR.

A Latere ejusd. marm.

IMP. CAESARIS L.
SEPTIMII SE
VERI PERTINACIS
AVGVST.
LAETITIAE
TEMPORVM
P. PETRONIVS FAVSTVS
AVGVR

Ex sched. Barber.

Sæcularia sacra exhibent Getæ & Severi nummi perrari, in quibus Imperator ad Templum cum aliis sacrificat. *Sæculi* etiam *Felicitas* itidem in nummo in quo congiarium cum patre & fratre populo largitur. *Lætitia* vero *temporum* in Pertinacis numismate, ab ejus successore Severo, quasi eam Imperio procurasset, adoptari videtur.

Gordiani Pii.

Romæ.

VENERI SACRVM
PAVLLVS L. L. AEGIVS PASSER *Lucii Libertus*
IIIVIR. A. A. A. F. F. PROCVRAT.
PATR. IMP. CAES. GORDIAN.
AVGVST.
VOTO SVSCEPTO L. M. *Lubens Merito*

Ex sched. Barber.

IIIVIR. A. A. A. F. F. *Triumvir* Monetalis *Auro Argento Ære flando feriundo:* cujus Officii in antiquis nummis passim mentio fit.

Philippi.

Florentiæ, Columna in Palatio magni Ducis.

IMP. CAES.
M. IVLIVS PHILIP
PVS INVICTVS PIVS
FELIX AVG. PONT.
MAX. TRIB. POT. COS.
DESIG. P. P. PROCOS. ET
M. IVLIVS PHILIPPVS
NOBILISSIMVS CAES.
PRINCEPS IVVENTVTIS
. . . ILIA . . . .

Exscripsi.

Supplenda ultima linea MILLIARIVM Posuit *primum*, *secundum* aut *tertium*. Est enim Columna Milliaria, itinerum distantias passuumque milliaria designans.

Trajani Decii & Herennii Etrusci.

Florentiæ in Palatio.

IMP. CAES. C. MESSIVS
Q. TRAIANVS DECCIVS
INVICTVS PIVS FELIX AVG.
P. M. TRIB. P. COS. II. P. P. PROCOS.
ET. Q. HERENNIVS ETRVSCVS
MESSIVS DECCIVS CAESAR
. . . .

Exscripsi.

DECCIVS in utriusque nomine pro DECIVS sculptum: fabrili nempe errore, repugnantibus omnibus nummis, & Inscriptionibus aliis permultis.

Treboniani Galli.

Romæ, in Thermis Antoninianis.

IMP. CAES. VIBII....
GALLI AVGVST....
L. IVNIVS VALIDIANVS VIR. CL.
PRAEF. VRB. STAT. EX AER.
...VOLVNT. AVG. NOST.
CVM BAS. SVA MARMOR. IIIIII

Ex sched. Barber.

Claudii Gothici.

Romæ ad campum Floræ.

APOLLINI INVIC.
EX VOTO PRO SAL.
D. N. P. CLAVDI AVG.
FLORENTISSIM. PRINC.
C. IVLIVS SCYLLEROS V. C.
AVG. N. PROC.
V. CVR.

Ex schedis Barber.

Tetrici.

Rhotomagi, in basi.

C. PESVBIO
TETTRICO
NOBILISSIMO
CAES.
P. F. AVG.
L. I.

Ex D. Vaillant.

L. I. Lapidem seu Milliarium *primum*, Tetrico imperante, in illis partibus positum indicat.

Diocletiani.

Romæ.

IVNONI REGINAE
SACRVM
PRO SALVTE
D. N. DIOCLETIAN. INCLYTI

PRINCIP. SEMP. AVG.
PINIVS PAVLLVS SECVNDVS
VIR. CLAR. PRAEF. VRB.
IVDEX SACRARVM COGNITIO
NVM. VOLVNT. EIVS. CVR.

Exscripsi.

Constantini, Constantii & Constantis.

1

Mazaræ in Sicilia.

CLEMENTISSIMO ET
VICTORIOSISSIMO
D.N. FLAVIO VALERIO
CONSTANTINO MAXIMO
PIO FELICI INVICTO AVG.
BETITIVS PERPETVVS
V.C. CORR. PROV. SICIL.
DEVOTVS NVMINI MAIES
TATIQVE EIVS
SEMPER DICATVS

Ex Gualthero.

2

Thermis quæ hodie Sacca Siciliæ urbs.

PRO BEATITVDINE
TEMPORVM DD. NN.
CONSTANTI ET
CONSTANTIS AA. VV. CC.
STATIONEM A SOLO FECE
RVNT VITRASIVS ORFITVS ET FL.
DVLCITIVS VV. CC. CONSVLARES
P. S. INSTANTE FL. VALERIANO
DVCENARIO AGENTE IN REB. ET P. P. CVRSVS
PVBLICI

Ex eodem.

STATIO, Stativa præsidia ubi pars exercitus consedit. *Tacit.* ORFITVS Præfectus Urbi sub Constantino, *Ammian. Marcellin.* DVLCITIVS fuit Tribunus & Notarius Imperialium jussionum adversus Donatistas. *Augustin.* 2. *Retract.* P. S. putat Gualtherus id significare *Provinciæ Siciliæ*. DVCENARIO id est ducentesimæ Collectore. *Sueton. Turneb.* AGENTE IN REBVS. Agentes in rebus sub Valentiniano, Gratiano & Theodosio memorantur in Novella Theodos. item apud Ammian. Cassiodor. & Hieronymum. P. P. CVRSVS PVBLICI Præposito Cursus publici: Symmachus Cursuales Præpositos vocat. Codex Theodos. *Usurpationem cursus publici penitus jussimus amputari.* Plura vide apud Salmas. Hist. Augustam ad Antonin. Pium.

Licinii.

Panormi.

RESTITVTORI LIBER
TATIS AC FVNDATORI
PVBLICAE SECVRITATIS
D.N.L. VALERIANO LICINIO
PIO FELICI INVICTO AVG.
DOMITIVS LATRONIANVS V.C.
CORR. P. S. DEVOTVS N.M. EIVS

Ex Gualthero.

CORR. Corrector. P. S. quid sit divinari difficile foret, nisi lapis in Sicilia esset. Est igitur *Provinciæ Siciliæ*.

Iuliani.

In villa D. du Teillan Civis Monspeliensis.

IMP. CAES.
FL. CLAVDIO
IVLIANO
VICT. AC TR. *Victori ac Triumphatori*
PIO FELIC.
SEMP. AVG.

Exscripsi.

Gratiani.

In pago Moerent, 3. mill. a Gratianopoli.

DIVO GRATIANO
TYRANNIDE VINDICATA
THEODOSIVS ET VALENTINIANVS
AVGG. EX VOTO P.P.

Ex Præsid. de Boissieu Miscellis.

Valentiniani & Valentis.

Romæ, in villa Justiniani.

D.D.N.N. VALENTINIANVS
ET VALENS AVGVSTI
ORNATVI PVBLICO
CONSTITVI LOCARIQVE
IVSSERVNT
ADMINISTRANTE RVFIO
VOLVSIANO V.C. EXPRAEF.
PR. PRAEF. VRBI IVD.
ITERVM.........COS

Exscripsi.

Romæ, in horto Barberino.

SALVIS DDD. NNN.
GRATIANO VALENTINIANO ET THEODOSIO
VICTORIBVS SEMPER AVGVSTIS
VALERIVS ANTHIDIVS V. C. AV. PRAEF. PRAET.
STABVLVM NE ANIMALIA CVRSVS PVBLICI
LONGI ITINERIS LABORE DIVTIVS DEPERIRENT
PROVIDIT CONSTITVIT AEDIFICAVIT
ADQVE DEDICAVIT IVDIX MEIS
CVRANTE FL. ASTERIO DEPVTATO

Exscripsi.

IVDIX MEIS: Mendum forte Lapicidæ pro IV IDVS MAII

Justinus

Iustini Curopalatæ.

Nisibi in Asia prope Pontem non longe ab urbe.

IVSTINO IMPERATORI DILECTISSIMO
EXERCITVS EIVS ORIENTIS GENTEM BARBARAM
E CVRRV STATVARIO CAVTIONEM AD GLORIAM
CONSTRVXIT

E Libro cui titulus l'Illustre Pelerin, *D. Rigordi Jesuit. ann. 1673. edito.*

Zenonis & Theoderici.

Romanellæ, in æde D. Adriani.

† SALVIS DOMINO NOSTRO ZENONE
AVGVSTO ET GLORIOSISSIMO REGE
THEODERICO VALENTINIANI V. C. ET INL.
EX COM. DOMESTICO SACRI PALATII
IN ATRIO LIBERTATIS......
QVAE VETVSTATE....,
VE CONFEC......,

Ex Celsi Cittadini libro, & Peiresk. schedis.

Ibidem.

SALVO D. N. THEODERICO
REGE GLORIOSISSIMO

Ex iisdem.

Desiderii Regis Languobardorum.

In Castello di Falerone.

† IN DI NOMI VVIVANTE DOMINO NOSTRO DESIDERIO
, . IMO EXCELL. REGE ANNO PIETATIS ... VG. IN DI NOM
TERZODECIMO GENTIS LANGVOBARDORVM BENIGNE REGNANTE
DOMINO NOSTRO ... ELCHIS FILIO EIVS ANNO FELICISSIMI REGNI EIVS
XPI NOM. VNDECIMO SEO TEMPORI P.....
TAS BVNI CIVITATI FIRMANE MENSE
IANVARIO INDICTIONE OCTAVA IN HVNC ARCA
VOLVET FECI PRO SE SVIQVE OMNIVM

Ex schedis Peireskii.

ADDEMVS & alia Marmora quæ quidem Cæsarum non præferunt nomen, sed iis imperantibus sculpta sunt, Consulum, Proconsulum, aliorumque.

Florentiæ.

TI. CLAVDIO NERONE
P. QVINTILIO VARO
CONSTITVTVM EST

Exscripsi.

Videtur finis esse alicujus Senatusconsulti dati Tiberio Claudio Nerone & Publio Quintilio Varo Consulibus, regnante Cæsare Augusto.

Æneæ duæ Tabulæ Pompejopoli vulgo Pampelonne.

1

NERONE CLAVDIO CAESARE
AVG. GER. II.
CAESIO MARTIALE COS.
VIII
IDVS DECEMBRIS CIVITAS POM
PEIONENSIS HOSPITIVM RENOVA
VIT CVM L. POMPEIO L. F. ANI.
PRIMIANO
IN FINE ANNI PRIMIANVM
LIBERIS POSTERISQ. SVIS
EGERVNT LEG. SEX.
POMPEIVS NEPOS SERGIVS CRES
CENS

2

CLAVDIVS QVARTINVS
IIVIRIS POMPEI. SALVTEM
ET IVS MAGISTRATVS VESTRI
EXEQVI ADVERSVS CONTVMACES
POTESTIS ET NIHILOMINVS QVI
CAVTIONIBVS ACCIPIENDIS DE
SVNT SCIANT FVTVRVM VT NON
PER HOC TVTI SINT NAM ET NON
ACCEPTARVM CAVTIONVM PERI
CVLVM AD EOS RESPICIET ET QVID
QVID PRAESENTES QVOQVE EGERINT
ID COMMVNIS ONERIS ERIT BENE
VALETE DAT. NON. OCTVBRIS CA
LLAGORI IMP. CAES. TRAIANO
HADRIANO AVG. III. COS.

Ex Oihenart Notitia Vasconiæ.

Nero Claudius Cæsar fuit Consul II cum Lucio Calpurnio Pisone. An ergo Cæsius Martialis fuit suffectus? *Civitas Pompeionensis* eadem est quæ Pompeiopolis Hispaniæ. Male, ni fallor, Oihenart legit in prima L. POMPEIO I F. ANI PRIM. IANO.

Tabula ænea, Romæ, olim in Museo Card. de Maximis.

M. LICINIO CRASSO
L. CALPVRNIO PISONE
IIII K. MAIAS
GENTILITAS DESONCORVM EX GENTE ZOELARVM
ET GENTILITAS TRIDIAVORVM EX GENTE IDEM
ZOELARVM HOSPITIVM VETVSTVM ANTIQVOM
RENOVAVERVNT EIQVE OMNES ALIS ALIVM IN FI
DEM CLIENTELAMQVE SVAM SVORVMQVE LIBERO
RVM POSTERORVMQVE RECEPERVNT EGERVNT
ARAVSA BII. CAENI ET TVRAIVS CLOVTI. DOCIVS FLAESI
MAGILO CLOVTI BODECIVS BVRRALLE LAESVS CLVTAMI
PER ABIENVM PENTILI MAGISTRATVM ZOELARVM
ACTVM CVRVNDA
GLABRIONE ET HOMVLIO COS. V. IDVS IVLIAS
IDEM GENTILITAS DESONCORVM ET GENTILITAS
TRIDIAVORVM IN EANDEM CLIENTELAM EADEM
FOEDERA RECEPERVNT EX GENTE AVOLGIGORVM
SEMPRONIVM PERPETVVM ORNIACVM ET EX GENTE
VISALIGORVM ANTONIVM ARQIVM ET EX GENTE
CABRVAGENIGORVM FLAVIVM FRONTONEM ZOELAS
EGERVNT
L. DOMITIVS SILO ET
L. FLAVIVS SEVERVS
ASTVRICAE

Exscripsi.

Hoſpitalitatis ſive patrocinii renovationem ſignat hæc Tabula inter quaſdam Hiſpaniæ gentes, ſive oppidulorum quorundam cives, & nonnullos nobiles Romanos, ſub Conſulatu Marci Licinii Craſſi & Lucii Calpurnii Piſonis Imperante Tiberio. Similes duas vide apud Reineſium pag. 477. iiſdem Conſulibus. Notas conferat & aptet cui plus erit otii, & eruditionis.

Salonæ in Græcia, quæ olim Amphiſſa.

DECIM. SECYNDINYS Y. C. PROCONS.
CYRAT. ET DEFENS. AMFISSENSIVM
SALYTEM YT MEMINI NON REPYRGARI
MODO AQYEDYCTYM YERYM ETIAM
INDYCI AQYAM IVSSERAM CONFESTIM
IGITYR IN YETERES CISTERNAS AQVA
YT SEMPER CYCYRRERAT INDYCATYR
GRATIAS AGENTES BEATITYDINI TEMPO
RIS ET MODERATIONI MEEHE SPERIO
QYOD FYNDYS QYI AQYAM PYBLICAM
OCCYPAYIT PYBLICYS NON FIT SANE SI
SIMILIS INTERCEPTIO ITERYM FIERI
POSSIT IN CISTERNIS IPSIS LAPIDEO
TITYLO POSITO YNDE AQVA YENIAT
ADSCRIBERE YT NYLLA INYADENDI
PYBLICYM RELINQYATYR OCCASIO ME
MORES ERITIS PERFECTA MANEANT
OMNIA ANTE DIEM DECIMYM KALEN
DARYM IANYARIARYM YOS AD OFFI
CIYM NYNTIARE DEBERE OPTO
BENE YALEATIS

Exſcripſi.

Obſervatur in Faſtis Conſularibus Secundinus Conſul Orientis, eodem tempore quo Felix Conſul Occidentis erat, imperante Anaſtaſio, anno Chriſti DXI. Videtur idem fuiſſe *Secundinus*, qui hic Achaiæ Proconſul. A Proconſulatu quippe facile ad Conſulatum evehebantur. Conveniunt enim tempora quibus ſculptus judicatur lapis. E rotundis, prava orthographia, & his literis V. C. *Vir Clariſſimus*, non obſcure deſignantibus ſequiorem ætatem circa ſæculum quintum. Cæterum notandum hanc Inſcriptionem a Grutero inter ſpurias fuiſſe collocatam, forte quia male correcta & inintelligibilis ipſi tradita erat, tum etiam quia a Cyriaco Anconitano, quem multi ſubleſtæ fidei fuiſſe putarunt, Eruditis prodita fuerat. Verum ipſemet qui ad lapidem exſcripſi eam pro antiqua capere neutiquam dubito. At, inquies, Amphiſſa, quo tempore ſculptum hocce præſupponitur marmor, urbs erat a longo tempore diruta, ut Hiſtorici teſtantur: quo pacto igitur mentio Amphiſſenſium? Ad quam difficultatem regero fuiſſe quidem una vice dirutam, ſive tunc plane everſa ac deleta non ſit, ſive poſtea reſtituta fuerit. Quorſum enim ejus antiquitates, atque Templa deſcriberet curioſus Græciæ luſtrator Pauſanias, ſi fuiſſet ſolo æquata? Stabat ergo, & ſtat adhuc, etſi celebritate minuta, ſub Salonæ nomine, uti pluribus docuimus in noſtro Græciæ Itinerario.

Tabula ænea, Imperante Alexandro Severo, ſculpta,

L. MARIO. MAXIMO. ĪĪ

M. ANTONIVS. PRISCVS. L. ANNIVS.

NOMINA. DECVRIONVM. IN AERE. INCIDENDA.

PATRONI C.C. V.V.

APP. CLAVDIV	S	IVLIANV	S
T. LORENIV	S	CELSV	S
M. AEDINIV	S	IVLIANV	S
L. DIDIV	S	MARINV	S
L. DOMITIV	S	HONORATV	S
M. ANTONIV	S	BALBV	S
M. STATIV	S	LONGINV	S
L. PONTIV	S	VERV	S
C. BETITIV	S	PIV	S
C. CAVIVIV	S	MAXIMV	S
C. FVRIV	S	OCTAVIANV	S
L. BRVTTIV	S	PRAESEN	S
C. BRVTTIV	S	CRISPINV	S
. . . . , . . .		. . . .	
C. IVNIV	S	NVMIDIANV	S
M. PAPIRIV	S	CANDIDV	S
L. CAECILIV	S	MAXIMV	S
Q. CAELIV	S	FLAVIANV	S
L. LVCILIV	S	PRISCILLIANV	S
L. PONTIV	S	BASSV	S
L. PONTIV	S	MAVRICV	S
M. ANTONIV	S	CRISPINV	S
TI. IVLIV	S	LICINIANV	S
C. SVLPICIV	S	ARRENIANV	S
C. LICINIV	S	LICINIANV	S
L. VALERIV	S	TVRB	O
L. FLAVIV	S	LVCILIANV	S
P. MARCIV	S	MAXIMILIANV	S
M. STATIV	S	PATRVINV	S
M. STATIV	S	LONGINVS.	IVN.
M. VALERIV	S	TVRB	O.IVN.

PATRONI E.E.Q.Q.R.R.

P. GERELLANV	S	MODESTV	S
T. LIGERIV	S	POSTVMINV	S
T. MVNATIV	S	FELI	X
T. FLAVIV	S	CROCALIANV	S
C. GALBIV	S	SOTERIANV	S
T. AELIV	S	RVFV	S
T. AELIV	S	FLAVIANV	S
Q. COELIV	S	SABINIANV	S

QVINQVENNALICII

T. LIGERIV	S	POSTVMINV	S
T. ANNAEV	S	RVFV	S
L. ABVCCIV	S	PROCVLV	S
T. AELIV	S	RVFV	S
T. AELIV	S	FLAVIANV	S
M. ANTONIV	S	PRISCV	S
L. ANNIV	S	SECVNDV	S

ALLECTI INTER QVINQ.

C. GALBIV	S	SOTERIANV	S
L. ABVCCIV	S	IVLIANV	S
C. SILIV	S	ANTHV	S
P. AELIV	S	VICTORINV	S

ĪĪ VIRALICII

A. CAESELLIV	S	PROCVLV	S.ĪĪ.
L. FAENIV	S	MEROP	S.ĪĪ.
L. ABVCCIV	S	MAXIMIANV	S
Q. IVNIV	S	ALEXANDE	R.ĪĪ.
M. AEMILIV	S	MARCELLV	S
C. IVLIV	S	HOSPITALI	S
L. MARCIV	S	FORTVNATIANV	S
C. FVLVIV	S	SATYRV	S
P LIBVSCIDIV	S	VICTORINV	S
Q FABIV	S	FELICISSIMV	S
T. AELIV	S	ANTONIV	S
L. HERENNIV	S	ARESCVSIANV	S
T. CVRIV	S	SALVIANV	S
A. KANVLEIV	S	FELICISSIMV	S
P. SERGIV	S	BASSAEV	S
P. GRAECIDIV	S	FIRMV	S
M. ATHANIV	S	FELICISSIMV	S
C. VIBIV	S	OCTAVIANV	S
TI. CLAVDIV	S	ONESIMIANV	S
L. ANNIV	S	PIV	S
Q. IVNIV	S	ONESIPHORV	S
C. LVCRETIV	S	VENVSTV	S
A. FABIV	S	CASSIANV	S
L. TRICCIV	S	APOLLINARI	S
M. APRONIV	S	PRIMV	S
P. ESQVILIV	S	SILVANV	S
Q. IVNIV	S	RVSTICV	S
P. CLODIV	S	DASIMIANV	S
L. ABVCCIV	S	FELICIANV	S

& nuper in agro Cannusino reperta.

L. ROSCIO. AELIANO. COS.

SECVNDVS. II VIR. QVINQVENN.

CVRAVERVNT

AEDILICII

T. FLAVIV	S	CROCALIANV	S
C ENNIV	S	MARCIANV	S
SEX. TEDIV	S	PRISCV	S
P. GRAECIDIV	S	IVSTV	S
TI. CLAVDIV	S	CANDIDV	S
M. SERVILIV	S	HELIV	S
T. ARTORIV	S	MINERVALI	S
L. HERENNIV	S	CRESCEN	S
T. FLAVIV	S	MARINV	S
L. CLATIV	S	SECVNDINV	S
L. ABVCCIV	S	EVRYALV	S
P. MARCIV	S	CARPOPHORV	S
L. DASIMIV	S	PRISCV	S
Q. FABIV	S	THALAMV	S
TI. CLAVDIV	S	EVTYCHIANV	S
M. SEMPRONIV	S	SABINIANV	S
C. ENNIV	S	PRISCIANV	S
L. FAENIV	S	MEROP	S. IVN.
M. ANTONIV	S	VINDE	X
C. FVFIDIV	S	RVFV	S
T. POMPEIV	S	ALEXANDE	R
C. LVCRETIV	S	VENVSTV	S. IVN.
C. IVLIV	S	STACHY	S
M. ATHANIV	S	FELI	X
L. HERENNIV	S	CELSV	S
D. SATRENIV	S	SATRENIANV	S
T. POMPEIV	S	ATTALV	S
P. ESQVILIV	S	SILVANVS	(IVN.
TI. CLAVDIV	S	ONESIMIANVS.	
Q. IVNIV	S	MVSOGENE	S
P. RVTILIV	S	TERTVLLINV	S
TI. CLAVDIV	S	VERV	S
M. VLPIV	S	ANTHIMV	S
P. PVBLICIV	S	MAXIMV	S

QVAESTORICII

L. CEIV	S	ASCLEPIODOTIA	
L. ABVCCIV	S	LABERIANVS	(NVS
D. BALONIV	S	FELI	X
T. FLAVIV	S	IVSTV	S
T. FLAVIV	S	QVINTI	O
M. SAVFEIV	S	CONSTAN	S
M. MARCIV	S	IANVARIV	S
P. SERGIV	S	AVGVRINV	S
M. AVRELIV	S	ACRISIV	S

PEDANI

Q. FABIV	S	FABIANV	S
L. VIBIV	S	IVVENTIANV	S
P. GRAECIDIV	S	VESTINV	S
P. CARINATIV	S	AGATHANGELV	S
C. TERENTIV	S	PRISCINV	S
C. POMPONIV	S	CVPIEV	S
C. PETICIV	S	DIONYSIV	S
SEX. CALPVRNIV	S	AEMILIANV	S
L. NOVIV	S	ALTINV	S
C. VIBIV	S	SATVRNINV	S
P. PACILIV	S	CHRYSOMALLV	S
T. POMPONIV	S	FELI	X
M. AVRELIV	S	MAXIMVS	S
D. AGRIV	S	PIETA	S
Q. IVNIV	S	SILVANV	S
A. KANVLEIV	S	ONESIMIANV	S
T. POMPEIV	S	VITALI	S

PRAETEXTATI

T. FLAVIV	S	FRONTINV	S
C. IVLIV	S	HOSPITALI	S. IVN.
L. ABVCCIV	S	PROCVLV	S. IVN.
M. AVRELIV	S	MARVLLV	S
T. AELIV	S	NECTAREV	S
L. EGGIV	S	MAXIMV	S
C. VIBIV	S	MARCELLV	S
P. PVBLICIV	S	MAXIMV	S. IVN.
L. ANNIV	S	RVFV	S
L. TRICCIV	S	APOLLINARIS	IVN.
M. AVRELIV	S	IVLIV	S
M. AVRELIV	S	AGRIPPINV	S
L. ATTIV	S	IANVARIV	S
C. GALBIV	S	ATTICILLIANV	S
C. VIBIV	S	FAVSTINV	S
T. POMPEIV	S	ASCLEPIV	S
L. TIMINIV	S	PONTICV	S
M. AVRELIV	S	VALEN	S
C. GALBIV	S	AMANDV	S
M. SERVILIV	S	MARCELLV	S
M. GAVIV	S	RVFV	S
L. DASIMIV	S	IVSTV	S
Q. IVNIV	S	TROPHIMIANV	S
T. FLAVIV	S	SILVINV	S
TI. CLAVDIV	S	FORTVNATV	S

Epiſtolæ duæ in antiquo marmore.

In oppido Normaniæ Taurigny, Baſis Statuæ.

Ex uno latere.

EXEMPLVM EPISTVLAE CL.
PAVLINI LEG. AVG. PR. PRAETORE
BRITANNIAE AD SENNIVM SO
LEMNEM DATAM ROMAE
PLVRA MERENTI TIBI
A ME PAVCA TAMEN QVOD
HONORIS CAVSA OFFERVNT
VELIM ACCIPIAS LIBENTER
CHLAMIDEM CANNVSINAM IN
AVREM CVM GEMMIS TORQVEM
AVR. TOGAM BRIT. PELLEM VI
RINI SEMESTRIS AVTEM....
TIBI PROPEDIEM VACARE...
...CVIVS FAMILIAE SA...
DESTIS XXV N. IN AVRO SV
IS FAVENTIBVS ET MAIESTATE
AC DEINCEPS PRO MERITIS
DELECTIONIS MAGIS D.
CONSECVTVRVS CONCORD.

Ex altero latere.

EXEMPLVM EPISTVLAE
VICE PRAESIDIS
AD COMNIANVM
VICEPRAESIDIS AGENTEM
IVLIANVS BADIO
COMNIANO SAL. IN PROVINCIIS
LVGDVNENSS. QVINQVE CVM
PRAESIDEREM PLEROSQVE BONOS
VIROS PROSPEXI INTER QVOS
SOLEMNEM ISTVM ORIVNDVM
EX CIVITATE VIDVG. SACERDOTEM
QVEM PROPTER SECTAM GRAVITATEM
ET HONESTOS MORES AMARE COEPI
HIS ACCEDIT QVOD CVM CL. PAVLINO
DECESSORI MEO IN CONCILIO
GALLIARVM INSTINCTV QVORVNDAM
QVI AB EO PROPTER MERITA SVA LAE
DEBANTVR QVASI EX CONSENSV VNIVERSORVM
ACCVSATIONEM INSTITVERET M...
SOLEMNIS ISTE MEVS PROPOSITO EORVM
OBSTITIT PROVOCATIONE SCILICET IN
DICTA QVOD PATRIA EIVS CVM INTEREA
LEGATVM EVM CREASSET NIHIL DE AC
TIONE MANDASSET IMO CONTRA LAVDA
RIT QVA RATIONE EFFECTVM EST VT CIVES
AB ACCVSATIONE DESISTERENT QVEM
MAGIS MAGISQVE AMARE ET COMPROBARE
COEPI IS CERTVS HONORIS MEI
AD VIDENDVM ME IN VRBEM VENIT
PROFICISCENS PETIT VT EVM TIBI COM
MENDAREM RECTE ITAQVE FECERIS
SI DESIDERIO ILLIVS ANNVERIS

Ex D. de Sainte Preuve.

In Anteriori facie istius Basis est præcipua Inscriptio, sed valde detrita, in qua tamen legitur nomen ejus cui dicata fuerat:

T. SENNIO SOLLEMNI SOLLEMNINI FILIO.

Adduntur illius Officia SACERDOTI DIANAE MARTIS MERCVRIIQVE, eumque DIANAE TAVRICINIAE festum aliquod magnum instituisse, quapropter ipsi Statuam erexerant TRES PROVINCIAE GALLIAE ANT. PIO ET PRO... COS. Legitur etiam ibi CVIVS GENVS SPECTABILE MANDOCVRORVM, & eum fuisse patria VIDVCASSIVM: quod oppidum ab eo loco ubi posita erat Statua distabat, inquit, XIX. milliaribus. *Viducassium* putant esse Bayeux in eadem Provincia. Cæterum huic eximio & prænobili Viro Statuam erigentes *tres Provinciæ Galliæ*, hasce duas Epistolas in *Titi Sennii* honorem & commendationem scriptas, marmori insculpere voluerunt, in perpetuam rei memoriam: quod sane perrarum, sed non plane sine exemplo.

Testamentum Antiquum Christianæ fœminæ, tertio sæculo in cortice exaratum Ravennæ, & in Regiam Galliæ Bibliothecam translatum.

. . . .

. . . . POSSESIONESQVE P. . .

. . . . SINE VI METV DOLOQVE VEL

ET CIRCVMVENTIONIS STVDIO SED DELIBERATIONE PROPRIA

ET VOLVNTATE PRONA SCRIBENDAM DICTAVI QVAM ROGATORVM

A ME NOBILISSIMORVM TESTIVM VEL PROPRIAE MANVS MEAE

SVBCRIBTIONE FIRMAVI QVAM CVM GESTIS VOS ACTORESQ. VESTROS

QVIBVSLIBET DVXERITIS ALLEGANDAM PROFESSIONIBVS....

NON DEERIT TVIS POSTERVMQVE TVORVM VTILITATIBVS IN

FVTVRVM DE QVA RE ET DE QVIBVS OMNIBVS STIPVLANTI TIBI D....

SIMO ADQVE APOSTOLICO VIRO ECCLESIO SVPRASCRIBTAE VRBIS

EPISCOPO S. EI ET ACTORIBVS VESTRIS PARITER IN PRAESENTIA

CONSTITVTIS EGO HILDEVARA QVAE SVPERIVS OLIM IAM PER

FECTAE AETATIS IN VERBIS SOLEMNIBVS SPOPONDI ACTVM

IN CLASSE SALIDA... II IDVVM NOVEMBRIVM MAXIMO VI CONSVLE

HILDEVARA HVIC CESSIONI ADQVE DONATIONI A ME FACTAE

IN BEATISSIMO ADQVE APOSTOLICO VIRO ECCLESIO SACERDOTE M. RAVENNA (TIS

ECCLESIAE AD OMNIA QVAE SVPERIVS TENENTVR AD SCRIBTA RELEGI

CONSE..ET SVBCRIBI ET TESTES VT SVBCRIBERENTVR CONROGAVI STIPV

LANTIQVE SS VIR BEATISSIME ET ACTORIBVS TVIS IN PRAESENTIA CONSTI

TVTIS IN VERBIS SOLEMNIBVS SPONDI

EGO IOHANNIS V̄C̄ HVIVS DONATIONIS CESSIONISQVE INSTRVMENTO

ROGATVS AB HILDEVARA Ī FOEMINA

Ex schedis Peiresk.

Notanda initio hæc conditio qua validum sit Testamentum, ut scilicet Testator sive donator sine metu, dolo, circumventionisque studio id instituat, sed prona voluntate & deliberatione propria. Aliaque a Jurisperitis observari poterunt, quæ mei non sunt juris, meamque notitiam fugiunt.

Ecclesius qui Ravennatis Ecclesiæ Episcopus nuncupatur, iisdem inferius ejusdem Sacerdos nominatur. *Maximo VI Consule*, incidit in annum æræ Christianæ 237. Hoc enim anno Maximum VI Consulem numerant Fasti Siculi, reluctantibus quidem aliis Fastis Capitolinis & Cassiodori, qui illo Maximinum Consulem cum Africano ponunt.

Leonis Papæ & Caroli Magni Effigies, ex antiquiſſimis Muſivis Romæ.



Ex ſchedis Bazarrianis.

Inſcriptio

Inscriptio sub Abside.

DVDVM HAEC BEATE SVSANNAE MARTYRIS AVLA CONGVSTO ET TETRO EXISTENS LOCO MARCVERAT QVAE DOMNVS LEO TERTIVS PAPA A FVNDA MENTIS ERIGENS CONDENS CORPVS BEATAE FELICITATIS MARTYRIS COMPTE EDIFICANS ORNABIT ATQVE DEDICABIT

I. Habemus hic Leonem Summum Pontificem, ut ex hac Inscriptione ipsi subjecta discimus. Ita Joannes Diaconus in vita Gregorii Papæ describens imaginem ejus pictam, dicit habuisse coronam capitis spatiosam & rotundam, capillo sub auriculæ medium propendente: sicuti in hac Leonis effigie. ORNABIT ATQVE DEDICABIT. Id est *ornavit & dedicavit*; ut ibidem ad latus, IN PRINCIPIO ERAT BERVVM, pro VERBVM.

II. Adjunctam imaginem Pomponius Hugonius in libro de Stationibus convincit Caroli Magni esse, Leonis III. Papæ Ecclesiæ extructoris coætanei. Hic sedit anno 796. usque ad 811. ille vero ex Rege Galliæ Imperator creatus a Leone anno 811. teste Rheginone, eo quod Leonem pulsum in sedem restis tuerat: unde Leonis effigies Ecclesiolam gestantis visitur, quem verisimile est non alium tum tempori dignitate sibi proximiorem apponere voluisse, quam Carolum Imperatorem, suum scilicet fautorem ac restitutorem. Idque validius confirmatur per aliam similem imaginem operis Musivi, quæ reliqua extat in parietinis aulæ Leoninæ, ubi nunc agunt Pœnitentiarii (quos vocant) S. Joannis Lateranensis, extructæ olim ab eodem Leone III. Ibi eodem penitus vultu & habitu genibus flexis est Carolus Magnus cum titulo D. N. CARVLVS REX. Eam vides in Tab. III. Tabella cærulea quadrata retro caput affixa, indicium est eos cum depingerentur in vivis fuisse, quod manifestum est ex Io. Diacono in vita Greg. Magni lib. 5. ubi pictum illum fuisse tradit, circa verticem habentem tabulæ similitudinem, quæ viventis, inquit, insigne est; non coronam. Id confirmat Durantus in Rationali lib. 1. cap. 3. *Cum*, inquit, *Prælatus aut Sanctus vivens pingitur, non in formam scuti rotundi, sed quadrati corona ipsi depingitur, ut quatuor Cardinalibus virtutibus vigere monstrentur, prout in Legenda S. Gregorii habetur*. Spectantur & alibi Pontifices in Musivis cum hac quadra præter hunc Leonem, nempe Romæ in Cæcilia, Praxede, Navicella & alibi.

De origine autem orbicularis tabellæ, quibus Sanctorum Statuæ depinguntur vulgoque diademata vocantur, qualis in hac ultima Divi Petri tabula, vide Baronium T. 1. Annal. ad annum 34. Sed quæ ille allegat potius ad originem coronæ Sacerdotalis spectant, quam ad diademata sive aureos orbes, quibus Statuas ornare solent. Horum rationem varii varie reddunt. Antonius Augustinus in dialogis de numismatibus ritum hunc fluxisse vult, quod forte, ait, olim Martyres eo ornati, seu infula hostiæ, ad supplicium ducerentur. Scaliger ad Catalecta, traxisse censet originem ab orbibus illis vel Lunulis, quos Ethnici Statuis suis superponebant, ne aves eas stercore fœdarent, probatque hoc loco Aristophan. in Avibus: *ἢν δὲ μὴ κρίνετε χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν· ὥσπερ ἀνδριάντες, ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μήνην ἔχοι ὅταν ἔχητε χλαμύδα λευκὴν, τότε μάλισθ' οὕτω δίκην δώσεθ' ὑμῖν πᾶσι τοῖς ὄρνισι κατατιλώμενοι*. Id est. *Si vero non judicaveritis fabricate Lunulas quas feretis quemadmodum Statuæ, ita ut si quis vestrum lunam non habeat, quando habetis pallium album, tunc maxime sic pœnas dabitis a nobis omnibus avibus, conspurcati*. Inde est quod Lactantius, aliique qui contra gentes scripserunt illis objiciant, quod aves idola concacarent & araneæ telas in iis contexerent. Lazius lib. 9. Comment. Reip. Roman. hunc morem derivasse credit a coronis aureis radiatis, quæ Imperatorum triumphalibus ornamentis, aut eorum Statuis imponebantur. Vellejus Paterculus lib. 2. dicit, *Octavio Solis orbem super caput ejus curvatum, qui, inquit, æqualiter rotundatus erat velut corona*. Suetonius in August cap. 94. coronæ radiatæ meminit, quam varia præferunt numismata inferioris ævi. Tabellæ vero orbiculares expressæ visuntur in nonnullis nummis Theodosii Jun. & Eudoxiæ, nec non & in Sarcophago S. Mariæ Novæ. Plinius in Panegyr. & Incertus Autor in Panegyr. Maximiani, *luce & fulgure illo complexum dicit & ornatum verticem divinum*. Dici itaque potest denotari fulgorem illum & splendorem divinitatis & Beatitudinis, qua Sancti æternum fruuntur, juxta illud Psalmistæ: *Fulgebunt justi sicut Sol*.

Cæterum usum pingendæ Crucis in crepidis aut sandaliis Pontificum carpit Papyrius Masso, cui respondet Episcopus quidam Hispanus Author libelli de Osculo pedum. Concilium Matisconense celebratum sub Pelagio II. qui sedit anno 579. vetat ut Clericus calceamento Sæcularium utatur. *Hæc omnia ex schedis Bagarrianis*.

Epitaphium Præfecti cujusdam ex Ethnico Christiani facti.

Aquis Sextiis sub lectisternio marmoreo.

STEMMATE PRAECIPVVM TRABEATIS FASCIBVS ORTVM
IN ODIVM LETI HIC SOPOR ALTVS HABET
QVI POST PATRIGIA PRAECLARVS CINGOLA RECTVR *id est* Rector
SVBIECIT XPI COLLA SVBACTA IOGO
POSTPONENS VLTRA MVNDI PROTENDERE POMPAS
ET POTENS DOMENO SOLVERE VOTA MALENS
SIC GEMENO FELIX PERFVNCTVS MVNERE GAVDET
EGREGIVS MONDO PLACETVS ET DOMENO
HOC TOMOLO CVIVS TANTVMNAM MEMBRA QVIESCVNT
LETATVR PATRIA MENS PARADISE TVA

Ex schedis Peireskii.

Videtur hoc Epitaphium esse quarti sæculi sub finem, vel sub principium quinti, quod deteriori orthographia, etsi non mali versus, indicatur. Sic *Domeno* pro *Domino*, *placetus* pro *placitus*, & *Tomolo* pro *Tumulo* hic legere est, qui loquendi modi sunt illius ætatis.

Arelate.

Epitaphium Præsidis Christiani nomine Cemini, sive Gemini

VIR AGRIPPINENSIS NOĪE CEMINVS
HIC IACET QVI POST DIGNITATEM
PRAESIDATVS ADMINISTRATOR RATIONVM
NOVEM PROVINCIARVM DIGNVS EST
HABITVS HIC POST ANNOS XXXVIII
M̄ II D. VĪ FIDELIS IN FATA CONCESSIT
CVIVS INSIGNEM GLORIAM CIVES
SVI SEPVLCHRI GRATIA ADORNAVER.

Ex Jo. Scholastici Pithon D. M. schedis.

1

Mediolani in æde D. Ambrosii.

ATILIVS A. F. CRESCENS
V. P. EX TABVLARIO PALATI
QVI VIXIT IN HOC SAECVLO
ANNOS XXVII MENS....

Ex Alciato.

2

Mediolani.

SILVINO NEOFITO
QVI VIXIT IN SAECVLO ANN.
XI MENS. V. DIES X
VIRILIANVS ET LAMPADIVS
ALVMNO SVO INNOCENTI
MEMORIAM POSVERVNT

Ex sched. Peiresk.

Videntur hæc duo Epitaphia Christiana sæculi quinti esse, quo tempore Christiani libenter in iis nomina defunctorum adscribebant, sepulta jam fere Ethnicorum religione.


MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO NONA.

Varia ad rem funerariam pertinentia. Amuleta. Bullæ. Collaria. Pondera. Menſuræ. Teſſeræ. Tegulæ.

OLLAE ET COLUMBARIA.

Ollæ in Epitaphiis Urnæ ſunt, in quibus defunctorum cineres recondebantur: *Columbaria* repoſitoria ſive foramina ſub fornicibus in quibus ollæ reponebantur, forte ſic dicta ob ſimilitudinem Columbariorum, & hoc pacto diſpoſita.



Ita familiæ Abucciorum reperti ſunt fornices, in quibus plurima Columbaria, & in ſingulis Ollæ duæ, cum his inſcriptionibus.

Romæ.

1

L. ABVCCIVS HERMES IN HOC
ORDINE AB IMO AD SVMMVM
COLVMBARIA IX OLLAE XIIX
SIBI POSTERISQVE SVIS

2

L. ABVCCIVS SOCRATES SIBI
ET ABVCCIAE GNOMENI L.
POSTERISQ. SVIS
COLVMBARIA CONTINVA VII
AB IMO OLL. XIV.

3

L. ABVCCI MYRONIS
HOC ORDINE OLL. IIII
COLVMBARIO I. ET II.

4

L. ABVCCI CASTI ABVCCIAE AVRAE
L. ABVCCI MAXIMI ABVCCIAE HEDONE
COL. VIII OLLAE XVI LINEA PERPETVA

5

L. ABVCCIVS GORGIA SIBI ET
ABVCCIAE TYRANNIDI
OLLAE II COLVMBARIA II

6

L. ABVCCIVS HEREVS
L. ABVCCIO HERMAE LIB.
SVO DEDIT OLL. II

7

L. ABVCCIVS ONESIMVS
VIX. ANN. XXX SIBI ET
ABVCCIAE CAVDINAE
CONIVGI LINEA
PERPETVA OLL. XVI

8

L. ABVCCIO SATVRNINO
Q.V.A. XXI M. XI D. XXI ABVCCIA
MATER ET PARENTES

9

L. ABVCCIVS DIOCLES SIBI
ET SVIS POSTERIS
IN HOC ORDINE OLL. VII

10

L. ABVCCIVS BATHYLLVS
LINEA PERPETVA AD
SVMMVM OLL. XVI

11

ABVCCIA PRISCI ET IVCVNDE L.
CHRESTE

12

D. M.
L. ABVCCIA PIERIS
PORTICVM SCAMNA
MENSAS COLLIBERTIS
SVIS SVA PECVNIA D.D.

13

L. ABVCCIVS EROS
GRAECVS

14

L. ABVCCIVS EROS
PATRONVS
FELIX L. AEDICI D. S. F.

15

Florentiæ.

SEX. LVCANI
TRVCVNDAES
L. STEPHANI OLLAS II

16

Romæ.

OLLAS VI. ET IVRE QVOD
CETERIS SOCIIS EMIT C. PLOTIVS
C. L. FAVSTVS AERAR.
D. P. OPPIO P. L. ANTEROTE
Q. FVIT IVRIS M. HERENNI M. L.
AGATHONIS

17

Romæ.

DOMITIA C. F. ET Ɔ. L. AVGE
VIX. ANN. XXV
OLLAM DEDIT C. LARINAS DIOGA

Ex P. Maffei.

18

Romæ.

MYRONIS
OLL. IIII. COLVMB. III

Exscripsi.

19

Romæ.

L. ANTRONIVS L. L. STEPHANVS
FVLLON. ET ANTRONIA
L. LIBERTA TYCHENE FEC.
OLLAR. XVI

20

Romæ, in tab. marm.

CN. OCTAVIO ANTHO
CN. OCTAVIVS PRIMIGENIVS
PATRONO OLLAM DONAT
MARCIA HELPIS

Ex sched. Barber.

21

Romæ.

C. POMPONIVS Ɔ. L. HEROS
C. NAEVI C. L. NICREI
CVRATORES MONVM.
FACIVND. CVRARVNT
ET EX P. SVORVM OLLAS. X.

Ex sched. Barberin.

22

Romæ, in ædib. M. Ant. Caninii Sculptoris.

M. VETTIVS M. L. ALEXANDER
OLL. II. EMIT DE
CN. OCTAVIO Ɔ. L. ANTERONI
S. INTVLIT VETVRIAM
ELEVTHERINEM LIBERTAM
SVAM ET VETVRIAM PHILVMI
MATREM ELEVTHERINIS

Exscripsi.

23

Florentiæ.

V. QVARTIO
TEXTOR IIIVIR
QVAESTOR
TRIB.

HILARA MINOR MIDAES MI
NISTRA SIMVL CVM MIDA
SITA EST IN EADEM OLLA QVARTIO
GRATIAM RETTVLIT MERENTEI
HILARAE QVOD VIVA ROGAVIT
SEPVLTA EST AD VI K. APRILES
TI. CLAVDIO NER. P. QVINTILIO VAR. COS.
MIDA CVBICVLARIVS IIIVIR HIC SITVS
EST HILARA MINOR VIVA ROG
AVIT VT OSSA SVA IN OLLA MIDAE
COICERENTVR CVM MORT. ESSET

Exscripsi.

24

Romæ, in tab. marm.

VALERIVS SYNEROS IN HOC MONIMENTO EMIT
L. CALPVRNIO SPERATO ET NONIA FORTVNATA AEDIC. ET COLVMB. XX.
VBI SVNT OLLAE OSSVAR. XIIII CVM AEDICVLA

Ex sched. Barber.

25

Florentiæ.

A SVMMO COLVMBARIA DIS
IVNCTA VIBIVS ALCIMV QVEM
SEQVENTVR POST ME L. COR
DIVM EVPORVM ET CORDIA TRYPHAENA

26


Romæ.

MAECENATIAE FAVSTAE
MAECENAS TYRANNVS
LIBERTAE SVAE ET
TERENTIAE OLLAS II DEDIT

OSSVARIA ET CINERARIA.

Urnæ etiam dicebantur *Oſſuaria,* ut in ſequentibus urnis, item & *Cineraria.*

Romæ, in villa Matthæi.



Exſcripſi.

Romæ.

D. M.
SEX. PACCIO SEX. F.
PRIMISCRINO AVG.
PACCIA HERENNIA
CONIVGI PIISSIMO
SANCTISSIMO
OSSARIVM D. S. FECIT

Ex ſched. Barber.

Romæ, in tab. marm.

CALPVRNIA RESTITVTA
EMIT DE SYNEROTE COLV
MBARIA N. IIII OLLAS N. VIII
ET CINERARIVM MEDIANVM
ET PHEBO CONIVGI SVO
ET SIBI POSTERISQVE SVIS

Exſcripſi.

Romæ, in tab. marm.

CLAVDIA PREPVSA EMIT DE L. CALPVR
NIO SPERATO ET NONIA FORTVNATA
SIBI ET SVCCESSO IMP. VESPASIANI
CAESARIS SER. OCTAVIANO CONIVGI
SVO . . . .
EIVS POSTERISQ. SVIS PARIETEM HVNC
IN QVO SVNT OLL. LXV. ET A PARIETE
PAVIMENTVM LAT. P. I. CINERAR. ET
AEDIC. LAT. P. I. S. *pedem unùm ſemis*

Ex ſched. Barber.


Romæ, in vaſis operculo.

CINERARIVM
GEMELLI III AELI
MARCI ET PHILIPPI

Ex iiſdem ſchedis.

V S T R I N V M,

Repertum via Appia ſub terra: gyrus *palmorum* 400.



Uſtrinum locus erat muro circumdatus, in quo corpora defunctorum, præcipue pauperum cremaban-

tur. Erat autem istud in via Appia, quia juxta hanc percelebrem viam erigebantur sepulchra: quorum adhucdum plurimæ supersunt reliquiæ. Lapides labri superioris in duplicis anguli formam incisi (*en mortaise*) modo antiquis familiari, ad majorem ædificio soliditatem conciliandam, spectatu digni sunt.

Romæ.

... AB HOC VSTRINO.........
.. ONEM VSQVE AD DE VSTR....M...
... ARCA MONVMENTVM CVM
.. ET AQVA SALIENTE EIVS AEDIFICII IN
CVSTODIAM EIVSDEM MONIMENTI
L. VOLVSI SATVRNINI L. HIC M....
LVSCIAE IRENES VXORIS EIVS
LVCRETIAE THYMELES ET LIBERTORVM
ET LIBERTARVM ET FAMILIAE QVIBVS.....

Ex schedis Barber.

Oxonii: aliunde allata.

M. ANNI. AVCTI. ET
SEMPRONIAE SCVRRAE
IN FR. CVM. VSTRINO. P. LIIII
IN AGRO P. XXIIII
M. ANNIVS M. ANNI. FELICIS F.
SATVRNINVS.VIX.ANN.XIIX.PIVS ET
SANCTVS.IS.EREPTVS. MATRI.NEC
ILLAE.POTVIT.GRATIAM.REFERRE

Ex Marmor. Oxon.

H Y P O G Æ V M

Romæ.

D. M. *forte*
FVLVIVS CHARISIVS IN HYPOGEO Ollas
INSTRVXIT N̄ XIII SIBI ET SVIS LIB...
CHARISI HABE ET TV QVI LEGES BE...
EGO OMNIBVS MEIS BENE FECI ET QV....
PSI PER ERRORE IGNOSCETIS DE CETER
IS SCIATIS AMICI TRES VXORES H.....
QVIDEM DOLVI SET NON SVNT QVA....
MODO QVARTARIA SORTEM DVCTAM SV..

Exscripsi.

Romæ.

H. HYPOGEVM COM.FECER. *Commune*
C. CAMERIVS C. F. VETENVS
C. CAMERIVS C. F. PAL. PLAVTVS
C. CAMERIVS C. F. PAL. ATTVS
C. CAMERIVS C. N. MARINVS
CAMERIA PACATA
OLL. SINGVL. NVM. $\overline{XX}$
LOCARVNT

Ex schedis Barber. P. Maffeus.

Romæ, in villa Matthæi.

HOC ADPARATORIVM
PERTINET AD MONVMENTVM
Q. AQVILI ET DIONYSI
ET NONIAE M. F.
FAVSTINAE
IN FRONTE P. X IN AGRO P. $\overline{XVI}$

Exscripsi.

Hypogæum Camera erat subterranea reponendis defunctorum Cadaveribus, & Sarcophagis, quod & Repositorium Latinis dicebatur, cujus & pars aliqua *Adparatorium*.

D I S T E G V M.

Distegum in genere fuit ædificium duas habens contignationes: at speciatim ubi ejus mentio est in Inscriptionibus quæ Diis Manibus dicantur, fuit, ni fallor, monumentum duas Cameras habens, una alteri imposita. *Distigum* autem pro Distegum videtur sculptum.

1

Romæ.

DIS MAN.
L. APPONIVS L. F. PVBL.
GLABRIO VIVVS FECIT
DISTIG. CVM LIBERIS
Commune COMM. DED.
KAL. APRIL.
P. CORNELIO SCIPIONE
AFRICANO ET
T. SEMPRONIO LONGO
COS.

Ex sched. Barber.

2

Romæ.

L. SEMPRONIVS L. L. PERIPHEMVS
L. SEMPRONIVS L. L. AMPHIONEVS
C. SEMPRONIVS C. L. AGNOSIAS
C. SEMPRONIVS C. L. PANOPVS
C. SEMPRONIVS C. L. AMPHIALVS
SEX. SEMPRONIVS SEX. L.
PENTHEVS
TI. SEMPRONIVS TI. L.
CHRYSINVS
DISTIGVM FECERVNT C. P. *Communi Pecunia.*

Ex sched. Barber.

Antiquissima est hæc Inscriptio, siquidem sculpta fuit sub Consulatu L. Cornelii Scipionis Africani & Titi Sempronii Longi, anno urbis Conditæ 560.

CAENACVLVM.

Neapoli ad Fluv. Lirim.

HVIVS MONVMENTI IVS QVA MACERIA
CLVSVM EST CVM TABERNA ET CAENACVLO
HERED. NON SEQVETVR NEQVE INTRA
MACERIAM HVMARI QVEMQVAM LICET

Cænaculum locus ubi cœnabatur, cur in ædificiis monumentorum aliquando jungeretur, inde scire possumus, quod in multis inscriptionibus defunctorum voluntatem testantibus, cœna aut aliud epulum singulis annis ad talem diem amicis aut ejusdem professionis viris parari jubetur.

AREA SEPVLCHRI.

1

Romæ.

HAEC. AREA. INTRA
HANCCE DEFINITIONEM. CIPPO
RVM. CLAVSA. VERIBVS
ET. ARA. QVAE. EST
INFERIVS. DEDICATA. EST
AB. IMP. CAESARE. DOMI
TIANO. AVG. GERMANICO. EX
VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV.
ERAT. NEGLECTVM. NEC. RED
DITVM. INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAVSA

Ex Bellor. Vestigiis Antiquitat. Romæ.

2

Florentiæ.

D. M.
HOC MONVMENTVM SIVE
SEPVLCHRVM CVM AREA SVA
T. FVFICIVS FELIX D. D.
IVLIA RVFINA DONATIONIS
CAVSA MANCIPIO ACCEPIT
HS N̄ VNO QVOD COMPARAVIT
FVFICIAE AMPLIATAE
CONIVGI KARISSIMAE ET
LIBERIS SVIS ITEM LIBERTIS LIBER
TABVSQVE POSTERISQVE ET
P. AELIO NATALI AMICO
KARISSIMO ET AELIAE RESTITVTAE
LIBERTAE EIVS LOCVM PONENDI
CORPORIS VTRORVMQVE

Exscripsi.

Romæ

3

Romæ.

DIS MANIBVS
M. HERENNIVS M. L.
LEONTA
ET PVBLICIA N. L. CLEOPATRA
FECERVNT SIBI ET LIB. ET LIBERTABVS
SVIS POSTERISQVE EORVM
ET QVOS TESTAMENTO NOMINARO
FRONS ARIAE ET MONIM. P. XXXIV
IN AGR. P. XXIV.

Ex sched. Barber.

4

Florentiæ.

D. M.
M. AVRELIVS DIONYSIVS
AVG. LIB. COMPARAVIT ET
STATIAE FILVMENE
CVM ARIA ET ARA
CINCTA CIPPIS N IIII LIB.
LIB. POSTERISQ. EORVM

Exscripsi.

Area Sepulchri erat longitudo & latitudo terræ, quæ singulis monumentis assignabatur, cujus mensuram sæpe in Epitaphio adscribebant, sicuti in tertio Frons areæ seu latitudo *Pedum* XXXIV. profunditas seu longitudo *in agro* Pedum XXIV.

MACERIA ET MACERIOLA.

1

Tiburi in æde Franciscan.

HIC LOCVS ITA VTI MACERIA
CLVSVS EST AD RELIGIONEM
SEPVLTVRAE LOLLIARVM
ATTICILLAE FILIAE ET STACTES
VXORIS ET M. LOLLI AMARANTI

Exscripsi.

2

Romæ.

ET HIC LOCVS
MACEREOLA CLVSVS
AD FAMILIAM MESSIANAM
ET CLODIANAM PERTINET

Exscripsi.

3

Romæ.

DIS MAN.
STABERIAE T. FIL.
LOGADI
HOC MONVM.
MACERIA CLVSVM
SIBI ET SVIS LIBERT.

Exscripsi.

Maceria & *Maceriola* muri sunt quibus Sepulchrorum areæ claudebantur.

MONVMENTVS, MONOMENTVM, & MONIMENTVM, *pro Monumentum.*

1

Romæ.

AVRELIA PRIMIGENIA SE VIVA FECIT
AVRELIO TELESPHORIONI
ET AVR. TELESPHORO
SPERATO FILIS SVIS
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
HIC. MONVMENTVS. MACERIA
CINTVS CVM HYPOGEO QVI FECIT
IN FR. P. XXV IN AGR. P. XXXVI

Ex schedis Barberin.

2

Romæ, in horto Barberino.

COH. X....
D. PRISCI...
IVLIANVS FI........
MERENTI FECIT......
ET SIBI ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTE
RISQVE EORVM HOC
MONOMENTVM HERE
DEM EXTERNVM NON SEQVETVR
IN FRONTE PEDES VIII
IN AGRO PEDES VI

Exscripsi.

Aquileæ, Arca marmorea.

PATROCLORVM
VLPIVS PRISCVS
ANIMAE MERENT.
CERVONIA TYCHE V. F. SIBI ET LIB. LIB.
POSTERISQ. EOR. SI QVIS HANC ARCAM SIVE
HOC MONIMENT. VENDERE AVT EMERE
AVT EXANCISCLARE VOLET TVM POENAE
NOMINE HS XX P.P. AQVILE DARE DEBEBIT

Ex Urſati ſchedis.

Obſervanda in ultimo lapide vox antiqua *Exanciſclare* pro diſtrahere

Triclia.

Romæ, in horto Barberino.

D. M.
VLPIAE SABINAE CONIVG.
OPTIMAE ET DVLCISSIMAE
ET BENEMERENTI RVFINVS
EPHESTION LOCVM CONCESSVM
ET DONATVM AB HEREDIBVS FLAVI
LIBANI QVAE POSITA EST INFRA HANC
TRICLIAM IN LONG. P. VII. IN LAT. P. V.

Exſcripſi.

Sitne *Triclia* aliquod ædificium in monumentis ſive cœmeteriis, vel potius vergente latinitate vox aliqua barbara a qua acceperimus noſtratem *Treille*, pronunciare non auderem, niſi authorem haberem Salmaſium ad Hadriani Spartianum. Ibi enim pro *triclinia de caſtris*, legendum cenſet *Trichilia*. *Trichilæ* autem ſive Trichilia Græcis τροχάλη & τροχάλιον, a voce τροχαλὸν, *curvum & inflexum*, ſunt pergulæ arcuatæ ex arundinibus inflexis, & opere topiario colligatis contextæ. Hinc Iſidorus, *Trichilia ubi pendent vatiæ*: perperam editum *Trictilia*: Trichilas intelligit ex quibus dependebant cucumeres & cucurbitæ quas vatias appellabant, quod incurvæ eſſent & obtortæ, ducta metaphora ab iis hominibus qui cruribus ſunt obtortis, quos Latini *vatios & vatias* dicunt. Vide plura apud Salmaſium.

Sarcophagus & Sarcophagum.

Cibinii in Tranſſylvania, Arca marmorea amnis eluvione eruta, qui prope Apulum Mariſo miſcetur.

T. VAREN. T. F. PAP. SABINIANO. EQ. R.
FLAM. LARENTINO. ITEM. FLAM.
COL. SARMIZ. DEC. COL. SAR. ET APVL.
E. MV. OMNIB. EQVESTRIB. MILIT. PERFVNCT.
CORNEL. LVCILIA CONIVX. PILA. EXTRVC
TA. SARCOFAGVM. IN. QVO. VARENIA
PROBINA Q. SABINIANI. SOROR. CONDITA
ERAT. ET. IAM. EIVS. CORPORE CONLOCA
TO. SVPERPOSVIT

Ex Reineſio.

Salonis, Christiana Inscriptio.

Depositio

DEP. IVLII ZACONI DIE IIII
NONAS NOVEMBRES DECIANO ET
CEREALE COSS.
FL. IVLIVS ZACONVS ET AVRELIA
MERIA CONIVX EIVS HOC SARCOPHACVM
SIBI VIVI POSVERVNT
SI QVIS POST NOSTRAM PAVSATIONEM
HOC SARCOPHACVM APERIRE VOLVERIT
INFERAT ECCLESIAE SALONARVM AR
GENTI LIBRAS QVINQVAGINTA

Ex Marulli Spalatensis MS.

Marullus legit in fine CENTILIBRAS QVINGAGINTA: quod errorem esse puto pro Argenti libras quinquaginta. Pausationem, id est requiem, *Pausa* enim, ut ait Nonius, requies est. Sarcophagus autem, ut Plinius ait, lapis est fissili vena in quo corpora defunctorum condita absumi constat intra quadragesimum diem; ideo nomen habet a carne edenda, σάρξ enim caro est, & φάγω edo. Sarcophacus ibi scribitur pro Sarcophagus, ut in multis aliis C pro G. usurpatur.

Ossua pro Ossa.

Massiliæ, sed Algerio advectum.

C. POSTVMIVS C. LIB. VENVSTVS
TESTAMENTO. PON. SIBI. TITVLVM
MARMOREVM. IVSSIT. VBI. HVIVS
OSSVA. CONDITA. SVNT
ROSCIA. LOCHAGIA. CONIVNX
IDEM HERES
BENEMERENTI FECIT

Ex Peiresk.

Epitaphia quædam, in quibus literæ B & V confunduntur.

B Græcis ut V Latinum consonans pronunciatum fuisse, non tantum ultimis sæculis, sed & priorum Imperatorum tempore, probat nominum Romanorum conversio a coævis scriptoribus facta: Flavius φλάβιος vocatur Plutarch. in Bruto, & Appiano lib. 5. Fulvia, φυλβία: Vologæsus, Βολόγαισος: Vitellius, Βιτέλλιος: Suevi, Σοῦβοι: Severus, Σεβῆρος: Sexcentaque alia passim notari possent. At illa nomina sic per B scripta, pronunciari non aliter ac si per V consonans, vel potius quasi per F. confirmant hæ voces: Νάβλα, εἶδος ὀργάνου μουσικοῦ, ἢ ψαλτήριον, ἢ κιθάρα, apud Hesychium: id est *Navla species Organi Musici, vel Psalterium, vel cithara*, quæ eadem vox Νάβλα apud Athenæum, Clementem Alexandrinum & Strabonem reperitur. At Julius Pollux idem Organum ναύλας & ναύλαν vocat: unde videmus perinde fuisse si Naula vel Nabla scriberetur. Sic φαῦρα est Insula Atticæ Straboni l. 9. quæ Hesychio φαβρὶς dicitur. Ecce in sequentibus ineditis marmoribus *Beronice* pro *Veronice*, *Bibus* pro *Vivus*, *Balerianus* pro *Valerianus*.

1

Romæ, in villa Cesarini.

D. M.

SEPTIMIA BERONICE FECIT SIBI ET
TI. CLAVDIO BERONICIANO FILIO SVO
KARISSIMO VIXIT ANNIS XXV M. III D. XVII
ET TI. CLAVDIO FRONIMO CONIVGI SVO
ET CN. COSSVTIO ZOILO ET SVIS LIB.
LIBERTABVS EORVM

Exscripsi.

2

Romæ.

D. M. C. MEM
MIVS IANVARIVS
SE VIBVS
FECIT

Exscripsi.

3

Romæ, in villa Cesarini.

DEMETRIVS AVG. DIB. BIBVS FECIT SIBI ET VLPIAE CRESTE
CONIVGI BENEMERENTI ET FLAVIANO AVG. LIB. FILIO ET
FILIS SVIS ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQVE
S. SI QVIS DONATIONIS EORVM AEA MONVMENTA CVM AEDIFICIS SVI
CAVSA DEDERIT SIVE VENDAERE VOLVERIT INFAERET AERARIO POPVLI
ROMANI SESTERTIA CENT. MILIA NVMMVM

Exscripsi.

4

Romæ.

IVLIVS BALERIANVS
QVI VIXIT ANNIS B. XX
NATALI SVO D. *die*
SODALICIARIVS
BONVS AMORATVS
FILETIVS VSQVE AT FOTSA Id est *usque ad Fossam*.

Exscripsi.

Balerianus pro *Valerianus*. Sic Imperator Valerianus in nummis Græcis mox ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ; mox vero ΒΑΛΕΡΙΑΝΟΣ scribitur.

Sequentia sunt Christiana & sequioris ævi, in quibus *Acervum* pro *Acerbum*, *Bibit* pro *vivit*, aliaque occurrunt.

5

Romæ, in æde Sanctæ Praxedis in pavimento.

ACERVVM LVCTVM MIHI DEMISISTI DVLCISSIMA CONIVX
NON MIHI SVFFICIEBAT HABVISSE VITA TECVM PER TEMPORE MALA
ALIAM QVIDEM FVTVRAM COTTIDIAE OPTABAS BONAS BENEFI....CASVS FECIT
ALIENA TV VERO COTTIDIAE EXPECTABAS VIDERE PROXIMA PALMAS
..HEC TVA MI DEMISISTI PIGNERA FRVCTVSQVE DESIDERATISSIMI CVM .... GEMI
NATA VOTA OPTAVERAM DVLCISSIMA CONIVX VT BONA VIDEREMVS SIMVL
LONGA MALA TEMPORA MECVM FECISTI
INIMICA MORS FECIT TE NON VIDERE QVOD VOLVISTI
ANIMAM QVI BENE TVAM SVSCEPIT DIVINA POTESTAS A QVA CREDO PECCATA
POSSE TIBI DIMITTI HIC QVIESCIT DE QVA SVPER . . . .
. . . .

Exscripsi.

6

Neapoli, in æde D. Mariæ della Sanità.

† CREDO QVIA REDEMPTOR MEVS BIBIT ET IN NOBISSIMO DIE DE TERRA SVSCITABIT ME ET IN CARNE MEA VIDEBO DEVM MEVM EGO BASILIVS FILIVS SILIBVDI ET GREGORIA CONIVGEM EIVS DVM IREM IM MANDATVM IPSORVM MALVS HOMO ADPREHENDIT ME ET PORTABIT ME IN RIBVM ET OCCISIT ME MORTEM CRVDELEM IN INFANTIAE MEAE ANNORVM DVODECIM IN INDICTIONE QVAR TA DECIMA VIGESIMA SEXTA

Ex Summontii Hist. Neap.

Ex stylo & literarum forma, quæ hic non exprimi potuit, conjicit Summontius eam esse Sæculi VIII. Longobardorum ætate.

7


Romæ, in æde D. Pauli extra muros.

..QVI DEDIT ET ABSTVLIT
..OMINI BENEDIC....
..QVI BIXIT ANN...
...PACE CONS.

Exscripsi.

Quamplures similes Inscriptiones reperiuntur in Roma subterranea, quas consulere licet.

AMULETA.



I. ΚΥΡΙΑ ΧΑΙΡΕ *Domina*. ΚΥΡΙΕ ΧΑΙΡΕ, *Domine salve.*
II. ΕΥΤΥΧΙ ΠΑΝΟΙΚΙ Ο ΦΟΡΩΝ. *Felix est quicumque hunc lapidem gestat.*
III. HOSPITA FELIX VIVAS.
IV. ARBVSCVLA AMARA M. D. forte Matris Deum. Pinus enim cujus ramus hic depingitur amara est, Græcis ob id *πικρὰ* dicta.

V. ΜΝΗΜΟΝΕΥΕΤΕ. Lipſius Epiſt. quæſt. lib. 4. Epiſt. 26. hujuſmodi lapillum extare dicit apud Laurinos. Plin. lib. 11. cap. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes atteſtantur*. Idque fiebat ab Actore cum verbo MEMENTO. Alludit Virgil. *Cynthius aurem vellit & admonuit*. Plaut. Perſa S. *Sed in jus voco. D. nonne atteſtaris? Tua ego cauſſa carnifex cuiquam mortali libero aures atteram*. Virgil. in Copa, *Mors aurem vellens, vivite, ait, venio*. Ammian. l. 22. *Adraſtia aurem quod dicitur vellens, monenſque ut caſtigatius vivat*.

VI. ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ ΤΗΣ ΚΑΛΗΣ ΤΥΧΗΣ, *Memento bonæ fortunæ*.

VII. ΦΩC ΜΟΥ ΘΕΑΝΩ: *Lux mea Theano*, amatorium amuletum.

VIII. PIGNVS AMORIS HABES. Delphin, qui Cupidini ſacer, unde in nummis Cupido Delphinum inequitans vel in curru a Delphinis tracto.

IX. VIVAS IN DEO. Sigillum eſt Chriſtianum.

X. VITA TIBI: ſubaudi *longa ſit*.

XI. VTERE FELIX, Victoria parta, vel acquiſitis divitiis.

XII. PROTEROS YGIAE. *Primo* vel *Primus convaleſce*. Amuletum forte ad deſtruendam incantationem quæ fiebat manibus pectinatim junctis, hoc eſt digitis utriuſque manus invicem complicatis. Hic enim manus junctas vides, ſicuti in nummis ad deſignandam pacem, fidem militum aut concordiam Auguſtorum. De digitis autem pectinatim junctis fuiſſe incantamenti genus, ex antiquis & recentioribus Autoribus colligitur. Plin. Hiſt. nat. lib. 28. cap. 6. *Adſidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt: idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente*. Id enim, ut ajunt, fiebat ad actus vitiandos, & ad impediendum quominus enitens mulier pareret: unde Ovid. *Suſtinuit partus, & ineptos tenuerunt carmina partus*. Cælius Rhodiginus ex Græcis theſauris hanc partus Alcmenæ difficultatem memorat his verbis: *Ante regium Alcmenæ Herculem parituræ, ſtetiſſe digitis pectinatim implexis Lucinam quæ partum præpediret, narratur a Mythicis: eluſam vero ab ancilla Gallantide, quod Alcmenam diceret peperiſſe; quibus mox auditis illa receſſerit, ac ſtatim levata parturiit Alcmena. Unde adverto Thebis habitu muliebri ſtetiſſe iconas, dicique a Thebanis Pharmacidas*. Altera ſpecies ejus incantamenti erat, ſi genua vel poplites, unum ſuper aliud imponerentur, maxime ſi lævum genu poplite dextro premeretur, vel ſi manus pectinatim junctæ genua complecterentur. Ideo in Conciliis Ducum fieri, & ſacris votiſve ſimili modo intereſſe vetuere majores, velut omnem actum impedientia.

XIII. Litteræ indiſtinctæ & male formatæ hæc vocabula continent ab utraque parte: ΙΑΩ ΑΒΡΑΞΑΣ ΑΔΟΝΑΙ ΑΓΙΟΝ ΟΝΟΜΑ ΑΞΙΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΦΥΛΑΞΑΤΕ ΟΥΕΒΙΑΝ ΠΑΥΛΕΙΝΑΝ ΑΠΟ ΚΑΚΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ. Id eſt, *Jao Abraxas Adonai, ſanctum nomen, dignæ Poteſtates, ſervate Vibiam Paulinam ab omni malo Dæmone*. Eſt igitur Baſilidianorum ſive Gnoſticorum Amuletum, de quorum erroribus & nugis fuſe tractavit Chiffletius in Diſſertatione de gemmis Baſilidianis & Deo Abraxas, quem Hæretici illi venerabantur. Similia illic exhibet Amuleta quamplurima: ſed hic quædam ſelegimus ipſi non viſa.

XIV. Jupiter ſedens more Romano fulmen manu tenens, aquilam ad pedes habens. In averſa parte ΙΑΩ CΑΒΑΩ. Hinc diſcimus Baſilidianos Ethniciſmum cum Chriſtianiſmo confundere ſolitos fuiſſe.

XV. ΔΙΑΦΥΛΑΞCΕ, & ex altera parte CΑΒΑΩ, *Conſerva Sabaoth*.

XVI. NVMEN DAEI ABRASSES. Id eſt, *Numen Dei Abraxas*, quem ſub ſerpentis forma colebant.

XVII. ΙΑΩ CΑΛΟΜΟΝ CΑΒΑΩ. *Jao Salomon Sabaoth*.


XVIII. ΙΑΩ CΑΒΑΩ. Ex alia parte ΜΟΥCΗ, Id eſt *Muſa*, vel forte *Moſes*.

XIX. ΜΝΗCΘΗ ΕΥΤΥΧΙ ΠΕΤΡΑ CΑΚΡΑΤΑ. Hanc quidem non aſſequor. Et quis, quæſo, priſcorum horumce Hæreticorum nugas aſſequatur. Videſis præter Chiffletium, quæ de iis diximus ſupra ad Tab. XII. Sect. I. Art. IV. & ad Tabul. XXIV. & XXV. Art. V. item quæ in noſtro Græciæ Itinerario Tom. III. part. I. ad marmor Mileti.

XX. ΜΕΓΑΛΗ ΤΥΧΗ ΤΟΥ ΞΥΣΤΟΥ, *Magna fortuna Xyſti*, ſeu *palæſtræ*. Hercules ſtans, dextra clavam tenens, ſiniſtra Cornu-copiæ. Hic enim ludis Xyſticis præſidebat, unde Herculi in circo ſtatuæ dedicabantur, aut ædiculæ erigebantur, ut videre eſt inter marmora Græca Athletica, quæ infra in Sect. X. referentur. Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΘΛΗΤΩΝ,

BULLÆ PUERORUM.










Bullæ generaliter dicebantur omnia ornamenta aurea vel argentea orbicularia, & inſtar bullarum in aqua excitatarum inflata. *Bullæ*, inquit Papias, *ornamenta regalium puerorum vel equorum, dictæ quod ſint ſimiles bullis quæ in aqua inflantur*. Nos hic de puerorum bullis tractamus: quæ inſigne erant ætatis prætextatæ. *Simul cum prætexta*, inquit Aſconius in III. Verr. *etiam bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea, quaſi bullientis aquæ; ſinus communiens pectuſque puerile*. Non ergo quærenda etymologia hujuſce bullæ a βȣλὴ, id eſt *Conſilium*, quaſi puerilem ætatem alieno indigere conſilio ſignificarent, ut quidam ex veteribus tradunt. De ejus origine ita Plin. lib. XXIII. cap. 1. *Sed a Priſco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum conſtat: inde mos bullæ duravit, ut eorum qui equo meruiſſent filii, inſigne hoc haberent, cæteri, lorum*. Earum figuram rotundam obſervamus in his marmoribus, non autem cordiformem, ut indicare videtur Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 6. *Nonnulli*, inquit, *credunt ingenuis pueris attributum ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent*. Vides hic in fig. 4. puerum quatuor annorum jam bullam geſtantem in pectore: priores ſunt provectioris ætatis, quippe volumen in quo legere queant manu tenent. Geſtabant autem uſque ad annum ætatis XIV. puberes facti, laribuſque eam dedicabant, ut puellæ Veneri pupas ſuas: unde Perſius Satyra V. *Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit*.

Nummus æreus, olim inſtar Bullæ vel Amuleti collo appenſus.

Nemauſi apud Graverolium.



Nummus hic magni moduli ab una parte caput Neronis præfert: quale in ſexcentis aliis hujus Imperatoris nummis extat; ſed averſa plane abraſa fuit, ut literis inciſis cælaretur nomen cujuſdam *Caii Valerii Abaſcanti*, qui nummum collo appenſum geſtabat, ut adjuncta ipſi catenula antiqua viridi ærugine ob-

ducta non obscure indicat, quod sane perrarum est. Idem Eruditus Graverolius, in cujus extat Museo, alium possidet æreum Neronis nummum cum circulo ejusdem metalli, quales visuntur in nummis maximi moduli, vulgo *Medaillons* dictis: cujus nummi pars postica penitus derasa est, quæque typi loco in speculi modum polita est. Antiqua enim specula non ex vitro, sed ex metallo conflabantur. Hinc Plinius lib. XXXIII. cap. 9. *Atque ut omnia de speculis peragantur hoc loco, optima apud majores fuerant Brundisina, stanno & ære mistis: prælata sunt argentea. Primus fecit Praxiteles Magni Pompeii ætate.*

COLLARIA SERVORUM.

Antiquis Romanis mos erat servos a fuga recuperatos stigmate notare, hoc est literis aut notis quibusdam frontem inurere, unde Ausonius;

Pergame non recte punitus: fronte subisti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.

Cum vero Constantinus id vetuisset, quod dedeceret faciem, quæ ad similitudinem cælestis pulchritudinis est figurata, maculari, contumeliam frontis ad collaria quæ fugitivis aptabantur transtulerunt, in quibus inscriptum Domini nomen, aut saltem in laminis iis appensis legebatur: qualia in sequentibus videre est.

Collare æreum.

TENE ME QVIA FVGI ET REVOCA ME DOMINO
MEO BONIFATIO LINARIO

Ex Pignorio de Servis.

Aliud, Romæ.

Hæc Collaria longiora sunt, & unica linea inscripta.

TENE ME NE FVGIAM ET REVOCA ME AD DOMINVM
EVVIVENTIVM IN ARA CALLISTI

Exscripsi.

Aliud, apud Cl. Menestrier.

TENE ME NE FVGIAM ET REVOCA ME IN FORO
TRAIANI PVRPVRETICA AD PASCHASIVM DOMINVM MEVM

Exscripsi.

Aliud, Romæ apud I. P. Bellorium.

PTRONIA TENE ME QVIA FVGI BIS ET REVOCA ME AD
DOMV ATHEODOTENIS AD DOMINVM MEVM VITALIONE

Exscripsi.

Prope Nemausum repertum.

T. M. Q. F. E. REV. ME P. RVBRIO LAT. DOM. MEO

Ex Erud. Graverolio J.C.

Id est, *Tene me quia fugi & revoca me Publio Rubrio Latino Domino meo.*

Lamina

1

Lamina ænea Collari alligata, apud Maffæos.

TENE ME Q
VIA FVGI ET RE
BOCA ME IN BASI
LICA PAVLLI
AD LEONE

Ex Pignorio & Bened. Ægio.

2

Alia, apud Lælium Pascalinum.

TENE ME Q
VIA FVG. ET REB
OCA ME VICTOR
I ACOLIT
O A DOMIN
ICV CLEM
ENTIS
P
X

Ex altera parte.

FVGI EVPL
OGIO EX
PRF. VRB. — *Ex Præfecto Urbis.*

Ex schedis Suaresii Episcopi Vasionensis.

Hæ omnes Inscriptiones non absunt a Constantini sæculo, quod notis Christianismi & depravato idiomate dignoscitur, REBOCA pro REVOCA, aliisque.

T E S S E R A.

Romæ, olim apud Card. de Maximis, in tabella ærea.


TESSERAM PAGA
NICAM FELICISSI
MVS PATRONVS
PAGANI PAGI
TOLENTINES HOS
TIAS LVSTR. ET TESSER. — *Lustraverunt.*
AER. EX VOTO L. D. D. — *Locus decreto datus quinto Idus Maias.*
V ID. MAS FELICIT.

Exscripsi.

Tolentinum urbs & Colonia Piceni, nunc Marchiæ Anconitanæ, quæ urbs adhuc *Tolentino* vocatur, ubi lustratæ fuerunt hostiæ forte ob aliquem grassantem morbum, aliudve imminens periculum, affixaque ænea tabula in aliquo templo ex Paganorum voto, ad numinum iram placandam.

Teſſera Hoſpitalis.

Lugduni, olim in ædib. D. de S. Maurice.



MERCVRIVS HIC LVCRVM
PROMITIT APOLLO SALVTEM
SEPTVMANVS HOSPITIVM
CVM PRANDIO QVI VENERIT
MELIVS VTETVR. POST
HOSPES VBI MANEAS PROSPICE

Exſcripſi.

Teſſera hæc erat *hoſpitalis*, ſive lapis Hoſpitii index prope portam affixus, in quo Mercurius lucrum adventantibus promittit, cum jam antiquitus negotiis celebris urbs eſſet Lugdunum, Apollo vero ſalutem ob aeris ſalubritatem, Septumanus tandem diverſorii iſtius hoſpes prandium, poſt cujus uſum extraneus hoſpes, ubi commorari vellet, proſpicere poterat.

TEGVLA LATERITIA.

TERT. D. L. EX
F. CAN. OP. DOLI. I.
TIT. ET GALL. COS.

Ex Nardini Roma Antiqua.

Falconerius in additis ad Nardinum ſic Inſcriptionem iſtam exponit: *Tertullus Decii Libertus ex Figulina Canonis Operis Doliaris prima*: additque Canonem forte tributum eſſe quod ſolverent Figuli: annon vero potius Canon norma eſt, ſive modulus ad quem lateres conficiebant. Extracta autem fuit hæc tegula ex dirutione ædificii Pantheo proximi, quod putavit Falconerius aquæductus aquæ Virginis reliquias eſſe ab Imp. Hadriano reſtituti, ut probat ex Conſulatu TITiani & GALLicani in illa tempora incidente.

Alia apud Falconerium, Romæ.

OPVS DOLIAR. L. BRVTIDI AVGVSTALIS

Dolia antiquitus ex terra cocta fiebant, ut ſuperius pag. 125. in Dolii Diogeniani explicatione demonſtravimus; inde *opus Doliare*, idem quod opus Figulinum.

Tegula, apud Leonardum Auguſtini.


EX PAL. AELI AVG. PII F. OP. DOLIAR. ARISTIO
SVCCESS. GALLIC. ET VETERE COS.

Exſcripſi.

Id est, *Ex Palatio Ælii Augusti Pii filii opus Doliare Aristio Successo, Gallicano & Vetere Consulibus*: qui Consulatus incidit in annum Ch. 150. vel 151. ut numerant alii, sub Antonino Pio. Notandum, Marcum Aurelium Antonini Pii filium hic Ælii tantum nomine designari, quem Fasti Capitolini Marcum Ælium Aurelium, at Fasti Siculi Marcum Aurelianum Verum depravate nominant.

PONDERA.

Ponderum notitiam intricatissimam explanare, non est instituti nostri, neque virium nostrarum. Hæc præstiterunt authores varii & inter alios accuratissime Lucas Pætus de ponderibus & mensuris, libris quinque, Venetiis ann. 1575. excusis. Nicolaus Fabricius Peireskius eandem susceperat provinciam, integrumque hac de re volumen manuscriptum hæredibus reliquit. Ex cujus & aliorum schedis aliqua delibavimus, lucis aliquantulum, ob addita schemata, fœneratura.



Hæc pondera pene omnia sunt ex marmore nigro. Infinita autem extant cum nomine *Turcii Aproniani* Præfecti urbis, quem constat Ethnicum fuisse ex aliis lapidibus. Urbi eum præfecit Julianus Imperator ὁ παραβάτης, teste Ammiano Marcellino lib. 23. Præferunt & nomen *Junii Rustici* Præfecti itidem urbis. Fuit quidam Rusticus Præfectus urbi sub Antonino, teste Epiphanio. At proprie dicti Præfecti urbis inceperunt tantum initio quarti Sæculi: unde Rusticus in hoc pondere notatus, is est qui sub Constante, anno 343. & 345. fuit Præfectus urbi, cum sub eodem Imperatore paulo ante Præfectus urbis fuisset Turcius Apronianus: Olybrius vero sub Constantio ann. 357. Albinus sub Valentiniano. Spectabat autem cura cum aliarum rerum, tum etiam ponderum, ad officium Præfecti urbis: unde Ammianus scribit de Prætextato Præf. urb. *quod pondera per regiones instituerit universas, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret.*

Pondera numerum inscriptum habuisse dicit Isidorus lib. 16. Origin. & confirmant isti ponderum typi. Puncta enim totidem libras ostendunt, vel cistæ adjunctæ, ut P. III. *Pondo trium* librarum.

Inserviebant etiam pondera, ubi reos quæstioni applicare volebant, pedibus appendentes, Cod. Theodos. lib. 3. de exaction. qualia multa Romæ per Ecclesias Martyrum suppliciis serviisse creduntur, ut notavit Baronius in Martyrolog. Extat Lex in Jure Orientali edito ab Henrico Stephano, quæ jubet notas ponderum debere esse claras & intelligibiles etiam a rudibus hominibus. Ecce autem quasdam certiores ponderum proportiones.

Continebat Talentum libras 72. aliqui volunt 120
Libra uncias duodecim.
Uncia duos Stateres.
Stater duos quadrantes.
Quadrans Drachmam, Scrupulum, & Obolum
Drachma tres Scrupulos.
Scrupulus duos Obolos.
Obolus quatuor calculos.
Calculus, ciceris grana duo.

Medietas igitur drachmæ est Scrupulus & Obolus: & Scrupuli decem & octo constituunt unciam unam.

Pondus Romanum, cui inscriptum,

D. IVNIVS L. F. SILANVS
Q. VRB.
S. C.
L. LVCRETIVS L. F. TRICIPITINVS
Q. VRB.

Ex Luca Pæto & Reinesio.

MENSVRAE.



Amphora quam Antiqui, teste Festo, Quadrantal vocabant, utrinque ansata fuit, quod nomen indicat ab *ἀμφι utrinque*, & *φέρω porto*. Fictilis, præterea oblongo collo subtus acuta: quales infinitæ in dies Romæ effodiuntur passim, quasque vulgus urnas omnes putat, quia nonnullæ similes. At sane variis usibus destinata erat amphora, præterquam enim vas erat cinerarium urnæ vicem præstans, erat etiam vas vinarium, olearium & aquarium; unde inter figuras Calendarii antiqui Romani Signum Aquarii sculptum est cum Amphora, & in disticho signa enumerante sub Amphoræ nomine exprimitur.

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, *Pisces.*

Dividebatur amphora debitæ justæque mensuræ in urnas duas, Modios 3. Congios 8. Sextarios 48. Heminas 96. Quartarios 192. acetabula 384. Cyathos 864. Ligulas, seu ut aliqui volunt Cochlearia 2304. Culleus vero constabat Amphoris 20.

Notandum porro Culleum, Amphoram, urnam, congium, fuisse tantum liquidorum mensuram: modium tantum aridorum: sextarium, heminam, quartaria, acetabulum, cyathum, ligulam utrorumque. At autem pondus liquoris quod capiebant singula, ex Dioscoridis testimonio hoc est, Amphora capiebat libras 80 Urna lib. 40. Congius 10. Semicongius 5. Sextarius lib. unam & uncias 8. Hemina seu Cotyla uncias 20. Acetabulum quarta pars heminæ unciam semis & scrupulos 4. Cheme quarta pars cyathi, didrachmas 3. scrup. 1. Amphora ergo tenebat congios 8. & Congius sextarios 6. *Hæc ex schedis Bagarrii.* Sequentia manu *Pithœi* inter *Peireskii* schedas a me reperta.

Cochlear habet dimidiam drachmam, id est, scrupulum & obolum,
Cochlearia tria concham faciunt:
Conchæ octo, cyathum:
Cyathi novem, heminam,
Heminæ duæ, sextarium:
Sextarii sex, congium
Congia quatuor, modium:
Modius unus & semis, urnam:
Urnæ duæ, Amphoram:
Urnæ tres, cadum seu Artabam:
Modii quindecim, Gomor:
Gomor duo, Chorum.

Cochelaria, inquit rursus Bagarrius, & *Ligulas* confundunt quidam: at verisimilius duplo majorem fuisse ligulam, aut (si Pithœi superiorem notam sequamur) quintuplo majorem, cum 24. cochlearia cyathum constituerent, 4. vero ligulæ cyathum, teste Columella. Dioscorides *Chemen* vocat, quod Latini *Ligulam*. De Ligula Martial. in Apophor. *Vocor ab indoctis Lingula Grammaticis.* Ob similitudinem cum cochleari eundemque usum, utrumque conjungit lib. 8. Epigr. 33.

Ligulam cum mittere possis,
Mittere cum possis vel cochleare mihi.

Et Epigramm. 70. ejusd. libri.

Octavius Ligulam misit sextante minorem,
Nonus aculeolos in cochleare tulit.

Strigilem Ligulæ formam habuisse docet *Appulejus* 2. *Floridorum*. Inserviebat abstergendo sudori cutisque immundiciebus, in balneis, talisque in variis marmoribus exhibetur, qualis hic in fig. *Cyathus* pendebat unciam unam, drachmas quinque & scrupulum unum, id est fere uncias duas: unde Hesychius has numerorum fractiones omittens dicit cyathum capere liquoris uncias duas: Κυάθυς, σκαφιώλια, ἀάεια σιδηρᾶ, οἷα κύαθος: δέχεται ἢ ὑγρῦ τινὸς ουγγίας δύο.

Sextarius subdividebatur in cyathos 12. instar assis, id est in sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, semisses, septunces, besses, &c. seu in duos, tres, quatuor, quinque, &c. cyathos: per cyathos enim bibebant antiqui, ut constat ex Martiali, frequentius per trientes, id est quatuor cyathos seu semisfogliettam. Semisextarii vocem retinuit adhuc Gallicum nostrum idioma *Demi-sestier*. Lucas Pætus qui veteres mensuras exacte cum neotericis contulit, scribit sextarium viginti uncias capere, *fogliettam* vero hodiernam tantum 16. at illa diversa est pro variis regionibus. Sextarios etiam subdividebant in Acetabula 8. quartarios 4. heminas 2. Quod si hic aliqua discrepantia observatur, non mea res est: aliena enim retuli.

TOREUMATA.

I Neapoli




II Romæ




III Romæ




IV Romæ



V Romæ




VI Romæ



VII Romæ



VIII Romæ



TOREUMATA varia passim in hoc volumine exhibuimus, pro variis quæ oblatæ sunt differendi occasionibus. Ecce quædam alia selecta, quæ nec injucunda, nec spernenda videbuntur, saltem ab aliis quod sciam, nondum prodita. Toreumata vocamus tabulas lapideas, marmoreas, aut æreas figuris semiextantibus sculptas, quas Itali *Bassi rilievi*, Galli *Bas reliefs*, vocitare solent, ut in hujus Operis Præfatione jam monuimus.

I. *Circen* exhibet quæ veneficam suam potionem juveni cuidam propinare studet: nec non *Herculem*, canem tricipitem Cerberum a se colligatum adducentem; arbore intermedia *poma aurea* ferente, quam custodit ingens Draco.

II. *Pluto* inferorum Monarcha cum tricipite Cerbero, antiquis, *Ditis*, hoc est Plutonis, *canis* dicto, sceptrum sinistra gerens, adstat viro fere nudo in lectulo accumbenti, ob morbum cito Tartara petituro. Infra visuntur vascula duo, & Sandaliorum par.

III. Juvenis cum nova nupta, ambo adhuc coronati, primasque carpturi conjugii rosas, in grabato reclinati, monentur a Ministro, cui in manibus lampas sepulcralis, & rosarum corolla, instare funus acerbum.

IV. Decumbit hic *Marcus Julius Augustianus*, cui *Marcus Julius Animetus Fratri Benemerenti fecit* monumentum defuncto, cuique mater, aut uxor, filiaque adstantes ultimum vale dicunt.

V. *Biclinium* seu duorum accubitus non male dixeris hujusce marmoris typum, quo scilicet modo duo accumbebant in lecto, cum prandium aut cœnam captabant.

VI. Hic vero *Triclinium* habes, trium nempe accubitus ad mensam pastum ineuntium: qui cum tabellis illis orbicularibus, de quibus supra pag. 1217, mentionem fecimus, depinguntur, sive Ethnicorum Deastros, sive Sanctos quosdam Christianos effingere voluerit Pictor. Non enim marmor est: sed pictura ex Virgilio Manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ decerpta. Cujus quidem Manuscripti antiquitas ab Eruditis censetur esse annorum circiter mille: quo sæculo jam dominabatur in Imperio Romano Christiana Religio. De pileis illis in acumen desinentibus & in anteriora recidentibus dicemus paulo infra, & jam vidimus eorum figuram in Midæ Phrygiæ Regis numismate pag. 907.


VII. Ministræ quædam Isidis mysteria ferentes hic exprimuntur. Vasculis enim quæ gestant insident parva Harpocratis Isidis filii, & vaccæ sive bovis simulachra. Apulejus cerimonias similes describens: *Sequebatur bos parentis Deæ simulachrum, quod residens humeris suis præferebat unus e Ministerio*. Spartianus de Commodo: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet & Anubim portaret*. Sacerdotes enim Isidis, aliorumque Deorum, Ægyptii, caput radebant: at utrum id etiam factitarent fœminæ Sacerdotes, mihi dubium est: id saltem heic non observamus.

VIII. Pertinet hæc Tabula marmorea in Quirinali reperta, ad mysteria Matris Deum Cybeles, cui ovis & Pinus sacræ: unde aliquando pini strobilum seu nucem manu gestans depingitur. Vide Gruterianos lapides pag. XVII. Arnobius contra Gentes, lib. 5. *Pinus illa quæ infertur in Sanctum Deæ matris, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Atys virum demessis genitalibus abstulit?* Statius.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumptaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille sacras in pectore Pinus
Sanguineosque rotat crines, &c.

Virgilius Cybelen ita Jovem alloquentem inducit, lib. 9. Æneid.

Pinea sylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa.



Ex Schedis Bagarrianis

IX. Sar-

IX. Sarcophagus est viri & uxoris corpora continens, cum eorum depictis protomis, sive imaginibus pectore tenus. Infra eorum effigies cernitur *juvenis* quidam *junctis bobus terram arans*, quod est conjugii symbolum. Posterioribus enim præcipue sæculis, jugum conjugale bobus sub jugo colligatis compararunt veteres: tuncque invaluit vox *Compar* pro conjuge sæpius in marmoribus usurpata. Gloss. Lat. Gr. *Compar*, Σύζυγος. Ambrosius lib. 8. Epist. 66. *Conjugium vis inter filios nostros componere, quæro utrum pares copulandi, an impares sint: sed ni fallor Compares appellari solent. Boves qui jungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit.* Cassiodorus lib. 5. & 10. Variar. utitur voce *Jugalis*, pro Conjuge. Plin. lib. 8. cap. 23. de serpentibus: *Conjuga ferme vagantur, nec nisi cum compare vita est.* Et quidem latiori significatione sumitur *Compar* pro socio. Auson. *Tu quondam puero compar mihi discipulo.* Cassiodor. l. 8. *Strepentes sturni compares sequuntur exercitus.* August. serm. 52. *Cœpi boni propositi fratres colligere compares meos.*

X. *Rusticani pueri olivas colligentes cucullis induti. Cucullus vel cuculla*, inquit Ugutius, *vestis capitiata & lata, humeros & caput tegens instar capucii.* Erat præcipue pueris in usu. Unde scribit Sozomenus lib. 3. cap. 13. *Monachos Ægypti* κουκούλιον (*Cucullum*) *gestare ostendentes se vitam æque syncceram agere ac pueri, quibus*, inquit, *ejusmodi tiaris caput obvolvitur*, Huc etiam spectat Hieronym. Epist. 22. *Sunt quæ ciliciis vestiuntur & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant.* Cassianus de habitu Monachico l. 4. cap. 4. *Cucullis perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus.* Vide Du-Cange Glossar. med. Latin. in Voce *Cucullus*, & med. Græcit. in V. Κουκούλιον.

XI. *Juvenis* equitans *indutus Cucullo*, qui etiam peregrinantibus familiaris erat ad injurias aeris vitandas, sicuti & ægris.

XII. *Senex mœrens in Cucullo:* unde forte etiam lugentium fuit habitus. Circumstant alii amicam, aut patronam lugentes defunctam.

XIII. *Bigæ Circenses* aurigantibus pueris alatis; in quarum equis observandæ jubæ detonsæ. Inde Ausonius aurigam *bidente* dicit *attondisse forcipe comata colla, ne qua sordidum jugo premente dura vulnus ederet juba.*

XIV. Similis auriga equorum bigam agitans, quos retinere non potens, in terram prolapso invehitur juveni: quo spectant Hieronymi verba in vita Hilarionis: *Oravit semel fixo in terram capite, & abducta ab oratione mens, nescio quid aliud cogitabat, insiliit dorso ejus festinus agitator, & latera calcibus, cervicem flagello verberans; eja, inquit, cur dormitas?*

XV. *Quadrigarium* hic Circensem vides, equos tintinnabulis ornatos habentem. Apud Apulejum lib. 10. asinus *frænis argenteis & pictilibus balteis, & tintinnabulis exornatus*, dicitur. Virgil. 7. *Aurea pectoribus demissa monilia pendent.* Hæc ad Phaleras referri poterant: *Phaleræ enim*, teste Suida, *erant rosæ, aut similia ornamenta capitis equini.*

XVI. At *Victores* comite palma stant hi quatuor *equi*, ducentibus servis. Ante duorum pedes visuntur sacci ligati, hordeum ipsis destinatum continentes. Voces, HOC EST, ALIUD FATERI, ET CREDE, NON LICET, quo referantur, non mihi liquet.

XVII. *Fronte crinita Faunus*, ut in Priap. Virgilio tributis vocatur, lignum igni accendendo ministrat, quo ferveat olla calidam aquam forte continens, quæ olim Romanis in deliciis erat, ut diximus supra, ubi de servis a calida, pag. 1059. quamque Patronus decumbens petere videtur bibendi impatiens. Paulus Jurisconsultus: *nec multum refert inter Cacabos & ahenum quod supra focum pendet: his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Plinius reprehendit morem Romanorum calidam bibendi: *Notandum*, inquit, *nullum aliud animal præter hominem calidos potus sequi.* Frequenter etiam aquam bibebant calidam non solam, sed vino admixtam. Apulejus Milesiarum secundo: *Fotis arripit poculum, ac desuper aqua calida injecta, porrigit.* Lucianus in eadem narratione: Καὶ οἶνος αὐτοῦ παρέκειτο, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον, καὶ ψυχρὸν καὶ θερμόν.



XVIII. Solitaurilia sive *Suovetaurilia*, quorum in hoc marmore apparatus cernitur, fuere veterum sacrificia, *Suis*, *Ovis* & *Tauri*, unde nomen ipsis inditum. Glossæ veteres: *Solitaurilia*, Θυσία ἐκ συὸς, κριοῦ καὶ ταύρου. Hinc expungendæ variæ quæ vocis istius etymologiæ afferuntur. Verrius enim & Festus antiquitus putabant Solitaurilibus nomen impositum fuisse, quod iis *Sollæ* sive Solidæ, non castratæ præberentur hostiæ: *Sollum* quippe *Osce totum & solidum significat*. *Quod si*, addunt, *a Sollo & Tauris nomen hoc ductum est, antiquæ consuetudinis per unum L enunciari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur litera in scribendo*. Jul. Cæsar Scaliger libb. de causis Linguæ Latinæ: *Solitaurilia, non, ut sunt interpretati male veritatem, sue, ove, tauro: neque enim in voce hac, Soli, est ovis: sed sic fuit per initia Sue, Soloce, Tauro: sic enim pecudem lana tectam prisci appellarunt, quam ad sacrificium egregiam habebant, id est e grege segregatam, integram non tonsam: unde & nomen, quoniam cum tota lana esset. Solon enim Osci dicebant totum, ut Græci ὅλον*. At merito hunc etymon rejicit Vossius in Etymol. Ling. Lat. Certius est Glossarum veterum auctoritatem sequi, cum præcipue nomen conveniat in quo confusas fuisse has trium bestiarum nuncupationes quosdam existimare ipse fatetur Festus; sed accedente hocce egregio marmore, nullus ambigendi relinquitur locus. Apparatum enim hic videmus ad sacrificium trium istarum victimarum, quæ a Sacrificulorum ministris seu victimariis deducuntur. Hi coronati procedunt ut solebant in sacrificiis, & eorum unus arboris ramum ad lustralis aquæ aspersionem gestat. Sequitur inde Sacrificator capite velato, vexillumque gestans. Inde tres milites cum clypeis & equo, quia ad ea armati procedebant. Dion. Halicarn. de Tullio, qui hujus sacrificii Auctor fuit: *Omnes cives jussi sunt armati adesse in campo Martio; ibi instructos equites, velites, pedites lustravit Rex tauro, ariete & hirco*. Festus pro *hirco* habet *verre*, quod ad nostram venit sententiam; est enim *verres* porcus mas. Livius: *Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit: idque conditum lustrum appellatum*, spatium scilicet quinque annorum, eo quod singulis quinque annis renovarentur hæ lustrationes.

Sacrificium præcedit comitaturque Rusticorum, Satyrorum, Bacchantiumque familia, choreis, ludis, symphoniæ vacantium. Tubis enim & tibiis quidam, alii utriculari sacco aut crotalis ludunt: Silenum ebrium asino imponunt alii, aut uvas, vinum, frugesque circumgestant: unde *Ambarvalia* quæ simul cum Suovetaurilibus fiebant hic depinguntur. Festum ita dictum, quod Rustici tunc arva ambirent & circuirent, ut fertilitatem a Diis impetrarent. Tibullus Eleg. 1. lib. 2. illud describens.

Quisquis adest, faveat, fruges lustramus & agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.

Eadem ex Virgilio discimus lib. 1. Georgicorum.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus & socii comitantur ovantes.
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis
Quam Cereri tota redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Cato lib. de re Rustica describens lustrationem quam singuli Patresfamilias in agris suis faciebant, preces eorum recitat: *Mars Pater te precor, quæsoque uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundumque meum suovetaurilia circumagi jussi, uti tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque probibessis, defendas, averruncesque, utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandine, beneque evenire sinas: pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque mihi domo, familiæque nostræ*, &c.


XIX Romæ


I Romæ
II Romæ
III Romæ
IV Romæ


V Romæ
VI Romæ
VII Romæ
VIII Romæ

XIX. *Meleagri* venatio hoc exprimitur marmore, qua ferum, ingentemque Sylvæ Calydoniæ aprum interfecit, Diana, Hercule, Theseo, aliisque comitantibus heroibus. Qui quidem Meleager aprum jaculo petens eodem fere modo depingitur in nummo Gordiani Pii, a Samiis cuso, cum voce CAMIΩN: non enim Gordianus est, ut male existimat Jo. Harduinus in nummis Populorum illustratis, is qui feram occidere cernitur in nummo, ut pote sine corona aliisque Imperatoriis ornamentis, sed ipsemet Meleager, cujus historia in Græcia percelebris: quique in aliorum Imperatorum nummis a Samiis exhibetur. Sed cur in hoc marmore cernitur cum aliis Diana, quæ huic venationi tantum abest ut adfuerit, quin potius Meleagrum ob hoc facinus punierit, ut pote quæ aprum ipsum irata adversus Oeneum Meleagri patrem in Calydonium misisset agrum? Annon ergo fuerit Sculptoris memoriæ lapsus?

S T A T U Æ.

Statuas non paucas possemus a nobis observatas & delineatas referre, sed ab aliis jam excusas nolumus iterare; sufficit præter eas quas passim retulimus in hoc opere, nonnullas alias non contemnendas proferre.

I. Signum hoc, sive parva Statua marmorea Romæ effossa anno 1592. in Quirinali retro Sanctæ Susannæ Ædem, *Histrionis* est ore patulo ad risum auditorum movendum, caligasque barbaricas, ut magis ridiculus appareat, induti. Non absimili modo depingitur DAVUS in antiqua pictura Terentii manuscripti Bibliothecæ Vaticanæ, cum barbaricis nempe calceamentis, & ore oculisque multum apertis, quod forte larva est quam gestabant Histriones.

II. At marmoreum istud signum puer est catena vinctus & mœrens forte ut juvenum amore vinctorum servitutem indicet. Apulejus enim de servis loquens, *eorum pedes annulari* dixit. Martialis: *Has dedicat catenas, Saturne, tibi Zoilus annulos priores.*

III. *Æsculapius Telesphoro* comitatus hic cernitur cum baculo & serpente: ut in aliis antiquitatis monumentis. *Telesphorus* ejus comes juvenis est imberbis cucullari veste indutus, ita dictus quasi τέλος φέρων, *finem*, morbo scilicet, *afferens*. De eo vide quæ differit Andreas Morellius in Specimine rei Antiquariæ pag. 56 & 57. & quæ diximus in fine libri nostri Gallici, cui titulus, *Recherches Curieuses d'antiquité*. Videtur autem hæc cucullata lacerna Telesphoro tributa, ægrorum statum designare, qui, non secus ac pueri, ad aeris injurias vitandas, illa utebantur. Artemidor. lib. I. de somniis, *Lanam pro capillis habere, longos morbos & tabem significat*. Ovidius,

Arguat & macies animum, nec turpe putaris
Pileolum nitidis imposuisse comis.

Pro *Pileolum*, aliqui *Palliolum* legunt.

IV. *Miles Pænula indutus*. Erat autem Pænula vestis corpus circumquaque investiens, spissa, frigori & imbribus arcendis. Tertullian. in Apologetico, cap. 6. *Nam ne hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonii Pænulam ludis excogitaverunt*. Artemidor. φαινόλην, id est Pænulam, in somniis visam, ait, *afflictionem & angustiam ac litigantibus damnationem significare, quia circumquaque corpus contineat*. Cucullum sive caputium, quod retro rejici poterat, habuisse videtur; sicque non admodum a Telesphori cucullari veste diversam fuisse patet.

V. & VI. Statuæ sunt Barbarorum quorundam Regum a Romanis in captivitatem ductorum. Pileolo illo teguntur in anteriora reclinante, de quo jam sæpius diximus, populis Orientalibus communi, Armenis præcipue & Parthis: unde Poeta, *Ad Parthos procul ite pileatos*. Tunicæ manica erat item habitus barbaricus: Romanorum enim vestes semper absque manicis, testibus Augustino 3. de Doct. Christ. Gellio lib. 7. cap. 12. Virgilio qui per irrisionem dixit, *Et tunicæ manicas & habent redimicula Mitræ*. Cadente tamen Imperio, uti cœpere Romani. Induti sunt præterea isti Reguli sago & brachis laxis. Strabo lib. 4. ait Gallos *sagis uti, comam nutrire, induique longis fœminalibus*. Idem Persis *brachas* tribuit, *tunicasque manicatas ad genua promissas*, quales hic cernimus. Tacitus brachas tegmen barbarum vocat. Eas hodie servant Armenii & alii Orientales. Fluxas fuisse testatur Diodorus Siculus lib. 6. Calcei etiam veniunt observandi. Iis similes gestabant Longobardi, gens barbara, quæ in Italiam irrepserat. Ita enim Paulus Diaconus: *Calcei iis erant usque ad summum pollicem pedis aperti, & alternatis laqueis corrigiarum retenti.*

VII. Reperta fuit hæcce Statua Romæ, & dum illic versarer anno 1676. in Palatio *di Dom Gasparo* collocata. Regulum autem Barbarum, sicuti & præcedentes, exhibet, sago villoso indutum, sedentemque, ut sæpe captivi depingi solent.

S C R I N I A.

VIII. *Statua* togata & laureata manu libellum aliquem gestans, ad cujus pedes *Scrinium* est, in quo Epistolæ & libelli servabantur. De *Scriniis* jam diximus supra in Sect. VI. Vide fig. 1. & 2. pag. 1079. ubi illa depinguntur. A Scriniis dicti Scriniarii, de quibus ibi sermonem fecimus, & Primiscrinii, quorum mentio in hoc lapide.

Romæ.

VLP. VALERIANVS PRIMISCRINIVS
PRAEF. VRB. QVI VIXIT ANNIS
XXXII MEN. II. REQVIEVIT IN PACE
VIII KAL. SEPT.

Ex sched. Barber.

Primiſcrinius qui primo Scrinio præerat, primus Notarius. Gloſſæ Baſilicorum: πριμοσκρίνιος, ὁ πρῶτος τῆς τάξεως, *Primus Ordinis* Notariorum ſive Secretariorum. *Primicerius*, latiori ſignificatione quicumque primus ſui Ordinis, quaſi primus, inquit Suidas, in ceram ſive tabulas relatus. Apud Codinum *Primicerii Aulæ*, *Notariorum*, *Tabulariorum*, *Lectorum*, &c. obſervantur. *Secundicerius* vero ſecundi Ordinis.

Lugduni, ad D. Irenæum.

IN HOC LOCO REQVIESCIT
FAMOLVS DĪ STEPANVS PRIMICIRIVS
SCOLAE LECTORVM SERVIET IN SECL.
LVGDVNINSI VIXIT ANNOS ΓXIV
OBIIT VIIII XL DECEMBRIS
DVODECIES P. C. IVSTINI
INDICTIONE XV

Exſcripſi.

Stepanus, ſive Stephanus, iſte *Primicerius Scholæ Lectorum Lugdunenſium* defunctus erat *duodecim annis poſt Conſulatum Juſtini*, anno nempe Chriſti 579. SERVIET IN SECL. Id eſt, *ſerviit in ſæculo*, ſeu inter ſæculares. ΓXIV. videtur ſculptum pro LXIV.

Romæ.

D. M.
ET MEMOR. SACRVM.
A. TERENTIO A. LIB. PAL.
SEXTILIANO
SECVNDICERO
VIX. ANN. XLIIX
M. AVREL. EVOK.
COH. VIII. PRAET. AMIC.
KARISSIMO FECIT

Ex ſched. Barberin.

Aulo Terentio Auli Liberto Palatina tribu *Secundicero*. EVOK. *Evocatus*. De Evocatis diximus in Sect. VIII.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO DECIMA.

MARMORA GRÆCA.

ORbi Erudito selecta quamplurima Marmora dedimus in nostro Græciæ Itinerario, quæ ab eo non male accepta præsumimus, ut pote quorum jam pars a posterioribus aliquot Scriptoribus, in eorum rem citantur. Sed quia duntaxat illa tunc produximus, quæ ad urbium quas describebamus notitiam inserviebant, jam alia non pauca vulgare operæpretium est. Ad ea autem tenuitatis nostræ conscii pauculas subjungemus notas, ne si eas multiplicaremus nostri simul crescerent errores. Repetemus & nonnulla quæ in itinerario male sumus interpretati.

Fragmentum Tribuum antiquissimum.

I. *Athenis.*

....	. . .	. . .
....	. . .	. . .
LYKINOΣ	. . .	. . .
ΑΡΧΙΑΣ	. . .	. . .
ΦΟΚΙΟΝ ΤΡΙΕ	. . .	. . .
ΘΟΚΥΔΙΔΕΣ	. . .	. . .
ΑΝΔΡΟΝ	. . .	. . .
ΘΕΟΔΟΤΟΣ	. . .	. . .
LYΣΙΜΑΧΙΔΕΣ	. . .	. . .
ΤΥΡΡΑΝΔΡΟΣ	. . .	. . .
ΒLΕΠΥΡΟΣ	. . .	. . .
ΤΙ...ΟΔΕΜΟΣ	ΦΙLΟΚΡΑ..	. . .
ΧΑΡΙΑΔΕΣ	ΠΙΝΔΑΡΟ..	. . .
LYΣΙΣ	ΧΑΡΙΔΕΜΟ..	. . .
ΚΑLLΙΠΠΟΣ ΕΡΕΤΡΙΕΥΣ	ΣΟΚΡΑΤΙΔΕ..	. . .
ΑΝΤΙΜΑΧΟΣ	ΑΡΙΣΤΟΚΡΑ..	. . .
ΚΕΦΙΣΟΔΟΤΟΣ	ΔΙΟΦΑΝΕΣ	. . .
ΑΝΤΙΚLΕΙΔΕΣ	ΜΕΝΕΚLΕΣ	. . .

ΕΥΦΡΑΝΟΡΙΔΕΣ	ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ	. . . . .
ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ	ΣΟΣΙΠΠΟΣ	. . . . .
ΕΠΙLΕΘΕΣ	ΑΙΣΧΥLΙΔΕΣ	. . . . .
ΜΝΕΣΙΚΡΑΤΕΣ	ΕΦΙΑLΤΕΣ	. . . . .
ΜΙΜΝΟΝ	ΑLΚΑΜΕΝΕΣ	. . . . .
ΘΕΟLΕΝΕΣ	ΦΙLΕΑΣ	. . . . .
ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ	ΠΑΥΣΑΝΙΑ..	. . . . .
ΑΜΦΙΑΝΑΧΣ	. . . .	. . . . .
ΣΟΣΤΡΑΤΟΣ	. . . .	. . . . .
ΕΥΦΑΝΕΣ	. . . .	ΑΝΑΧΣ
ΑΡΧΙΚLΕΣ	. . . .	ΦΙΛΟΝ
ΦΑΝΟΚLΕΙΔΕΣ	ΚΑLLΙΘΑLΕΣ	Η..ΣΤΙΑ..
ΕΥΕΡLΙΔΕΣ	ΝΕ..LΕΙΔΕΣ	ΜΕΝΙ..ΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΝΥΜΟΣ	ΠΑΝΘΑΡΟΣ	LΕΟΝΤΙΔΟΣ
ΚΕΦΙΣΟΔΟΡΟΣ	ΕΣΙ...ΧΟΣ	ΑΡΙΣΤΕΙΔΕΣ
ΘΕΟΦΑΝΕΣ	ΦΙLΙΠΠΟΣ	LΥΣΙΣΤΡΑΤΟΣ
ΟΦΣΙΑΔΕΣ	ΤΙΜΟΚΡΑΤΕΣ	ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ
ΝΙΚΙΑΔΕΣ	ΘΕΟΚΡΙΤΟΣ	ΝΙΚΟΚLΕΣ
ΚΑLLΙΤΕLΕΣ	ΜΝΕΣΙΚΡΑΤΕΣ	
ΣΑΤΥΡΟΣ	ΠΕΡΙΚLΕΣ	ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ
ΑΡΙΣΤΥΛΛΟΣ	ΑΝΤΙΔΟΤΟΣ	ΟΛΥΝΠΙΑΡΑΤΟΣ
ΕΡLΟΤΙΜΟΣ	ΙΟΦΑΝΕΣ	ΑΥΤΟΜΑΘΕΣ
ΕΥΦΙLΕΤΟΣ	LΥΣΙΜΑΧΟΣ	LΕΟΝΙΔΕΣ
ΕΠΙΔΡΟΜΟΣ	ΘΕΟLΝΕΤΟΣ	ΔΕΜΕΤΡΙΟΣ
LΥΚΕΑΣ ΤΡΙΕ	ΑΡΙΣΤΟΚLΕΣ	ΡΙΝΟΝ
ΤLΕΣΟΝΙΔΕΣ	ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΣ	ΑLΕΧΣΙΠΠΟΣ
ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ	ΦΙLΟΔΕΜΟΣ	ΑΡΧΙΑΣ
ΕΚΦΡΑΝΟΡ	ΧΣΕΝΟΧΑΡΕΣ	ΧΑΙΡΕΦΟΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΕΣ	ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ	ΟΙΝΕΙΔΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΜΕΔΕΣ	ΑLΤΙΝΟΣ	
LΥΣΙΦΑΝΕΣ	ΚΑΛΛΙΦΟΝ	ΔΙΟΚLΕΙΔΕΣ
ΚΑLLΙΦΟΝ	ΝΙΚΙΑΣ	ΑΜΕΙΝΟΚΡΑΤΕΣ
ΑΝΤΙΚLΕΣ	ΚΑLLΙΑΣ	ΤΙΜΟΘΕΟΣ
ΚΑLLΙΑΣ	ΦΙΛΕΑΣ	ΚΕΚΡΟΠΙΔΟΣ
ΕΥΠΟLΙΣ	ΑΝΤΙΧΑΡΕΣ	ΤΕLΕΣΕΔΟΡΟΣ
ΑΝΤΙΦΑΝΤΟΣ	ΕΥΘΟΙΝΟΣ	ΣΑΤΥΡΟΣ
LΟΡLΟΣ	ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΔΙΕΙΤΡΕΦΕΣ
ΣΟΤΙΜΟΣ	ΔΙΦΙLΟΣ	LΕΟΧΑΡΕΣ

ΑΡΙΣΤΟΚLΕΣ	ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ	ΔΟΡΟΘΕΟΣ
ΑΠΟLLΟΔΟΡΟΣ	ΗΑLΝΟΝ	ΑΡΧΙΑΣ
ΕΥΘΥΚLΕΙΔΕΣ	ΣΜΙΚΥΘΟΣ	ΠΡΟΜΑΧΟΣ
ΑΡΧΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΚΤΕΣΙΦΟΝ	ΗΙΠΠΟΘΟΝΤΙΔΟΣ
ΑΜΕΝΙΤΟΣ	ΕΠΙLΥΣΑΜΕΝΟΣ	
. . . . . .	ΧΑΙ...ΟΝ	ΠΥΘΟΔΟΡΟΣ ΦΥΛΑΡΧ
. . . . . .	ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΦΑΝΟΚΛΕΣ
. . . . . .	ΜΝΕΣΙΚLΕΣ	ΦΙLΟΝ
. . . . . .	. . . . . .	ΔΕΙΝΙΑΣ
. . . . . .	. . . . . .	ΣΠΕΥΣΟΝ
. . . . . .	. . . . . .	ΑΝΤΙΑΣ
. . . . . .	. . . . . .	ΣΙΛΑΝΟΣ
. . . . . .	. . . . . .	ΑΙΣΙΜΕΔΕΣ
. . . . . .	. . . . . .	ΣΟΣΙΜΑΧΟΣ
. . . . . .	. . . . . .	ΠΡΟΜΑΧΟΣ
. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .

Reperiuntur ibidem alia duo Fragmenta Pandionidis & Leontidis Tribus, in quibus nuda leguntur Tribulium nomina eodem modo ὀρθογραφώμενα, verbi gratia ΚΑΛΛΙΧΣΕΝΟΣ, ΧΣΕΝΥLLΟΣ, ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ, ΗΙΕΡΟΝΥΜΟΣ, ΧΣΕΝΟΦΙLΟΣ, ΕΡΧΣΙΜΕΝΕΣ, ΗΥΠΕLΕΙΟΣ, ΔΙΟΝ, ΑΝΤΙΦΟΝ, ΧΣΕΝΟΚLΕΣ, &c.

Omnium certe Athenienſium marmorum hæc tria antiquiſſima ſunt, cum ſculpta videantur eo tempore, quo nondum in Alphabeto Græcis notæ erant hæ literæ Z. H. Ω. Ξ. Etiamſi enim H adſit in vocibus ΗΙΠΠΟΘΟΝΤΙΔΟΣ, ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ, ΗΑΛΝΟΝ, ΗΙΕΡΟΥΜΟΣ, ibi tantum vicem præſtant aſpirationis a qua noſtrum H Latinum habemus. At vero in omnibus nominibus quæ deſinere debent in ΗΣ, ſimplex ΕΣ legitur, ut & in aliis mediis ſyllabis: ſic ΔΕΜΕΤΡΙΟΣ pro ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ. Pariter ubicunque Ω deberet eſſe, ſimplex adeſt Omicron, & loco literæ Ξ, duplex litera ſculpitur Χ Σ. Atqui ſcimus H, & Ω, & Z, Alphabeto Græco adjectas fuiſſe a Simonide, quem vixiſſe ait Euſebius 61. Olympiade, hoc eſt anno Urbis conditæ 221. ante Chriſti nativitatem 532. Ergo antiquiores ſunt hæ inſcriptiones, cum eæ tres literæ deſint. Ajunt Simonidem etiam Ψ addidiſſe, Palamedem vero Ξ durante obſidione Trojana. At Ψ hic adeſt, non Ξ. Unde putem Palamedem addidiſſe Ψ & Simonidem Ξ. Obſervanda etiam venit litera Lambda quæ Latino more L. ſcribitur: nullibi vero ſic Λ: quod nummos Græcos præcipue in Ægypto cuſos illuſtrat, in quibus frequentiſſime hæ notæ viſuntur L. Δ L. Γ., &c. Quærunt enim quare litera Latina L. cum Græca Γ & Δ aut ſimili conjungitur, & an illud L. ſignificet *Lycabas* quod annum apud antiquos Græcos ſignificabat? Ad quæ nunc facilis reſponſio, non eſſe literam Latinam, ſed Græcam antiquam, quæ quidni *Lycabantem* antiquo dicendi more annum deſignabit? Ex his etiam marmoribus intelligi poteſt, quare omnes fere Athenienſium nummi nomen urbis ſic ſignent ΑΘΕ. id eſt ΑΘΕΝΑΙΩΝ: non vero ΑΘΗ. Nempe quia primum urbis nomen ita ſcriptum præferebatur, cum abeſſet adhuc ex Alphabeto litera H: antiquumque hunc uſum obſervare vellent Monetarii.

Cæterum de Athenienſium Tribubus & Populis ſatis fuſe diximus in noſtro Græciæ Itinerario ad marmor elegans tredecim Tribuum.

II. *Athenis, apud D. Giraud, tunc temporis Anglorum Consulem.*

Stat Juvenis palmam tenens.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ

ΧΑΙΡΕ

Nicephorus, Nicephori. Vale. Pausanias lib. secundo Sicyoniorum monumenta sic describit huic prorsus similia. Αὐτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι. τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσιν, λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα κίονας ἐφιστᾶσι, καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς αἰετοὺς μάλιστα τοῖς ἐν ναοῖς· ἐπίγραμμα δὲ ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδέν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες, κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν. *Ad hunc autem fere modum suorum sepeliunt cadavera: corpus terra condunt, & lapidea basi extructa columnas erigunt, superpositis fastigiis instar eorum quæ in Templis sunt,* (quæ Græcis Aquilæ dicuntur) *Inscribentes vero nihil aliud præter nomen, patris prætermisso nomine mortuum valere jubent.* Hic tamen Patris nomen. Sed hæc monumenta non solis Sicyoniis, sed & Atheniensibus aliisque Græcis usurpata, ut passim hisce in marmoribus videre licebit.

III. *Athenis, ad ædiculam quandam Græcorum.*

Η ΠΟΤΕ ΚΥΔΙΟΩΣΑ ΞΑΝΘΑΙΣ ΕΠΙΚΡΑΤΟΣ ΕΘΕΙΡΑΙΣ

ΚΑΙ ΧΑΡΙΤΟΒΛΕΦΑΡΟΙΣ ΟΜΜΑΣΙ ΛΑΜΠΟΜΕΝΗ

ΧΙΟΝΕΙΟΙΣΙ ΕΥΠΡΕΠΟΥΣΑ ΠΡΟΣΩΠΟΙΣ Η ΔΕ ΠΑΡΕΙΑΙΣ

ΚΑΙ ΓΛΥΚΕΡΟΥ ΣΤΟΜΑΤΟΣ ΟΠΑ ΛΙΡΙΟΕΣΣΑΝ ΙΕΙΣΑ

ΧΕΙΛΕΣΙ ΠΟΡΦΥΡΕΟΣΙ ΕΛΕΦΑΝΤΙΝΕΩΝ ΔΙ ΟΔΟΝΤΩΝ

ΠΑΝΤΟΙΗΝ ΔΕ ΑΡΕΤΗΝ ΠΕΡΙ ΚΑΛΛΕΙ ΣΩΜΑ ΤΙΘΕΙΣΑ

ΗΝ ΤΕΚΕΝ ΕΥΤΥΧΙΔΗ ΣΘΕΝΑΡΩ ΚΙΛΙΚΙΣ ΧΑΡΙΤΩΠΙΣ

ΕΙΚΟΣΙΠΕΝΤΑΕΤΗΣ ΤΡΥΦΕΡΑ ΤΗ Δ ΕΝ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΤΑΙ

ΕΡΜΕΡΟΣ ΔΕ ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΙΟ ΠΑΤΡΟΣ ΚΑΙ ΜΗΤΕΡΟΣ

ΜΝΗΜ ΑΛΟΧΩ ΦΙΛΙΗ ΘΗΚΑΤΟ ΚΟΥΡΙΔΙΗ

Exscripsi.

Id est,

Quæ quondam gloriabatur flavo admodum capillitio,
Et oculis quorum palpebris insidebant Gratiæ, collucens,
Nivea decorata facie & genis,
Et ex dulci ore vocem suavem mittens
Labiis purpureis per eburneos dentes,
Quæque omnimodam virtutem præter pulchritudinem corpori superaddiderat,
Quam peperit Eutychidæ Sthenaro Cilicissa Charitopis,
Viginti quinque annorum Tryphera in hac terra jacet:
Hermerus autem ex Aristomacho patre & matre genitus,
Monumentum consorti carissimæ posuit puellæ.

IV. *Ibidem, in ædibus viduæ Kira Erini.*

....ΠΟΠΙΛΛΙΟΣ
...ΟΥ ΤΑΤΙΑΝΟΣ
ΣΙΝΟΠΕΥΣ ΥΙΟΣ
ΠΟΠ. ΟΥΦΙΚΙΑΝΟΥ
ΔΙΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΑΙ
ΣΗΣΤΙΑΣ ΜΑΡΚΙΑΝΗΣ
ΙΕΡΕΙΑΣ ΜΕΓΑΛΗΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΕΝΘΑΔΕ ΚΑΤΑΚΕΙΤΑΙ
ΕΤΩΝ ΚΒ

Exscripsi.

Id est, *Popillius Tatianus Sinopensis filius Popilli Officiani bis Summi Sacerdotis, & Sextiæ Marcianæ Sacerdotis Magnæ Minervæ hic jacet annorum viginti duo.*

V. *Ibidem prope Forum.*

ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΘΗ ΕΚ ΤΩΝ ΔΗΜΟΣΙΩΝ
ΧΡΗΜΑΤΩΝ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΟΝΤΟΣ
ΑΙΛΙΟΥ ΟΜΟΥΛΛΟΥ

Exscripsi.

Id est, *Restauratum est ex populi pecunia curante Ælio Homullo.*

VI. *Athenis, in ædibus Jani Mistrigo.*

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ ΚΑΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΙΟΥ
ΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ
ΜΕΓΑΛΗΝ ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙ
ΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟ
ΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙ
ΑΣ ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟΛΕ
ΩΣ ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΟΕΓΕΝΟΥΣ
ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Exscripsi.

Hoc est. *Senatus Areopagi & Senatus Mille* Civium *& Populus, Juliam Berenicem Reginam Magnam Julii Agrippæ filiam, & magnorum Regum Benefactorum urbis sobolem,* hac Statua venerantur, *providente urbis Curatore Tiberio Claudio Theogene Pæaniensi.*

Hujufce Reginæ Berenices mentio eſt in Actis Apoſtol. cap.25. ut & ejus fratris Agrippæ Regis, coram quibus Divus Paulus ſuam cauſam peroravit. Filii erant Julii Agrippæ Judææ Regis, quem alii Herodem Agrippam, ſive Agrippam veterem nominant, Cæſareæ ab Angelo percuſſi, ut in Actis Apoſt.cap. 12. narratur. Nupſit Berenice patruo ſuo Herodi Chalcidico Agrippæ fratri Chalcidis Regi: de quibus conſulendæ Joſephi Antiquit. Judaic. Fuit alia Berenice Ptolomæi Ægypti Regis uxor,a qua pagus Athenienſis Berenicidæ nomen habuit. De Senatu ſive Concilio *Mille*, Athenis, rara eſt mentio. Erat quidem Senatus quingentorum ex decem Tribubus, quinquaginta ſcilicet Magiſtratuum ſive Prytanum ex ſingulis, imo & ſexcentorum cum duæ Tribus ſunt additæ. Ex quo & aliis Senatibus adjunctis aliquando coibat Senatus iſte mille Civium.

Julius Pollux id explanat. Ἡ ἡλιαία δὲ πεντακοσίων, εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίσαντο δύο δικαστήρια· εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων τρία. *Heliæa vero quingentorum erat. Quod ſi autem mille Judicibus opus eſſet, duo fora conjungebantur, ſi mille & quingentis, tria.* Heliæa, inquit Harpocration, eſt maximum Tribunal Athenis in quo negotia publica tractabantur: & Etymologici Author: Ἡ βουλὴ συνεστῶσα ἐξ ἀνδρῶν χιλίων. *Senatus conſtans e viris mille.* Si plura deſideras, vide Meurſium, libro de Areopago c.x I.

VII. *Athenis, in ædicula D. Nicolai ſub Columnis Hadriani.*

. . . .

ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΟΥ ΕΠΙ ΠΑΛΛΑΔΙΟΥ ΚΑΙ ΒΟΥΖΥΓΗC ΠΟΛ... ΝΟΥΜΑ.. ΩΝ

ΧΡΗCΑΝΤΟC ΤΟΥ ΠΥΘΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟC ΟΤΙ ΧΡΗCΤΕΡΟΝ ΕΔΟ .... ΤΗC ΠΑΛΛΑΔΟC ΚΑΤΑ

CΚΕΥΑCΑCΘΑΙ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΠΟΙΗCΑC ΤΟΙC ΤΕ ΘΕΟΙC ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ

Fragmentum hoc explicare non aggrediar. Id ſolum notabo fuiſſe Tribunal Athenis ubi de cædibus involuntariis judicabatur, cui nomen erat τὸ ἐπὶ παλλαδίῳ, quod ibi *Palladium* Trojanum ab hujus urbis direptione ablatum conſecratum fuiſſet. Vide *Pauſaniæ* Attica, Pollucem, & Meurſium, lib.de Areopago cap. 11. *Buzyges* fuit Heros Athenienſis, qui teſte Plinio bovem & aratrum invenerat. Idem fere Heſychius. Βουζύγης, ἥρως Ἀττικὸς βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας. *Buzyges Heros Atticus, qui primus boves aratro junxit.*

VIII. *Athenis, in ædibus Kira Erini.*

ΕΝΘΑΔΕ ΔΙΑΛΟΓΟΣ ΚΑΘΑΡΩ ΠΥΡΙ ΓΥΙΑ ΚΑΘΗΡΑΡΑΣ

ΑΣΚΗΤΗΣ ΣΟΦΙΗΣ ΩΧΕΤ ΕΣ ΑΘΑΝΑΤΟΥΣ

ΕΝΘΑΔΕ ΔΙΑΛΟΓΟΙΟ ΣΑΟΦΡΟΝΟΣ ΟΣΤΕΑ ΚΕΥΘΕΙ

ΓΥΜΝΑΖ ΩΣ ΑΜΦ ΑΡΕΤΗΝ ΕΠΛΕΤΟ ΚΑΙ ΣΟΦΙΗΝ

ΑΛΛΑ Τ Α ΜΕΝ ΚΕΥΘΕΙ ΜΙΚΡΑ ΚΟΝΙΣ ΑΜΦΙΧΥΘΕΙΣΑ

ΨΥΧΗΝ Δ ΕΚ ΜΕΛΕΩΝ ΟΥΡΑΝΟΣ ΕΥΡΥΣ ΕΧΕΙ

Exſcripſi.

Id eſt.

Heic DIALOGUS, qui membra nitido igne expiavit,
Cultor Sapientiæ perrexit ad Immortales.
Heic DIALOGI temperantis oſſa conduntur,
Qui occupatus fuit circa Virtutem atque Sapientiam.
Cæterum hoc quidem loco jacet paucus cinis circumfuſus,
Animam vero extra artus amplum cœlum obtinet.

IX. *Ibidem*.

ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΠΑΙΣ
ΣΤΩΙΚΟΣ
ΘΕΟΞΕΝΟΣ
ΕΝΤΑΥΘΑ
ΠΑΤΡΕΥΣ
ΑΛΛΑΓΑΝ
ΚΕΙΤΑΙ ΝΕΟΣ

Exscripsi.

Achillis Filius Stoicus Theoxenus Patrensis hic, verumtamen juvenis jacet.

X. *Athenis, in ædibus D. Limbona.*

ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ
ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙΚΟΝ ΗΡΩΔΗΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΝ Η ΑΝΤΙΟΧΙΣ ΦΥΛΗ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ

Exscripsi.

Id est, *Antiochis Tribus* Diis commendat & *consecrat Tiberium Claudium Atticum Herodem Marathonium, Pontificem Augustorum, ob benevolentiam & beneficentiam*, quas *in patriam suam* testatus est.

Marathone, quæ erat unus ex populis Atticæ, natum fuisse Herodem Atticum ostendit hæc Inscriptio; inde factum ut inibi sepeliri a suis Libertis voluerit; sed non id permiserunt Athenienses, quorum juvenes eum sustulerunt & in stadio Panathenaico ab eo extructo sepelierunt, universo funus cum lachrymis comitante populo, quasi communem parentem amisisset.

XI. *Megaris.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙΚΟΝ
ΥΠΑΤΟΝ ΕΠΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΙΣ
ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑ ΤΗ ΠΡΟΣ ΤΗΝ
ΠΟΛΙΝ

Exscripsi.

Senatus & Populus Megarensis *Tiberium Claudium Atticum Consulem ob beneficia & benevolentiæ officia, quæ in urbem contulit.*

Sed ecce hujusce elegantem Inscriptionem Romæ in via Appia effossam, a Casaubono & Arcudio olim editam & explicatam, in qua Fundi cujusdam mentio ab Herode Attico dedicati: similemque Regillæ, ipsius uxoris.

XII. *Romæ, in villa Borghesia.*

ΠΟΤΝΙ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΠΙΗΡΑΝΕ ΤΡΙΤΟΓΕΝΕΙΑ
ΗΤ ΕΠΙ ΕΡΓΑ ΒΡΟΤΩΝ...ΛΑΙΣ ΡΑΜΝΟΥΣΙΑΣ ΟΥΠΙ
ΓΕΙΤΟΝΕΣ ΑΓΧΙΘΥΡΟΙ ΡΩΜΗΣ ΕΚΑΤΟΝΤΟΠΥΛΟΙΟ
ΠΕΙΟΝΑ ΔΗ ΚΑΙ ΤΟΝ ΔΕ ΘΕΑΣ ΤΕΙΜΗΣΑΤΕ ΧΩΡΟΝ
ΔΗΜΟΝ ΔΗΩΟΙΟ ΦΙΛΟΞΕΙΝΟΝ ΤΡΙΟΠΑΟ
ΤΟΦΡΑΚΕ ΚΑΙ ΤΡΙΟΠΕΙΑΙ ΕΝ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ ΑΝΕΓΗΣΘΟ
ΩΣ ΟΤΕ ΚΑΙ ΡΑΜΝΟΥΝΤΑ ΚΑΙ ΕΥΡΥΧΩΡΟΥΣ ΕΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΗΛΘΕΤΕ ΔΩΜΑΤΑ ΠΑΤΡΟΣ ΕΡΙΓΔΟΥΠΟΙΟ ΛΙΠΟΥΣΑΙ
ΩΣ ΤΗΝ ΔΕ ΡΩΕΣΘΕ ΠΟΛΥΣΤΑΦΥΛΟΝ ΚΑΤ ΑΛΩΗΝ
ΛΗΙΑΤΕ ΣΤΑΧΥΩΝ ΚΑΙ ΔΕΝΔΡΕΑ ΒΟΤΡΥΟΕΝΤΑ
ΛΕΙΜΟΝΩΝ ΤΕ ΚΟΜΑΣ ΑΠΑΛΟΤΡΕΦΕΩΝ ΕΦΕΠΟΥΣΑΙ
ΥΜΜΙ ΓΑΡ ΗΡΩΔΗΣ ΙΕΡΗΝ ΑΝΑ ΓΑΙΑΝ ΕΗΚΕ
ΤΗΝ ΟΣΗΝ ΠΕΡΙ ΤΕΙΧΟΣ ΕΥΤΡΟΧΟΝ ΕΣΤΕΦΑΝΩΤΑΙ
ΑΝΔΡΑΣΙΝ ΟΨΥΓΟΝΟΙΣΙΝ ΑΚΙΝΗΤΗΝ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΝ
ΕΜΜΕΝΑΙ ΗΔΕΠΙΟΙ ΕΞ ΑΘΑΝΑΤΟΙΟ ΚΑΡΗΝΟΥ
ΣΜΕΡΔΑΛΕΟΝ ΟΙΣΑΣΑ ΛΟΦΟΝ ΚΑΤΕΝΕΥΣΕΝ ΑΘΗΝΗ
ΜΗ ΤΟΙ ΝΟΙΠΟΙΝΟΝ ΒΩΛΟΝ ΜΙΑΝ Η ΕΝΑ ΛΑΑΝ
ΟΧΛΙΣΣΑΙ ΕΠΕΙΟΥ ΜΟΙΡΕΩΝ ΑΤΡΕΙΣΣΑΝ ΑΝΑΓΚΑΙ
ΟΣΚΕ ΘΕΩΝ ΕΔΕΕΣΣΙΝ ΑΛΙΤΡΟΣΥΝΝΗΝ ΑΝΑΘΗΙΗ
ΚΑΥΤΕ ΠΕΡΙΚΤΙΟΝΕΣ ΚΑΙ ΓΕΙΤΟΝΕΣ ΑΓΡΟΙΩΤΑΙ
ΙΕΡΟΣ ΟΥΤΟΣ Ο ΧΩΡΟΣ ΑΚΙΝΗΤΟΙ ΔΕ ΘΕΑΙΝΑΙ
ΚΑΙ ΠΟΛΥΤΙΜΗΤΟΙ ΚΑΙ ΥΠΟΣΚΕΙΝΟΥΑΣ ΕΤΟΙΜΑΙ
ΜΗΔΕ ΤΙΣ ΗΜΕΡΙΔΩΝ ΟΡΧΟΥΣ Η ΕΝΑΛΣΕΑ ΔΕΝΔΡΩΝ
Η ΠΟΙΗΝ ΧΙΛΩΙ ΕΥΑΛΔΕΙ ΧΛΩΡΑ ΘΕΟΥΣΑΝ
ΔΜΩΗΝ ΚΥΑΝΕΟΥ ΑΙΔΟΣ ΡΗΞΙΕ ΜΑΚΕΛΛΑΝ
ΣΗΜΑ ΝΕΟΝ ΤΕΥΧΩΝ ΗΕ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΚΕΡΑΙΞΩΝ
ΟΥ ΘΕΜΙΣ ΑΜΦΙ ΝΕΚΥΣΣΙ ΒΑΛΕΙΝ ΙΡΟΧΘΟΝΑ ΒΩΛΟΝ
ΠΛΗΝ Ο ΚΕΝ ΑΙΜΑΤΟΣ ΗΙΣΙ ΚΑΙ ΕΓΓΕΝΟΣ ΕΣΣΑΜΕΝΟ
ΚΕΙΝΟΙΣ Δ ΟΥΚ ΑΘΕΜΙΣΤΟΝ ΕΠΕΙ ΤΙΜΑΟΡΟΣ ΕΣΤΩΡ
ΚΑΙ ΓΑΡ ΑΘΗΝΑΙΑ ΠΕΡΙ ΧΘΟΝΙΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ
ΝΗΩΙ ΕΓΚΑΤΕΘΗΚΕ ΣΥΝΕΣΤΙΟΝ ΕΜΜΕΝΑΙ ΙΡΩΝ
ΕΙ ΔΕ ΤΩΙ ΑΚΛΥΤΑ ΤΑΥΤΑ ΚΑΙ ΟΥΚ ΕΠΙΠΕΙΣΕΤΑΙ ΑΥΤΩΝ
ΑΛΛ ΑΠΤΟΙΜΗΣΕΙ ΜΗ ΟΙ ΝΗΤΙΤΑ ΓΕΝΗΤΑΙ
ΑΛΛΑ ΜΙΝ ΑΠΡΟΦΑΤΟΣ ΝΕΜΕΣΙΣ ΚΑΙ ΡΟΜΒΟΣ ΑΛΑΣΤΩΡ
ΤΙΣΟΝΤΑΙ ΣΤΥΓΕΡΗΝ ΔΕ ΚΥΛΙΝΔΗΣΕΙ ΚΑΚΟΤΗΤΑ
ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΘΙΜΟΝ ΤΡΙΟΠΕΩ ΜΕΝΟΣ ΑΙΟΛΙΔΑΩ

ΩΝΑΘ ΟΤΕ ΝΕΙΟΝ ΔΗΜΗΤΕΡΟΣ ΕΞΑΛΑΠΑΞΕΝ

ΤΩ ΗΤΟΙ ΠΟΙΝΗΝ ΕΠΩΝΥΜΙΗΝ ΔΑΣΑΣΘΑ

ΧΩΡΟΥ ΜΗΤΟΙ ΕΠΗΤΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΕΙΟΣ ΕΡΙΝΥΣ

Vidi & perlegi post Arcudium.

Explicatio ad verbum ab Arcudio edita.

Veneranda Athenarum præses Minerva e Jovis capite nata,
Et quæ opera hominum subsequeris Rhamnusia,
Vicinæ prope Urbis (Romæ) mœnia centum portas habentis,
Uberem quoque hunc, o Deæ, honoretis locum,
Pagum Cereri addicti hospitalem Triopii,
Interim & Triopes inter mortales dicamine,
Sicut cum & Rhamnuntem & amplas Athenas
Venistis, ædibus Patris grandisoni relictis,
Ita hanc properate v nearum plenam ad aream,
Et campos segetum & arbores vitiferas,
Pratorumque gramina teneras herbas alentium foventes;
Vobis enim Herodes terram suam dicavit
Tantam quanta est muro bene ædificato circumsepta,
Hominibus posteris immobilem atque inviolabilem
Futuram. Ipsa vero illi immortali capite
Horribilem quatiens cristam annuit Minerva,
Ne cui liceat impune glebam unam vel unum lapidem
Movere, quoniam Parcarum formidandarum sortes inevitabiles,
Si quis Deorum Delubris injuriam attulerit.
Audite accolæ & vicini agricolæ,
Sacer hic locus, & immobiles Deæ,
Et valde honorabiles, & præbere aures paratæ.
Ne quis etiam vinearum ordines, aut in nemora arborum,
Aut herbam humore bene nutriente virescentem & crescentem,
Servum atri Plutonis adjiciat ligonem,
Sepulchrum novum condens aut vetus destruens:
Non est fas contegere mortuos e terra Diis dicata,
Præterquam illi qui sit consanguineus & posterus ejus qui extruxit:
Illis enim est licitum: quandoquidem vindex adest conscius.
Namque Minerva sibi inferum Regem
In templo adscivit ut contubernalis sit sacrorum.
Si cui vero non audita hæc; & non obediet illis,
Sed despiciet, non illi sine pœna redeat;
Sed ipsum repentina Nemesis & turbo pœnarum exactor
Punient; infestam vero illi advolvet ærumnam.
Neque enim generosam Triopæ vim Æolidæ
Juvit, cum nemus Cereris excidit:
Idcirco sane pœnam aut titulum illi vereantur
Loci, ne sequatur Triopæa Erynnis.

XII. *Alia ibidem, ad Regillam Herodis uxorem pertinens.*

ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ

ΔΕΥΡΙΤΕ ΘΥΒΡΙΑΔΕΣ ΝΗΟΝ ΠΟΤΙ ΤΟΝ ΔΕ ΓΥΝΑΙΚΕΣ

ΡΗΓΙΛΛΗΣ ΕΔΟΣ ΑΜΦΙ ΘΥΟΣΚΟΑ ΙΡΑ ΦΕΡΟΥΣΑΙ

ΗΔΕ ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ ΜΕΝ ΕΝΗ ΕΞ ΑΙΝΕΑΔΑΩΝ

ΑΓΧΙΣΕΩ ΚΛΥΤΟΝ ΑΙΜΑ ΚΑΙ ΙΔΑΙΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ

ΓΗΜΑΤΟ Δ ΕΣ ΜΑΡΑΘΩΝΑ ΘΕΑΙ ΔΕΜΙΝ ΟΥΡΑΝΙΩΝΑΙ

ΤΙΜΟΥΣΙΝ ΔΗΩΤΕ ΝΕΗ ΔΗΩΤΕ ΠΑΛΑΙΗ
ΤΗΣΙΠΕΡ ΙΕΡΟΝ ΕΙΔΟΣ ΕΥΖΩΝΟΙΟ ΓΥΝΑΙΚΟΣ
ΑΓΧΕΙΤΑΙ ΑΥΤΗ ΔΕΜΕΘΗΡΩΝ ΗΣΙΝ ΕΝΑΣΤΑΙ
ΕΝ ΜΑΚΑΡΩΝ ΝΗΣΟΙΣΙΝ ΙΝΑ ΚΡΟΝΟΣ ΕΝΒΑΣΙΛΕΥΕΙ
ΤΟΥΤΟ ΓΑΡ ΑΝΤ ΑΓΑΘΟΙΟ ΝΟΟΥ ΕΙΛΗΧΕΝ ΑΠΟΙΝΟΝ
ΩΣ ΟΙ ΖΕΥΣ ΩΚΤΕΙΡΕΝ ΟΔΥΡΟΜΕΝΟΝ ΠΑΡΑΚΟΙΤΗΝ
ΓΕΡΑΙ ΕΝ ΑΖΑΛΕΩΙ ΧΗΡΗΙ ΠΕΡΙΚΕΙΜΕΝΟΝ ΕΥΝΗΙ
ΟΥΝΕΚΑ ΟΙ ΠΑΙΔΑΣ ΜΕΝ ΑΜΥΜΟΝΟΣ ΕΚ ΜΕΓΑΡΟΙΟ
ΑΡΠΥΙΑΙ ΚΛΩΘΩΕΣ ΑΝΗΡΕΙΨΑΝΤΟ ΜΕΛΑΙΝΑΙ
ΗΜΙΣΕΑΣ ΠΛΕΟΝΟΗ ΛΟΩΔΕΤΙ ΠΑΙΔΕ ΛΙΠΕΣΘΟΝ
ΝΗΠΙΑΧΩ ΑΓΝΩΤΕ ΚΑΚΩΝ ΕΤΙ ΠΑΜΠΑΝ ΑΠΥΣΤΩ
ΟΙΗΝ ΣΦΙΝ ΝΗΛΗΣ ΚΑΤΑ ΜΗΤΕΡΑ ΠΟΤΜΟΣ ΕΜΑΡΨΕ
ΠΡΙΝ ΠΕΡ ΓΗΡΑΙΗΣΙ ΜΙΓΗΜΕΝΑΙ ΗΛΑΚΑΤΗΙΣΙ
ΤΩΙ ΔΕ ΖΕΥΣ ΕΠΙΗΡΟΝ ΟΔΥΡΟΜΕΝΩ ΑΚΟΡΗΤΟΝ
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΔΙΙ ΠΑΤΡΙ ΦΥΗΝ ΚΑΙ ΜΗΤΙΝ ΕΟΙΚΩΣ
ΖΕΥΣ ΜΕΝ ΕΣ ΩΚΕΑΝΟΝ ΘΑΛΕΡΗΝ ΕΣΤΕΙΛΕ ΓΥΝΑΙΚΑ
ΑΥΡΗΣΙ ΖΕΦΥΡΟΙΟ ΚΟΜΙΖΕΜΕΝ ΗΛΥΣΙΗΣΙΝ
ΑΥΤΑΡ Ο ΑΣΤΕΡΟΕΝΤΑ ΠΕΡΙΣΦΥΡΑ ΠΑΙΔΙ ΠΕΔΙΛΑ
ΔΩΚΕΝ ΕΧΕΙΝ ΤΑ ΛΕΓΟΥΣΙ ΚΑΙ ΕΡΜΑΩΝΑ ΦΟΡΗΝΑΙ
ΗΜΟΣ ΟΤ ΑΙΝΕΙΑΝ ΠΟΛΕΜΟΥ ΕΞΗΓΕΝ ΑΧΑΙΩΝ
ΝΥΚΤΑ ΔΙΑ ΔΝΟΦΕΡΗΝ Ο ΔΕ ΟΙ ΠΕΡΙ ΠΟΣΣΙ ΣΑΩΤΗΡ
ΠΑΜΦΑΝΩΝ ΕΝΕΚΕΙΤΟ ΣΕΛ...Σ ΚΥΚΛΟ....ΡΟ..
ΤΟΝ ΔΕ ΚΑΙ ΑΙΝΕΑΔΑΙ ΠΑΡΕΝΕΓΡΑΨΑΝΤΟ ΠΕΔΙΛΩΙ
.... ΗΓΕΝΕΕΣΣΙ ΓΕΡΑΑ
ΤΥΡΣΗΝΩΝ ΑΡΧΑΙΟΝ ΕΠΙΣΦΥΡΙΟΝ ΤΕΡΑΣ ΑΝΔΡΩΝ
ΟΥ.... ΟΣΣΗΤΑΙ ΚΑΙ ΚΕΚΡΟΠΙΔΗΝ ΠΕΡ ΕΟΝΤΑ
ΕΡΣΗΣ ΕΡΓΕΙΔΩΤΑ ΚΑΙ ΕΡΜΕΩ ΕΙ ΕΤΕΟΝΔΗ
ΚΗΡΥΞ ΗΡΩΔΕΩ ΠΡΟΓΟΝΟΣ ΘΗΣΗΙΑΔΑΟ
ΤΟΥΝΕΚΑ ΤΕΙΜΗΕΙΣ ΚΑΙ ΕΠΩΝΥΜΟΣ ΗΜΕΝ ΑΝΑΣΣΑ
ΕΙ ΒΟΥΛΗΝ ΑΓΕΡΕΣΘΑΙ ΙΝΑ ΠΡΩΤΟΘΡΟΝΕΣ ΕΔΡΑΙ
ΕΛΛΑΔΙ Δ ΟΥΤΕ ΓΕΝΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΤΕΡΟΣ ΟΥΤ ΕΤΙ ΦΩΝΗΝ
ΗΡΩΔΕΩ ΓΛΩΣΣΑΝ ΔΕ ΤΕ ΜΙΝ ΚΑΛΕΟΥΣΙΝ ΑΘΗΝΩΝ
ΗΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΗΠΕΡ ΚΑΛΛΙΣΦΥΡΟΣ ΑΙΝΕΙΩΝΗ
ΚΑΙ ΓΑΝΥΜΗΔΕΙΗ ΚΑΙ ΔΑΡΔΑΝΙΟΝ ΓΕΝΟΣ ΗΕΝ
ΤΡΩΟΣ ΕΡΙΧΘΟΝΙΔΑΟ ΟΥ ΔΙΦΙΛΟΝ ΙΕΡΑ ΡΕΞΑΙ
ΚΑΙ ΘΥΣΑΙ ΘΥΕΩΝ ΑΤΑΡ ΟΥΚ ΑΕΚΟΝΤΟΣ ΑΝΑΓΚΗ
ΕΙΔΕΤΟΙ ΕΥΣΕΒΕΕΣΣΙ ΚΑΙ ΗΡΩΩΝ ΑΛΕΓΙΖΕΙΝ
ΟΥ ΜΕΝ ΓΑΡ ΘΝΗΤΗ ΑΤΑΡ ΟΥΔΕ ΘΕΑΙΝΑ ΤΕΤΥΚΤΑΙ

ΤΟΥ-

ΤΟΥΝΕΚΕΝ ΟΥΤΕ ΝΕΩΝ ΙΕΡΟΝ ΛΑΧΕΝ ΟΥΤΕΤΙ ΤΥΜΒΟΝ
ΟΥΔΕ ΓΕΡΑ ΘΝΗΤΟΙΣ ΑΤΑΡ ΟΥΔΕ ΘΕΟΙΣΙΝ ΟΜΟΙΑ
ΣΗΜΑ ΜΕΝΟΙ ΝΕΩ ΙΚΕΛΟΝ ΔΗΜΩΙ ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ
ΨΥΧΗ ΔΕ ΣΚΗΠΤΡΟΝ ΡΑΔΑΜΑΝΘΥΟΣ ΑΜΟΙΠΟΛΕΥΕΙ
ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΦΑΥΣΤΕΙΝΗΙ ΚΕΧΑΡΙΣΜΕΝΟΝ ΗΣΤΑΙ ΑΓΑΛΜΑ
ΔΗΜΩΙ ΕΝΙ ΤΡΙΟΠΕΩ ΙΝΑ ΟΙ ΠΑΡΟΣ ΕΥΡΕΕΣ ΑΓΡΟΙ
ΚΑΙ ΧΟΡΟΣ ΗΜΕΡΙΔΩΝ ΚΑΙ ΕΠΑΙΝΕΝΤΕΣ ΑΡΟΥΡΑΙ
ΟΥ ΜΙΝ ΑΤΙΜΗΣΕΙΕ ΘΕΑ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΓΥΝΑΙΚΩΝ
ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ ΓΕΡΑΩΝ ΕΜΕΝΑΙ ΚΑΙ ΟΠΛΟΝΑ ΝΥΜΦΗΝ
ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΙΓΕΝΕΙΑΝ ΕΥΘΡΟΝΟΣ ΙΟΧΕΑΙΡΑ
ΟΥΔ ΕΡΣΗΝ ΓΟΡΓΩΠΙΣ ΑΠΗΤΙΜΗΣΕΝ ΑΘΗΝΗ
ΟΥΔΕ ΜΙΝ Η ΡΩΜΝΙΣΙ ΠΑΛΑΙΗΣΙΝ ΜΕΔΕΟΥΣΑ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΙΦΘΙΜΟΙΟ ΠΑΡΟΨΕΤΑΙ ΟΜΠΝΙΑ ΜΗΤΗΡ
ΕΣ ΧΟΡΟΝ ΕΡΧΟΜΕΝΗΝ ΠΡΩΤΕ ΡΑΩΝ ΗΜΙΘΕΑΩΝ
Η ΛΑΧΕΝ ΚΑΤΣΙΗΣΙ ΧΟΡΟΣ ΤΑΣΙΗΣΙΝ ΑΝΑΣΣΕΙΝ
ΑΥΤΗ Τ ΑΛΚΜΗΝΗ ΤΕ ΜΑΚΑΙΡΑ ΤΕ ΚΑΔΜΕΙΩΝΗ

Explicatio.

Marcelli

Huc adeste Tiberis accolæ ad Templum Mulieres,
Regillæ ad ædem suffimenta sacra ferentes.
Ea vero opulentissimis quidem erat e filiis Æneæ,
Anchisis inclytus sanguis & Idææ Veneris.
Nupsit vero Marathone: Divæ ante ipsam cælestes
Honorant, Ceres junior & Ceres senior,
Quibus sacra effigies bene succinctæ mulieris
Dicata est. Ipsa vero cum heroinis habitat
In beatorum insulis ubi Saturnus regnat:
Hoc enim pro bona mente sortita est munus:
Namque illius Juppiter miseratus est lugentem conjugem
Senecta in arida viduo jacentem in lecto,
Quoniam illi liberos egregia e domo
Raptrices Parcæ arripuerunt atræ,
Dimidiam e multis partem: duo autem nati adhuc supersunt
Infantes, & puri malorum, nondum notitiam habentes
Qualem illis sæva matrem mors rapuerit,
Antequam inter seniles sociaretur colos.
Illi porro Juppiter auxiliator deflenti insatiabiliter,
Et Imperator Jovi Patri natura & consilio similis:
Juppiter quidem ad Oceanum teneram misit uxorem,
Auris Zephyri ut deferretur Elysiis.
At is stellatos in talis puero calceos
Dedit gestandos, quos ajunt & Mercurium portasse,
Tunc cum Æneam ex bello extraheret Græcorum
Noctem per obscuram. Ille porro ipsi ... salutem dans
Lucem præferens ....
Illum ...... Ænea prognati assuerunt calceo
. . . . nobilibus honorem
Tyrrhenorum vetus circa talos ornamentum virorum;
. . . . . . viderit licet Cecrope natum
Herses operum distributorem, & Mercurii . . . .
Præco Herodis est progenitor Theseo nati.
Propterea honoratus & Consularis nominis, ut Regium
Ad Senatum accederet, ubi prima ordinis subsellia.
In Græcia porro neque genere nobilior, neque eloquentia,

Quisquam Herodi, quem & linguam vocant Athenarum.
Illa vero & ipsa pulchripes Æneæ proles,
Et Ganymedæa & Dardanium genus erat
Trois Erichthonio nati: cui (Regillæ) *liberet etiam sacra facere,*
Et bestias mactare: verum (altero) *invito non est opus.*
Sed si homines pii & Heroum curam gerunt,
Neque enim mortalis, at neque Dea est:
Idcirco neque Templum sacrum sortita est, neque sepulchrum,
Neque honores mortalibus, at neque Diis similes.
Monumentum quidem ipsi Templo simile est apud Athenas,
Anima vero circa sceptrum Rhadamanti versatur.
Hæc autem Faustinæ grata locata est statua
In pago Triopeo, ubi illi prius ampli erant campi
Et ordo vitium (vinearum) *& consiti agri.*
Nec spernet Dea Regina fœminarum
Famulam bonorum esse & comitem Nympham:
Neque enim Iphigeniam pulchrum habens solium Diana,
Neque Hersen terribiles habens oculos despexit Minerva,
Neque Regillam ipsam heroinis antiquis imperans
Cæsaris magnanimi parvi pendet Augusta mater,
Ad chorum accedentem priorum semidearum,
Cui contingit Elysiis choreis præesse
Ipsa & Alcmena, & beata Cadmi filia.

Petri Arcudii Notæ in has duas Inscriptiones.

Herodes Atheniensis, gente, opibus & arte Sophista nobilissimus sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio & Marco Aurelio floruit. Hipparchum avum locupletissimum habuit, qui quod Tyrannidem exercere videretur, jussu Imperatoris bonis mulctatus est. Pater cui Atticus nomen, cum tenui admodum fortuna hac de causa Athenis ageret, repente opulentissimus evasit invento amplissimo thesauro in domo quadam, quam, ut Philostratus ait, inter alias possidebat prope theatrum. Tanto Fortunæ beneficio non tam sibi gratulans, quam a periculo cavens scripsit ad Nervam Imperatorem his verbis: *Thesaurum, Imperator, domi meæ reperi, quid ergo de illo jubes?* Rescripsit ad hoc Imperator: *Utere his quæ reperisti.* Atticus vero adhuc rei magnitudinem verebatur, itaque significavit Imperatori Thesaurum esse supra hominis privati conditionem. At ille: *Abutere etiam inopinato lucro, nam tuum est.* Exinde Atticus ditissimus, & Herodes maternis quoque opibus locupletatus patrem magnificentia superavit, quippe qui & stadium Athenis exstruxit & theatrum tecto opertum, & minam in singulos annos viritim Atheniensibus legavit, hoc est plus quam decem scutatos. Fuit vero non modo fortunatissimus, sed & politioribus studiis excultissimus & Sophista clarissimus. Uxorem habuit Regillam matronam Romanam, cui etiam dicavit mortuæ Theatrum Athenis, & muliebrem ejus ornatum sacravit, & ædes suas lapide Lesbio, nigro videlicet colore, & atris deformavit, ut atra omnia & pulla essent, tristitiæ suæ testandæ gratia.

Huic Regillæ conjugi in agro Romano in villa sua Triopæa ædem exstruxit, ejusque memoriæ incidi curavit hoc secundum Epigramma, quod nunc in villa Borghesia conspicitur. Primum quidem ejusdem Herodis, quod & villæ Triopeæ meminit, Casaubonus missum sibi ab urbe scripsit, & illud se recensuisse gloriosius affirmavit: sed toto cœlo erravit, opinatus Herodem hunc esse illum qui in Judæa regnavit. Alius itidem vir Gallus, Eruditiss. nempe Salmasius, utrumque epigramma felicius expressit & multa eruditione refersit. Sed quoniam adhuc elaboratius exprimi possunt, ea hic Latine præposuimus, non in carmen redacta, sed prosa oratione ad verbum reddita: ita enim facilius & accommodatius intelliguntur.

Τῷ ἢ ζώς ἐπίηρον) non facit sensum, & melius ἐπίηρος, quod notat Salmasius. Αυτὰρ ὁ ἀςερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα.) Per παῖδα interpretantur natum Herodis: sed duos infantes habuit. Cur autem Imperator uni concesserit privilegium Patriciorum gestandi hujusmodi calceos lunatos, non item alteri? Dices alterum fuisse minorem natu, vel aliquo naturæ vitio deformatum, vel forte fœminam. Sed cur in tali ætate? imo cur & Consulatum? quod indicare videntur subsequentes versus: & cur nemo de Scriptoribus rem tantam indicavit? Joannes Matthæus Cariophilus, vir non vulgari doctrina præditus, cui ego libenter assentior, per παῖδα famulum & subditum Imperatoris intelligit, videlicet ipsum Herodem, qui quamvis esset Atheniensis, beneficio tamen Imperatoris adeptus esse videtur, non solum Senatoriam dignitatem, sed & Consulatum. Quod enim Herodes fuerit Consul constat ex Aulo Gellio, Fastis Capitolinis, aliisque. Itaque merito ipsi conveniunt illa τιμήεις ἐπώνυμος, & πρωτόθρονες ἕδρας, non autem filio. Ad eundem referas ὴ κεκροπίδην περ ἐοντα. Adde quod Autor carminum, cui scopus est laudare ipsum Herodem & ejus conjugem, si filio hæc applicentur, qui certe non fuit Consul, tantam dignitatem Herodis silentio præteriisset. In Fastis Imperante Hadriano reperitur Atticus Consul, qui certe vel ipse Herodes est, qui hoc nomine appellatur: vel quod mihi verisimilius fit, ejus pater Atticus. Nam & Philostratus loquens de Herode, ait eum suum genus referre ad Consules. Anno vero sexto Antonini Pii notantur in Fastis Torquatus & Atticus Herodes Consules. Non potuit autem filius Herodis Atticus antecedere patrem in Consulatu, & post Herodem nullus Atticus reperitur qui fuerit Consul.

Αἀσασθαι) ut eliciant sensum, ponunt ἐλάσθαι: sed etiam posset legi ἀγάσασθαι vereri. *Huc usque Arcudius.*

XIV. *Megaris.*

Ο ΔΑΜΟΣ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙ

ΣΑΡΑ ΘΕΟΥ ΥΙΟΝ

ΑΡΕΤΑΣ ΕΝΕΚΕΝ

ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ

Populus Imperatorem Cæsarem Divi filium virtutis & beneficiorum causa, honorat. ΔΑΜΟΣ & ΑΡΕΤΑΣ *Dialecto Dorica, pro* ΔΗΜΟΣ & ΑΡΕΤΗΣ.

XV. *Megaris, supra collem circa quem ædificatum est oppidum.*

ΝΕΡΩΝΑ ΚΑΙ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙ

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ

ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝ.....

Neronem & Claudium, & Germanicum Tiberii Cæsaris Augusti Germanici....

Megara, inquit Stephanus, urbs circa isthmum Corinthiacum media est inter Atticam, Peloponnesum & Bœotiam. Distat enim uno itineris die ab Athenis, tantumdemque a Corintho quæ est prima Peloponnesi urbs. Nomen habet a Megareo Apollinis filio, ut asserit Pausanias, vocaturque etiamnum *Ta Megara*, cujus descriptionem dedi in Itinere meo Græciæ T. II. Duplex illi arx, una Alcathoe, altera Nisæa ad portum, ubi Cereris Malophori sive Oviferæ fanum erat. Hanc urbem illustrarunt Theognis Poeta & Euclides Philosophus Socraticus, insignisque Mathematicus. Extat facetum apophthegma apud Diogenem Laertium in vita Diogenis, qui cum vidisset eos magis curare oves propter lanam, quam filios suos; hos enim nudos, illas pellibus tectas intuitus fertur dixisse, Λυσιτελέστερόν ἐστι Μεγαρέως εἶναι κριὸν, ἢ υἱὸν, *præstat Megarensis arietem esse quam filium*. Euclidis caput produxit Angelus Caninius in sua Iconographia, ex nummo in quo ΜΕΓΑΡΕΩΝ legitur: & ego supra Sect. IV. in nummo Hadriani. Nos illic hæc marmora reperimus.

XVI. *Ibidem ad ædem Panagias.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟC

Μ. ΑΙΜΙΛΙΟΝ CΑΤΟΡΝΕΙΝΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ

ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΜΕΓΑΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΕΠΙΜΕ

ΛΗΘΕΝΤΟC ΤΟΥ CΤΡΑΤΗΓΟΥ ΤΗC ΠΟ

ΛΕΩC ΑΡΙCΤΟΝΟC ΤΟΥ ΔΙΟΝΥCΙΟΥ

Exscripsi.

Id est. *Senatus & Populus* Megarensium *Marcum Æmilium Saturninum Proconsulem, ipsorum magnum benefactorem, curante urbis Stratego*, sive Duce, *Aristone Dionysii filio* venerantur. Sub Vespasiano inceperunt Romani Proconsules in Achajam mittere, qui præcipue Corinthi residebant.

XVII. *Ibidem, ad limen domus Papæ ſeu Presbyteri Baſilii.*

ΠΟΠΛΙΟΝ ΜΕΜΜΙΟΝ ΡΗΓΛΟΝ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΤΙΒΕ
ΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ
ΓΝ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΓΝΑΙΟΥ ΥΙΟΣ
ΚΡΙΣΠΟΣ ΤΟΝ ΕΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ

Exſcripſi.

Publium Memmium Regulum Legatum Tiberii Claudii Cæſaris Auguſti Germanici Cnæus Vitellius Cnæi filius Criſpus hoſpitem ſuum veneratur. Memoratur in Faſtis Capitolinis quidam Lucius Memmius Regulus Conſul anno circiter Chriſti 44. ſub Nerone, cujus forte pater fuit hic Publius Memmius Regulus, qui per ſyncopen ΡΗΓΛΟΣ ſcribitur, quique ſub Claudio Legatus erat in Græcia. Quo autem Cneus Vitellius Criſpus ad Aulum Vitellium Cæſarem affinitatis gradu contingat, quis divinare poſſit? Suetonius equidem Imperatoris avum, parentem, patruoſque commemorat, ſed neutros Cnæi prænomine utentes.

XVIII. *Megaris, in via quæ Athenas ducit.*

ΣΑΒΕΙΝΑΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ ΠΑΜΦΥΛΟΙ ΥΠΟ ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΙΟΥ
ΛΙΑΥ ΚΑΝΔΙΤΟΥ ΤΟΥ ΚΡΑΤΙΣΤΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ
ΑΙΣΧΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥΣ

Exſcripſi.

Sabinam Reginam Auguſtam novam Cererem Imperatoris Hadriani uxorem Tribus omnes hic venerantur, *ſub cura Julii Canditi potentiſſimi Proconſulis, Stratego Æſchione Damocratis* filio. Ceres regionis præcipua Dea, protectrixque: ideo Sabinæ *Cereris novæ* titulo adulantur Megarenſes, non minus quam cæteri Græci adulatores ingenioſi. Vide in hanc Inſcriptionem Eruditiſs. Cuperi notas, in appendice ad Homeri Apotheoſin.

XIX. *Megaris, extra urbem in eod. Lapide.*

1. Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ	2. Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
.. ΑΝ ΚΑΛΛΙΝΕΙΚΟΥ	ΚΑΛΛΙΝΕΙΚΟΝ ΝΟΜΙΑΔΑ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΥΝΤΑ ΤΟ ΔΩΔΕΚΑ	ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ
ΤΟΝ ΚΑΙ ΕΚΑΤΟΣΤΟΝ ΕΤΟΣ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΟΝ	ΧΗΣΑΝΤΑ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ

1. *Senatus & Populus. . . . an Callinici Gymnaſiarcham centeſimo & duodecimo anno ex ſua pecunia.* 2. . *Senatus & Populus Callinicum Nomiadem Scribam & Gymnaſiarcham ex ſua pecunia* hoc monumento venerantur.

XX. *Ibidem, in via ad mare.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΜΑΡΚΟΝ	ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΛΟΥΚΙΟΝ
ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΘΕΟΥ	ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΘΕΟΥ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ	ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΩΝΟΝ ΘΕΟΥ	ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΩΝΟΝ ΘΕΟΥ
ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΕΚΓΟΝΟΝ	ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΕΓΚΟΝΟΝ
ΘΕΟΥ ΝΕΡΟΥΑ ΑΠΟΓΟΝΟΝ	ΘΕΟΥ ΝΕΡΟΥΑ ΑΠΟΓΟΝΟΝ

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ

ΥΠΟ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ Β̄Ῑ ΟΝΑΣΙΚΛΕΟΣ

Ex Domin. Giraud Athenis Anglor. Consule.

Id est. *Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Antoninum Augustum, Divi Antonini filium, Divi Hadriani nepotem, Divi Trajani Parthici pronepotem, Divi Nervæ abnepotem*; & *Imperatorem Cæsarem Lucium Aurelium Augustum Divi Antonini filium, Divi Hadriani nepotem, Divi Trajani Parthici pronepotem, Divi Nervæ abnepotem, Senatus & Populus* Megarensium venerati sunt, *sub cura Onasiclis duodecima vice Militiæ Ducis.*

XXI. *Ibidem.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΜΑΡΚΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΑΝΤΩΝΑΙ

ΝΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΑΡΑΒ. ΑΔΙ

ΑΒΗΝΙΚΟΥ ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΜΕΓΙΣΤΟΥ ΚΑΙ

ΣΕΒΑΣΤΗΥ ΜΗΤΡΟΣ ΣΤΡΑΤΟΠΕΔΩΝ ΥΙΟΝ

Η ΜΕΓΑΡΕΩΝ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ

Ex eodem.

Id est. *Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Antoninum Augustum, Severi Augusti Arabici Adiabenici Parthici maximi & Augustæ matris castrorum filium*, urbs *Megarensium suum Benefactorem* veneratur.

XXII. *Basis marmorea ex oppido S. Cannati Aquas Sextias in ædes Peireskii translata.*

ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ

ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΣΕΒ. ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΜΑΜΑΙΑΣ

ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ ΣΕΒ. ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ

ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ

Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΗΡΩΝ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΟΥ ΕΝ ΠΟΡΤΩ

ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ ΕΠΙ ΑΑΡΓΙΝΙΩ ΒΕΙΤΑΛΙΩΝΙ

ΑΡΧΙΥΠΕΡΕΤΗ ΚΑΙ ΚΑΜΕΙΝΕΥΤΗ ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΩ

ΦΗΒΩ ΚΑΙ ΣΑΛΩΝΙΩ ΟΕΙΔΟΤΩ ΙΕΡΟΦΩΝΟΙΣ

ΚΑΙ ΚΑΜΕΙΝΕΥΤΑΙΣ ΧΑΡΙΤΗ ΙΕΡΟΔΟΥΛΕΙΑ

ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΠ ΑΓΑΘΩ

In Later: Baseos ΕΠ ΑΓΑΘΩ ΕΠΙ ΓΡΑΝΙΟΤΡΩ.

Id est. *Marci Aurelii Severi Alexandri Felicis Pii Augusti, & Juliæ Mammææ Augustæ Matris Augusti, Deo Soli magno Sarapidi, aliisque qui in eodem Templo coluntur Diis, Marcus Aurelius Heron Æedituus Ædis Serapidis quæ est in portu, sub Larginio Vitalione Archiministro & Camineuta, & Aurelio Phœbo, & Salonio Oedoto sacris Cantoribus & Camineutis, sacri ministerii causa consecravit ob beneficium.*

Κάμινος, inquit Hesychius, μέρος τι τ͂ Νεὼς; *Caminus, pars quædam Templi*, a qua dicti Camineutæ.

XXIII. *Megaris.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟC
ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΩΝ
CΕΒΑCΤΩΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ.. ΕΝΝΟΝ
ΑΝΤΙ ΠΟΛΛΩΝ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΤΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΥΠΟ ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙ
ΑΝ ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΟΥ ΚΟΜΜΟΔΟΥ

Exscripsi.

Senatus & Populus potentissimum Procuratorem Augustorum Aurelium Blennum qui multæ magnaque beneficia in ipsos contulit, hoc gratitudinis suæ testimonio honorarunt, *curam habente Commodo Commodi filio.*

XXIV. *Ibidem.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ ΠΡΑΞΙΩΝΟΣ

Senatus & Populus Demetrium Praxionis honorant.

XXV. *Ibidem ad Ædem Divi Nicolai.*

ΝΙΚΩΝ ΑΓΑΘΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ

Nicon Agathonis fili, Salve, vel *Vale.*

XXVI. *Ibidem.*

ΑΝΑΞΙΩΝ
ΕΥΜΗΤΙΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ

Anaxion Eumetionis, Vale.

XXVII. *Ibidem ad Ædem Divi Athanasii.*

ΔΕΜΥΛΑC ΠΡΕΙΜΟΥ ΚΑΙ ΖΩΠΥΡΑC ΚΑ
ΤΕCΚΕΥΑCΕΝ ΕΑΥΤΟΙC ΗΡΩΙΝ ΕΧΕΙΝ
ΔΕ ΕΠΙΒΑCΙΝ ΖΗΝΑC ΚΑΙ ΕΙCΙΑC ΟΝΤ..
ΑΔΕΛΦΟΥC ΚΑΙ ΔΗΜΗΤΡΙΑΝ

Exscripsi.

Demylas Primi & Zopyrus pararunt sibi Heroibus, utque habeant basim Zenas & Ilias eorum fratres & Demetria.

XXVIII. *Larissæ in Turcarum Cœmeterio, antiqua Græcorum Epitaphia. Ex D. Giraud.*

1

ΟΝΗϹΙΜΟϹ ΟΝΗϹΙΜΟΥ
ΙΑΤΡΟΥ ΥΙΟϹ ΧΡΗϹΤΕ
ΧΑΙΡΕ

Onesimus Onesimi Medici filius, Bone, vale.

2

ΥΑΚΙΝΘΕ ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ
ΔΗΜΟΣΙΕ ΗΡΩΣ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Hyacinthe Larissensis Civis, Heros, Bone, vale,

3

ΕΥΒΟΥΛΟΣ ΕΥΒΟΥΛΟΥ
ΗΡΩΣ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Eubulus Eubuli, Heros bone, vale.

4

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ ΑΓΛΑΩΦΟΝ
ΤΟΣ ΚΥΖΙΚΗΝΟΣ ΧΑΙΡΕ

Apollodorus Aglaophontis Cyzicenus, vale,

5

ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ
ΕΙΣΑΓΟΡΟΥ
ΗΡΩΣ ΧΑΙΡΕ

Nicephorus Isagoræ Heros, vale.

6

ΠΑΡΑΜΟΝΗ ΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΥ
ΓΥΝΗ ΔΕ ΘΡΑΣΩΝΟΣ
ΗΡΩΣ ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

Paramone Parmenisci filia, uxor vero Thrasonis, Heroina, bona, vale.

7

ϹωΤΙΑϹ ϹωϹΘЄΝΗ
ΤΟΝ ΓΛΥΚΥΤΑΤΟΝ
ΜΟΥ ΑΝΔΡΑ ЄΚ ΤωΝ
ЄΑΥΤΟΥ ΜΝЄΙΑϹ ΧΑΡΙΝ

Sotias Sosthenem dulcissimum meum virum ex mea pecunia, memoriæ causa.

8

ΑΓΑΘΟΚΛΙ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ
ΑΦΡΟΔΙϹΙ ΤΗϹ ΤΡΑΧΗΑϹ
ΕΤΕΛ. ΕΤΩΝ ... ΕΠΟΙΗ
ϹΑΝ ΟΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙ

Agathocles Menandri Aphrodisiæ asperæ civis obiit .... Fecerunt Liberti.

9

ΑΒΑΣΚΑΝΤΟΣ ΕΛΠΙΔΑ
ΤΗΝ ΑΥΤΟΥ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ
ΗΡΩΣ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Abascantus Helpida filiam memoriæ causa, Heros bone, vale.

10

ΛΑΙΝΑ ΜΕΜΜΙΟΝ
ΣΥΜΦΩΡΟΝ ΤΟΝ
ΕΑΥΤΗΣ ΑΝΔΡΑ
ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ

Læna Memmium Symphorum suum virum memoriæ causa.

11

ΑΝΤΙΚΡΑΤΗΣ ΕΥΚΛΕΙΑ ΤΗ ΕΑΥΤΟΥ
ΓΥΝΑΙΚΙ ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ ΗΡΩΣ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ
ΕΝΕΧΟΜΑΙ ΜΗΔΕΝΑ ΕΤΕΡΟΝ ΤΕΘΗΝΑΙ ΧΩΡΙΣ
ΕΜΟΥ Η ΓΩΝΕΥΣ ΛΟΝΓΙΝΟΣ ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ
ΕΤΕΡΟΣ ΤΟΛΜΗΣΗ ΔΩΣΕΙ ΕΣ ΤΟ ΤΑΜΕΙΟΝ * ΑΒ Φ.

Anticrates Eucleæ uxori suæ memoriæ gratia, Heros bone, vale. Veto alium quemquam hic poni præter me & parentem Longinum. Si quis vero alius id ausus fuerit, dabit fisco denarios ....

XXIX. *Selimbriæ, in muris urbis.*

† ΚΕ ΒΟΙΘΗΤΟ Cω ΔΟΥΛω
CΕΡΓΙω ΒΑCΙΛΙ CΠΑΘΑΙω..

Id est. *Domine adjuva servum tuum Sergium Regem* . . . .

XXX. *Ibidem.*

† ΑΝΕΝΕωΘΗΙΘΕ ΟΥΤωC ΠΟΛΙC ΤΑΥΤΗ ΕΠΙ ΜΗΧΑΗΛ ΘΕΩΔΟΡΑC ΚΑΙ ΘΕΚΛΗC ΟΥCΕ ΔΙΚΑΙωC ΕΝΚΣ ΒΑCΙΛΕΥΗΙΗΝ ΕΠΙ ΤΗC ΓΗC

Renovata est sic urbs ista sub Michaele, Theodora & Thecla, cum juste in Domino regnarent supra terram.

XXXI. *Hadrianopoli.*

ΚΕ ΒΟΗΘΕΙ Σω ΕΥCΕΒΕCΤΑΤω ΚΑΙ
ΦΙΛΟΧΡΙCΤω ΒΑCΙΛΕΙ ΗΜωΝ ΙΟΑΝΝΙ

Id est. *Domine, adjuva piissimum & Christicolam Regem nostrum Joannem.*

XXXII. *Ibidem, in Mœniis.*

† ΑΝΑΞ ΜΙΧΑΗΛ ΑΥCωΝωΝ ΟΝΤωC ΚΑΕΟC
ΑΥΤΡΟCΙΝ ΕΥΡΕ ΔΙΟΝΗ ΚωΝCΤΑΝΤΙΝΟΥ
ΠΥΡΓΩΜΑ ΤΕΥΧΩΝ ΚΑΤΕΝΑΝΤΙ ΒΑΡΒΑΡΩΝ
ΜΑΧΑC ΠΡΟC ΑΥΤΟΥC ΑΠΤΟΗΤΟΝ ΚΑΘΑΠΑΞ

XXXIII. *Chalcedone, quæ nunc* Cadikioi, *in Sarcophago.*

ΟΡΒΑΝΙΛΛΑ
ΘΡΕΠΤΗ ΑΠΦΗΣ
ΠΡΟΦΗΤΙΔΟΣ
ΖΗΣΑΣΑ ΕΤΗ ΖΚ
ΜΗΤΗΡ ΤΥΡΑΝ
ΝΙΣ ΖΗ

Id est. *Orbanilla Apfes Prophetissæ alumna, quæ vixit annos 27. mater Tyrannis viva fecit.*

XXXIV. *Ibidem.*

ΟΥΡΙΟΝ ΕΚ ΠΡΥΜΝΗΣ ΤΙΣ ΟΔΗΓΗΤΗΡΑ ΚΑΛΕΙΤΟ
ΖΗΝΑ ΚΑΤΑΠΡΟΤΟΝΩΝ ΙΣΤΙΟΝ ΕΚΠΕΤΑΣΑΣ
ΕΣΤ ΕΠΙ ΚΥΑΝΕΑΣ ΔΙΝΑΣ ΔΡΟΜΟΣ ΕΝΘΑ ΠΟΣΕΙΔΩΝ
ΚΑΜΠΥΛΟΝ ΕΙΛΙΣΣΕΙ ΚΥΜΑ ΠΑΡΑ ΨΑΜΑΘΟΙΣ
ΕΠΕΚΑΤΑΙ ΓΑΙΗΝ ΠΟΝΤΟΥ ΠΛΑΚΑΝΟΣ ΤΟΝ ΕΡΕΥΝΑΙ
ΝΕΙΣΘΩ ΤΩΙ ΔΕ ΒΑΛΩΝ ΨΑΙΣΤΑ ΠΑΡΑ ΤΩ ΑΝΩΙ
Ο ΔΕ ΤΟΝ ΕΥΑΝΤΗ ΤΟΝ ΑΕΙ ΘΕΟΝ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΠΑΙΣ
ΣΤΗΣΕ ΦΙΛΩΝ ΑΓΑΘΗΣ ΣΥΜΒΟΛΟΝ ΕΥΠΛΟΙΗΣ

Exscripsi.

Id

Id est.

Ventum ſecundum quis ex puppi moderatorem vocabit
Jovem rudentibus velum expandens.
Eſt ſuper cyaneis vorticibus, curſus ubi Neptunus
Curvos fluctus volvit prope arenoſa littora.
Tunc dixit (Neptunus) per Ægeum nunc reditum paret,
Huic appoſitis libamentis ſuperne
Ideo propitio ſemper Deo Antipatri filius
Collocavit libens felicis ſymbolum navigationis.

XXXV. *Nicomediæ.*

ΣΕΞΣΤΙΟΣ ΕΡΜΟΔΩΡΟΣ

ΦΥΛΑΡΧΗΣΑΣ ΦΥΛΗΣ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑΔΟΣ

ΕΘΗΚΑ ΣΗΝ ΘΗΚΗΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΗ

ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΜΟΥ ΣΥΜΒΙΩ ΧΡΗΣΤΕΙΝΗ ΧΑιΡΕΣΘΑΙ

Id eſt. *Sextius Hermodorus Præfectus Tribus Neptunianæ poſui Sarcophagum mihi & dulciſſimæ uxori meæ Chriſtianæ. Vale.*

XXXVI. *In deſerto S. Simeonis Stilitæ prope Aleppum.*

ΑΦΙΕΡωΘΕΙ

ΑΙΜΙΛΙΩ ΡΗΓΕΙΝω Τω

ΕΞ ΟΥΛΠΙΑΣ ΡΗΓΙΛΛΗΣ ΚΑΙ

ΑΙΜΙΛΙΟΥ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΤΡΑ

ΤΕΥΣΑΜΕΝω ΕΤΗ ΙΕ ΒΟΗΘω ΚΟΡ

ΝΙΚΟΥΛΑΡΙΩΝ ΥΠΑΤΙΚΟΥ ΖΗϹΑΝΤΙ ΕΤΗ

ΜΕΧΡΙ ΠΑΝΗΜΟΥ.......

Conſecratum eſt Æmilio Rhegino Civi Ulpiæ Rhegillæ & Æmilii Ptolemæi filio, qui militavit annos quindecim, Adjutori Corniculariorum Conſulari, qui vixit annos . . uſque . . .

XXXVII. *Ibidem, Inſcriptio ubi loco* R *Latini, eſt* P *Græcum: eademq; Græca.*

T. FL. IVLIANVS VETEPANVS
LEG. VIII. AVG. DEDICAVIT MONVMENTVM SVVM
SEMPITEPNVM DIS MANIBVS SVIS ET LAETITIAE VXOPI SVAE
LIBEPISQVE HEPEDIBVS SVIS POSTEPISQVE EOPVM
NE LICEPET VLLI EOPVM * Monumentum alienare VLLO MODO — * *Supple*

T. ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΟΥΕΤΕΡΑΝΟΣ ΛΕΓΕΟΝΟΣ Η
ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΑΦΙΕΡΩΣΕΝ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΑΥΤΟΥ ΔΙΗΝΕΚΕΣ
ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΚΑΙ ΔΑΙΜΟΣΙ ΑΥΤΟΥ ΤΕ ΚΑΙ
ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΥΤΟΥ ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙΣ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΚΓΟ
ΝΟΙΣ ΑΥΤΩΝ ΟΠΩΣ ΜΗΔΕΝΙ ΕΞΟΝ Η ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ
ΚΑΤ ΟΥΔΕΝΑ ΤΡΟΠΟΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ

Ex Illuſt. Marchione de Nointel, Galliæ olim Legato Conſtantinopoli.

XXXVIII. *Constantinopoli apud Galliæ Legatum. Ex Archipelago allata.*

Π. ΒΕΙΤΗΝΟϹ
ЄΡΜΗϹ ΚΛЄΙΝΟ
ΠΗΓΟϹ ΝЄωΤЄΡΟϹ
ЄΝΘΑΔЄ ΚЄΙΜΑΙ
ΠΑΡΟΔЄΙΤΑ ΧΑΙΡΕ

Exscripsi.

Id est. *Publius Bitinus Hermes Faber Lignarius junior hic jaceo. Vale viator.* Visuntur in ipso marmore sculpta artis Lignariæ instrumenta, dolabra, circinus & norma: ut hujusce viri indicetur professio. Κλεινόπηγος scribitur pro κλινόπηγος, quasi sit *Lectorum Faber* κλίνη enim est Lectus. Apud Pollucem κλεινοπήγιον est *locus ubi lecti fabricantur.*

XXXIX. *Ibidem, allata ex Paro Insula.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ
ΤΟΝ ΤΗϹ ΑΡΙϹΤΗϹ ΜΝΗΜΗϹ ΠΑΙΔΑ ΤΟΥ
ΛΑΜ. ΦΛΑΒ. ΜΑΡΚ. ϹΚΡЄΙΒωΝΙΑΝΟΥ ΚΛΑΥ
ΔΙΟΝ ΟΥΑΛ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ ΤΟΝ ΛΑΜ. ΕΚ ΤωΝ ΙΔΙ
ωΝ ЄΙΚΟΝΙ ΛΑΙΝЄΗ ΔΙΑ ΤЄ ΤΑϹ ΠΡΟϹΟΥϹΑϹ ΑΠΟ ΤЄ
ΠΑΤΡΟϹ ΑΥΤΟΥ ΤЄΙΜΑϹ ΤЄ ΚΑΙ ЄΥЄΡΓЄϹΙΑϹ ΠΡΟϹ
ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ ΕΠΙ ΜΕΡΟΥϹ ΠΑΡΑΜΥΘΗϹΟΜЄΝΗ ΤΟΝ
ΑΝΔΡΑ ΤЄΙΜΗΝ ΛΑΜΒΑΝΟΥϹΑ ΜΑΛΛΟΝ Η ΔΙΔΟΥϹΑ ЄΠΙ
ΤΗ ΤΟΥ ΑΝΔΡΙΑΝΤΟϹ ΑΝΑϹΤΑϹЄΙ ΠΡΟΜΟΙΡωϹ ΤЄΛЄΥΤΗ
ϹΑΝΤΟϹ ΚΑΘΑ ЄΨΗΦΙϹΑΤΟ Η ΠΑΤΡΙϹ ЄΝ Τω ΤΗϹ ΤΗ ΕΛΓ..
ΠΡΟΣΧΗΜΑΤΙ Υ. Β. Δ.

Exscripsi.

Id est. *Senatus & Populus* Pariorum *Optimæ memoriæ Filium Illustrissimi Flavii Marci Scriboniani Claudium Valerium Menandrum virum Illustrissimum ex sua pecunia honorarunt statua ænea: tum propter jam ante ab ejus patre tributos honores, collataque erga patriam beneficia, civitas partim consolari virum hunc volens, honorem accipere potius quam conferre erectione statuæ viri hujus præmature defuncti, sicuti decreto constituit patria, in hoc ornamento.* Quod ad litteras Υ. Β. Δ. attinet, quæ in fine hujus marmoris & initio subsequentis sculptæ sunt, quid significent vix licet affirmare. Β. Δ. quidem Βȣλῆς Δόγματι videtur esse, *Senatus Consulto*, ut in Reinesiana Ψ. Β. Ψηφίσματι Βȣλῆς, *Senatus decreto.*

XL. *In Insula Paro.*

ΕΙΡΗΝΗ ΕΥΟΝΥΜΟΥ
ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

Ex Galland. schedis.

Id est. *Irene Evonymi* filia, *Bona vale.*

XLI. *Ex Paro Constantinopolim, a D. de Nointel allata.*

Υ. Β. Δ.

ΤΗΝ ΑΞΙΟΛΟΓΩΤΑΤΗΝ ΚΑΙ ΠΑΝΤΑ ΑΡΙϹΤΗΝ ΑΥΡ. ΛΕΙΤΗΝ ΘΕΟΔΟΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ ΔΕ
ΤΟΥ ΠΡωΤΟΥ ΤΗϹ ΠΟΛΕωϹ Μ. ΑΥΡ. ΦΑΥϹΤΟΥ ΑΡΧΙΕΡΕωϹ ЄΚ ΠΡΟΓΟΝωΝ ΔΙΑ ΒΙΟΥ
ΤωΝ ϹЄΒΑϹΤωΝ ΚΑΙ ΚΑΙϹΑΡωΝ ΚΑΙ ΚΑΒΑΡΝΟΥ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑϹΙΑΡΧΟΥ ΤΗΝ ΓΥΜΝΑϹΙΑΡ-
ΧΟΝ ЄΝ ω ΚΑΤЄϹΚЄΥΑϹЄΝ ΚΑΙ ΑΝЄΝЄωϹΑΤΟ ΑΠΟ ΠΟΛΥ ЄΤΟΥϹ ΧΡΟΝΟΥ
ΠΕΠΟΝΗΚΟΤΑ ΓΥΜΝΑϹΙω Η ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΠΑΡΙωΝ ΠΟΛΙϹ Η ΠΑΤΡΙϹ ΑΝΤΙ ΠΟΛΛωΝ ΚΑΙ
ΜΕΓΑΛωΝ ΤЄΙΜΗΝ ΛΑΜΒΑΝΟΥϹΑ Η ΔΙΔΟΥΣΑ ΠΟΛΛΑΚΙϹ ΕΨΗΦΙΣΑΤΟ ΑΝЄϹΤΗϹЄΝ
ΑΥΤΗΝ ЄΝ ΑΝΔΡΙΑΝΤΙ ΜΑΡΜΑΡΙΝω ΤΗΝ ΦΙΛΟϹΟΦΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΔΡΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΙΔΑ
ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΝ ΔΙΑ ΤΗΝ ΑΡΙϹΤΟΤΟΚΙΑΝ . . . .
. . . . ΟϹ ΑΠΗΓΛΑΙϹЄΝ

Senatus Consultum. Laude dignissimam semperque optimam Aureliam Litin Theodoti filiam, uxorem vero primi Civitatis Marci Aurelii Fausti Pontificis ex proavis per totam vitam, Augustorum & Cæsarum & Cabarni; necnon Gymnasiarchæ, Gymnasiarcham, in loco quem sibi ordinavit renovavitque, a multis annis operam dantem Gymnasio, Illustrissima Pariorum Civitas ipsius Patria ob multa & magna honorem accipiens & retribuens, sæpius ipsam honorare suffragiis suis studens, ideo nunc ipsi Statuam marmoream decrevit, Philosophiæ, viri, Liberorum, patriæque amanti . . . . . ob felices partus uxorem . . . .

Paros Insula, una Cycladum, cum urbe cognomine Archilochi Poetæ celeberrimi Patria, nomen retinet. Celebris est marmore candido Statuis sculpendis aptissimo, inde Ovidius *Marmoreamque Paron* vocat. Nomina autem quibus antiquitus designata fuit Insula, varia fuere, *Demetrias*, *Pactia*, *Hyliessa*, *Hyria* & *Minoa*: at etiam & *Cabarnis* a *Cabarno* qui Cereri filiæ partum prodidit, ut ait Stephanus Byzantinus: quem ut Heroem Deumve apud Parios cultum fuisse testatur hæc Inscriptio, quæ Sacerdotis Augustorum & *Cabarni* meminit.

XLII. *Ibidem, ex Insula Melo allata.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ЄΛΙ
ϹΤЄΦΑΝΟΙ ΧΡΥϹωϹΤЄ ΚωΝΙ
ΦΑΝω ЄΥΡΥΘΜΟΝ ЄΠΙ ΑϹ ЄΡ
ΤΥΧЄωϹ ΠΡΟΜΟΙΡωϹ ΜΙΟΥ
ΒΙωϹΑΝΤΑ

Exscripsi.

Id est. *Senatus, & Populus coronat aurea corona Eurythmum Epitychis* filium *præmatura morte defunctum.*

XLIII. *Florentiæ, ex Græcia allata.*

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΧΡΥΣΩ ΣΣΕΦΑΝΩ
ΑΥΡ. ΧΑΡΙΔΗΜΟΝ ΖΩΖΙΜΟΥ ΠΡΟΜΟΙΡΩΣ
ΒΙΩΣΑΝΤΑ

Ex schedis Peiresk.

Id est. *Senatus & Populus coronat aurea corona Aurelium Charidemum Zozimi* filium *præmatura morte defunctum.*

XLIV. *Constantinopoli, ex Archipelago allata, a D. de Nointel,* Intra coronam lauream in marmore sculpta.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΧΡΥΣΩ ΣΤΕΦΑ
ΝΩ ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΝ ΑΣΤΕΙΚΤΟΥ ΗΡΩΑ

Exscripsi.

Id est. *Senatus & Populus coronat aurea corona Epaphroditum Asteicti* filium, *Heroem.*

XLV. *Venetiis, ad Cyzicum & Insulam Paros pertinens Inscriptio, ex Archipelago advecta.*

ΕΔΟΞΕΝ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΠΟΡΙΟΝΙΚΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΕΙΠΕΝ ΕΠΕΙ Η ΠΟΛΙΣ Η ΠΑΡΙΩΝ ΕΝ
ΤΕ ΤΟΙΣ ΕΝΠΡΟΣΘΕ ΧΡΟΝΟΙΣ ΕΥΝΟΥΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ
ΟΥΣΑ ΔΙΑΤΕΛΕΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΚΑΙ
ΑΠΟΣΤΕΙΛΑΣΑ ΠΡΕΣΒΕΙΣ ΚΥΔΙΑΝ ΑΠΙΑΝΤΟΝ
ΚΑΙ ΑΡΧΕΦΥΛΟΝ ΛΕΟΝΤΙΟΣ ΑΕΞΙΟΙ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΝΗΣΙΑΡΧΟΥΝ
ΤΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΑ ΧΡΗΣΙΜΟΥ ΓΕΓΕΝΙ
ΜΕΝΟΥ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΝ ΠΑΡΙΩΝ ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ ΤΑΣ ΔΙ
ΔΟΜΕΝΑΣ ΑΥΤΩΙ ΥΠΟ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΟΥ ΠΑΡΙΩΝ ΕΙ
ΤΕ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΑΝΑΓΝΩΝΤΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΙΣ ΕΝ ΤΩΙ ΘΕΑΤΡΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΣΑΙ ΚΑΙ ΤΑΣ
ΤΙΜΑΣ ΑΝΑΓΓΕΙΛΑΙ ΚΑΙ ΤΟΠΟΝ ΑΙΤΟΥΝΤΑΙ ΕΝ ΤΗΙ ΑΓΟ
ΡΑ ΕΝ ΩΙ ΣΤΗΣΟΥΣΙ ΤΗΝ ΕΙΚΟΝΑ ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΗΙ ΒΟΥ
ΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΜΕΝ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΠΑ
ΡΙΩΝ ΟΤΙ ΕΥΝΟΥΣ ΩΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ ΔΙΑΤΕΛΕΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΟΥ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΕΝΕΚΕ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ
ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΠΑΡΙΩΝ ΤΟΥΣ ΔΕ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΣΤΕΦΑ
ΝΩΣΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ ΤΟΙΣ ΑΝΘΕΣΤΗΡΟΙΣ ΕΝ ΤΩ
ΘΕΑΤΡΩ ΚΑΙ ΑΝΑΓΓΕΙΛΑΙ ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ ΤΑΣ ΔΙΔΟΜΕ
ΝΑΣ ΑΥΤΩΙ ΥΠΟ ΠΑΡΙΩΝ ΔΕΔΟΣΘΑΙ ΑΥΤΩΙ ΚΑΙ ΤΟ
ΠΟΝ ΕΝ ΩΙ ΣΤΗΣΟΥΣΙ ΤΗΝ ΕΙΚΟΝΑ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΡΑΠΕ
ΖΑΣ ΠΡΩΤΗΣ ΣΤΟΑΣ ΤΗΣ ΔΟΡΙΚΗΣ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΔΕ
ΚΑΙ ΤΑ ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ ΚΑΘ Α ΤΕΤΙΜΗΤΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ
ΥΠΟ ΠΑΡΙΩΝΕΙΣ ΤΑ ΔΗΜΟΥ ΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΠΕΜΨΑΙ ΔΕ
ΚΑΙ ΞΕΝΙΑ ΤΟΙΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΣ ΤΟΥΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΚΑΙ
ΤΟΝ ΤΑΜΙΑΝ ΚΑΘ ΟΤΙ ΑΝ ΔΟΚΕΙ ΑΥΤΟΙΣ
ΤΗΣ ΑΝΑΓΡΑΦΗΣ ΕΠΙΜΕΛΗΘΗΣ ΑΙΣΧΙΝΗΣ
ΦΙΛΩΝΟΣ ΤΑΜΙΑΣ

Exscripsi.

Id est. *Placuit Senatui & Populo, Porionicus dixit: quandoquidem urbs Pariorum præteritis temporibus benevola & amica esset perfecti populi Cyzicenorum, miseritque Legatos Cydiam Apiantum & Archephylum Leontii .... Apollodoro Apollonii filio Insulam gubernante, multum & admodum utili facto Populo Pariorum honores collatos ipsi a Populo Pariorum, Senatu & honores pronunciari & locum dari petierunt in foro, in quo Statuam Senatui & Populo collocent, & laudari quidem Populum Pariorum quod benevolus & amicus perstiterit perfecto Populo Cyzicenorum, laudari etiam Apollodorum Apollonii filium ob*

munificentiam & benevolentiam erga Populum Pariorum: Prytanes autem coronare Apollodorum festis Anthestiriis in theatro & declarare honores concessos ipsi a populo Pariorum, dari illi & locum in quo ejus Statuam collocent, juxta tabulas primæ Porticus Doricæ: inscribi autem Psephismata juxta quæ honoratur Apollodorus, tandemque Legatis dona mittere Prytanes & Quæstores, ut ipsis videbitur: Inscriptionis curator Æschines Philonis Quæstor.

XLVI. *Venetiis: ex Græcia allata.*

ΔΙΟΔΟΡΑ ΧΡΗΣΤΗ

ΧΑΙΡΕ

ΚΑΙ ΣΥΓΕ

Id est. *Diodora, bona, vale, & tace.*

XLVII. *Ibidem, ex Græcia.*

ΜΗΝΟΔΟΤΗ

ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

Menodota, bona, vale

XLVIII. *Ibidem, ex Græcia.*

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ

ΚΤΗΤΟΥ

ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Demetrius Cteti, bone, vale.

XLIX. *In Insula Rhodo.*

ΤΕΧΝΗ ΛΥΔΑ ΓΥΝΑ ΔΕ

ΧΡΗΣΙΠΟΥ ΧΡΗΣΤΑ ΧΑΙΡΕ

Techne Lyda, uxor vero Chrisipi, bona, vale.

L. *In Ins. Rhodo.*

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ

ΦΙΛΟΚΡΑΤΕΥΣ

ΒΡΥΓΙΝΔΑΡΙΟΣ

Aristoteles Philocratis Brygindarius.

LI. *In Co Insula.*

Α ΒΟΥΛΑ ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ
ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ
ΚΩΙΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΤΕΙ
ΜΑΣΕΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΠΟ
ΛΕΙ ΕΙΩΘΕΝΤΑ ΑΡΧΟΝ
ΤΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡ. ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ
ΚΟΣΜΟΥ ΥΙΟΥ
Π. ΣΑΛΛΟΥΣΤΙΟΝ
ΣΕΜΠΡΟΝΙΟΝ ΟΥΙ
ΚΤΟΡΑ ΤΟΝΚΡΑ
ΤΙΣΤΟΝ ΕΠΑΡΧΟΝ ΒΕΙ
ΚΟΥΛΩΝ ΗΓΕΜΟΝΑ ΚΑΙ
ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ ΣΑΡΔΟ
ΝΙΑΣ ΤΗΣ ΕΠΙ ΠΑΣΑΝ
ΘΑΛΑΣΣΑΝ ΗΓΗΣΑΜΕΝΟΝ
ΜΕΤ ΕΞΟΥ
ΣΙΑΣ ΣΙΔΗΡΟΥ ΔΟΥΚΗ
ΝΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΠΟΝΤΟΥ ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ

Id est. *Senatus Populusque Illustrissimæ Coorum Civitatis honoravit, secundum urbi solita, sub Archonte Marco Aurelio Aristione Cosmi filio, Publium Sallustium Victorem potentissimum Præpositum Viculorum Ducem, & Ducenarium Saraoniæ super universo mari cum potestate ferri Ducenarii Augusti Ponti & Bithyniæ.*

Α ΒΟΥΛΑ ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ, Dorica Dialecto quæ Η in Α mutat pro Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ. Ita nummus quem vidi olim Romæ apud Cardinalem de Maximis ab una parte caput velatum habet & literas Α ΒΟΥΛΑ *Senatus*, & ex altera ΚΩΙΩΝ, vir nudus sedens cum puero. ΣΑΡΑΟΝΙΑΣ nescio an recte scribatur. Archontes autem in hac Insula gubernasse docet Inscriptio.

LII. *Ibidem.*

ΦΑΜΙΛΙΑ ΜΟΝΟ
ΜΑΧΩΝ ΚΑΙ ΥΠΟ
ΜΝΗΜΑ ΚΥΝΗΓΕ
ΣΙΩΝ ΝΕΜΕΡΙΟΥ
ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΥ
ΛΕΥΚΙΟΥ ΠΑΚΟ
ΝΙΑΝΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ
ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑΣ
ΣΑΠΦΟΥΣ ΠΛΑ
ΤΩΝΟΣ ΛΙΚΙΝΝΙΑ
ΝΗΣ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ
ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΥΤΟΥ

Ex D. Gallandii schedis.

Familia Monomachorum & monumentum Cynegesiorum, Nemerii Castricii, Lucii Paconiani Asiarchæ, & Aureliæ Sapphi Platonis Licinniani Pontificatus uxoris ejus.

LIII. *Ibidem.*

ΗΡΩΔΗΝ
ΗΡΩΔΟΥ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΥΙΟΝ
ΤΕΤΡΑΡΧΗΝ
ΦΙΛΩΝ ΑΓΛΑΟΥ ΦΥΣΕΙ ΔΕ ΝΙΚΩΝΟΣ
ΤΟΝ ΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΝ

Id est. *Herodem Herodis Regis filium Tetrarcham, Philon Aglai* filius adoptivus, *natura vero Niconis, hospitem suum amicumque* veneratur.

LIV. *Ibidem.*

ΑΝΤΙΓΕΝΗΣ
ΦΙΛΩΝΟΣ
ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΕΥΣ

Antigenes Philonis Halicarnassæus.

LV. *Ibidem.*

ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΤΟΥ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ

Heraclidis Artemidori Alexandriæi.

LVI. *Ibidem.*

ΓΑΙΟΣ ΣΗΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ
ΠΟΠΛΙΟΥ ΟΦΕΛΙΟΥ ΜΑΛΧΙΩ
ΝΟΣ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ
ΤΕΒΕΡΙΟΥ ΓΡΑΝΙΟΥ ΦΙΛΕΡΩΤΟΣ
ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ
ΛΕΥΚΙΟΥ ΓΡΑΝΙΟΥ ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ ΖΗ
ΚΟΙΤΟΥ ΚΛΟΔΙΟΥ ΚΛΗΣΙΠΠΟΥ
ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ ΖΗ
ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΗΛΙΔΟΣ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ
ΓΑΙΟΥ ΚΛΟΔΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΕΚΝΩΝ ΖΗ

Ex D. Galland.

Gaii Seii Antiochi, uxoris, & liberorum;
Publii Ophelii Malchionis & uxoris ac liberorum;
Tiberii Granii Filerotis, uxorisque & liberorum;
Lucii Granii Agathoclis, uxoris ac liberorum vivorum;
Cœti Clodii Clesippi, uxoris, liberorumque vivorum;
Caii Julii Elidis, ejusque uxoris & liberorum;
Caii Clodii Antiochi, uxorisque ac liberorum vivorum.

LVII. *Ibidem.*

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΤΕΙΜΗΣΕΝ
ΓΑΙΟΝ ΟΥΑΛΕΡΙΟΝ ΟΥΛΠΙΑΝΟΝ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΟΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΙ ΠΟΙΗΣΑ
ΜΕΝΗΣ ΤΗΝ ΑΝΑΘΕΣΙΝ ΤΟΥ ΑΝΔΡΙ
ΑΝΤΟΣ ΤΗΣ ΑΔΕΛΦΗΣ ΑΥΤΟΥ

Ex eodem.

Senatus honoravit Cajum Valerium Ulpianum Statuæ erectione, Consecrationem Statuæ faciente ipsius sorore.

LVIII. *Ibidem.*

ΤΟΥ ΜΝΗΜΕΙΟΥ ΤΟΥΤΟΥ
Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΚΗΔΕΤΑΙ

Hujus Monumenti Senatus curam habet.

Cos urbs & Insula Ægei prope Halicarnassum magni Hippocratis natalibus clara, ut & Erasistrati. Nomen adhuc retinet, quanquam illud nautæ nostri in Stanchio & Lango deturpent. *Stanchio* autem quasi εἰς τὴν Κῶ. Ostendunt illic incolæ rudera, quæ domus Hippocratis esse dicunt, quem Insulæ Principem fuisse ajunt, aliudque nugantur de filia Hippocratis, seu ejus anima per Insulam oberrante.

LIX. *In Insula Chio in horto Capucinorum.*

ΘΡΑΣΕΑΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ
ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΚΟΥΙΝΤΟΥ ΤΕΚΝΩΝ
ΙΣΙΔΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ ΘΕΟΙΣ ΣΥΝ
ΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΣΥΝΒΩΜΟΙΣ
ΕΥΧΗΝ

Thraseas Diogenis pro se & liberis suis & uxore sua Tolla, & liberis Tollæ & Quinti, Isidi, Serapidi, Anubidi, Harpocrati, Diis eodem in Templo, ad eandemque aram cultis. Votum.

LX. *Romæ, in villa Justiniani.*

ΘΥΜΙΑΤΗΡΙΟΝ ΕΠΥΡΟΝ
ΒΑΘΡΑ ΔΥΟ
Α. ΚΑϹϹΙΟϹ ΕΥΤΥΧΗϹ
ΝΕωΚΟΡΟϹ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ
ϹΑΡΑΠΙΔΟϹ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΠΑΓΑΘΩ
PERMISSV
C. NASENNI MARCELLI
PONTIFICIS VOLCANI ET
AEDIVM SACRARVM
Q. LOLLI RVFI CHRYSIDIAN-
ET M. AEMILI VITALIS
CREPEREIANI IIVIR.

LXI. *Ibidem.*

ΔΗΜΟΣ ΧΙΩΝ Λ. ΔΕΜΙΛΙΟΝ ΔΕΚΙΟΝ ΑΝΔΡΟΜΑΧΟΝ
ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΝΕΚΑ
ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ

Ex MS. Bibliothecæ Mediceæ.

Populus Chiensium Lucium Demilium Decium Andromachum Procuratorem Augusti benevolentiæ ergo, quam in civitatem testatus est.

LXII. *Ibidem in muro privatarum ædium.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΛΟΥ
ΚΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΟΥΗΡΟΝ ΣΕ
ΒΑΣΤΟΝ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥ
ΣΙΑΣ ΤΟ Β. ΘΕΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΕΓΓΟΝΟΝ
ΘΕΟΥ ΝΕΡΟΥΑ ΑΠΟΓΟΝΟΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ ΤΗΣ
ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ ΠΟΜΠΗΙΟΥ
ΛΑΤΡΙΟΥ ΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ

Ex Gallandii schedis.

Imperatorem Cæsarem Lucium Aurelium Verum Augustum tribunitiæ potestatis II. Divi Antonini filium, Divi Hadriani nepotem, Divi Nervæ pronepotem, curam habente collocationis Statuæ Pompeio Latrio primo militiæ Duce.

LXIII.

LXIII. *In Insula Santerini, quæ olim Thera, in monte S. Stephani, ubi illius urbis rudera.*

ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ
ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΟΙΡΑΝΟΣ
ΑΓΝΟΣΘΕΝΟΥΣ ΚΑΙ Ο ΥΙΟΣ
ΑΥΤΟΥ ΑΓΝΟΣΘΕΝΗΣ
ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

Id est.

Tiberium Claudium Cæsarem Augustum Germanicum, Cœranus Agnosthenis & Filius ejus Agnosthenes pro Populo, hoc monumento venerantur.

LXIV. *Ibidem in basi marmorea.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΜΑΡΚΟΝ
ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
Ο ΘΗΡΑΙΩΝ
ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ
ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ ΠΟΙΗΣΑΜΕΝωΝ
ΑΡΧΟΝΤωΝ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ Β̄
ΚΑΙ ΚΟΙΗΤΟΥ Β̄ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ ΙΕΡΑΣΑΜΕΝΟΥ
ΠΟΛΥΟΥΧΟΥ Β̄

Id est.

Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Antoninum Augustum Senatus & Populus Theræorum, hac Statua Donant, *Curantibus & erigentibus Archontibus Asclepiade secundum & Quieto secundum & Alexandro Euphrosyni, Consecrante Polyucho secundum.*

LXV. *Ibidem.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
Λ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΝ ΣΕΒΗΡΟΝ
ΠΕΡΤΙΝΑΚΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
Ο ΘΗΡΑΙωΝ

Id est.

Imperatorem Cæsarem Lucium Septimium Severum Pertinacem Augustum Senatus & Populus Theræorum venerantur.

LXVI. *Ibidem.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ
ΣΕΒΗΡΟΝ ΑΝΤωΝΕΙΝΟΝ ΕΥΣΕΒΗ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΡΑΒΙΚΟΝ ΑΔΙΑΒΗΝΙΚΟΝ
ΠΑΡΘΙΚΟΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΜΕΓΙΣΤΟΝ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΘΗΡΑΙωΝ
ΑΡΧΙΣ. Μ. ΑΥΡ. ΙΣΟΚΛΕΟΥΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΤΟ Β̄ ΚΑΙ ΑΥΡ.
ΚΛΕΟΤΕΛΟΥΣ ΤΥΡΑΝΝΟΥ ΚΑΙ ΑΥΡ. ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ
ΑΒΑΣΚΑΝΤΟΥ ΤΗΝ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΤΗΣ ΠΑΡΑΣΚΕΒΗΣ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕωΣ ΤΟΥ ΑΝΔΡΙΑΝΤΟΣ ΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΥ
ΤΟΥ ΠΡωΤΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΥΡ. ΙΣΟΚΛΕΟΣ ΤΟ Β̄

Ex schedis R. P. Babbi Jesuitæ.

Id est. *Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Severum Antoninum Pium Augustum Arabicum, Adiabenicum, Parthicum, Germanicum maximum, Senatus & Populus Theræorum* venerantur, *sub Archontibus Marco Isocle Asclepiade secundum & Aurelio Cleotele Tyranno, & Aurelio Philoxeno Abascanto, curam impensarum & erectionis Statuæ gerente primo Archonte Aurelio Isocle secundum.*

LXVII. *Ibidem.*

Ο ΔΑΜΟΣ ΑΦΗΡΟΙΞΕ ΚΑΙ ΕΤΕΙΜΑΣΕ ΤΟΝ ΙΕΡΕΑ

ΑΠΟΛΛΟΝΟΣ ΚΑΡΝΗΙΟΥ ΔΙΑ ΓΕΝΟΥΣ ΑΔΜΗΤΟΝ ΘΕΟΚΛΕΙ

ΔΑ ΠΑΣΑΣ ΑΡΕΤΑΣ ΕΝΕΚΑ ΚΑΙ ΣΩΦΡΟΣΥΝΑΣ

Subsunt octo versus lectu & intellectu difficiles, in hujus Admeti laudem. Hæc autem Inscriptio explicanda:

Populus consecravit & honoravit Sacerdotem Apollinis
Carnei a progenie, Admetum Theoclidem omnis
Virtutis & sapientiæ causa

LXVIII. *Ibidem.*

ΑΥΡ. ΤΥΧΑCΙΟC ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ	*Aurelius Tychasius Pa-*
ΚΑΙ ΕΛΠΙΖΟΥCΑ ΤΟΝ ΙΔΙΟΝ	*trem, & Elpizusa pro-*
ΣΥΜΒΙΟΝ ΤΥΧΑCΙΟΝ	*prium Maritum Tycha-*
ΑΦΗΡωΙΞΑΝ	*sium consecrarunt.*

LXIX. *Ibidem.*

	Id est.
ΚΑΡΠΟΣ ΤΑΝ	*Carpus suam*
ΙΔΙΑΝ ΓΥΝΑΙΚΑ	*uxorem Soei-*
ΣωΕΙΔΑ ΑΦΗΡΟΙΞΕΝ	*da Consecravit*
ΤΗΝ ΜΟΝΑΝΔΡΟΝ	*univiram.*

Thera Insula Archipelagi sive Maris Ægæi nunc Santerini, Lacedæmoniorum Colonia circa Cretam, & Cyrenæorum Metropolis, ut inquit Strabo, hoc est cujus incolæ Cyrenem in Africa condiderant, antiquitus Calliste vocabatur, Callimachi Poetæ natalibus illustris. Illa simul cum Therasia terræ motu e mari emersisse ab antiquis putabatur, *ex eaque postea*, ait Plinius, *avulsa Therasia, atque inter has duas enata post Automate*. Nostra ætate magnam ab ignibus & ventis subterraneis passa cladem, anno præsertim 1457. ut docent hi versus illius sæculi in oppido Insulæ Scaro in marmore sculpti.

Magnanime Francisce, Heroum certissima proles,
Crispe vides oculis clades, quæ mira dedere
Mille quadringentis Christi labentibus annis,
Quinquies undenis istis jungendo duobus,
Septimo Calendas Decembris murmure vasto,
Vastus Theresinus immanis saxa Camenæ
Cum gemit, avulsit, scopulosque e fluctibus imis
Apparet, magnum gignit memorabile monstrum.

Crispus ille erat Insulæ Dux, ejusque familiæ supersunt quidam in Insulis Naxo & Paro. *Theresinus* est Therasiæ sinus. *Camenæ* vero unus ex duobus combustis scopulis ante Portum.

LXX. *Ex Delo Insula Chium delata, inde Constantinopolim, ubi nunc est apud Galliæ Legatum.*

ΕΠΙ ΦΑΙΔΡΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΛΑΦΗΒΩΛΙΟΝΟΣ ΟΓΔΟΗ ΕΚΚΛΗΣΙΑ
ΞΝ ΤΩ ΙΕΡΩ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ

ΑΡΧΙΘΙΑΣΙΤΗΣ ΕΙΠΕΝ

ΕΠΕΙΔΗ ΠΑΤΡΩΝ ΔΩΡΟΘΕΟΥ ΤΩΝ ΕΚ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ ΕΠΕΛΘΩΝ
ΕΠΙ ΤΗΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΝ ΚΑΙ... ΗΜΟΥ ΤΗΝ ΥΠΑΡΧΟΥ
ΣΑΝ ΑΥΤΩΙ ΕΥΝΟΙΑΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΥΝΟΔΟΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΠΟΛΛΑΣ ΧΡΕΙΑΣ
ΠΑΡΕΙΣΧΗΤΑΙ ΑΠΑΡΑΛΗΚΤΩΣ ΔΙ ΑΥΤΗΣ ΚΑΙ ΔΙΑΠΑΝΤΟΣ ΕΩ
ΝΕΙΤΑ ΤΗΙ ΣΥΝΟΔΩ ΕΤΙ ΚΑΙ ΠΡΑΤΤΩΝ ΤΑ ΣΥΝΦΕΡΟΝΤΑ
ΚΑΙ ΤΑ . . . . ΤΩΝ ΕΑΥΤΩ ΤΩΝ ΕΛΕΥΣΟΜΕΝΩΝ
ΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΣΥΝΑΞΑΜΕΝΩΝ ΕΠΙΤΕΥΞΗΜΕ
ΝΗΣ ΑΥΤΗΣ ΜΕΤΑ ΤΗΣΠΑΛΑΙΑΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΠΑΡΕΚΑΛΕΣΕΝ ΤΟ
ΚΟΙΝΟΝ ΕΞΑΠΟΣΤΕΙΛΑΙ ΠΡΕΣΒΕΙΑΝ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΑΘΗ
ΝΑΙΩΝ ΟΠΩΣ ΔΟΘΗ . . . . . . ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΟΥΣΙΝ ΤΕ
ΜΕΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΟΥ ΤΟΥ ΤΙ............ΠΑΡΑΙΤΙΟΥ ΓΕ
ΓΟΝΟΤΟΣ ΤΟΙΣ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ ΑΡΧΗΣ ΟΣΤΙΣ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΥΠΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ ΑΙΡΕΘΕΙΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΣ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΒΟΥΛΗΝ ΚΑΙ
ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ........ ΞΑΜΕΝΟΣ Ε
ΠΛΕΥΣΕΝ ΔΑΠΑΝΩΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ.. ΑΝΙΣΑΣ ΤΕ ΤΗΝ
ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΕΥΝΟΙΑΝ ΠΑΡΕΚΑΛΕΣΕΝ
ΑΥΤΟΝ ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΑΥΤΗΝ ΤΗΝ ΑΙΤΙΑΝ.. ΕΤΕΛΕΣΑΤΟ
ΤΗΝ ΤΩΝ ΘΙΑΣΙΤΩΝ ΒΟΥΛΗΣΙΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΤΙΜΗΝ
ΚΑΘΑΠΕΡ ΗΡΜΟΤΤΕΝ ΑΥΤΩΙ ΥΠΕΡ ΔΙΚΑΙΟΥ ΑΠΗΚΩΣ ΔΕ
ΚΑΙ ΠΛΕΙΟΝΑΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΜΕΤΑ ΤΟΥΤΩΝ ΚΑΙΡΟΙΣ ΕΙ ΡΗΚΕΝ
ΔΕ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ ΕΝ ΤΩ ΑΝΑΓΚΑΙΟΤΑΤΩ
ΚΑΙΡΩ ΤΑ ΔΙΚΑΙΑ ΜΕΤΑ ΠΑΣΗΣ ΠΡΟΘΥΜΙΑΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΤΙ
ΜΙΑΣ ΚΑΙ ΕΔΕΞΑΤΟ ΔΕ ΤΟΝ ΘΙΑΣΟΝ ΕΦ ΗΜΕΡΑΣ ΔΥΟ ΥΠΕΡ
ΤΟΥΤΟΥΙΝ ΝΑΟΥΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΝ ΛΟΙΠΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΑΠΑΡΑ
ΚΛΗΤΟΝ ΕΑΥΤΟΝ ΠΑΡΕΣΚΕΥΑΣΤΟ ΚΑΙ Η ΣΥΝΟΔΟΣ ΦΑΙ
ΝΗΤΑΙ ΦΡΟΝΤΙΖΟΥΣΑ ΔΙΑΝΕΥΜΕΝΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΕΙΣ ΕΑΥ
ΤΗΝ ΕΥΝΟΙΚΩΣ ΚΑΙ ΑΞΙΑΣ ΧΑΡΙΤΑΣ ΑΠΟΔΙΔΟΥΣΑ ΤΟΙΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ ΚΑΙ ΕΤΕΡΟΙΣ ΘΥΤΩΝ ΕΚ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ
ΔΙΑ ΤΗΝ ΕΙΣ ΤΟΥΤΟΝ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΝ Ε.....ΩΤΑΙΩ
ΝΩΝ ΚΑΙ ΠΑΡΑΜΙΜΟΝΤΑΙ ΦΙΛΟΤΙΜΟΥΜΕΝΟΙΣ
ΠΕΡΙΠΟΙΕΙΝΤΙ ΤΗ ΣΥΝΟΔΩ ΚΑΙ ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΩ ΚΟΙΝΩ ΤΩΝ ΤΥΡΙΩΝ........ ΤΩΝ
ΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΠΑΤΡΩΝΑ ΔΩ
ΡΟΘΕΟΥ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΩΣΑΙ ΑΥΤΟΝ ΚΑΤ ΕΝΙΑΥΤΟΝ ΧΡΥΣΩ
ΣΤΕΦΑΝΩ ΕΝ ΤΑΙΣ ΣΥΝΤΕΛΕΣΜΕΝΑΙΣ ΘΥΣΙΑΙΣ
ΤΩΙ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙ
ΑΣ ΗΣ ΕΧΩΝ ΔΙΑΤΕΛΩΝ ΕΙΣ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΤΥΡΙ
ΩΝ ΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΑΝΑΘΕΙΝΑΙ ΔΕ ΑΥ
ΤΟΥ ΕΙΚΟΝΑ ΓΡΑΠΤΗΝ ΕΝ ΤΩ ΤΕΜΕΝΕΙ ΤΟΥ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΚΑΤΑΛΑΣ...ΧΗΟΥ ΑΝ ΑΥΤΟΣ ΒΟΥΛΗΤΑΙ ΕΣ
ΤΟ ΔΕ ΑΣΥ...ΟΣ ΚΑΙ ΑΔΕΙΤΟ ΤΡΓΗΤΟΣ ΕΝ ΤΑΙΣ
ΓΙΝΟΜΕΝΑΙΣ ΣΥΝΟΔΟΙΣ ΠΑΣΑΙΣ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑ ΕΣ ΤΟ
ΤΟΙΣ ΚΑΘΙΣΤΑΜΕΝΟΙΣ ΑΡΧΙΘΙΑΣΙΤΑΙΣ ΚΑΙ ΤΑΜΙΑΙΣ
ΚΑΙ ΤΩ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙ ΠΩΣ ΕΝ ΤΑΙΣ ΓΙΝΟΜΕΝΑΙΣ ΘΥ
ΣΙΑΙΣ ΚΑΙ ΣΥΝΟΔΟΙΣ ΑΝΑΓΟΡΕΥΕΙ ΤΑ ΚΑΤΑ ΤΑΥΤΗΝ
ΤΗΝ ΑΝΑΓΟΡΕΥΣΙΝ Η ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ ΤΥΡΙΩΝ ΕΜΠΟΡΩΝ
ΚΑΙ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΠΑΤΡΩΝΑ ΔΩΡΟΘΕΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΑΝΑΓΡΑΨΑΤΩΣΑΝ ΔΕ ΤΟ ΨΗ
ΦΙΣΜΑ ΕΙΣ ΣΤΗΛΗΝ ΛΙΘΙΝΗΝ ΚΑΙ ΣΤΗΣΑΤΩΣΑΝ ΕΝ
ΤΩ ΤΕΜΕΝΕΙ ΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΤΟ ΔΕ ΕΣΟΜΕΝΟΝ ΑΝΗΛΩΜΑ
ΕΙΣ ΤΑΥΤΑ ΜΕΡΙΣΑΤΩ Ο ΤΑΜΙΑΣ ΚΑΙ ΑΡΧΙΘΙΑΣΙΤΗΣ

ΕΠΙ ΑΡΧΙΘΙΑΣΙΤΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΙΕΡΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΔΕ ΤΟΥ
ΔΩΡΟΘΕΟΥ

ΔΗΜΟΣ	Η ΣΥΝΟΔΟΣ
ΑΘΗΝΑΙ	ΤΩΝ ΤΥΡΙΩΝ
ΩΝ	ΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ
	ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ

Exscripsi.

Interpretatio.

Sub Phædria Archonte, mensis Elaphebolionis octavo, Ecclesia (seu Conventus) *in Templo Apollinis convocata:*

Dionysius Dionysii filius Archithiasita dixit:

Quandoquidem Patro Dorothei filius unus ex Synodo qui ad Ecclesiam venit propter suam erga Synodum benevolentiam quæ ad plurimas necessitates se ultro obtulit, ejus causa aliorumque omnium quæ Synodo contulit, præstans etiamnum quæ illi conferunt . . . .

. . . .

pro Synodo in tempore maxime necessario cum omni bona voluntate & affectu dixit, Festumque per duos dies celebravit in his templis, & irrevocabile reliquo tempore præstitit, utque Synodus studiosorum erga se virorum curam gerere videatur, dignasque benefactoribus gratias reddere, cæterisque ex Synodo sacrificatoribus propter gratitudinem erga illum . . . .
fiunt & illis quis aliquid utile Synodo & bonæ fortunæ conferre student assimilentur, visum est communitati Tyriorum . . . . . *Mercatorum ac Nauclerorum laudari Dorothei filium coronarique singulis annis corona aurea, in sacrificiis Neptuno consecratis, propter virtutem & bonam voluntatem quam perpetuo habuit erga mercatorum Tyriorum Nauclerorumque communitatem, ut præterea ejus sculpta imago in templo Herculis quod est juxta* . . . . . *collocetur si ipsi voluerit* . . . .
. . . .
. . . .
Archithiasitis, Quæstoribus & Scribæ, sicuti in celebratis sacrificiis & Synodis, denunciat ea quæ hanc declarationem spectant, Synodus Tyriensium mercatorum nautarumque coronat Patronem Dorothei filium suum benefactorem. Psephisma vero inscribant cippo lapideo & collocent in Herculis æde. Superstes vero . . . . *dividant Quæstor & Archithiasites. Sub Archithiasite Dionysio Dionysii filio; Sacerdotis officio fungente Dorotheo.*

Populus Atheniensium. *Synodus Tyriensium mercatorum nautarumque.*

Archithiasites Præfectus Chorearum Bacchicarum: Θίασος enim cœtus & multitudo tripudiantium, & proprie turba Bacchicas saltationes, chorosque agitans, ut tradit Athenæus.

Populus Atheniensium qui hic memoratur, non est Athenarum Atticarum, sed oppidi in Delo cui *Athenæ novæ* nomen erat: quod incognitum fuisse miror Jo. Harduino nupero Scriptori, libro cui titulus, *Nummi Populorum & urbium illustrati*. Ibi enim ad nummum ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ pag. 414. eruditum Antiquarium reprehendit, qui ex eo nummo Antiochiam aliquam in Ptolemaidis agro fuisse auguratus est: additque; *Denique qui Antiochiam in Ptolemaidis agro quærit, idem etiam Athenas in Insula Delo investiget, quoniam apud Gruterum in vetusta Inscriptione legitur non semel* pag. CCCCV. ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩΙ, & ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΤΟΙΣ ΕΝ ΔΗΛΩΙ. Addidisset & hanc, si vidisset, ΔΗΜΟΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. Imo vero, o Vir Erudite, Athenæ erant in Insula Delo. Testis præter lapides Stephanus Byzantius: ΟΛΥΜΠΙΕΙΟΝ, inquit, τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ, Νέας Ἀθήνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πεντεκαιδεκάτῳ. Id est, OLYMPIEUM *locus in Delo, quem Athenienses qui eum condiderunt ex Hadriani pecunia, vocavere* Novas Athenas Hadrianas, *ut* tradit *Phlego Olympiadum decimo quinto*. Hujus loci mentionem fieri in quodam aquæductu, putaveram olim: sed fallebar, & non advertebam etiam Athenarum Atticarum partem Athenas novas vocitatam fuisse, quod jam in meo Græciæ Itinerario monui. Sic priorem ætatem subsequens ætas docet & emendat: unde in alios quos errasse putamus insilire piaculum sit: cum ipsimet forte simus errones, & reprehensioni obnoxii. Liceat tantum nobis criticæ partes assumere, ut clarius elucescat veritas, non ut clariores evadamus.

LXXI. Placiæ *in Cœmeterio Armeniorum*.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Γ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ ΟΝΗΣΙΜΟΣ
ΘΕΩ ΥΨΙΣΤΩ ΣΩΘΕΙΣ ΑΝ
ΕΘΗΚΑ ΕΚ ΜΕΓΑΛΟΥ ΚΙΝΔ
ΥΝΟΥ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ
ΝΕΙΚΗΣ ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΑΝΑΘΕΙΝΑΙ

Ex D. Vaillant.

Id est, *Bonæ Fortunæ Cajus Pescennius Onesimus Deo altissimo consecravi ereptus ex magno periculo post meorum victoriam gratiarum actionis collocandum* monumentum.

LXXII. *Ibidem.*

ΥΠΟΜΝΗΜΑ
ΑΥΡ. ΧΡΗΣΤΟΥ Ο ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ
ΕΑΥΤΩ ΖΩΝ ΚΑΙ ΤΗ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΜΟΥ
ΓΥΜΝΑΙΚΙ ΑΥΡ. ΕΥΠΟΣΙΑ ΤΟΙΣ ΔΕ ΛΟΙΠΟΙΣ
ΑΠΑΓΟΡΕΩ ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΕΙ ΕΤΕΡΟΝ
ΚΑΤΑΘΕΣΤΑΙ ΕΣΤ ΕΑΥΤΩ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΘΕΟΝ

Ex eodem.

Monumentum Aurelii Chresti quod sibi vivens fecit, & dulcissimæ uxori meæ Aureliæ Euposiæ: cæteris vero prohibeo, si quis vero ausus fuerit alium hic deponere sit illi penes Deum.

LXXIII. *Romæ ad Laodiceam pertinens.*

Μ. ΑΛΦΗΝΟΣ	Id est.
ΜΑΡΤΙΑΛΗΣ	*Marcus Alfenus*
ΛΑΟΔΙΚΕΥΣ	*Martialis*
ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΠΑ	*Laodicensis*
ΡΟΔΟΙΣ ΧΑΙ	*Asiæ, Viatores*
ΡΕΙΝ ΠΑΤΗΡ	*salvete, Pater,*
ΕΠΟΙΗΣΕ ΤΩ ΙΔΙΩ	*Fecit suo*
ΤΕΚΝΩ ΖΗΣΑΝ	*filio qui vixit*
ΤΙ ΕΤΗ Θ	*annos IX.*

Exscripsi.

LXXIV. *In pago Caramaniæ, Cladie.*

ΑΙΛΙΑ ΑΜΜΙΑ	*Ælia Ammia*
ΑΙΛΙΩ ΧΑΡΙΤΩΝΙ	*Ælio Charitoni*
ΑΝΔΡΙ ΜΝΗΜΗΣ	*viro, memoriæ*
ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΑΥ	*causa, & sibi*
ΤΗ ΖΩΣΑ	*viva.*

LXXV. *Ibidem.*

ΑΥΡ. ΘΕΟΚΤΙΣ	*Aurelius Theoctis-*
ΤΟΣ ΥΕΙΟΣ ΜΑ	*tus filius Mace-*
ΚΕΔΟΝΙΟΥ Α	*donii consecravi*
ΝΕΣΤΗΣΑ ΤΗ	*desponsatæ meæ*
ΜΝΗΣΘΗΣΑ ΜΟΥ ΣΥΝ	*conjugi Basilissæ,*
ΒΙΩ ΒΑΣΙΛΙΣΗ	*memoriæ gratia*
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ	

Ex D. Vaillant.

LXXVI. *Ibidem.*

MENOPHON

ET CALLICLEA SALVETE

Ex ſchedis Peiresk.

Romanis qui in Græcia defuncti erant ſæpe Latina inſcribebantur Epitaphia, quale iſtud in modum tamen Græcorum exaratum, cum nudo nomine adjuncta ſalute, de quibus ſupra diximus. Hæc autem Aſiæ minoris provincia, quæ Caramania nunc vocatur, ſuberat olim Romanorum imperio, comprehenditque Pamphyliam & Ciliciam. Pamphyliæ caput & præcipua urbs Attalia, ſeu ut vulgo *Sattalia*, ex Græcorum loquendi modo εἰς Ἀτταλίαν, & per compendium σ' Ἀτταλίαν. Cæterum hic omittere non debeo ſtupendum antiquitatis opus, a nullo quod ſciam adhuc memoratum, & nuper a D. de Boiſgien Nobili Gallo iter faciente Smyrna Attaliam obſervatum, Murus nempe qui totum Pamphyliæ regnum ex parte terreſtri claudit; ita ut tota Pamphylia aut mari aut muro illo cincta ſit, non ſecus ac Chinenſe regnum muro ingenti, montibus aut mari cingitur. Quam quidem antiquitatem etiam ſe obſervaſſe prælaudato peregrinatori aſſeruit nationis noſtræ Conſul Attaliæ reſidens.

LXXVII. *Venetiis ad Mileſios pertinens.*

ΕΥΤΥΧΙΔΗΣ ΖΩΙΛΟΥ

ΜΙΛΗΣΙΟΣ

Hic ſculptus interjacet adoleſcens palliatus,
ſubſuntque verſus quatuor.

ΠΡΑΞΙΤΕΛΟΥΣ ΗΝΘΟΥΝ ΛΑΟΞΟΟΣ ΟΥΤΙ ΧΕΡΕΙΩΝ

ΕΣ ΔΕ ΤΕ ΩΝ ΔΙΣΣΑΣ ΗΛΥΘΟΝ ΟΓΔΟΑΔΑΣ

ΟΥΝΟΜΑ Δ ΕΥΤΥΧΙΔΗΣ ΨΕΥΔΩΝΥΜΟΝ ΑΛΛΑ ΜΕ ΔΑΙΜΩΝ

ΘΗΚΕΝ ΑΦΑΡΠΑΞΑΣ ΩΚΥΤΑΤ ΕΙΣ ΑΙΔΑ

Ex ſched. Peiresk.

LXXVIII. *Mileti.*

ΜΟΥΡΜΙΛΛΟΝΕΣ ΓΑΙΟΣ .. $\overline{Α}$. $\underset{Τ}{Σ}$ Α	ΜΟΥΡΜΙΛΛΩΝ ΚΕΡΑΜΥΛΛΟΣ ΕΛΕΥΝΙ $\overline{Ε}$ $\underset{Τ}{Σ}$ $\overline{Σ}$	ΘΡΑΙΞ ΣΚΕΥΑΣ ΕΥΚΑΡΠΟΣ ΑΜΙΑ. ΝΙ. $\overline{Α}$ $\underset{Τ}{Σ}$ $\overline{Α}$
ΜΟΥΤΑΤΣ ΕΛΕΥ ΕΣΣΕ ΝΙ. $\overline{Ι}$ $\underset{Τ}{Σ}$ $\overline{Ι}$ ΔΑΡΙΟΣ	ΜΟΥΡΜΙΛΛΩΝ ΠΕΠΛΟΣ ΕΛΕΥ ΝΙ $\overline{ΙΓ}$ $\underset{Τ}{Σ}$. ΙΒ	ΘΡΑΙΞ ΔΡΑΚΟΝ ΣΑΜΙΑ 'ΝΙ. Β. $\underset{Τ}{Σ}$ $\overline{Β}$

Ex Anglor. Smyrnæ degentium ſchedis.

LXXIX. *In Trojæ ruderibus.*

Α ΒΟΥΛΑ ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ
ΑΥΛΟΝ ΚΑΝΩΔΙΟΝ Γ. Υ. ΕΡΕΝ
ΝΙΑΝΟΝ ΣΤΡΑΤΑΓΗΣΑΝ
ΤΑ ΑΓΝΩΣ ΚΑΙ ΕΥΣΤΑΘΩΣ
ΕΝ ΚΑΙΡΟΙΣ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΣ
ΔΕΥΟΜΕΝΟΙΣ ΤΟΝ ΙΕΡΕΑ
ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΙ ΛΟΓΙΟΝ
ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΑΓΩΝΟΘΕΤΑΝ
ΕΝ ΕΝΙΑΥΤΩ ΠΕΠΛΗΡΩΚΟΤΑ
ΤΑ ΔΕ ΕΝ ΤΑ ΛΑΜΠΡΩΤΑΤΑ
ΠΑΤΡΙΔΙ ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΩ ΠΕΡ
ΓΑΜΗΝΩΝ ΤΩΝ ΣΥΝΓΕΝΕΩΝ
ΠΟΛΕΙ ΤΑΝ ΕΠΩΝΥΜΟΝ
ΑΠΟ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙ
ΑΝ ΕΚ ΓΕΝΕΟΣ ΔΙΑΔΕΞΑΜΕ
ΝΟΝ ΤΟΙΣ ΤΑΣ ΑΞΙΑΣ ΒΑΘ
ΜΟΙΣ ΑΝΕΛΟΓΙΣΕ

Ex Gallandii schedis.

LXXX. *Romæ, ad Tripolitanos Asiæ pertinentes.*

Basis, In villa Borghesia.

ΚΥΙΝΤΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΜΕΙΛΗΤΟΣ
ΠΡΟΛΙΠΩΝ ΑΣΙΑΣ ΤΡΙΠΟΛΙΝ
ΠΑΤΡΙΔΑΝ ΠΟΛΙΝ ΑΓΝΗΝ
ΕΝΘΑΔΕ ΗΛΘΑ ΑΓΩΝΑ ΙΔΕΙΝ
ΠΡΟΚΑΘΕΖΟΜΕΝΟΥ ΒΑΣΙ
ΛΕΥΟΝΤΙ ΣΕΒΗΡΩ ΚΑΙ ΠΟ
ΡΙΣΑΣ ΒΙΟΝ ΕΚ ΚΑΜΑΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ ΤΑΥΤΑ ΕΠΟΙΗΣΑ
ΕΓΩ ΑΠΑΤΗΝ ΤΟΙΣ
ΖΩΣΙΝ ΕΥΦΡΑΙΝΕΣΘΑΙ
ΦΙΛΟΙ ΕΙΣ ΛΑΒΥΡΙΝΘΟΝ
ΑΕΙ ΜΑΡΜΑΡΙΩΝ
ΤΟ ΓΕΝΟΣ ΣΩΣΕ
ΣΕΡΑΠΙ
Ο ΤΟΠΟΣ ΛΑΒΥΡΙΝΘΟΣ

Exscripsi.

Basis, In villa Ludovisia.

ΤΟΝ ΣΟΦΟΝ
ΕΝ ΑΝΔΡΑΣΙΝ
ΕΙΩΝΙΚΟΝ
ΑΝΔΡΑ ΜΕ
ΓΙΣΤΟΝ ΚΥΙΝ
ΤΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ
ΜΕΙΛΗΤΟΝ
ΟΙ ΤΕΧΝΙΤΑΙ
ΑΝΕΘΗΚΑΝ

Q. IVLIVS FAEN
TIVS ALVMNVS
CVM ARTEFICI
BVS POSVIT

Exscripsi.

LXXXI. *Massiliæ, ex Græcia allata.*

Ο ΔΗΜΟΣ

ΑΡΤΕΜΟΥΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΙΚΕΣΙΟΥ ΔΕ ΓΥΝΑΙΚΑ

Exscripsi.

Id est. *Populus Artemon Apollonii* filiam, *Icesii vero uxorem* veneratur.

LXXXII *Lampsaci.*

ΕΔΟΞΕΝ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ
ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ
ΤΟΥΣ ΟΜΗΡΟΥΣ ΔΟΡ..
ΗΜΑΤΩΝ ΤΟΛΛΗΤΗΝ
ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ
ΠΑΡΑ ΦΙΛΙΠΠΟΥΣ
ΤΗΝ ΒΟΥΛΗΝ ΗΞΙΟΥ
ΘΟ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ Δ..
ΛΗΙ ΕΠΕΙ ΠΡΟΘΥΜ....
ΤΩΣ ΟΜΗΡΟΥΣ ΑΝΥΠ...
ΔΙΔΟΝΑΙ ΑΥΤΟΙΣ
ΜΙΑΝ ΤΩΝ ΕΠΙΜΩΝ
ΙΑ ΤΟΛΛΕΥ ΚΑ..Ε

Exscripsi.

LXXXIII. *Phoceæ, quæ nunc Foja vecchia, non longe a Smyrna.*

Η ΤΕΥΘΑΔΕΩΝ ΦΥΛΗ
ΦΛΑΟΥΙΑΝ ΜΟΣΧΟΝ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΑΜΜΙΟΝ
ΤΗΝ ΚΑΛΟΥΜΕΝΗΝ ΑΡΙΣΤΙΟΝ ΑΡΧΙΕΡΙΑΝ
ΑΣΙΑΣ ΝΑΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΕΦΕΣΩ ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ
ΔΙΣ ΚΑΙ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΜΑΣΣΑΛΙΑΣ ΑΓΩΝΟΘΕΤΙΝ ΤΗΝ
ΦΛΑΟΥΙΟΥ ΕΡΜΟΚΡΑΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΒΙΟΝ ΚΟΣΜΩΤΗΤΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΑΓΝΕΙΑΣ

Tribus Teuthadeorum Flaviam Moschi filiam Ammion cognominatam Aristion, Pontificem Asiæ templi quod est Ephesi, Prytanim, Stephanephoram bis & Sacerdotem Massiliæ, certamina exhibentem, Flavii Hermocratis uxorem virtutis causa, totiusque circa mores ornamenti & castitatis.

Egregia est hæc Inscriptio Nobilis Matronæ Phocensis, quæ sacerdotio fungebatur Ephesi in magnæ Dianæ Templo, & Massiliæ, quæ a Phocensibus condita erat, & ab iis Dianæ cultum acceperat, ut abunde constat ex infinitis ejus antiquis nummis, quæ ab una parte Dianæ caput exhibent, ab alia Leonem, cum voce ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ, *Massiliensium*. Prytanes Judices erant in Atheniensium Tribubus, ad quorum imitationem Phocenses forte acceperant Prytanes sexus utriusque.

LXXXIV. *Ibidem*.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΛΟΥΚΙΟΝ ΣΕΠΤΙΜΙΟΝ
ΣΕΟΥΗΡΟΝ ΠΕΡΤΙΝΑΚΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ Ο ΔΗΜΟΣ

Imperatorem Cæsarem Lucium Septimium Severum Pertinacem Augustum Populus honoravit.

LXXXV. *Smyrnæ*.

ΦΛΑΟΥΙΑ ΤΡΥΦΑΙΝΑ Η ΚΑΙ ΡΟΔΟΠΗ
ΖΩΣΑ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΑΥ
ΤΗ ΚΑΙ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΙ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ
ΤΟΥ ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜ
ΜΑΣΙΝ ΑΥΤΗΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΣ ΑΥΤΗΣ ΜΗΔΕΝΟΣ
ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ . . .
. . . . ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗ ΤΗ . . . . .
ΔΙ ΗΜΩΝ ΑΡΓΥΡΙΟΝ * ΤΑΥΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑ
ΦΗΣ ΕΚΦΡΑΓΙΣΜΑ ΑΠΕΤΕΘΗ Ε . . . . . .

Exscripsi.

LXXXVI. *Ibidem*; *Fig. stans cum serpente circa columnam*.

ΑΔΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΚΑΤΕΧΕΙ ΚΟΝΙΣ ΟΜΒΡΥΣ ΑΙΔΑΣ
ΕΙΡΥΣΕΝΑΙ ΘΕΩΝ ΗΛΙΚΟΣ ΕΞΑΓΕΛΑΣ
ΑΡΤΙ ΓΑΡ ΕΥΜΟΧΘΟΥ ΕΠΙ ΓΥΜΝΑΔΑΣ ΑΓΝΟΝ ΕΦΗΒΟΥ
ΣΧΗΜΑ ΛΑΧΩΝ ΕΡΑΤΑΝ ΩΛΕΣΕΝ ΑΛΙΚΙΑΝ
ΑΡΤΙ Δ ΑΡΙΘΜΟΝ ΕΤΩΟ ΕΞ ΚΑΙ ΔΕΚΑ ΤΕΡΠΝΟΣ ΑΜΙΒΩΝ
ΖΜΕΡΤΟΜΑΡΑΙ ΣΤΥΓΕΡΟΝ ΜΑΤΡΙ ΛΕΛΟΙΠΕ ΓΟΟΝ

Ex Gallandii schedis.

LXXXVII. *Ibidem*.

Ο ΔΗ ΜΟΣ		Ο ΔΗ ΜΟΣ
Ο ΜΥΤΙΛΗ ΝΑΙΟΝ	ΤΑΛΛ ΠΙΡΙΟΥ	ΝΙΚΑΝΔΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
Ο ΔΗ ΜΟΣ Ο ΤΕΜΝΙΤΩΝ		Ο ΔΗ ΜΟΣ Ο ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ
Ο ΔΗ ΜΟΣ		Ο ΔΗ ΜΟΣ

LXXXVIII. *Ibidem in Cœmeterio Armeniorum.*

ΝΑΙΣ ΕΡΜΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ
ΑΓΟΡΑΣΑΣΑ ΤΟΠΟΝ ΨΕΙΛΟΝ ΚΑΤΕ
ΣΚΕΥΑΣΕ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΩ ΚΑΤΟΙ
ΧΟΜΕΝΩ ΥΙΩ ΖΟΣΙΜΩ ΚΑΙ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ
ΚΟΡΝΗΛΙΩ ΕΥΤΥΧΙΑΝΩ ΑΝΔΡΙ ΚΑΙ
ΤΟΙΣ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΚΑΙ ΠΡΟΚΛΗ ΤΗΤΡΑ
ΦΕΙΣΗ ΥΠ ΑΥΤΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΟΥ
ΣΗΣ ΑΥΤΗΣ ΕΠΙΤΕΘΕΙΝΑΙ ΣΟΡΟΝ ΕΙΣ ΟΝ
ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΜΟΝΗ ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ
ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΤΕΡΟΝ ΒΑΛΕΙΝ Η ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ
ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΕΤΕ
ΘΗ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ

Id est. *Nais Hermi Dioclis filii, comparans sibi locum longum posuit monumentum condito subtus filio Zosimo, sibi & Cornelio Eutychiano viro, liberisque & Proclæ ipsius alumnæ, ea quidem potestatem habente sepulchrum suum illic collocare, in quo condetur sola, nemini autem sit licitum aliud corpus immittere, aliquidve immutare. Hujus inscriptionis deponetur simile exemplar in Archivis.*

LXXXIX. *Ibidem.*

ΧΑΙΡΙΤΙΝ ΕΡΜΙΠΠΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙΤΥΝΧΑΝΟΝΤΟΣ ΤΟ ΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΝ
ΤΗ ΔΙΑΘΗΚΗ
ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΣΤΙΝ ΙΚΙΟΥ ΙΚΙΟΥ ΤΟΥ
ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΕΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΡΟΦΙΜΗΣ
ΚΥΡΟΥ ΤΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΓΕΓΟΝΥΙΑΝ
ΕΚΧΩΡΗΣΙΝ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ
ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ

Id est. *Chæritin filiam Hermippi qui sibi comparavit monumentum, cæterisque qui in hoc sepulchro continentur. Pertinet autem monumentum ad Icium Icium Eubemeri filium Sacerdotem Smyrnæorum & Trophimam Cyri Hermogenis filii, secundum eam quæ facta est concessionem. Inscriptionis Antigraphum deponetur in Archivis.*

XC. *Ibidem.*

ΤΙ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΤΙ. ΥΙΟΣ ΦΑΒΙΑ ΠΟΛΛΙ
ΩΝ ΖΩΝ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΤΕΣ
ΚΕΥΑΣΕΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑ
ΠΡΟΚΛΗ ΤΗ ΘΥΓΑΤΡΙ ΚΑΙ ΤΙ. ΙΟΥΛΙ
Ω ΤΙ. ΥΙΩ ΦΑΒΙΑ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΤΩ
ΥΙΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΟΥΤΩΝ ΕΚΓΟΝΟΙΣ
ΚΑΙ . . . . . . ΕΤΕΡΩ ΔΕ ΜΗ
ΔΕΝΙ ΕΞΟΝ ΕΙΝΑΙ ΤΕΘΕΙΝΑΙ ΕΙΣ ΤΟ
ΜΝΗΜΕΙΟΝ

Ex Erud. Vaillant schedis.

Id est. *Tiberius Julius Tiberii filius Fabia Tribu Pollio, vivus monumentum fecit sibi & Juliæ Proclæ & Tiberio Julio Tiberii filio Fabia Pollioni filio & posteris . . . . Alteri autem nemini licitum sit deponi in hoc monumento.*

XCI. *Ibidem.*

ΜΑΡΚΟΣ ΤΟΥΚΚΙΟΣ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΗΓΟΡΑΣΕ
ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΙ Ε
ΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΕΑΥ
ΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΣΩ
ΤΗΡΙΑΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ
ΤΕΚΝΟΙΣ

Ex Consulis Batavi schedis.

Id est. *Marcus Tuccius Julianus emit monumentum, & paravit sibi & uxori Soteriadi & filiis.*

XCII. *Ibidem.*

. . . .
ΕΝ ΡΩΜΗ ΕΙΛΕΜΜΕΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΤΙΓΡΑΦΩΝ ΕΝ . . . .
ΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΩ ΑΥΤΟΝ ΜΗ ΔΥΝΑΣΘΑΙ ΧΩΡΙΣ. . . .
ΠΑΡΧΕΙΝ ΤΗΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΠΟΙΗΣΑΣΘΑΙ ΔΙΑ ΠΡΟΔΗΛΟΥ
ΤΟΥ ΘΕΟΠΡΕΠΟΥ Η ΤΙΣ ΙΕΡΩΣΥΝΗ ΑΚΟΛΟΥΘΕΙ ΤΟΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΟΙΣ
ΔΙΟΣ ΦΙΛΟΘΕΕ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΘΡΟΠΕ ΚΑΙΣΑΡ ΚΕΛΕΥΣΑΙ ΔΟΘΗΝΑΙ ΜΟΙ ΤΑ
ΑΝΤΙΓΡΑΦΑ ΤΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ ΩΣ ΚΑΙ ΘΕΟΣ ΠΑΤΗΡ
ΣΥΝΕΧΩΡΗΣΕΝ
IMP. CAESAR. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS AVGVSTVS
PIVS SEXTILIO ACVTIANO SENTENTIAM DIVI PATRIS MEI SI
QVID PRO SENTENTIA DIXIT DESCRIBERE TIBI PERMITTO
RESCRIPSI RECOGN. VNDEVICESIMVS ACT. VI. IDVS APRIL.
ROMAE CAES. ANTONINO II ET PRAESENTE II COS.
ΕΣΦΡΑΓΙΣΘΗ ΕΝ ΡΩΜΗ ΠΡΟ ΤΡΙΩΝ ΝΩΝΩΝ ΜΑΙΩΜ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΚΑΙΣΑΡΙ Τ. ΑΙΛΙΩ ΑΔΡΙΑΝΩ ΑΝΤΩΝΕΙΝΩ ΤΟ Β. ΓΑΙΩ ΒΡΟΥΤΤΙΩ
ΠΡΑΙΣΕΝΤΙ ΤΟ Β. ΥΠΑΤΟΙΣ ΠΑΡΗΣΑΝ Τ. ΦΛ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ. . . . ΛΑΤΑΝΙΟΣ
ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΔΚΜΟΣΘΕΝΙΑΝΟΣ ΑΑΙΤΙΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΑΙΛΙΟΣ. . . .
Μ. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΚΡΙΣΠΟΣ Α. ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΑΛΒΕΙΝΙΑΝΟΣ Μ. ΚΟΣΚΩΝΙΟΣ
ΚΑΡΙΚΟΣ ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΚΤΙΟΣ
STASIME DAPENI EDITE EX FORMA SENTENTIAM VEL
CONSTITVTIONEM

Exscripsi.

Elegans eſt hæc Inſcriptio partim Græca, partim Latina, Antonini Pii Epiſtolam ſive Reſcriptum continens, qualia in ſequentibus marmoribus etiam videmus. Prior pars eſt Epiſtola ſive ſupplex libellus Sextilii Acutiani ad Antoninum, ab eo petentis antigraphum Sententiæ a Divo Hadriano in ejus gratiam latæ: cui Latine & paucis verbis pro Imperii majeſtate reſpondet Antoninus: conceſſo Romæ ſigillo tertio Nonas Maii, *Antonino Pio II & Cajo Bruttio Præſente II Conſulibus*. Qui Conſulatus ad Faſtos vulgares corrigendos venit obſervandus. Tandem latæ Sententiæ teſtes afferuntur ſeptem aut octo, & publicis duobus Scribis Sententiæ ſive conſtitutionis injungitur editio.

XCIII. *Ibidem, ad Templum Bacchi Briſæi reperta.*

. . . . ΜΕΓΙΣΤΩ ΔΗΜΑΡ
ΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟ Θ. ΑΥ
ΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΤΟ ΙΕ ΠΑΤΡΙ ΠΑΤΡΙ
ΔΟΣ ΥΠΑΤΩ ΤΟ Η ΚΑΙ ΚΑΙΣΑΡΙ
. . . . ΘΕΟΥ ΟΥΕΣΠΑ
ΣΙΑΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΙΩ ΥΠΑ
ΤΩ ΤΟ Ζ ΙΕΡΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΔΙΑ
ΓΕΝΟΥΣ Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ ΦΑΒΙΑ ΜΙ
ΘΡΕΟΣ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΥΙΟΥ
ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΤΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΒΙΩΝΟΣ
ΝΩΝΙΑΝΟΥ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥΝΤΟΣ Λ. ΛΙΚΙΝΙΟΥ
ΠΡΟΚΛΟΥ ΞΥΣΤΑΡΧΟΥΝΤΠΣ. . . . . .
ΔΙΟΙΚΟΥΝΤΟΣ Λ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ ΦΙΡΜΟΥ ΟΙ ΠΕ
ΠΛΗΡΩΚΟΤΕΣ ΤΑ ΙΣΗΛΥΣΙΑ
ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΣ ΦΙΡΜΟΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΑΡΤΕΜΑΣ ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΗΣ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΕΥΔΗΜΟΣ ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΗΣ
ΤΡΟΦΙΜΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ
ΤΥΡΑΝΝΟΣ ΠΑΠΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ. . . . .
. . . ΣΕΒΑΣΤΩ ΤΟ Θ. ΚΟΙΝΤΩ
ΠΕΤΤΙΛΙΩ ΡΟΥΦΩ ΤΟ Β. ΥΠΑΤΟΙΣ
ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΚΟΣΚΩΝΙΑΣ
ΜΥΡΠΟΥ--ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ--ΛΟ--ΚΑΙ
ΚΙΛΙΟΣ ΦΡΟΝΤΩΝ-ΝΕ ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΙΚΙΝΟΣ ΝΕ
ΜΑΡΚΟΣ ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟ
ΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΤΙΤΟΥ ΑΙΛΙΟΥ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ

ΠΑΤΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΥΙΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙ
ΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Β. ΣΥΝΟ
ΔΩ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΒΡΕΙΣΕΑ ΔΙΟΝΥΣΟΝ
ΧΑΙΡΕΙΝ
ΕΥΝΟΙΑ ΥΜΩΝ ΗΝ ΕΝΕΔΕΙΞΑΣΘΕ ΣΥΝ
ΗΣΘΕΝΤΕΣ ΜΟΙ ΓΕΝΝΗΘΕΝΤΟΣ ΥΙΟΥ ΕΙ ΚΑΙ
ΕΤΕΡΩΣ ΤΟΥΤΟ ΑΠΕΒΗ ΟΥΔΕΝ ΗΤΤΟΝ ΦΑ
ΝΕΡΑ ΕΓΕΝΕΤΟ. ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ ΕΠΕΓΡΑΨΕΝ
Τ. ΑΤΕΙΛΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ Ο ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ ΑΝΘΥ
ΠΑΤΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ ΗΜΩΝ. ΕΡΡΩΣΘΑΙ Υ
ΜΑΣ ΒΟΥΛΟΜΑΙ ΠΡ. Ε. ΚΑΛ. ΑΠΡΕΙΛ. ΑΠΟ
ΛΩΡΙΟΥ
ΤΗΝ ΕΠΙΓΡΑΦΗΝ ΠΟΙΗΣΑΝΤΟΣ Μ. ΑΝΤΩ
ΝΙΟΥ ΑΡΤΕΜΑ ΔΩΡΕΑΣ ΤΑΜΙΕΥΟΝΤΟΣ
ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΕΙΝΟΥ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ
ΥΙΟΣ ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΥΙΩ
ΝΟΣ ΘΕΟΥ ΝΕΡΟΥΑ ΕΓΓΟΝΟΣ ΤΙΤΟΣ ΑΙ
ΛΙΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ
ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟ ΚΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΟ Β.
ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Δ. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΣΥΝ
ΟΔΩ ΤΩΝ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΜΥΣΤΩΝ ΧΑΙΡΕΙΝ
. . . .

Ex Erud. Gallandii schedis.

Fragmentum hocce Marmoreæ Tabulæ Fastos continet Synodi seu Conventus Mystarum qui Smyrnæ conveniebant in Templo Bacchi Brisæi: & in priori quidem parte Iselusiorum quorundam ludorum memoriam inibi celebratorum, Tito Vespasiano VIII. & Domitiano VII. Consulibus, additis nominibus eorum qui sacrificiis, ludis, aut palæstræ præsidebant. Sequitur Epistola Marci Aurelii responsoria ad Synodum eorundem Mystarum, qui ipsum de nato filio congratulati fuerant, data Lorio quinto Calendas Aprilis. Tumque ad eosdem Antonini Pii Augusti, alterius Epistolæ principium. Brisæi Bacchi mentio est in sequenti lapide ibidem effosso.

XCIV. *Ibidem.*

ΒΡΗΣΕΙ ΔΙΟ
ΝΥΣΩ ΟΙ
ΝΟΜΑΟΣ
ΝΕΙΚΕΡΩΤΟΣ
ΤΟΥ ΘΕΟΔΟΤΟΥ
ΠΡΥΤΑΝΙΣ
ΚΑΙ ΥΜΝΩΔΟΣ

Id est, *Baccho Brisæo Oenomaus Nicerotis Theodoti filius Prytanis & Cantor.*

XCV. *Smyrnæ.*

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΠΟΥΒΛΙΟΣ ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΟΥΑΛΕΡΙΑ

ΝΟΣ ΕΥΣΕΒΗΣ ΕΥΤΥΧΗΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ

ΚΑΙΣΑΡ ΠΟΥΒΛΙΟΣ ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΓΑΛΛΙΗΝΟΣ ΕΥΤΥΧΗΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ

ΚΑΙ ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ...... ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ

ΚΑΙΣΑΡ ΙΟΥΛΙΩ ΑΠΕΛΛΑ ΙΔΙΩ ΧΑΙΡΕΙΝ

ΑΜΦΙΒΟΛΟΝ ΕΣΤΙΝ ΚΑΙ ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΤΑ ΟΡΙ.....

ΕΝΤΑ ΤΗΡΕΙΣ... ΓΝΩΜΗ... ΚΑΙ ΟΝΗΤΑΣ

ΣΥΓΛΗΤΙ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ Ζ ΕΝ ΤΑΙΣ ΕΝΟΧΛΕΙ....

ΑΙΔΙΟΙ ΑΡΧ. ΤΟΥΤΩΝ ΤΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΕΝ ΑΙΣ

ΑΥΤΟΝ ΚΕΚΤΗ.... ΗΣ ΦΡΟΝΤΙΖΟΥΣΙΝ ΙΝΑ...

ΑΡΙΣΤΑ ΑΡΕΣ..... ΤΩ ΠΑΡΑΦΥΛΑΣΣΗΤΑΙ

ΕΡΣΩΣΟ ΑΠΕΛΛΑ

Sequens Fragmentum superioris Inscriptionis in eadem urbe reperitur.

MAGISTRATVS HARVM CIVITA...
QVIBVS TE SVGGERIS POSSIDERE AGERE CVRAM...
QVI QVOD OPTIME PLACVISSE PERSPICITVR PERPETVA
OBSERVATIONE TENEATVR VALE APELLA CARISSIME NOBIS
DATA V. KAL. IVN

Ex Thomæ Smith Septem Ecclesiarum Asiæ Notitia.

XCVI. *Ibidem Fragmentum detritum.*

...ΟΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΕΠΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ
ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΗΡΩ..
ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΟΥ ΚΑΙ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΘΕΟΥ
ΔΙΟΣ ΠΑΤΡΩΟΥ ΑΥΤΟΚ....
ΜΕΓΙΣΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΗ
.ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΑΝ..
.ΕΙ ΜΑΡΚΟΣ ΑΙΦΟΥΛΑΝΟΣ
ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΑΠΟ ΤΗΣ
ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΠΡΟ.....
ΠΑΡΧΕΙΑΝ ΚΗΔΕΜΟΝΙ
ΑΙ ΔΥΣΜΕΓΙΝΗΤΟΝ ΗΘ
ΟΜΙΣΑΣ.. ΤΟ ΤΗ
ΠΛΙΝΟΥ.... ΔΙΚΑ

XCVII. *Ibidem.*

ΓΑΙΟΣ ΑΣΙΝΙΟΣ ΠΕΤΑΣΟΣ
ΖΩΝ ΕΑΥΤΩΙ ΚΑΙ ΠΕΛΑΓΙΑΙ ΤΗΙ
ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ
ΔΟΝΤΟΣ ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ
ΜΑΞΙΜΟΥ ΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ

Id est. *Cajus Asinius Petasus vivus sibi & Pelagiæ uxori & suis posuit, locum dante Maximo Patronis filio.*

XCVIII. *Ephesi, duo Fragmenta.*

ΕΠΙ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΤΙΤΙΑΝΟΥ ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΥ ΥΙΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΕΡΑΤΕΥΟΝΤΟΣ
ΣΟΣΣΙΑΝΟΥ Μ· ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ
ΛΑΤΕΙΝΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΙΣΙΔΙ
ΚΑΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΦΙΑΛΗΝ ΚΑΙ
ΣΠΟΝΔΕΙΟΝ Λ........
ΝΑΥΒΑΤΟΥΝΤΩΝ ΛΥΚΙΔ..
ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΤΟΥ ΧΑΡ.......

Ex Schmidii Notitia septem Ecclesiarum Asiæ.

.... ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ ΚΑΙ ΑΤΕΛΕΙΟ
.... ΕΧΕΙΡΙΑΣ ΕΙΣ ΟΛΟΝ ΤΟΝ
.... ΝΥΜΟΝ ΤΗΣ ΘΕΟΥ ΜΗ..
.... ΝΤΑ ΚΑΙ ΤΗΝ ΑΡΤΕΜΙΣΙ
.... ΚΡΙΣΙΝ ΚΑΤΑΣΤΗΤΑΝΤΑ
.... ΑΘΕΜΑΤΑ ΤΟΙΣ ΑΓΩΝΙΣ
.... ΑΥΞΑΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΝΔΡΙ
.... ΝΑΣΤΗΣΑΝΤΑ
.... ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤ..
.... ΦΑΙΝΙΟΥ ΦΑΥΣΤΟΥ
.... ΣΥΝΓΕΝΟΥΣ ΑΥΤΟΥ

XCIX. *Sardibus.*

ΛΕΥΚΙΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΒΟΝΝΑΤΟΝ
ΑΝΔΡΑ ΕΚ ΠΡΟΓΟΝΩΝ ΜΕΓΑΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΝ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΛΥΔΙΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ
ΚΑΙ ΙΕΡΕΑ ΜΕΓΙΣΤΟΥ ΠΟΛΙΕΟΣ ΔΙΟΣ ΔΙΣ ΑΡΧΙΕΡΕΑ
ΤΩΝ ΤΡΙΣΑΠΟΛΕΩΝ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ ΚΑΙ ΙΕΡΕΑ
ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΠΡΩΤΟΝ ΔΙΣ
ΚΑΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΝ ΔΙΑΡΙΩΝ ΕΝΔΕΙΑΣ ΓΕΝΟΜΕΝΗΣ
ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΙΑ ΧΡΗΣΑΜΕΝΟΣ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΕΙΣ ΕΠΙΚΟΥΦΙΣΜΟΝ ΕΚΑΣΤΩ ΠΟΛΙΤΗ
ΕΧΑΡΙΣΑΤΟ ΜΟΔΙΟΝ ΚΑΙ ΠΑΣΑΣ ΑΡΧΑΣ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ
ΤΕΤΕΛΕΚΟΤΑ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ

Ex D. Picrelin Doct. Med. Angli schedis.

Id est. *Lucium Julium Bonnatum Virum ex proavis magnum, patriæque amantem, Pontificem Asiæ Templorum quæ sunt Sardibus in Lydia, & Sacerdotem maximi Jovis urbis protectoris, bisque Pontificem Trisapoleon, Stephanephorum ac Sacerdotem Tiberii Cæsaris, nec non primum militiæ Ducem, Festorumque Diariorum Præsidem, qui cum annonæ caritas supervenisset, erga populum liberalem, munificumque se præstitit, ex sua pecunia ad sublevationem unicuique civi frumenti modium largitus est, omniaque munia honorifice pro patria obivit.*

C. *Ibidem*

C. *Ibidem.*

Η ΒΟΤΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΕΤΙΜΗΣΕΝ ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΥΙΟΝ
ΚΥΡΙΝΑ ΙΟΥΛΙΑΝΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΥΙΟΥΣ ΑΥΤΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΔΙΟΜΗΔΗΝ ΗΡΩΑ ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ
ΧΑΙΡΕΑ ΗΡΩΑ ΠΑΤΡΟΣ ΚΑΛΟΥ ΚΑΙ ΑΓΑΘΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ
ΔΙΣ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΤΑΣ
ΜΕΓΙΣΤΑΣ ΑΡΧΑΣ ΚΑΙ ΤΑΣ ΛΟΙΠΑΣ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ ΤΗ
ΠΑΤΡΙΔΙ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΚΑΙ ΑΥΘΑΙΡΕΤΩΣ ΕΚΤΕΛΕΣΑΝΤΟΣ
ΥΙΟΥΣ ΚΑΛΟΥΣ ΚΑΙ ΑΓΑΘΟΥΣ ΕΥΔΑΙΜΟΝΑΣ ΣΕΜΝΟΥΣ
ΜΕΤΡΙΟΥΣ ΠΕΠΑΙΔΕΥΜΕΝΟΥΣ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΑΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑΣ
ΚΑΙ ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΡΙΣΠΟΝ ΤΑΤΙΑΝΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑΣ ΤΑΣ
ΠΛΕΙΣΤΑΣ ΑΡΧΑΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΕΠΙΦΑΝΩΣ
ΚΑΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΑΝΤΑΣ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΚΑΙ ΠΑΝΗΓΥΡΕΙΣ ΕΛΑΣΤΙΚΩΝ

Ex Illust. Anglor. Consulis D. Ricaud schedis.

Id est. *Senatus populusque, nec non & Seniores, honoraverunt Tiberium Claudium Tiberii filium* (tribu) *Quirina Julianum Patrem, & ipsius filios Claudium Diomedem Heroem, Tiberium Claudium Chærea Heroem, Patris boni, præstantissimique Ducis bis Stephanephori atque Gymnasiarchæ, quique maxima officia cæteraque munia honorifice & sponte perfecit, filios probos, bonos, felices, venerandos, moderatos, eruditos, Patriæ parentumque cultores, & Tiberium Claudium Crispum Tatianum, suscipientes pleraque munia & officia gloriose & magnifice, nec non Scribarum munere functos honorifice, & festa Elasticon curantes.*

CI. *Florentiæ in horto Gaddiorum.*

ΓΕΜΙΝΑΝ ΕΚΑΛΕCΑΝ
ΕCΧΕ ΔΕ ΚΑΙ ΤΟΝΟΜΑ ΧΑΡΙΕCΤΑΤΟΝ ΟΝ ΠΟΘ
ΕΤ ΑΙΡΟΙ ΠΕΤΡΟΚΟΙΡΑΚΑ ΝΕΚΗΖΟΝ ΟΥ ΤΑΧΥΒΡ
ΟΤΩΝ ΤΙC ΤΟΙΑΝ ΕΚΤΗCΑΤΟ ΓΝΩΜΗΝ ΗCΚΙ ΤΗ
Ν ΑΠΛΟΤΗΤΑ ΦΙΛΟΥC ΥΠΕΡΑΤΟΝ ΕΤΙΜΑ ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ
ΜΝΗΜΗC ΕΝΕΚΕΝ ΧΑΡΙΤΟC ΔΕ ΑΠΑCΗC ΟΙC ΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ
CЄ ΠΑC ΠΑΡΑΙΩΝΟΜΑΖΗ ΑΓΑΘΕ ΠΕΤΡΟΚΟΡΑΞ
ΕΖΗ ΕΤΗ ΧΧΧ

Ex schedis Erud. de Court Salmasii Nepotis.

CII. *Romæ in horto Barberino.*

ΜΑΡΚЄΛΛΗC ΤΑΦΟC ЄΙΜΙ ΤΙC ΑΥΤΗ ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΛЄΞЄΙ
ΑΡΧΙΓΑΜΟC ΚΟΥΡΗC ЄΙΚΟCΙΝ ΟΥCΑ ЄΤЄΩΝ
ΑΥΤΗΝ ΓΕΝΝΗCΑCΑ ΚΑΙ ΚΗΔЄΥCΑCΑ ЄΠЄΓΡΑΨΑ
ΑΧΘΟC ЄΧΟΥCΑ ΚΡΑΔΙΗC ΠЄΝΘЄΟC ΟΥΚ ΟΝΙΟΥ

Exscripsi.

CIII. *Monumentum Adulitanum, id eſt, in urbe Adulis poſitum, Ptolemæo Evergetæ Ægypti Regi, a Leone Allatio interpretatum, & typis datum folio ſeparato, Romæ ann. 1631. quod ob raritatem hic recudere viſum eſt.*

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΛΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ
ΑΠΟΓΟΝΟΣ ΤΑ ΜΕΝ ΑΠΟ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑ ΔΕ
ΑΠΟ ΜΗΤΡΟΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΠΑΡΑΛΑΒΩΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ
ΠΑΤΡΟΣ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΑΙΓΥΠΤΟΥ ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ ΚΑΙ ΣΥΡΙΑΣ
ΚΑΙ ΦΟΙΝΙΚΗΣ ΚΑΙ ΚΥΠΡΟΥ ΚΑΙ ΛΥΚΙΑΣ ΚΑΙ ΚΑΡΙΑΣ ΚΑΙ ΤΩΝ
ΚΥΚΛΑΔΩΝ ΝΗΣΩΝ ΕΞΕΣΤΡΑΤΕΥΣΕΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΣΙΑΝ ΜΕΤΑ
ΔΥΝΑΜΕΩΣ ΠΕΖΙΚΩΝ ΚΑΙ ΙΠΠΙΚΩΝ ΚΑΙ ΝΑΥΤΙΚΟΥ ΣΤΟΛΟΥ ΚΑΙ
ΕΛΕΦΑΝΤΩΝ ΤΡΩΓΛΟΔΥΤΙΚΩΝ ΚΑΙ ΑΙΘΙΟΠΙΚΩΝ ΟΥΣ Ο ΤΕ ΠΑΤΗΡ
ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΣ ΠΡΩΤΟΣ ΕΚ ΤΩΝ ΧΩΡΩΝ ΤΟΥΤΩΝ ΕΘΗΡΕΥΣΑΝ
ΚΑΙ ΚΑΤΑΓΑΓΟΝΤΕΣ ΕΙΣ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΚΑΤΕΣΚΕΥΣΑΝ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΟΛΕΜΙΚΗΝ
ΧΡΕΙΑΝ ΚΥΡΙΕΣΑΣ ΔΕ ΤΗΣ ΤΕ ΕΝΤΟΣ ΕΥΦΡΑΤΟΥ ΧΩΡΑΣ ΠΑΣΗΣ
ΚΑΙ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΚΑΙ ΠΑΜΦΥΛΙΑΣ ΚΑΙ ΙΩΝΙΑΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΕΛΛΗΣΠΟΝΤΟΥ
ΚΑΙ ΘΡΑΚΗΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΔΥΝΑΜΕΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝ ΤΑΙΣ ΧΩΡΑΙΣ ΤΑΥΤΑΙΣ
ΠΑΣΩΝ ΚΑΙ ΕΛΕΦΑΝΤΩΝ ΙΝΔΙΚΩΝ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΜΟΝΑΡΧΟΥΣ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ
ΤΟΠΟΙΣ ΠΑΝΤΑΣ ΥΠΗΚΟΟΥΣ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ ΔΙΕΒΗ ΤΟΝ ΕΥΦΡΑΤΗΝ
ΠΟΤΑΜΟΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΜΕΣΟΠΟΤΑΜΙΑΝ ΚΑΙ ΒΑΒΥΛΩΝΙΑΝ ΚΑΙ ΣΟΥΣΙ
ΑΝΗΝ ΚΑΙ ΠΕΡΣΙΔΑ ΚΑΙ ΜΗΔΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΛΟΙΠΗΝ ΠΑΣΑΝ ΕΩΣ
ΒΑΚΤΡΙΑΝΗΣ ΥΦ ΕΑΥΤΩ ΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΑΝΑΖΗΤΗΣΑΣ ΟΣΑ
ΥΠΟ ΤΩΝ ΠΕΡΣΩΝ ΙΕΡΑ ΕΞ ΑΙΓΥΠΤΟΥ ΕΞΗΧΘΗ ΚΑΙ ΑΝΑΚΟ
ΜΙΣΑΣ ΜΕΤΑ ΤΗΣ ΑΛΛΗΣ ΓΑΖΗΣ ΤΗΣ ΑΠΟ ΤΩΝ ΤΟΠΩΝ ΕΙΣ ΑΙ
ΓΥΠΤΟΝ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΑΠΕΣΤΕΙΛΕΝ ΔΙΑ ΤΩΝ ΟΡΥΧΘΕΝΤΩΝ ΠΟ
ΤΑΜΩΝ

Continuatio.

ΜΕΘ Α ΑΝΔΡΕΙΩΣ ΤΑ ΜΕΝ ΕΓΓΙΣΤΑ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΕΘΝΗ ΕΙΡΗΝΕΥ
ΕΣΘΑΙ ΚΕΛΕΥΣΑΣ ΕΠΟΛΕΜΗΣΑ ΚΑΙ ΥΠΕΤΑΞΑ ΜΑΧΑΙΣ ΤΑ ΥΠΟΓΕΓΡΑΜ
ΜΕΝΑ ΕΘΝΑ ΓΑΖΗ ΕΘΝΟΣ ΕΠΟΛΕΜΗΣΑ ΕΠΕΙΤΑ ΑΓΑΜΑΙ ΚΑΙ 1. ΣΥΓΦΙΗΝ
ΕΝΙΚΗΣΑΣ ΤΗΝ ΗΜΙΣΕΙΑΝ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ΠΑΡ ΑΥΤΟΙΣ ΕΜΕΡΙΣΑ 2. ΜΑΓΑ
ΚΑΙ 3. ΖΙΝΓΑΒΗΝΕ ΚΑΙ ΑΓΓΑΒΕ ΚΑΙ ΤΙΑΜΑΑ ΚΑΙ 4. ΑΘΑΓΑΣΟΣ ΚΑΙ ΚΑΛΑΑ
ΚΑΙ 5. ΚΑΜΙΝΕ ΕΘΝΟΣ ΠΕΡΑΝ ΤΟΥ ΝΕΙΛΟΥ ΕΝ ΔΥΣΒΑΤΟΙΣ ΚΑΙ ΧΙΟΝΑΔΕ
ΣΙΝ ΟΡΕΣΙΝ ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ ΕΝ ΟΙΣ ΔΙΑ ΠΑΝΤΟΣ ΝΙΦΕΤΟΙ ΚΑΙ ΚΡΥΗ
ΚΑΙ ΧΙΟΝΕΣ ΒΑΘΕΙΑΙ ΩΣ ΜΕΧΡΙ ΓΟΝΑΤΩΝ 6. ΚΑΤΑΔΥΕΙΝ ΤΟΝ ΑΝΔΡΑ

ΤΟΝ ΠΟΤΑΜΟΝ ΔΙΑΒΑΣ ΥΠΕΤΑΞΑ ΕΠΕΙΤΑ ΛΑΣΙΝΑ ΚΑΙ ΖΑΑ ΚΑΙ
7. ΓΑΒΑΛΑ ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ ΠΑΡ ΟΡΕΣΙ ΘΕΡΜΩΝ ΥΔΑΤΩΝ ΒΑΥΟΝΤΙ ΚΑΙ
ΚΑΤΑΡΡΥΤΩ ΑΤΑΛΜΩ ΚΑΙ ΒΕΓΑ ΚΑΙ ΤΑ ΣΥΝ ΑΥΤΟΙΣ ΕΘΝΗ ΠΑΝΤΑ
ΤΑΓΓΑΙΤΩΝ ΤΑ ΜΕΧΡΙ ΤΩΝ ΤΟΥ ΑΙΓΥΠΤΟΥ ΟΡΙΩΝ ΟΙΚΟΥΝΤΑ ΥΠΟΤΑΞΑΣ
ΠΕΖΕΥΕΣΘΑΙ ΕΠΟΙΗΣΑ ΤΗΝ ΟΔΟΝ ΑΠΟ ΤΩΝ ΤΗΣ ΕΜΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΟΠΩΝ
ΜΕΧΡΙ ΑΙΓΥΠΤΟΥ ΕΠΕΙΤΑ ΑΝΝΗΝΕ ΚΑΙ ΜΕΤΙΝΕ ΕΝ ΑΠΟΚΡΗΜΝΟΙΣ ΟΙΚΟΥΝ
ΤΑΣ ΟΡΕΣΙΝ ΣΗΣΕΑ ΕΘΝΟΣ ΕΠΟΛΕΜΗΣΑ ΟΥΣ ΚΑΙ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΚΑΙ ΔΥΣΒΑΤΩ
ΤΑΤΟΝ Ο ΑΝΕΛΘΟΝΤΑΣ ΠΕΡΙΦΡΟΥΡΗΣΑΣ ΚΑΤΗΓΑΓΟΝ ΚΑΙ 8 ΑΠΕΛΞΑΜΗΝ
ΕΜΑΥΤΩ ΤΟΥΣ ΤΕ ΝΕΟΥΣ ΑΥΤΩΝ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΑΣ ΚΑΙ ΠΑΙΔΑΣ ΚΑΙ ΠΑΡΘΕ
ΝΟΥΣ ΚΑΙ ΠΑΣΑΝ ΤΗΝ ΥΠΑΡΧΟΥΣΑΝ ΑΥΤΟΙΣ ΚΤΙΣΙΝ ΡΑΙΣΩ ΕΘΝΗ
ΜΕΣΟΓΕΙΑ ΛΙΒΑΝΟΤΟΦΟΡΩΝ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ΟΙΚΟΥΝΤΑ ΕΝΤΟΣ ΠΕΔΙΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΑΝΥΔΡΩΝ ΚΑΙ ΣΟΛΑΤΕ ΕΘΝΟΣ ΥΠΕΤΑΞΑ ΟΙΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΑΙΓΙΑΛΟΥΣ ΤΗΣ ΘΑ
ΛΑΣΣΗΣ ΦΥΛΑΣΣΕΙΝ ΕΚΕΛΕΥΣΑ ΤΑΥΤΑ ΔΕ ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΕΘΝΗ ΟΡΕΣΙΝ ΙΣΧΥ
ΡΟΙΣ ΠΕΦΡΟΥΡΗΜΕΝΑ ΑΥΤΟΣ ΕΓΩ ΕΝ ΤΑΙΣ ΜΑΧΑΙΣ ΠΑΡΩΝ ΝΙΚΗΣΑΣ ΚΑΙ ΥΠΟ
ΤΑΞΑΣ ΕΧΑΡΙΣΑΜΗΝ ΑΥΤΟΙΣ ΠΑΣΑΣ ΤΑΣ ΧΩΡΑΣ ΕΠΙ ΦΟΡΟΙΣ ΑΛΛΑ ΤΕ
ΠΛΕΙΣΤΑ ΕΘΝΗ ΕΚΟΝΤΑ ΥΠΕΤΑΓΗ ΜΟΙ ΕΠΙ ΦΟΡΟΙΣ ΚΑΙ ΠΕΡΑΝ ΔΕ ΤΗΣ ΕΡΥΘΡΑΣ
ΘΑΛΑΣΣΗΣ ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ ΑΡΡΑΒΙΤΑΣ ΚΑΙ ΚΙΝΑΙΔΟΚΟΛΠΙΤΑΣ ΣΤΡΑΤΕΥΜΑ ΝΑΥΤΙ
ΚΟΝ ΚΑΙ ΠΕΖΙΚΟΝ ΔΙΑΠΕΜΨΑΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΥΠΟΤΑΞΑΣ ΑΥΤΩΝ ΤΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΑΣ ΦΟ
ΡΟΥΣ ΤΗΣ ΓΗΣ ΤΕΛΕΙΝ ΕΚΕΛΕΥΣΑ ΚΑΙ ΟΔΕΥΕΣΘΑΙ ΜΕΤ ΕΙΡΗΝΗΣ ΚΑΙ ΠΛΕΕΣΘΑΙ
ΑΠΟ ΤΕ ΛΕΥΚΗΣ ΚΩΜΗΣ ΕΩΣ ΤΩΝ ΣΑΒΑΙΩΝ ΧΩΡΑΣ ΕΠΟΛΕΜΗΣΑ ΠΑΝΤΑ ΔΕ ΤΑΥ
ΤΑ ΕΘΝΗ ΠΡΩΤΟΣ ΚΑΙ ΜΟΝΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟ ΕΜΟΥ ΥΠΕΤΑΞΑ ΔΙ ΗΝ ΕΧΩ
ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΘΕΟΝ ΜΟΥ ΑΡΗΝ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΝ Ο ΜΕ ΚΑΙ ΕΓΕΝΝΗΣΕΝ ΔΙ
ΟΥ ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΕΘΝΗ ΤΑ ΟΜΟΡΟΥΝΤΑ ΤΗ ΕΜΗ ΓΗ ΑΠΟ ΜΕΝ ΑΝΑΤΟΛΗΣ ΜΕΧΡΙ
ΤΟΥ ΛΙΒΑΝΟΤΟΦΟΡΟΥ ΑΠΟ ΔΕ ΔΥΣΕΩΣ ΜΕΧΡΙ ΤΩΝ ΤΗΣ ΑΙΘΙΟΠΙΑΣ ΚΑΙ ΣΑΣΟΥ
ΤΟΠΩΝ ΥΠ ΕΜΑΥΤΟΝ ΕΠΟΙΗΣΑΜΗΝ ΑΥΤΟΣ ΕΓΩ ΕΛΘΩΝ ΚΑΙ ΝΙΚΗΣΑΣ Α ΔΕ
ΔΙΑΠΕΜΠΟΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ ΠΑΝΤΑ ΤΟΝ ΥΠ ΕΜΟΙ ΚΟΣΜΟΝ
ΚΑΤΗΛΘΟΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΔΟΥΛΗ ΤΩ ΔΙΙ ΚΑΙ ΤΩ ΑΡΕΙ ΚΑΙ ΤΩ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙ ΘΥ
ΣΙΑΣΑΣ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΟΙΖΟΜΕΝΩΝ ΑΘΡΟΙΣΑΣ ΔΕ ΜΟΥ ΤΑ ΣΤΡΑΤΕΥΜΑΤΑ ΚΑΙ
ΥΦ ΕΝ ΠΟΙΗΣΑΣ ΕΠΙ ΤΟΥΤΩ ΤΩ ΤΟΠΩ ΚΑΘΙΣΑΣ ΤΟΝ ΔΕ ΤΟΝ ΔΙΦΡΟΝ ΠΑΡΑ
ΘΗΚΗΝ ΤΩ ΑΡΕΙ ΕΠΟΙΗΣΑ ΕΤΕΙ ΤΗΣ ΕΜΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΚΖ

Latina Interpretatio Leonis Allatii.

Magnus Rex Ptolemæus Ptolemæi Regis & Arſinoes Reginæ Deorum Fratrum filius, Ptolemæi Regis & Reginæ Berenices Deorum Servatorum nepos, paternum genus ab Hercule, maternum ab Dionyſio Jovis filiis deducens, Ægypti, Lybiæ, Syriæ, Phœniciæ, Cypri, Lyciæ, Cariæ, Cycladumque Imperio Patre tradente potitus, exercitum pedeſtribus equeſtribuſque copiis ingenti claſſe, Troglodyticis, Æthiopiciſque Elephantis primum a Patre & ab ſe in his regionibus captis, abductiſque in Ægyptum & ad bellicos uſus edoctis inſtructiſſimum in Aſiam trajecit. Omni circa Euphratem tractu, Cilicia, Pamphylia, Jonia, Helleſponto, Thracia cum earum omnium regionum copiis, Indicis Elephantis, indigenis Regibus in poteſtatem redactis, Euphrate trajecto Meſopotamiam, Babyloniam, Suſianam, Perſidem, Mediam, ad Bactrianam uſque ſubegit. Sacris quæ ab Ægypto Perſæ abſtulerant receptis, ac cum reliqua congeſta gaza in Ægyptum, exercitum ducta foſſa fluminibus corrivatis direxit.

Præterea finitimis fortiter pacatis collatis signis devici, Gaza primum in potestatem redacta, mox Agama ac Sigfyene capta prædam omnem dimidiatam distribui: Maga, Zingabenem, Angavim, Tiamaam, Athagasim, Calaam, Caminemque montes inhabitantes, ultra Nilum inaccessos, ac glacie frigoribusque perpetuis damnatos, ubi cadentes nives aggerantur adeo ut genu tenus viator desidat, trajecto fluvio subjugavit. Postea Lasina, Zaa, Gabala montanis regionibus apud quos calidæ aquæ erumpunt, irriguoque Atalmo, Begaque adjacentibus Tangaitis qui sparsim extrema Ægypti incolunt debellatis, tutum viatoribus iter ab his regnis ad Ægyptum aperui. Annenæos ac Metinæos abrupta montium tenentes, Sesceanosque imperio meo subdidi. Hos arduum accessuque difficillimum montem occupantes obsidione in potestatem redegi, juvenibus, uxoribus, liberis, omnique suppellectili mihi selectis. Rhæsos Thuriferorum Barbarorum mediterraneos, immensas, siccas, aridas colentes planicies, Solatæosque quibus mox maris custodiam demandavi. Has nationes præruptis montibus interseptas ductu, auspiciisque meis devici, debellatas agris redditis vectigales feci. Ultro se plerique dedidere. Præterea in Arabitas atque Cinædocolpitas ultra Erythræum, navales terrestresque copias duxi, subactis Regibus tributum, ac ut victoribus nautisque tutum cursum præstarent imperavi. Ab Leuce oppido ad Sabæos armatus excurri. Hos ego populos nulli veterum Regum obnoxios, primus adortus MARTIS ope a quo genitus & cui quod finitimas nationes ab ortu ad Arabiam, ab occasu ad Æthiopiam ac Sasi loca imperio meo adjecerim debeo, partim armis, partim beneficiis subegi. Deinde pace terra marique parta Adulim profectus Jovi, Gradivo ac pro navigantibus Neptuno sacra feci. Huc demum adveniens copiis undique coactis instructus hunc Mavorti Thronum dicavi anno Imperii mei XXVII.

Eandem Inscriptionem publicavit Thevenotius anno 1666. ex Cosmæ Monachi Manuscripto, quod in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ extat & a Bigotio descriptum fuit. Utrum vero Allatius ex eodem Manuscripto desumpserit videri potest dubium, cum non paucæ adsint in lectione discrepantiæ: quarum hæ præcipuæ sunt. Legit Thevenotius num. 1. Σιγύώ. 2. ἐμεεισάμην, additque hæc quæ desunt in nostra: Ατα καὶ Τιαμῶ τοῖς λεγομένοις τζιαμῶ καὶ τὸ Γαμβελὰ καὶ τὰ ἐγγὺς αὐτῆς Λέγει ἔθνη τὰ πέραν τοῦ Νείλου· 3. Ζιγγαβλώ· 4. Αθαγαοὺς· 5. Σεμλῶαι· 6. καταδύσειν. 7. ὑαβαλά. 8. ἐπελεξάμην. Sed præter illam lineam quæ incaute ab Allatio omitti potuit, tantum non est discrimen, ut a vetusti Manuscripti detritis literis oriri non potuerit, Allatio & Bigotio diversimode legendum esse putantibus. Uterque enim cum accentibus describit, ut eos addiderat Cosmas ille Monachus. At cum in marmoribus nunquam reperiantur, sicubi eorum usus recentior sit, ideo nos ad Inscriptionum formam restituimus majusculis literis & absque illis accentibus.

Hanc autem Inscriptionem a se visam & exscriptam asserit Cosmas, initio regni Justini Imperatoris Romani, regnante Axomitis Elesbaa quodam, in cujus ditione Adulis erat milliaribus duobus ab Axomitarum navali distans in littore maris rubri. Hæc urbs Adulis Geographis hodiernis est *Ercoco*. Ibi Thronus sive sella marmorea visebatur extra portam quæ Axomum ducebat, & in illius postica parte Hercules & Mercurius sculpti erant. Prope thronum vero jacebat lapis sive cippus tetragonus, in cujus facie exscripta erat prior Inscriptionis pars; non vero ut Allatius & Thevenotius vertunt, in Statua Ptolemæi; nulla enim erat illic Statua. Ultima pars in ipso Throno scripta legebatur.

CIV. *Romæ reperta ad Thermas Titi; nunc in Palatio Chigi.*

Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ ΠΕ
ΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟ ΚΑΤΑΛΥΣΕΩΣ
ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΝ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥΣΤΑΡ
ΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ
ΚΑΙ ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕΝΟΣ ΤΩ ΣΥΜΠΑΝΤΙ ΞΥΣ
ΤΩ ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟΣ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ
ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΩΝ
Λ. ΟΥΕΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑΝΟΥ ΚΑΙ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ

Exscripsi.

Id est. *Sacra Xystica Synodus* (sive conventus) *Athletarum qui circa Herculis ædem ab eorum fundatione in urbium Regina Roma habitant, Marcum Ulpium Domesticum per totam vitam Xysti*, sive Palæstræ, *Præfectum & Pontificem universæ Palestræ undiquæ victorem admirabilem, Præfectumque Balneorum Augusti, Præpositum suum olim legatione functum ut ædem procuraret toti Palæstræ*, hoc gratitudinis monumento veneratur, *Honoris*, quo Statua ipsi erigitur, *curam habente Marco Mettio Amerimno, Archontibus Lucio Vennio Agrippiano & Marco Mettio Amerimno.*

CV. *Ibidem.*

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
Η ΙΕΡΑ ΞΥϹΤΙΚΗ ϹΥΝΟΔΟϹ ΤΩΝ
ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΘΛΗΤΩΝ ΑΝΗϹ
ΤΗϹΕΝ ΕΝ ΤΗ ΒΑϹΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ ΜΝΗ
ΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΚΛ. ΡΟΥΦΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ Α
ΠΟΛΛΩΝΙΟΝ ΠΕΙϹΑΙΟΝ ΔΙϹ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝ. ΚΑΙ ΥΙΟΝ ΚΛ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΣΜΥΡΝΑΙΟΥ ΟϹ ΚΑΙ ΔΙΑΔΟΧΟϹ ΕΓΕΝΕ
ΤΟ ΤΟΥ ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟϹ ΚΑΤ ΑΥΤΟΥ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΥ ΤΕΛΕΙΟΥ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝ ΤΟΙϹ ϹΚΑΜΜΑϹΙΝ
ΤΗϹ ΑΡΧΙΕΡΩϹΥΝΗϹ ΤΟΥ ϹΥΜΠΑΝ
ΤΟϹ ΞΥϹΤΟΥ ΟΥΤΟϹ ΔΕ ΕΓΕΝΕΤΟ
ΚΑΙ ΓΕΝΟΥϹ ΥΠΑΤΙΚΩΝ

Exscripsi.

Id est. *Bonæ Fortunæ, Sacra Xystica Synodus Athletarum qui ad Herculis ædem habitant, erexit in Regina urbium Roma memoriæ causa Claudium Rufum qui & Apollonium Pisæum, bis victorem, filiumque Claudii Apollonii Smyrnæi, qui & successor evasit proprii patris eadem Periodo virorum perfecti victoris in Athleticis certaminibus Pontificatus totius palæstræ. Hic autem erat generis Consularis.*

CVI. *Ibidem.*

Η ΙΕΡΑ ΞΥϹΤΙΚΗ ϹΥΝΟΔΟϹ ΤΩΝ
ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟ ΚΑΤΑΛΥϹΕΩϹ
ΕΝ ΤΗΙ ΒΑϹΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΔΗΜΟϹΤΡΑΤΟΝ ΔΑΜΑ
ϹΑΡΔΙΑΝΟΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ ΑΝΤΙΝΟΕΑ ΑΘΗΝΑΙΟΝ
ΕΦΕϹΙΟΝ ϹΜΥΡΝΑΙΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ
ΝΙΚΟΜΗΔΕΑ ΜΙΛΗϹΙΟΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΝ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ϹΥΜΠΑΝΤΟϹ ΞΥϹΤΟΥ ΔΙΑ ΒΙΟΥ
ΞΥϹΤΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ϹΕΒΑϹΤΟΥ
ΠΑΝΚΡΑΤΙΑϹΤΗΝ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΥ
ΚΤΗΝ ΑΛΕΙΠΤΟΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ

Exscripsi.

Sacra Xystica Synodus Athletarum qui ad Herculis ædem ab Hospitii fundatione in Regina Roma habitant, Marcum Aurelium Demostratum simul Sardianum, Alexandrinum, Antinoensem, Athenienʃem, Ephesium, Smyrnæum, Pergamenum, Nicomedienʃem, Milesium, Lacedæmonium, Pontificem totius Palæstræ per vitam Præfectum, & Balneorum Augusti Præpositum, Pancratiastem undique victorem, luctatorem indefessum & admirabilem.

CVII. *Ibidem*.

ΙΩΑΝΝΗC ΠΑΛΑΙCΤΗC CΜΥΡΝΑΙΟΙC

OB FORTITVDINIS MERITA ET VIRTVTIS CV
MVLVM HOC QVOD EXCELLENS ARTIS RO
BVR EXEGIT PRAECEPTO INVICTISSIMORVM
PRINCIPVM DDD. NNN. FFF. LLL. VALENTI
NIANI THEODOSII ET ARCADII IOHAN
NES MERVIT VT INTER OMNES POLLENS
LOCATIONE STATVAE VIDEATVR

CΜΥΡΝΑΙΟC
ΑΠΤωΤΟC

CVIII. *Ibidem*.

FILVMENVM
DDD. ET PRINCIPES N̄ VALENTINIAN.
VALENS ET GRATIANVS SEMP. AVGG.
FILVMENVM IN OMNI ACLHETICO CER
TAMINE AB ORIENTE AD OCCIDENTE VSQ.
VICTOREM PAMMACHO LVCTA PRANCATI
CESTIBVSQ. ID EST PYCME LOCATIONE STA
TVAE IN ACLETARVM CVRIA ETERNITA
TIS GLORIA DIGNVM ESSE IVDICARVNT
QVOD OMNES XYSTICI GRATANTER
ACCEPERVNT SEN. PARITER SIMVLQ.
P. R. INGENTI FABORE PROSECVTVS EST

Exſcripſi.

Priores tres Græcæ Inſcriptiones conferendæ cum Gruterianis pag. CCCXIV. &c. ſunt enim ejuſdem ætatis Antonini Pii, & in illis Marci Ulpii Domeſtici etiam mentio eſt. Has autem peculiari libro, cui titulus *Inſcriptiones Athleticæ*, edidit Eruditiſſ. Octavius Falconerius, uberiuſque explicavit. Titulus penultimæ ita male a Reineſio pag. 378. traditus, ΜΑΝΗΣ ΠΑΛΑΙΣΤΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ΑΥΤΩΤΟΣ, pro quo legendum putabat ΜΑΓΝΗΣ &c. Sed ita extat, ΙΩΑΝΝΗC ΠΑΛΑΙCΤΗC CΜΥΡΝΑΙΟΙC CΜΥΡΝΑΙΟC ΑΠΤΩΤΟC, *Joannes Palæſtrita Smyrnæis, Smyrnæus* Athleta *inconcuſſus*. In ultima PRANCATI ſculptum pro *Pancratio*: ACLETARVM pro ATHLETARVM: SEN. PARITER SIMVLQ. P. R. *Senatus pariter Populuſque Romanus*.

CIX. *Romæ reperta cum præcedentibus, ſed ſemifracta, & ſic ab Eruditiſſ. Spanhemio ſuppleta.*

Μ. Αὐρ. ΑσκΛΗΠΙΑΔΗΝ ΑΛΕξανδρέα ἑρμοπολίτην
ΠανκρατιαΣΤΗΝ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ ἄλειπτον ἀσ.. ἔξωσον
ανεκκλητοΝ ΝΕΩΚΟΡΟΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑλου
σαράπιδοC ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝ ΤΩ ΜΟΥCείω
σιτουμΕΝΩΝ ΑΤΕΛΩΝ ΦΙΛΟCΟΦΩΝ
ἀρχιερεΑ ΤΟΥ CΥΜΠΑΝΤΟC ΞΥCΤ ‹ΥΤ
διὰ βίου ΞΥCΤΑΡΧ. ΚΑΙ ΕΠΙ Βαλανείων τοῦ σεβαστοῦ

Ex Falconerii notis ad Inſcript. Athleticas.

Id eſt. Sacra Xyſtica Synodus Athletarum qui Romæ ad Herculis Ædem degunt, *Marcum Aurelium Aſclepiadem Alexandrinum, Hermopolitem, Pancratiaſtem undique victorem indefeſſum, inexpulſum, non inclinabilem, Æditumm magni Serapidis & eorum qui in Muſæo aluntur perfectorum Philoſophorum, Pontificem univerſæ Palæſtræ per vitam, ejuſdemque Palæſtræ Principem atque balneis Auguſti Præpoſitum.*

Conferenda cum Gruteriana pag. CCCXIII. 10. quæ eſt hujuſce Athletæ patris, a filio poſita.

CX. *Neapoli.*

Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ. Τ. ΥΙΟΣ. ΚΥΡΕΙΝΑ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ
ΑΔΑΝΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ. ΝΙΚΗΣΑΣ. ΤΟΝ. ΑΓΩΝΑ. ΤΩΝ
ΜΕΓΑΛΩΝ. ΚΑΠΙΤΟΛΕΙΩΝ ΤΟΝ. ΠΡΩΤΩΣ. ΑΧΘΕΝΤΑ
ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ. Β. ΠΥΘΙΑ. Β. ΝΕΜΕΙΑ Β.
ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΙΣΘΜΙΑ. ΑΓΕΝΕΙΩ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΕΞΗΣ. ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΙΝ. ΚΑΙ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΠΑΛΙΝ. ΑΝΔΡΩΝ.
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ. ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ
ΕΝ. ΠΕΡΓΑΜΩ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ . . . . .

Id est. *Titus Titi Filius Quirina Artemidorus Adanensis & Antiochensis, qui vicit certamen magnorum Capitolinorum prima vice celebratum, virorum Pancratium, Olympia bis, Pythia bis, Nemea bis in Neapoli, virorum Pancratium, Isthmia, Impuberum Pancratium & continuo quinquennio virorum iterum & Pancratium, & rursus virorum Pancratium, primus Hominum Commune Asiæ Pergami virorum Pancratium . . .*

CXI. *In Isthmo Corinthiaco.*

ΘΕΟΙϹ ΠΑΤΡΙΟΙϹ
ΚΑΙ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ
Π. ΛΙΚΙΝΙΟϹ ΠΥΛΙΜ. ΠΡЄΙϹΚΟϹ
ΙΟΥΟΥЄΝΤΙΑΝΟϹ ΑΡΧΙЄΡЄΥϹ ΔΙΑ
ΒΙΟΥ ΤΑϹ ΚΑΤΑΛΥϹЄΙϹ ΤΟΙϹ ΑΠΟ ΤΗϹ
ΟΙΚΟΥΜЄΝΗϹ ЄΠΙ ΤΑ ΙϹΘΜΙΑ ΠΑΡΑΓЄΝΟ
ΜЄΣΟΙϹ ΑΘΛΗΤΑΙϹ ΚΑΤЄϹΚЄΥΑϹЄΝ
Ο ΑΥΤΟϹ ΚΑΙ ΤΟ ΠΑΛΑΙΜΟΝΙΟΝ ΤΟΙϹ
ΠΡΟϹΚΟϹΜΗΜΑϹΙΝ ΚΑΙ ΤΟ ЄΝΑΓΙΟΤΗΡΙΟΝ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΙЄΡΑΝ ЄΙϹΟΔΟΝ ΚΑΙ ΤΟΥϹ ΤωΝ
ΠΑΤΡΙωΝ ΘΕωΝ ΒωΜΟΥϹ ϹΥΝ Τω ΠЄΡΙ
ΒΟΛω ΚΑΙ ΠΡΟΝΑω ΚΑΙ ΤΟΥϹ ЄΝΚΡΙΤΗΡΙ
ΟΥϹ ΟΙΚΟΥϹ ΚΑΙ ΤΟΥ ΗΛΙΟΥ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΚΑΙ ΤΟ
ЄΝ ΑΥΤω ΑΓΑΛΜΑ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΕΡΙΒΟΛΟΝ ΤΟΝ ΔЄ
ΠЄΡΙΒΟΛΟΝ ΤΗϹ ΙЄΡΑϹ ΝΑΠΗϹ ΚΑΙ ΤΟΥϹ ЄΝ ΑΥΤΗ
ΝΑΟΥϹ ΔΗΜΗΤΡΑϹ ΚΑΙ ΚΟΡΗϹ ΚΑΙ ΔΙΟΝΥϹΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ ϹΥΝ ΤΟΙϹ ЄΝ ΑΥΤΟΙϹ ΑΓΑΛ
ΜΑϹΙΝ ΚΑΙ ΠΡΟϹΚΟϹΜΗΜΑϹΙΝ ΚΑΙ ΠΡΟΝΑΟΙϹ
ЄΚ ΤωΝ ΙΔΙωΝ ЄΠΟΙΗϹЄΝ ΚΑΙ ΤΟΥϹ ΝΑΟΥϹ
ЄΥЄΤΗΡΙΑϹ ΚΑΙ ΚΟΡΗΟ ΚΑΙ ΤΟ ΠΛΟΥ
ΤωΝЄΙΟΝ ΚΑΙ ΤΑϹ ΑΝΑΒΑϹЄΙϹ ΚΑΙ ΤΑ ΑΝΑΛΗΜ
ΜΑΤΑ ΥΠΟ ϹЄΙϹΜωΝ ΚΑΙ ΠΑΛΑΙΟΤΗΗΤΟϹ ΔΙΑ
ΛΕΛΥΜЄΝΑ ЄΠЄϹΚЄΥΑϹЄΝ Ο ΑΥΤΟϹ ΚΑΙ
ΤΗΝ ϹΤΟΑΝ ΤΗΝ ΠΡΟϹ Τω ϹΤΑΔΙω ϹΥΝ
ΤΟΙϹ ΚЄΚΑΜΑΡωΜЄΝΟΙϹ ΟΙΚΟΙϹ ΚΑΙ ΠΡΟϹ
ΚΟϹΜΗΜΑϹΙΝ ΥΠЄΡ ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΑϹ
ΑΝЄΘΗΚЄΝ

Exscripsi.

Interpretatio.

Diis patriis & patriæ, Publius Licinius Pyem. Priscus Juventianus Pontifex per vitam, diversoria omnibus qui ab urbe terrarum ad isthmicos ludos conveniunt Athletis ædificavit ipsemet, Palæmoniumque ornamentis, & sacrarium, & sacrum introitum, Patriorumque Deorum aras cum horto & Pronao, & adjudicatas Demos & Solis ædem, in eaque Statuam & hortum: Hortum vero sive septum sacræ Sylvæ & in ea ædes Cereris & Proserpinæ, Bacchi, atque Dianæ cum earum Statuis, ornamentis & vestibulis, suis impensis fecit. Templa etiam Abundantiæ, Proserpinæ & Plutonis, nec non gradus & repositoria terræ motibus & vetustate corrupta idem ædificari curavit, Porticumque quæ vicina stadio cum concameratis domibus & ornamentis ob fori utilitatem posuit.

Pausanias Antiquitates recensens, quæ in Isthmo Corinthiaco suo tempore reperiebantur, paucas tantum ædes memorat: unde censeo hunc Juventianum Pausaniæ ætate paulo inferiorem multas restituisse, quæ prius solo æquatæ fuerant. De Palæmonio quidem hæc habet: τῷ περιβόλῳ δέ ἐστιν ἐντὸς Παλαίμονος ἐν ἀριστερᾷ ναός. ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ Ποσειδῶν καὶ Λευκοθέα, καὶ αὐτὸς ὁ Παλαίμων. *Intra septum, Palæmonis* (quem Latini Portunum) *ad sinistram est ædes, & in ea Statuæ Neptuni, Leucotheæ & ipsius Portuni.* De cæteris, Θέας δὲ αὐτόθι ἄξια ἐστι μὲν θέατρον, ἔστι δὲ στάδιον λίθου λευκοῦ. *Illic autem visu digna sunt Theatrum & Stadium e candido lapide.*

Cujus theatri rudera adhuc supersunt ex marmore, aliaque plane diruta, quæ cum Athenis Corinthum pergeremus, oculis lustrabamus.

CXII. *Megaris, in sacello sine tecto trium tantum pedum alto, a dextris & sinistris ingressus.*

Apparetque adhuc supra lapidem primæ Inscriptionis, vestigium pedis Statuæ Athletæ illius, in cujus honorem marmora fuere posita.

ΟΛΥΜΠΙΑ	ICΘΜΙΑ Β.	ΠΑΝЄΛΛΗΝΙΑ	ΤΡΟΦωΝЄΙΑ
ЄΝ ΠЄΙCΗ	ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ	ЄΝ ΑΘΗΝΑΙC	ЄΝ ΛЄΒΑΔЄΙΑ. Β
ΠΥΘΙΑ ЄΝ	ЄΝΑΘΗΝΑΙC. Β.	ЄΛΕΥCЄΙΝΙΑ	ЄΛЄΥΘЄΡЄΙΑ
ΔΕΛΦΟΙC.	ΟΛΥΜΠΙΑ ЄΝ Α	ЄΝ ΑΘΗΝΑΙC Γ.	Є Ν ΠΛΑΤЄΑΙC
ΝЄΜЄΙΑ ЄΝ ΑΡ	ΘΗΝΑΙC	ΗΡΑΚΛЄΙΑ ЄΝ ΘΗ	ΤΗΝ ЄΖ ΑΡΓΟC
ΓЄΙ. Γ.		ΒΑΙC	ΑCΠΙΔΑ

ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΜЄΙ	ΠΥΘΙΑ ЄΝ CΙΔΗ. Β.	ΚΑΠЄΤωΛΙΑ ЄΝ ΡωΜΗ
ΛΗΤω	ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΠЄΡΓΗ. Δ	ΑΘΗΝΑC ΠΡΟΜΑΧΟΥ
ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΜΑΓΝΗ	ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΘЄCCΑ	ЄΝ ΡωΜΗ. Δ
CΙΑ	ΛΟΝЄΙΚΗ	ЄΥCЄΒЄΙΑ ЄΝ ΠΟΤΙΟ
ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC ЄΝ	ΑCΚΛΗΠΙΔЄΙΑ ЄΝ	ΛΟΙC
ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ	ЄΠΙΔΑΥΡω	CЄΒΑCΤΑ ЄΝ ΝЄΑΠΟΛЄΙ
ΑΚΤΙΑ ЄΝ ΝЄΙΚΟ		
ΠΟΛЄΙ Β.		

Exscripsi.

Hoc

Hoc eſt; Vicerat hic Athleta, cujus forte nomen in baſi deperditæ Statuæ legebatur;

Olympia in urbe *Piſa* Elidis, *Pythia in Delphis bis*, *Nemeia in Argo ter*, *Iſthmia bis*, *Panathenæa Athenis bis*, *Olympia Athenis*, *Panhellenia Athenis*, *Eleuſinia Athenis ter*, *Heraclea Thebis*, *Trophonia in Lebadia bis*, *Eleutheria in Platæis*, *Clypeum Junonis in Argo*, *Pythia in Mileto* urbe, *Pythia in Magneſia*, *Communia Aſiæ in Philadelphia*, *Actia in Nicopoli bis*, *Pythia in Sida* Pamphyliæ *bis*, *Pythia in Perga quater*, *Pythia in Theſſalonica*, *Aſclepidea in Epidauro*, *Capitolia Romæ*, *Minervæ Promachi Romæ quater*, *Euſebeia in Puteolis*, *Auguſtæa in Neapoli*.

Ludi publici Feſtorum ſpecies erant, at non omnia Feſta Ludos comites habebant. Attamen apud Autores ſæpe confunduntur. De his plura paſſim apud Heſychium, Suidam, Plutarchum aliosque leguntur. At de Feſtis Græcorum ſpeciatim tractarunt recentiores Hoſpinianus lib. de Feſtis, Petrus Caſtellanus in ſuo Εορτολογίῳ, Petri Fabri Agoniſticum, Meurſius in Græcia Feriata ſive de Feſtis Græcorum libris VI. & Faſoldus in libello cui titulus ἱερολογία Græcorum, quibus aliquid ſuperaddere vix poſſum: exceptis quibuſdam Feſtis ludiſve in nummis marmoribuſque obſervatis.

OLYMPIA Feſtum & certamen celebre Græciæ in honorem Jovis Olympii ab Hercule inſtituta in Elide, ſinguliſque quatuor annis celebrata, unde Olympiadum origo. Agebantur autem præcipue Piſis quæ erat præcipua urbs Elidis, & Athenis, ut hoc in marmore obſervatur: nec non & Megaris, ubi tunc moris erat victorum nomina lapidibus incidere, teſte Scholiaſte Sophoclis manuſcripto a Faſoldo citato: Εν τοῖς Ολυμπίοις παρὰ Μεγαρεῦσι τὰ τῶν νικηφόρων ὀνόματα λίθοις ἐγγεγραμμένα ἦσαν. Et Scholiographus Pindari, ad rem noſtram hæc etiam habet: Κατὰ τὰ Μέγαρα ἔθος ἐςὶ τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι· φησὶν ὖν ὅτι καὶ ἐν τοῖς Μεγάροις ἡ λιθίνη ψῆφος ὐχ ἑτέρυ τινὸς ὅπως ἐγκεκολαμμένον φέρει ὡς τοῦ Διαγόρα. *Mos eſt Megaris victorum nomina lapidibus inſculpere. Dicuntque inter Megarenſes nullius nomen ita frequenter ſculptum eſſe in tabulis lapideis quam Diagoræ.* At in hoc Megarenſi marmore nullum legitur nomen, eo quod fortaſſe inſcriptum eſſet in alio loco prope Statuam Athletæ illius, in cujus memoriam inciſæ ſunt inſcriptiones, vel quod ſtante ſtatua facile a Megarenſibus dignoſceretur. An ergo ſuſpicandum, eſſe Diagoræ percelebris illius Athletæ? Minime gentium, is enim antiquiſſimus Heros: at hi lapides non ſapiunt tam remotam antiquitatem, cum memorentur in iis Ludi Auguſtales CЄBACTA in Cæſarum Romanorum honorem inſtituta, cumque rotundum ſigma C antiqui ſigmatis Σ locum occupet. Jam enim notavimus illum vix in uſu eſſe cepiſſe ante Antoninorum ætatem. ΠΕΙCΗ pro ΠΙCΗ frequenti idiotiſmo exſcriptum eſt. De Olympiis plura vide apud Meurſ. Faſold. alioſque.

PYTHIA alterum ex quatuor celebribus Græciæ certaminibus in honorem Pythii Appollinis inſtituta celebrabantur præcipue Delphis, inde &, ut nos marmor docet, Mileti, Magneſiæ, Sidæ, Pergæ, & Theſſalonicæ, & ex alio marmore Trallibus, imo & ut videtur Neapoli: ΖΩΙΛΟΣ ΖΩΙΛΟΥ ΠΥΘΙΑ ΝΙΚΗΣΑΣ ΘΕΟΙΣ, *Zoilus Zoili* filius *victor in Pythiis*, *Diis* conſecravit.

NEMEA tertium celebre certamen Græciæ in honorem Archemorii Lycurgi filii in Sylva Nemæa a ſerpente occiſi. In iis curſu equorum, & curru, pancratio, diſco, cæſtu, palæſtraque pugnabatur. Celebratum autem certamen in Argorum urbe teſtis eſt inſcriptio. De hiſce ludis vide Natalem Comitem, & Hoſpinianum.

ISTHMIA quartum celebre Græcorum certamen in honorem Palæmonis, quem Latini Portumnum nominant, inſtituta. Iſthmia dicebantur quia celebrabantur in Iſthmo Corinthiaco, ubi nunc Templorum & theatrorum rudera marmorea cernuntur, quæ a recentioribus Græcis *Palæo caſtro* nuncupantur, hoc eſt *vetus arx*: Templa quæ illic extructa recenſet Inſcriptio in Iſthmo a nobis reperta & ſupra citata.

PANATHENÆA certamina Minervæ ſacra ex omnibus Atticæ oppidis in Athenarum urbem convenientibus, duplicia erant magna & parva. Magna ſingulis quinquenniis, parva ſingulis annis. In iis Poetæ, Comœdique cantu, Athletæ palæſtra ſimilibuſque ludis certabant. Magnorum mentio eſt in Inſcript. de Populis Attic. in Itinerario noſtro Græc. De Panathenæis fuſe Meurſius, libro ſingulari.

PANHELLENIA omnibus Græcis communia agitabantur Athenis.

ELEUSINIA in honorem Cereris duplicia. Magna, quæ in urbe Eleuſi celebrabantur, & parva quæ Athenis. De utriſque Meurſius libro ſingulari.

HERACLEA ſive Herculea ab Athenienſibus, Sicyoniis, Ambraciotis, Thisbitis & Thebanis. Schol. Pindar. Olymp. Od. 7. ἐν δὲ Θήβαις, τὰ ἡράκλεια, τὰ δὲ αὐτὰ καὶ ἰολάϊα καλεῖται, *Thebis autem Heraclea, quæ & Iolia vocantur.*

TROPHONIA in honorem Trophonii a Lebadienſibus celebrabantur. Scholaſt. Pindari ad Olymp. od. 7. Τελῦνται δὲ ἐν βοιωτίᾳ διάφοροι ἀγῶνες ἐν μὲν θεσπιαῖς τὰ ἐρατίδια, ἐν δὲ πλαταιαῖς τὰ Ελευθέρια, ἐν δὲ Λεβαδείᾳ τὰ Τροφώνια. *Peraguntur quidem in Bœotia varia certamina, Theſpiis Eratidia, Platæis Eleutheria, & Lebadiæ Trophonia.*

ELEUTHERIA in honorem Jovis Eleutherii, quaſi dicas *libertatis* per victoriam contra Perſas aſſertæ Authoris, Platæis, ut ex marmore & loco ſupra citato patet. Vide Meurſ. & Faſold.

CLYPEUS Junonis in Argo ἡ εἰς Αργος ἀσπὶς, vel ἐξ Αργυς, ut habent alia marmora. Clypeus erat quodam urbis loco valide affixus, inquit Meurſius, adeo ut niſi difficillime avelli non poſſet: itaque inter ſe certantes, vires ſuas experiebantur, atque avellere poſſe glorioſum valde erat: vide quæ de eo plura habet in ΗΡΑΙΑ, hoc eſt Junonis feſto, & Reineſ. variar. lection. p. 104.

COMMUNIA ASIAE, ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC ſæpe memorantur in nummis & marmoribus: erantque certamina in quæ conveniebant communi conſenſu populi Aſiæ Proconſularis, quæ Aſiæ minoris pars erat, Ioniam, Cariam, Lydiamque comprehendens, de qua vocis Aſiæ acceptione vide amplum com-

mentarium marmorum Oxonienſ. ad marmor 11. Itaque Smyrnæis, Epheſiis, Pergamenis, Sardianis, Philadelphenſibus aliiſque urbibus communes erant ludi.

ACTIA celebrabant Acarnanes in urbe Actia honori Apollinis Actii inde cognominati. Mox Auguſtus devicto Antonio *prope Actium Nicopolim condidit*, ubi teſte Suetonio, *ludos quinquennales conſtituit*. Dio Caſſius: Ἀγῶνά τε τινὰ μυσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας, *certamenque quoddam Muſicum, gymnicum & equeſtre in quintum quemque annum inſtituit, Actia illa* certamina *vocans*.

ASCLEPIDEA quæ & Aſclepiæa in Æſculapii honorem inſtituta, celebria erant apud Epidaurios, ubi celebre hujus Dei Fanum. Muſica illic præcipue certabatur.

CAPITOLIA ab Autoribus non obſervata ludi erant Romæ Jovi Capitolino celebrata, quorum mentio in Gallieni nummo ex ære: CERTAMEN SACRVM CAPITOLINVM OECVMENICVM ISA. HELV.

MINERVAE PROMACHI ſive PROPUGNATRICIS nulla forte alibi memoria reperietur. Ejus autem Feſtum Romæ obſervabatur.

EUSEBEA ſive PIA in honorem Hadriani ab Antonino Pio inſtitutà, Puteolis Italiæ urbe, teſte Spartiano. Εὐσέβεια, inquit Artemidorus, τὰ ἐν Ἰταλίᾳ ἀχθέντα ὑπὸ Βασιλέως Ἀντωνίνου ἐπὶ τῷ πατρὶ Ἀδριανῷ.

AUGUSTALIA in Auguſti honorem pluribus in locis ſine dubio celebrabantur, ac præcipue Neapoli, ut etiam a quibuſdam memorantur.

CXIII. *Athenis ad Panagiam Gorgopico.*

ΜΑΡΚΟC ΤΥΛΛΙΟC ....

ΑΠΑΜΕΥC ΤΗC ΒΙΘΥΝΙΑC ΑΘΗΝΑΙ

ΟC ΚΟΡΙΝΘΙΟC ΖΜΥΡΝΑΙΟC ΜΟΝΟC

ΚΑΙ ΠΡωΤΟC ΤωΝ ΑΠ ΑΙωΝΟC ΠΥΚΤωΝ

ΝΕΙΚΗCΑC ΚΑΤΑ ΤΟ ΕΞΗC ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ

ΟΛΥΜΠΙΑ ΙCΘΜΙΑ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΡωΜΗ....

ΟΛΥΜ ΠΙΑ	ΔΙC	ΝΕΜΕΙΑ. Α.
ΑΘΗΝ.	ΔΙC	ΙCΘΜΙΑ
ΝΕΑΝ	ΑΘΗ..	ΑΘΗ..
ΠΟΛΙΝ	..	
CΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑCΙΑC		
ΕΦΕ		
....		

ΕΝΕΙΚΑ ΔΕ ΘΕΜΑΤΙΚΟΥC ΚΑΙ ΤΑΛΑΝΤΙ

ΟΥC ΑΓΩΝΑC ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΠΕΝΤΕ ΕΤΕΛΕΥ

ΤΑ ΕΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ ΜΗΝΩΝ ΤΡΙΩΝ

ΜΑΡΚΟC ΤΥΛΛΙΟC ΕΥΤΥΧΗC

ΕΠΟΙΕΙ .... ΑΔΕΛΦΟC .....

ΤΟΠΟΝ ΕΔΩΚΕ ΚΛΕΙΤΟΡΙC

Exſcripſi.

Marcus Tullius . . . . . . Apamenſis Bithyniæ, Athenienſis, Corinthius, Smyrnæus, ſolus & primus a principio mundi Athleta, qui vicit ſequentia continuo certamina, Panhellenia, Olympia, Iſthmia, Hadrianalia Romæ, Smyrnæ commune Aſiæ, &c. Vicit autem propoſita & difficilia certamina triginta quinque, defunctus annorum 32. menſ. 3. Marcus Tullius Eutyches fecit ejus frater, locum ded.t Clitoris.

Athletas inſignes civitate donabant celebriores urbes in quibus victorias reportaverant, unde hic Apa-

mensis, Corinthius, Atheniensis, Smyrnæusque dicitur. Nominata certamina explicuimus, unum tantum superest, nempe

HADRIANALIA in Hadriani Augusti honorem Romæ, Athenis, Ephesi, vel ab Hadriano instituta. Spartian. *in omnibus pene urbibus & aliquid ædificavit & ludos edidit*. Xiphilin. ἐποίει καὶ θέατρα καὶ ἀγῶνας περιπορευόμενος τὰς πόλεις. Hæc memorat sequens Inscriptio.

CXIII. *Oxonium ex Græcia allatus lapis.*

Γ. ΑΝΤ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΠΟΠΛΙΟΣ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΟΣ ΚΙΘΑΡΩΔΟΣ ΜΟΝΟΣ ΚΑΙ
ΠΡΩΤΟΣ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΝΙΚΗΣΑΣ
ΤΟΥΣ ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ
ΟΛΥΜΠΙΑ ΗϚ Ι7 ΑΔΡΙΑΝΙΑ
ΡΩΜΗΝ Β' ΠΟΤΙΟΛΟΥΣ Β. ΝΕΑΝ ΠΟ
ΛΙΝ Γ' ΑΚΤΙΑ Β' ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥ ΑΣ
ΠΙΔΑ ΝΕΜΙΑ Γ' ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΘΕΞΗΣ
ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ' ΤΡΑΙΑ
ΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β' ΠΥΘΙΑ
ΤΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ
ΕΦΕΣΟΝ ΕΦΕΣΙΑ ΒΑΡΒΙΛΛΙΑ
ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΑΘΗΝΑΣ
ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΣΑΡΔΕΙΣ ΧΡΥΣΑΝΘΙ
ΝΟΝ ΤΡΕΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ ΜΕΙΛΗ
ΤΟΝ ΔΙΔΥΜΕΙΑ ΡΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ Β'
ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ ΜΑΝΤΙΝΙΑΝ
ΘΕΜΑΤΙΚΟΥΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΛΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ ΠΑΝΤΑΣ ΟΣΟΥΣ ΗΓΩ
ΝΙΣΑΤΟ ΥΠΟ ΦΩΝΑΣΚΟΝ Γ' ΑΙΛ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΝ
ΕΦΕΣΙΟΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ΚΑΙ ΠΕΡΓΑΝΗΝΟΝ ΚΙΘΑΡΩΔΟΝ
ΙΕΡΟΝΕΙΚΗΝ ΚΑΙ ΜΕΛΟΠΟΙΟΝ ΕΝΔΟΞΟΝ ΠΕΡΙ
ΠΑΝΤΑ ΕΥΝΟΥΝ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΩΣ ΦΥΣΕΙ ΠΑΤΕΡΑ

Ex Marmor. Oxoniens.

Id est. *Cajus Antius Septimius Publius, Pergamenus, Smyrnæus, Atheniensis & Ephesius, Citharœdus solus & primus, qui ab origine mundi vicit subscripta certamina, Smyrnæ Olympia octies, Hadrianalia Romæ bis, Puteolis bis, Neapoli ter, Actia bis, ex Argo Clypeum, Nemea ter, omnia serie continua, Smyrnæ Commune Asiæ, Pergami Augustalia ter, Trajanalia, Æsculapia, Commodalia bis, Pythia Delphis, Ephesi Hadrianalia, Ephesi Ephesia Barbillea, Epidauri Æsculapia, Athenis Hadrianalia, Sardibus Chrysanthinum, Trallibus Pythia, Mileti Didymea, Rhodi Haliæa bis, Lacedæmone, Mantineæ: omnia proposita & difficillima certamina, quæ certavit sub moderatore Cajo Ælio Agathemero Ephesio, Smyrnæo, & Pergameno, Citharœdo, Hieronice & modis faciendis clarissimo, in omnibus benevolo, non aliter ac si naturalis Pater fuisset.*

Insignis non minus præcedenti, Athleta hic Septimius, totidem urbium civis, totidemque victoriis reportatis, non minori elogio dignus erat. Præter autem supra indicata certamina etiam sequentia vicerat.

TRAIANALIA Parthica dicta, quæ honoris causa Trajano adoptivo patri dicaverat Romæ Hadrianus, teste Xiphilino.

COMMODALIA in Commodi honorem a Severo ejus successore forte instituta. Nominantur & in alio lapide apud Gruterum pag. CCCXVII. I.

EPHESIA Festum Dianæ Ephesi. Jul. Pollux lib. I. Ἀρτέμιδος Ἀρτεμίσια & Ἐφέσια. *Meurs. Græc. feriat.*

BARBILLEA, male in marm. Grut. ΒΑΡΒΙΑΔΗΑ: sic edocuit Marmor. Oxoniens. Commentator Eruditus Humphridus Prideaux, ex Valesii excerptis e Dione: ibi enim de Vespasiano hæc leguntur, Τοῖς τε Ἀστρολόγ[illegible] ἐκ τῆς Ῥώμ[illegible] ἐξώρισε, καίτοι πᾶσι τοῖς ἀρίστοις αὐτῶν χρώμενος, ὥστε καὶ διὰ Βάρβιλλόν τινα ἄνδρα [illegible] τοῖς Ἐφεσίοις [illegible] συγχωρῆσαι, ὅπερ [illegible] πόλει ἐνέμειν: *Astrologos etiam Roma expulit, etsi peritissimis eorum uteretur, eo usque ut in gratiam Barbilli cujusdam artem hanc profitentis in Ephesiis festis sacrum certamen fieri concesserit, quod nulli alii civitati indulsit.*

CHRYSANTHINA apud Sardianos celebria a Martiano Jurisconsulto *Chrysanthiana* levi differentia vocantur. *Cum erat certa pecunia Reipublicæ Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chrysanthiani, Divus Severus & Antoninus rescripserunt videri perpetuam pensitationem reliquisse testatorem per quadriennium, non in primum quadriennium.* Non animadversa sunt a Meursio aliisque Heortographis. Extant numismata Alexandri Severi, Mammææ & Tranquillinæ, cum epigraphe ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ CΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

DIDYMEA Apollini Didymeo Mileti, ubi ejus non ignobile oraculum erat, a quo & quando instituta fuerint ignotum, cum de iis Authores sileant.

HALEIA certamina a Rhodiensibus ἡλίῳ seu ἁλίῳ secundum Doricam dialectum, hoc est Soli sacra, ut pote Insulæ patrono. Aristides in Ῥοδιακῷ eos alloquens & τὸν μετὰ τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσετε, *Ludos Halios seu Agonem Halium peragetis.* Vide plura in Comment. ad Marm. Oxon.

His adde & quædam festa certaminave a recentioribus Festorum descriptoribus non observata.

ΛΗΤΟΕΙΑ, Latonalia in Latonæ honorem. In Nummis passim.

PALILIA, Agon in Paletis honorem. Hesych. Παλίλια ἀγὼν, οἱ μετὰ τῷ Πάλητι, οὗτοι ἢ τῷ Παύς.

SEVERIA in Severi honorem, Marmor. Gruter. CCCXVII. I.

HYOMEMNIA festum quoddam apud Argos, *Hesych.*

TAVROCATHAPSIA silentibus Authoribus in marmore Oxoniensi pag. 266. part. 2. leguntur: ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ. Taurorum venationem sive pugnam a Thessalis inventam putat Commentator, de qua Plinius, *Thessaliorum inventum equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice Tauros necare. Primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar Dictator.* Ad quæ referuntur figuræ in marmore exsculptæ.

PHILADELPHIA in nummo apud Tristanum, aliisque. Vide & aliud festum ibi quod ΟΙΝΟΥ ΓΕΝΕΣΙΝ, vini natalia ex Longo Sophista memorat Tom. 3. p. 21.

CXIV. *Romæ, in villa Justiniani.*

CωΜΑ ΜΕΝ ΗΔΕ ΚΟΝΙC ΚΕΥΘΕΙ ΘΕΟΜΗCΤΟΡΟC ΑΝΔΡΟC
ΝΑΡΚΙCCΙωΝΟC ΗΙΝΥΠΠΟΥ ΕΥΧΗ ΔΕ CΥΝΕΔΡΟC
ΑΘΑΝΑΤωΝ ΒωΜΟΝ ΓΑΡ ΕΔωΜΗCΑΝΤΟ ΤΑΛΑΦΡωΝ
ΜΗΤΗΡ CΑΛΒΙΑ ΜΑΤΡωΝΑ CωΤΑC ΤΕ ΑΔΕΛΦΟC

Exscripsi.

Id est *Corpus quidem & cinis pii erga Deos Viri, Narcissionis Eunipi, precibus vero consessoris immortalium; aram enim ædificarunt patientis animi mater Salvia Matrona, & Sotas frater.*

CXV. Romæ, In horto Ædis Barberinæ.

ΠΟΠΙΛΙΗΣ ΤΑΦΟΣ ΟΥΤΟΣ ΑΝΗΡ Δ ΕΜΟΣ ΑΥΤΟΝ ΕΤΕΥΞΕΝ
ΩΚΕΑΝΟΣ ΠΑΣΗΣ ΕΜΠΕΡΑΜΟΣ ΣΟΦΙΗΣ
ΚΟΥΦΗ ΤΟΙ ΓΑΡ ΕΜΟΙ ΠΕΛΕΤΑΙ ΚΟΝΙΣ ΕΝ Δ ΑΧΕΡΟΝΤΙ
ΥΜΝΗΣΩ ΤΗΝ ΣΗΝ Ω ΑΝΕΡ ΕΥΣΕΒΙΗΝ
ΜΕΜΝΕΟΚΗΝ ΖΩΟΙΣ ΕΜΕΘΕΝ ΚΑΙ ΠΟΛΛΑΚΙ ΤΥΜΒΩ
ΣΠΕΙΣΟΝ ΑΠΟ ΒΛΕΦΑΡΩΝ ΔΑΚΡΥ ΑΠΟΙΧΟΜΕΝΗ
ΚΑΙ ΛΕΓΕ ΠΟΠΙΛΙΗΝ ΕΥΔΕΙΝ ΑΝΕΡ ΟΥ ΘΕΜΙΤΟΝ ΓΑΡ
ΘΝΗΤΚΕΙΝ ΤΟΥΣ ΑΓΑΘΟΥΣ ΑΛΛ ΥΠΝΟΝ ΗΔΥΝ ΕΧΕΙΝ

Ex libro Ædium Barber.

CXVI. Florentiæ apud Marchionem Richardi.

ΥΠΕΡ. ΣΩΤΗΡΙΑΣ. ΚΑΙ. ΝΕΙΚΗΣ. ΚΑΙ. ΑΙΩΝΙΑΣ. ΔΙΑΜΟΝΗΣ.
ΤΩΝ. ΚΥΡΙΩΝ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ. ΛΟΥΚΙΟΥ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΥ.
ΣΕΟΥΗΡΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΠΕΡΤΙΝΑΚΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΑΡΑΒΙΚΟΥ. ΑΔΙΑΒΗΝΙ
ΚΟΥ. ΠΑΡΘΙΚΟΥ. ΜΕΓΙΣΤΟΥ. ΚΑΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ.
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΑΡΑΒΙΚΟΥ. ΑΔΙΑΒΗΝΙΝΟΥ. ΠΑΡΘΙΚΟΥ. ΜΕΓΙΣΤΟΥ. ΚΑΙ.
ΛΟΥΚΙΟΥ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΥ. ΓΕΤΑ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ.
ΜΗΤΡΟΣ. ΣΤΡΑΤΟΠΕΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΟΥ. ΣΥΝΠΑΝΤΟΣ. ΑΥΤΩΝ. ΟΙΚΟΥ ΚΑΙ.
ΙΕΡΑΣ. ΣΥΝΟΔΟΥ. Λ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ. ΤΡΥΦΩΝ. ΚΑΙ. ΩΣ.
ΧΡΗΜΑΤΙΖΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥΣ. ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ. ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ.
ΚΑΤΑ. ΤΟ. ΕΞΗΣ. ΔΙΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΤΟΥ. ΚΑΘΗΓΕΜΟΝΟΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΔΙΑ.
ΒΙΟΥ. ΕΤΙ. ΤΕ. ΚΑΙ. ΤΕΙΜΗΘΕΙΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ.
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΤΟΥ ΝΕΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΚΑΙ. ΥΠΟΣΧΟΜΕΝΟΣ. ΑΥΘΑΙ.
ΡΕΤΟΣ. ΚΑΙ. ΤΑΥΤΗΝ. ΤΗΝ. ΑΡΧΙΕΡΩΣΥΝΗΝ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΕΠΙΤΕΛΕΙΝ.
ΤΟΝ. ΔΙΟΝΥΣΟΝ. ΑΝΑΚΟΣΜΗΣΑΣ. ΕΚ ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΠΡΩΤΟΣ.
ΛΟΓΙΣΤΕΥΟΝΤΟΣ. Μ. ΟΥΟΛΥΣΣΙΟΥ. ΠΕΡΙΚΛΕΟΥΣ.
ΕΠΑΝΤΙΛΕΜΕΝΟΣ. ΤΟΝ. ΔΙΟΝΥΣΟΝ. ΑΝΑΚΟΣΜΗΣΑΙ. ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ.
ΒΕΝΤΙΔΙΟΥ. ΣΩΤΑ. ΠΥΘΑΥΛΟΥ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ.
ΚΑΙ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. ΑΙΛΙΟΥ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΥ. ΚΙΘΑΡΩΔΟΥ. ΠΑΡΑΔΟ
ΞΟΥ. ΚΑΙ. ΝΟΜΟΔΙΚΤΟΥ. ΑΥΛΟΥ. ΟΙΝΕΩΣ. ΤΡΑΓΩΔΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ.
ΕΤΕΛΕΙΩΣΑ. ΔΕ. ΩΣ. ΕΠΗΝΓΕΙΛΑΜΗΝ. ΤΟΝ. ΔΙΟΝΥΣΟΝ. ΕΠΙ. ΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ. ΑΥΡ. ΑΓΧΑΡΗΝΟΥ. ΦΑΙΔΡΟΥ. ΕΦΕΣΙΟΥ. ΚΩΜΩΔΟΥ.
ΠΕΡΙΟΔΟΝΙΚΟΥ. ΚΑΠΕΤΩΛΙΟΝΕΙΧΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ. ΚΑΙ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ.
ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ. ΑΣΣΥΡΙΟΥ. ΣΥΛΛΕΩΣ. ΚΩΜΩΔΟΥ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ.
ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ. ΚΑΙ. ΝΟΜΟΔΙΚΤΟΥ. ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΛΑΟΔΙΚΕ
ΩΣ. ΤΡΑΓΩΔΟΥ. ΚΑΙ. ΠΟΙΗΤΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ.

Ex ſched. Peiresk.

Id est. *Pro ſalute, & victoria, & perennitate Dominorum Imperatorum, Lucii Septimii, Severi Pii Pertinacis, Auguſti, Arabici, Adiabenici, Parthici maximi, & Marci Aurelii Auguſti, Arabici, Adiabenici, Parthici maximi, & Lucii Septimii Getæ Cæſaris, & Juliæ Auguſtæ matris Caſtrorum, & totius ipſorum domus, & ſacræ Synodi: Lucius Septimius Tryphon, & veluti oraculi reſponſum dans, Alexandrenſis Philoſophus, Sacerdos creatus ſecundum ordinem bis, & Pontifex per vitam Bacchi Auſpicis; præterea honoratus Pontifex Marci Aurelii Antonini Auguſti Bacchi junioris per vitam, qui cum ultro pollicitus ſit hunc pontificatum per vitam gerere, Bacchi* Ludos *ex propria pecunia exornavit primus, Logiſtæ officio fungente Marco Voluſſio Pericle, exorſus Bacchum honorare ſub Archonte Ventidio Sota Tibicine in omnibus Ludis victore illuſtri, & Scriba Agathemero Citharœdo illuſtri, & Nomodicta* (ſeu judice) *Aulo Oeneo Tragœdo illuſtri. Perfeci autem ut promiſeram, Dionyſiacum certamen Archonte Aurelio Anchareno Phædro Epheſio Comœdo illuſtri, Capitolionico illuſtri, & Scriba Menecrate Aſſyrio Sylyeo Comœdo illuſtri & Judice, Tiberio Claudio Alexandro Laodicenſi Tragœdo & Poeta illuſtri.*

Retuli hanc Inſcriptionem, quanquam a Reinelio jam in Syntagmate allatam, eo quod apud illum aliquot leves irrepſerint errores, & linea integra fuerit omiſſa. Videſis quæ ad eam Eruditus hic Autor commentatur pag 314.

CXVII. *Romæ, In horto Barberino.*

ΘΕΟΙC ΗΡΩCΙΝ

ΛΟΥΚΙΟC ΜΙΝΙΚΙΟC ΑΝΘΙΜΟC ΚΑΙ CΚΡЄΙ

ΒΩΝΙΑ ΦΙΛΕΙΚΙCCΙΜΑ ΑΤΥΧΕΙC ΓΟΝΕΙC

Α. ΜΙΝΙΚΙΩ ΑΝΘΕΜΙΑΝΩ ΤΕΚΝΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ

ΚΑΙ ΘΕΩ ΙΔΙΩ ΕΠΗΚΟΑ ΖΗCΑΝ ΕΤΕΙ Δ

ΜΗΝΑC Ε. Η. Κ

ΝΗΠΙΟC ΕΙΜΙ ΤΥΧΩΝ ΤΥΜΒΟΥ ΤΟΥ ΔΩ ΠΑΡΟΔΙΤΑ

ΟCC ΕΠΑΘΟΝ Δ ΕΝ ΒΑΙΩ ΤΕΡΜΑΤΙ ΜΟΥ ΒΙΟΤΗC

ΕΝΚΥΡCΑC ΛΑΙΝΕΑ CΤΕΛΛΗ ΤΑΧΑ ΚΑΙ CΥ ΔΑΚΡΥCΕΙC

ΜΗΤΡΟC ΑΠ ΩΔΕΙΝΩΝ ΩC ΕΙΣ ΦΑΟC ΗΓΑΓΟΝ ΩΡΑΙ

ΕΚ ΓΑΙΗC ΜΕ ΠΑΤΗΡ ΕΜΟC ΕΙΛΑΤΟ ΧΕΡCΙ ΓΕΓΗΘΩC

ΚΑΙ Μ ΑΠΕΛΟΥCΕ ΛΥΘΡΟΥ ΚΑΙ ΕΙC CΠΑΡΓΑΝΑ Μ ΑΥΤΟC ΕΘΗΚΕΝ

ΗΥΛΕΤΟ Δ ΑΘΑΝΑΤΟΙC ΑΠΕΡ ΟΥΚ ΗΜΕΛΛΟΝ ΕCCΕCΘΑΙ

ΜΟΙΡΑΙ ΓΑΡ ΠΡΩΤΑΙ ΠΕΡΙ ΜΟΥ ΚΕΚΡΙΚΕΙCΑΝ ΑΠΑΝΤΑ

ΚΑΙ Μ ΕΤΡΕΦΕΝ ΓΕΝΕΤΗC ΜΗΤΕΡΑ ΜΟΥ ΤΡΟΦΟΝ ΕΙΛΑΜΕΝΟC

ΑΥΤΙΚΑ Δ ΕΥΞΑΝΟΜΗΝ ΕΥΕΡΝΗC ΚΑΙ ΠΑCΙ ΠΟΘΗΤΟC

ΕΝ Δ ΩΡΑΙC ΟΛΙΓΑΙC ΜΟΙΡΩΝ ΓΑΡ CΦΡΑΓΕΙΔΕC ΕΠΗΛΘΟΝ

ΑΙ ΜΕ ΝΟCΩ ΠΗΞΑΝ ΧΑΛΕΠΗ ΔΙΔΥΜΟΥC ΠΕΡΙ

ΑΛΛΟ ΤΑΛΑΙΦΡΩ ΓΕΝΝΗCΑC ΜΟΥCΑC ΟΝ ΑΙΝΗΝ

ΤΟΥΤΟ ΔΟΚΩΝ ΟΤΙ ΜΟΙΡΑΝ ΕΜΗΝ ΕΙΑΜΑCΙ CΩCΕΙ

ΚΑΙ ΤΟΥΣ Δ ΗΜΕΤΕΡΑ ΝΟCΟC ΕΙΛΕ ΚΑΚΙCΤΗ

ΤΗC ΠΡΟΤΕΡΗC ΝΟΥCCΟΥ ΠΟΥΛΥΤΙ ΧΕΙΡΟΤΕΡΗ

ΣΗΨΙΝ ΓΑΡ ΜΟΥ ΠΕΔΙΟΝ ΠΟΔΟC ΕΧΕΝ ΕΝ ΟCΤΟΙC

ΕΙΤ ΕΤΑΜΟΝ ΜΕ ΦΙΛΟΙ ΓΕΝΕΤΟΥ ΚΑΙ ΜΟΥ ΩC ΤΕ ΑΝΕΙΛΑΝ

ΛΥΠΑC ΚΑΙ CΤΟΝΑΧΑC ΤΟΙC ΤΕΚΕΕCCΙ ΔΙΔΟΝΤΑΙ

ΚΑΙ ΤΑΥΘ ΟCΑΥΤΩC ΕΙΑΘΗΝ ΠΑΛΙΝ ΟCΤΑ ΠΑΡΟΙΘΕΝ

ΟΥΔ ΟΥΤΩC ΜΟΥ ΓΕΝΕCΙC ΔΕΙΝΗ ΠΛΗΘΕΙC ΕΚΟΡΕCΘΗ

ΑΛΛ ΕΤΕΡΑΝ ΠΑΛΙ ΜΟΙ ΝΟCΟΝ ΗΓΑΓΕ ΓΑCΤΡΟC ΜΟΙΡΑ

CΠΛΑΓΧΝΑ ΜΟΥ ΟΓΚΩCΑCΑ ΚΑΙ ΕΚΤΗΞΑCΑ ΤΑ ΛΟΙΠΑ

ΑΧΡΙC Ο ΤΟΥ ΨΥΧΗΝ ΜΟΥ ΜΗΤΡΟC ΧΕΡΕC ΕΙΛΑΝ ΑΠ ΟCCΩΝ

ΤΑΥΤ ΕΠΑΘΟΝ ΒΑΙΩ ΤΕΡΜΑΤΙ ΜΟΥ ΒΙΟΤΗC ΞΕΝΕ

ΚΑΙ ΚΑΤΕΛΙΠΟΝ ΤΗ ΚΕΔΟΝΑC . . . . . ΤΟΙCΙ ΜΕ ΓΙΝΑΜΕΝΟΙC

ΑΙΝΟΜΟΡΟC ΛΕΙΨΑC ΤΡΕΙC CΥΝΟΜΕΜΟΝΑC ΑCΤΕΦΑΝΩΤΟΥC

Interpretatio.

DIIS HEROIBUS Lucius Minicius Anthimus, & Scribonia Feliciſſima infelices parentes, Aulo Minicio Anthemiano filio dulciſſimo & Deo proprio obſequenti, qui vixit annos quatuor, menſes quinque, dies viginti.

Infans ego ſum, o viator, hunc tumulum nactus: Quanta vero paſſus ſum in triſti fine vitæ, in hunc lapideum cippum incidens ſtatim ipſe deplorabis. A matris in partu doloribus poſtquam me in lucem adduxerunt horæ, ex terra me pater meus ſuſtulit manibus lætabundus, & me perluit fonte, tum ipſe faſciis me involvit. Hinc a Diis immortalibus petiit quæ minime futura erant, Fata enim de me ante decreverant omnia. Dein educavit me pater & matrem pro nutrice elegit, ſtatim crevi robuſtus & ab omnibus deſideratus, ſed intra paucas horas fatorum ſigilla ſupervenerunt, quæ me morbo afflixerunt malo circa teſtes. Interea prudens pater ſivit dum ſolus convaleſcerem, ita ſperans quod fatum meum dilationibus ſervaret. At tunc noſter morbus incubuit peſſimus priore morbo longe deterior. Putredo enim me cepit in pedis oſſibus. Deinde ſecuerunt me amici Patris & a me oſſa abſtulerunt, dolores & gemitus parentibus dantes, nihilominus, ſimiliter fui rurſus ut ante, neque ſic mea nativitas infelix impleta eſt, ſed alium rurſus morbum attulit ventris fatum, quod viſcera mea inflavit & conſumpſit reliqua, donec animam meam matris manus tulerunt ab oculis. Hæc paſſus ſum in funeſto vitæ meæ limite, o Hoſpes, & reliqui dolores meis parentibus miſer, relictis tribus fratribus matrimonii expertibus.

Sic vertit D. Galland.

CXVIII. *Romæ Sarcophagus.*

ΕΝΘΑΔΕ
ΚΕΙΤΑΙ ΙΟΥ
ΛΙΑΝΟϹ ΙΕΡΕΥϹ
ΑΡΧωΝ ΚΑΑ....
ΑΓΡΙΠΠΗϹΙωΝ ΥΙΟϹ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ
ΑΡΧΙϹΥΝΑΓωΓΟΥ

Exſcripſi.

Hic jacet Iulianus Sacerdos Summus .... Agrippianorum filius Iuliani Archiſynagogi.

CXIX. *Romæ in æde Salvatoris.*

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΖωϹΙΜΟϹ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ϹΥΝΑΓωΓΗϹ
ΑΓΡΙΠΠΗϹΙωΝ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΟΙΜΗ
ϹΙϹ ΑΥΤΟΥ...ΕΚΙΘΕ ΔΕ
ΚΕΙΤΑΙ ΕΥΛΛΙϹ ΑΡΡωΝ ΕΤωΝ
Ε.......

Exſcripſi.

Hic jacet Zoſimus per vitam Synagogæ Agrippianorum, in pace dormitio ejus. Hic etiam jacet Eullis Arron annorum....

Videntur eſſe Epitaphia antiquorum quorundam Judæorum ex Synagoga, quæ Agrippiana vocabatur, ab Herode Agrippa forte inſtituta: ad quam & ſequens.

CXX. *Romæ Sarcophagus.*

BETVRIA PAV
LLA F. DOMI
HETERNE QVOS
TITVTA QVE BI
XIT AN. LXXXVI MESES VI
PROSELYTA AN. XVI
NOMINE SARA MATER
SYNAGOGARVM CAMPI
ET BOLVMNI
EN IRENAE AI KYMYSIS AY....

Ex Bagarrii ſchedis.

Latine quidem expressa, sed vocibus prava orthographia corruptis, sic *beterne* pro æternæ, *quostituta* pro constituta, *Bixit* pro *vixit*. Sed quod rarius linea plane Græca est, etsi characteres Latini sint: EN IRENAE AI KYMYSIS AY.. id est *ἐν εἰρήνῃ ἡ κοίμησις αὐτῆς in pace dormitio*, sive depositio, *ejus*. Favet autem id pronunciationi τοῦ η, ut æ, non ut *i*. Scribebant enim isti orthographiæ imperiti ut pronunciabant: ita *ei* & *oi*, ut simplex *iota* hic scribitur. Proselytæ vocabantur qui Judaicam legem amplectebantur, præsertim qui a gentibus ad Judæos transibant. Ebionitæ hæretici dicebant Paulum Apost. ex gentibus Proselytum factum, teste Epiphan. lib. 1. cap. 30. *Ita, inquam, o Trypho, tibi & eis qui volent esse Proselyti Christi, doctrinam Divinam ego promulgabo*. Justinus de verit. Christiana, & idem contra Tryphonem. Memorantur Actor. 2. inter cæteras nationes Judæi & Proselytæ.

CXXI. *Lebadiæ, in muro Meschitæ Sultani Omer, qui olim urbem cepit.*

ΧΑΡΟΠΙΝΩ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΒΟΙΩΤΟΙΣ ΛΕΒΑΔΕΙΕΙΟΙΣ ΔΕΣΑ

.......ΟΤΤΙΟΣ ΙΛΑΤΙΓΕΤΙΕΣ ΑΠΕΓΡΑΨΑΝΤΟ

ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΣ ΝΙΔΡΙΑ Ο ΔΕΞΙΠΠΟΣ ΑΓΛΑΩΝΟΣ ΦΙΛΟ

ΞΕΝΟΣ ΧΕΙΡΙΑ Ο ΦΙΛΩΝ ΔΑΜΟΚΛΙΔΑ Ο ΜΝΗΣΙΑΔΕΣ ΑΡΗΙΚΩ ΣΥΛΛΝΟΣ

ΤΙΜΑΣΘΙΩ ΑΛΕΞΩΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΩ ΙΕΡΕΙΣ ΝΙΚΟΝΟΣ ΑΜΙΝΤΑΣ ΣΑΟΛΛ

ΣΙΧΩ ΠΡΟΞΕΝΟΣ ΣΑΩΝΟΣ ΕΥΓΙΤΩΝ ΞΕΝΩΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ ΛΑ

ΜΙΑ Ο ΓΑΣΙΑΣ ΤΡΕΨΙΠΠΙΔΑ Ο ΑΡΙΣΤΟΓΙΤΩΝ ΜΝΑΣΙΜΟΣ

ΚΑΙ ΜΝΗΙΩΝΟΣ ΚΑΡΑΙΧΟΣ ΜΝΑΣΙΜΕΙΛΩ ΒΡΑΝΙΔΑΣ

ΜΝΑΣΙΜΑΧΩ ΦΙΛΩΝ ΑΣΩΠΙΧΩ ΕΥΦΙΛΕΙΤΟΣ ΑΝΤΑΝΔΡΟΥ

ΠΑΣΙΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΚΑΛΛΙΑΣ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ

ΠΑΜΠΙΡΑ Ο ΜΝΑΣΙΑΣ ΠΑΣΙΩΝΟΣ ΑΡΙΣΤΩΝ ΟΦΕΛΕΙΜΩ

ΞΕΝΟΚΛΕΙΣ ΣΑΥΜΕΙΛΩ ΔΙΟΠΙΘΕΣ ΟΦΕΛΕΙΜΩ

. . . . ΚΛΙΟΝΑΞ

. . . . ΘΕΟΔΟΤΟΣ ΙΠΠΑΡΧΟΣ

. . . . ΑΡΙΣΤΩΝ ΦΙΛΟΚΡΑΤΙΟΣ

Exscripsi.

Loquitur marmor de multis qui inscripti fuerant in numerum Epheborum vel in aliquod opus perficiendum, vel simile aliquid, sub Charopino Archonte Bœotiis Lebadiensibus. De hac urbe si plura cupis, consule Itinerar. nostr. Græc. T. II. quod transcribere nec necesse est, nec decet.

CXXII. *Thebis, in æde D. Lucæ in pavimento.*


ΡΟΥΦΟC

ΑΝΑΓΝΩCΤΗC

ΔΙΑΚΟΝΟC

Inscriptio Christiana. *Rufus Lector Diaconus.*

CXXIII. *Extra ædem intra murum ejus.*



Id est. *Damostrata Sicyone oriunda, bona.*

Egregie illustrat hoc marmor Pausaniæ locum lib. 2. *Αὐτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι. τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσι, λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα κίονας ἐφιστᾶσι, καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς αἰετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς: ἐπίγραμμα δὲ ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδὲν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες, κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν. Ipsi enim Sicyonii ut plurimum hoc modo sepeliunt: corpus quidem terra condunt, deinde basim lapideam extruentes columnas erigunt, & superimponunt lapidem ea ferme specie qua sunt Templorum Fastigia,* (quas Græci *Aquilas* vocant, & Galli nostri *le Fronton)* ut in hoc lapide exprimitur, instar trianguli obtusi.

CXXIV. *In via quæ Thebis Lebadiam ducit.*

Η Ρ Α Κ Λ Ε

Χ Α Ι Ρ Ε

Hercules salve. Simplex epitaphium ad Sycioniorum modum.

CXXV. *Corcyræ Inscriptio ævi inferioris supra fores Ecclesiæ Sancti Sosipatri & Jasonis, a Stephano Episc. Corcyrensi fabricatæ.*

Ο ΦΩΤΟΛΑΜΠΗΣ ΚΑΙ ΠΕΡΙΒΛΕΠΤΟΣ ΔΟΜΟΣ
ΤΩΝ ΣΟΦΩΤΑΤΩΝ ΚΑΙ ΘΕΙΩΝ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ
Ο ΠΡΙΝ ΑΚΟΣΜΟΣ ΕΝ ΜΙΚΡΟΤΗΤΙ ΠΕΛΩΝ
ΝΥΝ ΠΕΡΙΚΑΛΛΗΣ ΚΑΙ ΠΕΡΙΔΟΞΟΣ ΩΦΘΗ
ΚΑΛΛΕΙ ΣΤΕΦΑΝΟΣ Ο ΚΛΕΙΝΟΣ ΘΥΗΠΟΛΟΣ
ΤΟΥΤΟΝ ΚΑΤΕΚΟΣΜΗΣΕΝ ΕΥΣΕΒΟΦΡΟΝΩΣ
ΕΙΣ ΛΥΣΙΝ ΑΥΤΟΥ ΨΥΧΙΚΩΝ ΟΦΛΗΜΑΤΩΝ
ΜΝΗΜΗΝ Τ ΑΝΕΠΙΛΕΙΠΤΟΝ ΚΑΙ ΒΡΟΤΩΝ ΚΛΕΟΣ
ΚΑΙ ΤΟΔΕ ΤΕΥΞΕΝ ΥΠΟ ΧΡΙΣΤΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΣΟΦΟΝ ΕΡΓΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΣ Ο ΘΥΗΠΟΛΟΣ
ΕΙΣ ΛΥΣΙΝ ΑΥΤΟΥ ΠΟΛΛΩΝ ΑΜΠΛΑΚΗΜΑΤΩΝ
ΠΟΙΚΙΛΟΜΟΡΦΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΤΟΥ ΠΡΟΕΔΡΟΥ
ΕΥΡΥ ΠΟΝΗΜΑ ΝΑΟΝ ΚΑΛΛΙΕΡΓΗΣΑΙ
ΣΥΜΠΡΑΞΕ ΛΙΑΝ ΑΛΕΙΠΤΟΥ ΕΡΓΟΝ ΜΝΗΜΗΣ

Id est.

Lumine coruscans & conspicua Ædes
Sapientissimorum, ac divorum Apostolorum,
Quæ prius incompta, & parva erat,
Nunc perpulchra, ac valde gloriosa apparet
Decore; Stephanus inclytus Antistes
Hanc exornavit mente pia,
Pro solutione peccatorum animæ suæ
Memoriaque æterna, atque hominum laude,
Et hoc construxit in Christo Salvatore
Elegans opus Stephanus Præsul,
Pro solutione suorum multorum peccatorum
Variis picturis, & artificiosa forma, Stephani Præsulis
Ingens labor, Templo venuste componendo
Studuit admodum, perennis opus memoriæ.

Ex Andreæ Marmora Hist. Corcyrensi.

CXXVI. *Corcyræ, Basis Statuæ,*

ΕΜΜΑΝΟΥΗΛ. ΚΟΜΝ. ΑΥΤΟΚ.
ΕΥΔΑΙΜ. ΥΙΩ ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΣΤΑΤΩ
ΣΙΚΕΛΟΥΣ ΤΥΡΑΝΝΟΥΝΤΑΣ
ΕΚΠΟΛΕΜΗΣΑΝΤΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΚΕΡΚΥΡΑ ΝΙΚΗΤΗΡΙΟΝ

Id est, *Emmanueli Comneno Imperatoris Felicis filio feliciſſimo, qui Siculos Tyrannidem exercentes devicit, gratiarum actionem victoriæ præmium poſuit Corcyra.*

Ex eadem.

CXXVII. *Olim Aquis Sextiis.*

ΚΟΙΡΟΣ ΕΠΙΚΛΕΩ ΣΕ ΘΕΩΦΙΛΟΣ ΟΥΚ ΕΤΙ ΘΝΗΤΟΣ
ΗΙ ΘΕΟΣ ΚΟΙΡΟΙΣΙΝ ΟΜΗΛΙΚΙ Η ΠΑΝΟΜΟΙΟΣ
ΠΛΩΤΗΡΩΝ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΑΜΥΚΛΑΙΟΙΣΙ Σ..ΟΙ.Ν
ΠΛΩΤΗΡ ΚΑΙ ΠΛΕΩΝ ΕΝ ΠΟΝΤΟΥ ΤΕ ΚΥΜΑΣΙΝ ΙΣΘΕΙΝ
ΕΥΣΕΒΙΗ ΤΡΕΦΕΩΝ ΔΕ ΛΑΧΩΝ ΚΤΟΔΕΚΑ ΕΠΑΙΜΑΙ
ΝΟΥΣΩΝ ΑΡΑΜΑΙΟΙΟ ΚΑΙ ΑΧΘΕΟΣ ΗΔΕ ΠΟΝΟΙΟ
ΤΑΥΤΑ ΓΑΡ ΕΝ ΖΩΟΙΣΙΝ ΑΜΕΙΛΙΧΑΣΙΝ ΚΕΣ ΕΧΟΥΣΙΝ
ΕΝ ΔΕ ΤΕΘΝΕΩΣΙΝ ΟΜΗΓΕΡΙ.......ΓΕ ΠΕΛΟΥΣΙΝ
ΔΟΙΗ ΤΩΝ ΕΤΕΡΗ ΜΕΝ ΕΠΑΧΘΟΝΙΗ ΠΕΦΟΡΗΤΑΙ
Η Δ ΕΤΕΡΗ ΤΕΙΡΕΣΣΙΣ ΥΜΑΙΘΕΡΙΟΙΣΙ ΧΟΡΕΥΕΙ
ΗΣ ΣΤΡΑΤΙΗΣ ΕΙΣΕΙΛΑ ΛΑΧΩΝ ΘΕΟΝ ΗΤΕ ΜΟΝΗΑ

Ex ſchedis Peiresk.

Videtur hoc Epitaphium conſcriptum in memoriam cujuſdam Theophili cognomine *Coeri*: unde alluſio fit in ſecundo & tertio verſu ad Caſtorem & Pollucem, qui *Dioſcouroi* Græcis dicuntur. Itaque poſtquam ſe non eſſe mortalem aſſerit, in fine concludit ſe Deum aut Dæmonem eſſe factum. Interpretationem non addo; quia forte æque obſcura foret, ac textus.

CXXVIII. *Romæ, in villa Juſtiniani.*

Μ. ΑΥΡ. ΓΡΗΓΟΡΙΟϹ ΜЄΛΑϹ
ΙΠΠЄΥϹ ΡωΜ
ΠΟΛΛΟΙϹ ΤΗΝ ЄΑΥΤΟΥ ΜΝΗ
ΜΗϹ ΑΞΙΑΝ ΧΡΗϹΤΟΤΗΤΑ
ΚΑΙ ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΝ ЄΝ
ΔЄΙΞΑΜЄΝΟϹ ЄΖΗϹЄΝ
ЄΤЄϹΙ ΜΖ

Exſcripſi.

Id est. *Marcus Aurelius Gregorius Niger Eques Romanus, multis suam memoria dignam bonitatem, sinceritatemque demonstrans, vixit annos XLIV.*

CXXIX. *Romæ, in villa Montalto.*

Θ. Κ.

ΛΕΥΚΙΑ ΔΑΦΝΗ ΜΕΤΑ ΤΩΝ

ΤΕΚΝΩΝ ΕΠΟΙΗΣΕΝ ΜΝΗΜΕΙΟΝ

ΚΛ. ΠΑΡΘΕΝΙΩ ΣΥΜΒΙΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ

ΚΑΙ ΑΣΥΝΚΡΙΤΩ

Id est. *Diis Manibus, Lucia Daphne post liberos fecit monumentum Claudio Parthenio Conjugi dulcissimo & Syncero.*

CXXX. *Romæ.*

ΚΑΘ ΗΓΕΜ....

ΘΡΕΠΤΟΙ Κ....

Λ. ΜΙΝΙΚΙΟΥ....

ΔΙΟΝΥΣΕΙΟΝ....

ΙΕΡΟΦΑΝΤΟΥ....

ΚΑΛΛΙΚΟΡΟΥ....

...ΕΞΕΛΕΥΘΕΡΟΥ..

ΚΑΙ ΚΟΥΡΑΤΩΡ....

CXXXI. *Romæ.*

ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΙΕΡΕΙΣ

ΘΕΟΙΣ ΤΟΙΣ ΕΠΙΚΕΙΜΕ

ΝΟΙΣ ΚΑΙ ΣΠΕΙΡΗ ΙΕΡΑ

ΑΝΕΘΗΚΑΝ

Τ. ΑΙΛΙΟΣ ΕΡΩΣ

..ΟΥΦΕΙΝΙΑ ΠΑΥΛΕΙΝΑ

..ΑΜΟΥΡΗΝΑ ΚΟΣΜΙΑΣ

Π. ΙΟΥΛΙΟΣ ΜΑΣΚΛΙΟΝ

Exscripsi.

CXXXII. *Romæ.*

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ

ΕΠ. ΑΥΡ. ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ Β. ΤΟΥ ΑΡΧ.

ΕΝΑΤΟϹ ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΓΟΡΔΗΝΩΝ

Ex Erud. Bellorio.

Id est. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus sub Aurelio Polliano secundum Pontifice, Novus Juliensium Gordianorum.* Videtur esse numismatis potius quam lapidis inscriptio.

CXXXIII. *Romæ in horto Barberino.*

ΑΥΡ. ΧΡΗΣΤΩΝΙΑΝΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ

ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΑ ΕΜΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΗ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΑ

ΜΟΥ ΑΓΑΛΜΑΤΙΩ ΚΕ ΑΝ ΕΠΕΙΖΕΙ

ΤΕΚΝΩ Η ΚΕ ΓΝΗΣΙΩ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΩ Η

ΑΝ ΤΙΝΙ ΕΓΩ ΖΩΝ ΒΟΥΛΗΘΩ ΕΡΡΩΣΘΗ

Exscripsi.

Id est. *Aurelius Chrestonianus Asclepiodotus comparavi mihi & Libertæ meæ Agalmatio, & si supervixerit filio, aut affini Liberto, aut cui vivus permisero. Vale.*

CXXXIV. *Ibidem.*

ΚΥΡΙΛΛΟϹ ΤΟ ΔΕ ϹΗΜΑ ΦΙΛω ΠΟΙΗϹΑΤΟ ΠΑΙΔΙ
ΚΛΕΟΦΟΡω ΤΡΙΕΤΕΙΟΝ ΑΦΕΙΛΑΤΟ ΜΟΙΡΑ ΚΡΑΤΕΡΗ
ΠΡΙΝ ΓΛΥΚΕΡΟΥ ΒΙΟΤΟΙΟ ΕϹ ΗΛΙΚΙΗϹ ΤΕΛΟϹ ΕΛΘΕΙΝ
ΑΛΛ ΕΙ ΓΕΝ ΦΘΙΜΕΝΟΙϹ ΤΙϹ ΑΙϹΘΗϹΙϹ ΤΕΚΝΟΝ ΕϹΤΙΝ
ΚΟΥΦΟΝ ΕΧΟΙϹ ΓΑΙΗϹ ΒΑΡΟϹ ΕΥϹΕΒΙΗϹ ΕΝΙ ΧωΡω

Exscripsi.

Id est. *Cyrillus hoc monumentum amico posuit filio*
Cleophoro, quem triennem abstulit sors potens,
Antequam ad finem ætatis dulcis vitæ pervenisset
Sed si mortalibus sensus aliquis inest, o fili,
Leve habeas terræ pondus in Piorum choro.

CXXXV. *Romæ, in ædib. Barberin.*

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΜΑΙ ΔΑΜΑΡ ΥΠΑΤΟΥ ΗΡΩΟϹ ΑΓΛΑΟΥ
ΑΡΡΙΟΥ ΜΟΥΦΙΛΙΟΥ Τω ΔΕ ΜΙΓΕΙϹΑ ΜΟΝω
ΗΝ ΔΕΚΕΝ ΕΚ ΠΡΟΓΟΝΩΝ ΠΟΤΕ Τ ΟΥΝΟΜΑ ΠΟΥΡΑΙΑΝ ΗΜΟΙ
ϹΚΙΑΙΑ ΔΑΙ Δ ΕΠΕΛΟΝ ΕΥΓΕΝΙΗΣ ΕΠΡΕΠΟΝ
ΧΗΡΕΙΑ ΤΕ ΑΥΤΗ ΤΟΝ ΑΠΑΝΤΑ ΧΡΟΝΟΝ ΜΕΙΝΑ'ϹΑ
ΚωΚΥΜΟΡωΝ ΤΕΚΕωΝ ΠΕΝΘΕ ΠΑΚΟΜΕΝΗ
ΕΜΒΙΟΤω ΔΕ ΠΟΝΟΝ ΠΟΥΛΥΝ ΔΑΝ ΕΤ ΑΗΝ ΜΟΓΕΟΥϹ
ΜΟΥϹΑΙϹΙΝ ΜΟΥΝΟΝ ΤΗΝ ΦΡΕΝΑ ΘΕΛΠΟΜΕΝΗ

Exscripsi.

Opus nostrum claudet Romanum Epitaphium, quod apud Mazochium in Romanis Epigrammatis refertur, sed ita deturpatum, ut ignorabile videatur. Correctius quidem Gruterus p. DCXXXVII. 4. nec tamen omnino recte. Existimat autem Scaliger in Epist. quam vidi Manuscripta ad Puteanum, alicujus elegantis Poetæ Comici, veluti Afranii aut Titinnii epigramma esse, quo Pater aliquis familias in Comœdia suos alloqueretur. Quidquid sit, en ipsum mendis purgatum, mihi laborique meo etiam accommodum.

Romæ.

MONVMENTVM. ABSOLVI. SVMPTV. ET. IMPENSA. MEA
AMICA. TELLVS. VT. DET. HOSPITIVM. OSSIBVS
QVOD. OMNES. OPTANT. SED. FELICES. IMPETRANT
NAMQVE. QVID. EGREGIVM. QVIDVE. CVPIENDVM. EST. MAGIS
QVAM. LIBERTATIS. VBI. TV. LVCEM. ACCEPERIS
FESSAE. SENECTAE. SPIRITVM. IBI. DEPONERE
QVOD. INNOCENTIS. ARGVMENTVM. EST. MAXIMVM

F I N I S.

INDEX
AUCTORUM, RERUM, ET VERBORUM.

A

 Tttt

I N D E X

B

D

K

—*Sardi-*

O

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 22. D. lin. 40. truculentia. *lege* truculenta. pag. 40. F. lin. 59. Eeruditissimæ. *lege* Eruditissimæ. pag. 48. E. lin. 50. dictos esse tibi. *lege* dicta esse tibi. pag. 277. A. lin. 1. rabiæ parte sitam adeo, ut & hæc Historia faveat mirifice novæ meæ explicationi. *Duas hasce lineas male ibi collocavit imprudens Typotheta, cum ad calcem alterius columnæ* 298. *rejiciendæ sint*. pag. 302. Sperlingii Epistola signata, XCVIII. *exstare deberet*, pag. 212. *notarique* LXX. *post.* LXIX. *Cuperi.* pag. 312. C. lin. 28. Scutatorum. *lege* Scutorum. pag. 321. B. lin. 13. deducit. *lege* deducti. pag. 324. C. lin. 26. ingninibus. *lege* inguinibus. pag. 385. A. lin. 9. quæ Antiquitatis. *lege* quæ, Antiquitatis. pag. 386. B. lin. 23. de aliis referunt de hac re. *lege* de aliis referuntur, de hac re. pag. 394. D. lin. 47. inter viros. *lege* inter vivos. pag. 544. A. lin. 10. Funeratium. *lege* Funeraticum. pag. 546. F. lin. penult. M. Minicius Sabinus. *lege* T. Minicius Clabinus. pag. 561. E. lin. 48. animos. *lege* animum. pag. 739. lin. 9. De pennis quæ. *lege* De pennis quas. pag. 951. lin. 5. Venionem. *lege* Avenionem. pag. 951. lin. 7. Virgine. *lege* Virginem. pag. 997. lin. 1. Colona. *lege* Colonia. pag. 1349. lin. 14. Dioclis filii. *lege* Dioclis filius.

Series Tabularum.





